R. P. ANTONII
DE ESCOBAR
ET MENDOZA,
VALLISOLETANI,
Societatis IESV Theologi,

COMMENTARII
LITTERALES, ET MORALES
in Vetus, ac Nouum Testamentum.

TOMVS NONVS,

CONTINENS D. PAVLI, EPISTOLAS Canonicas, & D. Ioannis Apocalypsim.

NVNC PRIMVM IN LVCEM PRODIT.

LVGDVNI.
Sumptib. PHIL. BORDE, LAVR. ARNAVD, ET PETRI BORDE.

M. DC. LXVII.
CVM APPROBAT. ET PRIVILEGIO.

ILLVSTR.mo ET EXCELL.mo D. D. PETRO

CARRILLO DE ACVÑA,

REGIS A CONSILIIS,

Compoſtellanæ Eccleſiæ Præſuli, Regni Galleciæ pro expeditione Luſitanica ſummo cum imperio Gubernatori, ac Generali Duci.

CORINTHIIS dixerat D.Paulus (2. Cor.12.14.) *Ecce tertio paratus ſum venire ad vos, & non ero grauis.* Semel, PRINCEPS EXCELLENTISSIME, veni ad te, quærens operi, quod in Euangelia Sanctorum & Temporis edidi, protectionem. Iterum, cum ad Theologiæ Moralis Problemata, eandem requiſiui. Ecce autem iam *tertio venio ad te*, Commentariis in Scripturam ſacram tutamen deſiderans. Nec futurum me tuæ Magnitudini grauem vereor, expertus ineffabilem tuam ergà noſtram Societatem, & ergà me humillimum ſeruum tuum benignitatem.

Cuidam amico cupienti alteri Dynaſtæ dicare ſecundum Poëma ſuum, cum alij benigniſſimo primum dicauiſſet, ſcripſit Herodotus: *ſi expertus es, primum Mæcenatem fuiſſe propitium: ſine intellectu: equi inſtar, curres ad alterum.* Perſtringit Debora ſuo in Cantico quoſdam Hebræos, qui multis beneficiis obærati à Deo vero, protectionis adhuc anxij confictas deitates iniere: ex quo manifeſtè ſe equos ſine intellectu eſſe oſtentarunt. *Noua*, inquit, *bella elegit Deus.* Iud. 5.8. legit Theodoretus, *Elegerunt Deos vanos, vt panem hordeaceum.* D. Au-

guſtinus ex Lxx: *Elegerunt vt hordeum Deos nouos ad tutamen.* Nam qui expertus à Deo primo vero tutamen accepiſſe, ex nouis Diis protectionem ambit, ſe hordeaceo alimento, inſtar equi ſine intellectu, agnatũ oſtentat. Profectò quam oppoſitè Te, EXCELLENTISSIME PRINCEPS, vnicum Mœcenatem, iterata iam tertio audacia, perquiro: exprimam apertè, dum illam Herodoti ſententiam perficio, qui ſic optimi Voluminum Patroni tradit definitionẽ: *Ille primus tibi Protector adſit, qui nobilitate præfulget, qui ſapientia pollet, qui cunctis gratus exiſtit, qui morum rutilat pietate.* An non ſententia hæc veram tui mihi exponens, audaciæ me liberat à reatu? Quam vt præcelſius ponderem, operæ pretium eſt, vt ad caput 21. Apocalypſeos accurram: Vbi Ioannes duodecimum Hieroſolymæ è ſuperis deſcendentis fundamen ait eſſe *Amethyſtum.*

De qua pretioſiſſima gemma hæc Auctores ſcripſere. Plinius, *In Amethyſto fulgor purpureus cernitur. Indici quidem ab ſolutum felicis purpuræ colorem habent.* En præcelſam Nobilitatem tuam, è qua poſſent Imperia purpuraſcere. Vti enim Periandei cecinit, *Equitem verè nobilem à Rege ſolùm naſcendi fortuna diſcernit.* Profectò Carrillorum Familia, quæ in Tordomarenſem Domum olim conceſſit, in totam Hiſpaniam fulgorem ſparſit. Innumeri enim Proceres eius ſanguine tincti, maiora Collegia nobilitarunt, poſtmodum ad ſuprema Prætoria Cameræ, & Iuſtitiæ aſcendentes. Innumeri Militarium Ordinum ſtemmatibus ornati, feliciſſimè variis in expeditionibus pro Fide, pro Rege, pro Patria decertarunt. De Acuñarum verò Proſapiæ celſitudine quis gloriam ignoret? Egregiorum huius præclariſſimæ Domus Heroüm nominibus & egregiis facinoribus Hiſpanici, Gallici, Germanici aliorumque Regnorum Annales plura æternitati tradidere. Si autem ego conarer vtriuſque ſtirpis Virorum, Fœminarumque Illuſtrium vel perbreue facere compendium, Epiſtolam hanc longum verterem in volumen. At non tam audax, vt modeſtiam tuam tantæ Nobilitatis purpura faciam purpuraſcere. Aptè ergo Herodotus, *Primus tibi Protector adſit, qui nobilitate præfulget.*

Pergit, *Qui ſapientia pollet.* Plinius affirmat Amethyſtum fulgentiſſimum quidem inſtar carbunculi, ingenio ad ſcientiarum acquiſitionem vim adiicere. Te in adoleſcentia, ô Princeps, lubrica quidem ad vitia ſtatione, virtuti, & litterarum ſtudio addictum aſpexi. Poſt Philoſophiæ ludum ad Iuriſprudentiæ Aulas tranſlatus, tam egregios proceſſus geſſiſti, tanta omnium commendatione: vt Illuſtriſſimum Sanctæ Crucis Collegium ambierit admodùm, Te purpurea ornare Toga. In florentiſſima Valliſoletana Academia breui temporis interſtitio per cunctos gradus ſupremum aſcendiſti. Iuris Cæſarij Veſpertinum Anteceſſorem, Te legum Primarium Interpretem Diſcipulorum ſuffragia expoſuere. Eccleſia Pinciana Te Canonico Pœnitentiario fructa fuit: ibi Vicarij Generalis Diœceſis, nec non multorum Præſulum apud S. Inquiſitionis Tribunal munus obiiſti. Multis perdoctis pro Canonicatu Conchenſi certantibus, actus litterarij tui ſic omnium Electorum rapuere affectum, ac ſimul conſcientiam alligarunt, vt piaculum ducerent, ſi tibi Victoria non cederet. Primus profectò fuiſti, qui è Toga ad Sacrum Romanæ Rotæ Tribunal pro Regis Caſtellæ fuit Auditor electus. In Eccleſia Burgenſi Archidiaconus de Briuiſca: & Magiſter Scholæ in Placentina fuiſti. Doctiſſimas Deciſiones illas, quas Romæ prodiiſti communi plauſu, nunc Sapientum precibus illectus, prælo permiſiſti, vt cunctis litterarum ſtudioſis præberes Magiſterium, & tuæ mirabilis Sapientiæ documenta exponeres. Inqualibet enim Voluminis Clauſula totus es ſplendens Amethyſtus. Tantæ peritiæ triumphali Currui Rota Romana addidit rotam, vt velociſſimo curſu, Regiæ Cancellariæ Valliſoletanæ ſupremam Sedem Præſes inires, vt Salmanti ad Præſulatum pergeres, vt Compoſtellanus Archiepiſcopus Vrbis Dominus fieres ad Placentinum quidem electus. Magna Regni Galleciæ felicitate, illius effectus es Gubernator, atque eius exercitus ſummo cum imperio Generalis Dux, quo in munere difficili admodum oſtendiſti Palladem Diuam Sapientiæ galea etiam ornari, vt Marti rectè dimicandi monita præſcribat.

Tertiam probi Mœcenatis proprietatem Herodotus illis verbis enuntiat: *Qui cunctis gratus exiſtit.* Porrò Plutarchus libel. de audien. Poët. eam Amethyſto virtutem tribuit, vt ad ſe trahat, quod in eius adeſt conſpectu. *Lapilli, ait, qui vocantur Amethyſti, vim quandam attrahendi nacti ſunt.* In omni Republica probè conſtituta à ſummis, mediis, & infimis magni æſtimatur, virum in Dignitatis culmine conſtitutum omnibus eſſe charum. Omnium ſtudia, O PRÆSVL ILLVSTRISSIME, in tui amorem & ſtudium, Amethyſti in moré arripis. Teſtor Valliſoletum, Romam, Salmanticam, Compoſtellam, Gallecię Regnum, exercitúmque illius. An non cunctæ hæ Vrbes ſe diuinæ Clementiæ obæratas profitentur, quòd Te ſortitæ fuere Magiſtrum, præſidem, Antiſtitem, Imperatorem? O nimium fœlix nunc Gallecię Regnum, quod Te potitur Moderatore, felicius planè, quòd ſuam felicitatem agnoſcit! Vndenam, quæſo, Amethyſtus Magnetis inſtar, omnium arripiens voluntates oſtenderis? Certè ex vigilantia, dexteritate, rectitudine, ac comitate in præcelſis muneribus obeundis. Inquit Rufus, *Amethyſtum vigilantes reddere eos, qui illum geſtant.* Quæ opinio fortaſsè originem traxit ex Hebraïco Amethyſti nomine *Halmach*, deriuato à *Chalon* verbo *Inſomnium* ſignificante. Quàm circa ſubditorum vtilitatem in ſpiritualibus, ac temporariis Te vigilantem vbique oſtendiſti, ex Seneca (de Clem. c. 6.) didici; Te enim delineaſſe quis non aduertat? Illius *Principis*, inquit, *magnitudo ſtabilis, fundatáque eſt, quem omnes tam ſuprà ſe, eſſe, quàm ſuprà omnes vigilem ſciunt. Cuius curam excubare pro ſalute ſingulorum, atque vniuerſorum quotidiè experiuntur. Quo prodeunte non tanquam malum aliquod, aut noxium animal è cubili proſilierit, aufugiunt: ſed tanquam ad clarum, & beneficum ſidus certatim aduolant.* Omnium, O EXCELLENTISSIME PRINCEPS, demereris voluntates, quorum corpora ſubleuas, quorum ad cæleſtia ſtudia animos dirigis. Laudatur Nauarchus quidam à Poëta, quod in Pelago non ſolum die, ſed & nocte vigil prouidebat, nè quid infortunij Rectoribus accideret.

——Clauumque affixus & hærens.
Nunquam amittebat, oculóſque ſub aſtra ferebat.

Multos ſortitus es Prȩſulatus tanquam Domini vineas Tua vigili Induſtria excolendas. Has Tu ab opere nunquam feriatus, diuina aſpirante ope adeò fructiferas reddidiſti, vt omnium oculis alterum à Deo conſitum Paradiſum exponant, ex quo Eccleſia fructus decerpat vberes, cunctique flores ac frondes colligant, queis Tibi laudis coronas contexant.

Quartò denique dicebat Herodotus, *Qui morum rutilat pietate.* Affirmat Plinius lib. 41. Amethyſtum ſiue ratione nominis, ſiue coloris, ſiue virtutis ſignare *morum ſobrietatem.* Vnde omnia aduerſus prauorum morum ebrietatem remedia olim *Amethyſta* appellabantur. An non ſobrietatis munus eſt, frænare cupiditates, modum ponere verbis, gulæ, iræ: & modeſtiæ, clementiæ, caſtimoniæ fulgorem acuere? Cuncta hæc in te vero Amethyſto exundant. Præcipuè autem munificentiæ virtutem agnatam tibi mirifice exerces. Quis aliquandò, ne fame pauperes deperirent, in ſumma annonæ raritate, ardentiori ſtudio Pontificium non ſolum ærarium, ſed & menſam expoſuit? Ab abundantia ieiunas, O MAGNE, vt menſa pauperum ſemper abundet. Pupilli, Viduæ, Milites fameſcentes, Regulares domus, & omnes, qui egeſtate, aut damno alio premuntur, te adeunt, fontemque apud te pietatis inexhauſtum inueniunt. Licet autem tuæ munificentiæ riui tam vbertim profluant in publicum: vberius abſcondite in illis ſtagnantur, qui cum propter paupertatem aliena indigeant ope, ingenuo pudore à querendo deterrentur. Occultum lyncea pietas tua egentem videt, nec vt is petat, expectat: detrimentum valoris ſui putans, niſi ſupplícationem anteuerterit. D. Enodius in vita Epipha. *At ille ſupplicantem prohibebat, nè ſibi inuidiam rogando concitaret*, miſericordiæ probrum cenſens, niſi irrogatus annuiſſet. Tuam arcanâ ſuccurrendi rationem, fame preſſæ Nobiles Viduæ experiuntur, Virgines indotatæ paupertatis periculo expoſitæ manum tuam alterius eſſe Nicolai proclamant. Quid noſtra Societas, cui frequenter ampla ſubſidia præbes, manum abſcondens? Verùm in laudibus

ipſis ſicut turpe eſt, illa commendare, quæ nec ille, de quo narrantur, agnoſcit: ſic iniurioſum putabitur, illud ſilentio obruere, quod relatio vera poſſit attollere; Fuit noſter Excellentiſſimus Antiſtes (loquor cum Enodio in vita Epiph.) *Laudationis amore vacuus, cum quotidiè in eo laudanda adoleſcerent: cumque res gloriæ dignas per horarum momenta conſummaret, perire fructum gloriæ opinabatur, atque mercedem, ſi prætuliſſent homines, quod ſoli Deo exhibebat abſconditè.* Abſcondas licet tectiùs facta tua, te modulatè buccinant, & præclarè linguato ſilentio producunt. Vt enim Philo de vita Abel ſcripſit *Vera bona ex ſe ipſis naturaliter vocem mittunt, etiamſi ſileant. Nam neque ſol, neque luna opus habent interprete, qui nos doceat, ab altero interdiu, ab altera noctu mundum illuſtrari: ſed ipſi ſuo ſplendore fidem abſque teſte faciunt oculis.* Mirantur multi quid ſit, quod cum ad Te vnum tanquam ad certiſſimum extremę inopię aſylum, tot pauperum Chiliades confugiant, & omnibus ac ſingulis tua ſemper affluere ſoleat liberalitas, nunquam fons euacuetur? At ab admiratione ſe facile expedient, ſi audiant vel Ethnicum Periandrum. *Manus munifica, dum euacuatur continuo largiendo, ſemper plena oſtentatur.* Quid diceret, ſi Fidelis eleemoſynæ miracula didiciſſet?

Vt autem exprimam, quam feliciter te, ô PRINCEPS, nactus ſim meis commentariis patronum quatuor præclariſſimis illis ornatum dotibus, quas Herodotus annotauit: *Ille primus tibi protector adſit, qui Nobilitate præfulget, qui Sapientia pollet, qui cunctis Gratus exiſtit, qui morum rutilat Pietate.* Nobilitas defendit, Sapientia defenſioni præſtat authoritatem, Gratum eſſe cunctis Mæcenatem dat protegendo ſpem placendi eis tàm grato nomine decoratus. Pietaſque ſcribentis facilè erratis ignoſcet. Illam recolo Plutarchi ſententiam aſſerentis Amethyſtum ad ſe adſtantium affectus trahere. Vnde pulchrè librum in lucem edens concludit: *Optarim quidem, hanc meo libello huic de audienda Poët. virtutem Amethyſti imprimi, vt legentium animos ad ſe alliciat.* Ille exoptauit hanc ſuo libro gratiam: ego autem non iam exopto, ſed optatis iam fungor, dum meum volumen tam pretioſo inſcribitur Amethyſto omnium voluntates & vota ad ſe trahente. Addiderim, Alciatum Emblemate quodam aſſerere, colorem Ianthinum, qui eſt Amethyſtinus, eſſe proprium eius, qui ſua eſt ſorte contentus. *Sua ſorte contentus Ianthina geſtet.* En feliciſſimam meam ſortem, qua contentus viuam. Viue Tu, EXCELLENTISSIME PRINCEPS, Neſtoreos annos ſuperes tuæ Societatis, & tui humillimi ſerui votis.

DOMINATIONI TVÆ.

Addictiſſimus ſeruus

ANTONIVS DE ESCOBAR
ET MENDOZA.

LECTORI MEO.

DIVI Pauli Epiſtolæ quatuordecim ad diuerſos. Ad Romanos vna: duæ ad Corinthios : ad Galatas vna : ad Epheſios vna : ad Philippenſes vna : ad Theſſalonicenſes duæ : totidem ad Timotheum: ad Titum vna : ad Philemonem vna : altera ad Hebræos, Grecè omnes fuere dictatæ, præter eam, quam ad Hebræos ſcripſit, quam Hebraïcè dictaſſe, ſententia eſt probabilior. Porrò de Epiſtola ad Laodicenſes, quã ad Coloſſenſes ſcribens, ait : *Et cum lecta fuerit apud vos Epiſtola hæc, facite, vt in Laodicenſium Eccleſia legatur : & eam, quæ Laodicenſium eſt, vos legatis* : licet alij dicant vere eſſe Pauli,& ab aliis quatuordecim diſtinctam : probabilius reor illam vnam eandemque eſſe cum illa, quam Paulus ad Timotheum per Tychicem Diaconum ex Laodicea miſit. Quod ex Vatabli tranſlatione ſignificatur, qui locum hunc Pauli ſic legit : *Facite*, vt hæc Epiſtola legatur in Laodicenſium Eccleſia : eam, quæ ſcripta eſt ex Laodicea, vos quoque legatis. Feruntur etiam ſub nomine Pauli breues quædam Epiſtolæ ad Senecam, quas D. Hieronymus non contempſit : (de Scrip. lect.) ſed Eccleſia Catholica illas in Cathalogo ſcripturarum non recenſuit, indicans non cenſere Paulum earum eſſe auctorem.

TRIGINTA SEPTEM ANTILOGIA, EX D. PAVLI EPISTOLIS.

Siuè, quæ pugnare videntur, Teſtimonia.

CAPVT I.

Ex Epiſtola ad Romanos, decem.

I. *Ad Rom. 1. 7.* Iuſtus cadens tam velociter ſurgit, vt non cecidiſſe videatur. Sancti omnes iudicant eſſe Sanctos.

OMnibus, qui ſunt Romæ vocatis ſanctis. At ſi omnibus, ad quos Paulus ſcribit ſint *Sancti*, quare ab illo toties ob varia peccata ſubtaxantur? An non quia *ſepties in die cadit iuſtus & reſurgit* adeo velociter, vt cecidiſſe minime videatur? An nó quia Sancti omnes iudicant eſſe ſanctos, dum manifeſta crimina non aſpiciunt?

II. *Rom. 1. 24.* Solet Deus punire peccatum vnũ permittens hominem in aliud grauius ruere.

Tradidit illos in immunditiam. Verſ. 26. *In paſſiones ignominiæ.* Verſ. 28. *In reprobum ſenſum.* At Eccli. 15. 12. *Non dicat : Ille me implanauit.* Certè neminem Deus ad peccatum gerendum adducit, ſed in peccati vnius ſupplicium permittere aſſolet, vt in aliud grauius peccatoris obſtinatio ſe dedat præcipitem.

III. *Rom. 4. 18.* Nil difficile ſi contra ſpẽ humanam diuinæ opis ſpe nitaris.

Contra ſpem in ſpem credidit Abraham. At ſi *in ſpem*, quomodo *contra ſpem*? Planè quia diffidens naturæ viribus, diuinæ fidit promiſſioni. *Apud Deum* enim *non eſt impoſſibile omne verbum*: Luc. 1. Nil tibi impoſſibile, imo nec difficile videatur, ſi cõtra ſpem humanam opis diuinæ ſpe nitaris.

IV. *Rom. 5. 12.* Maritus & vxor quaſi vna perſona.

Per vnum hominem intrauit peccatum in mundum. An non etiam per Euam, & quidem primo loco? Eccli. 25. 33. *A muliere initium factum eſt peccati, & per illam omnes morimur.* Quomodo igitur peccatum & mors ſoli Adamo tribuitur? An quia vir caput mulieris? Plane. Sed addiderim maritum & vxorem eſſe carnem vnam, imò vnicam quodammodo eſſentiam. Vnde illa particula, *Per vnum hominem* vnum, & alteram includit.

V. *Rom. 8. 16.* Cum nos conſcientia non accuſat probabiliter valde colligimus nos in gratia eſſe.

Ipſe ſpiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro quod ſumus filij Dei, ſeu quod in gratia ſumus. At Eccleſ. 9. 1. *Neſcit homo, vtrum amore, an odio dignus ſit.* Quod nam igitur eſt illud teſtimonium noſtræ iuſtitiæ. Profectò cum ſpiritus, ſeu conſcientia nos minime accuſat, ipſe ſpiritus, ſeu conſcientia bona ſpiritui, ſiue animæ noſtræ reddit probabile admodum teſtimonium, quod in gratia amore digni ſumus.

VI. *Rom. 8. 26.* Quid quid volueris vel circa temporalia po-

Quid oremus, ſicut oportet, neſcimus. At Mat. 6. 9. Chriſtus nos docet, ſicut oportet, orare. *Sic vos orabitis: Pater noſter, qui es in cælis &c.* Quomodo ergo neſciunt illi quid, ſicut oportet, orent? Certè quia alia ſunt, quæ in particulari expetunt homines à Deo poſtulare, v.

gr.

tes à Deo petere si addas *Fiat voluntas tua.*

gr. diuitias, filios, v[...]dinem, &c. In his potest plane esse err[...]ericulum, si illatum rerum consecutio o[...]at ad animi salutem. Attamen Christus nos docuit quemammodo quicquid petere voluerimus sine vllo periculo petamus; nempe semper addendo. *Fiat voluntas tua.*

VII. Rom. 8. 38.
Certus sum, quia neque mors, neque vita, &c. poterit nos separare à charitate Dei. At 1. Cor. 9. 27. Apostolus ait. *Castigo corpus meum &c. ne forte cum aliis prædicauerim, ipse reprobus efficiar.* Si de tua perseuerantia es certus ô Paule, quid times? quare tantæ operam das asperitati, seu corporis castigationi? Imo ideo corpus castigo & in seruitutem redigo, vt hoc studiũ mihi illam afferat certitudinem.

Assidua corporis castigatio quodammodo dat iusto certitudinem, quod in gratia perstitet.

VIII. Rom. 9. 16.
Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei. At ipse 1. Cor. 9. 24. ait. *Sic currite, vt comprehendatis.* Ergò comprehendere, seu brauium accipere, currentis est. Certè sine Dei misericordia speciali nemo vtiliter currit.

Sine Deo miserenti nemo vtiliter currit.

IX. Rom. 11. 34.
Quis enim cognouit sensum Domini? Nullus. At 1. Cor. 2. 16. ipse Apostolus inquit: *Nos sensum Christi habemus.* Et Ioan. 5. 20. *Filius Dei venit, & dedit nobis sensum.* Ergo sensus Domini cognouimus: Fallimur quidem. Quid circa hunc vel illum effectum Christus nos donauit intelligentia: at cur hoc, vel illud Deus disposuerit, vel quò his effectibus eius iudicia tendant, penitus ignoramus.

Dei iudicia penitus ignorat.

X. Rom 13. 8.
Qui diligit proximum legem impleuit. At Mat. 22. 37. etiam ad legem implendam Dei dilectio requiritur. *Diliges Dominum Deum tuum.* Quomodo ergo qui proximum diligit totam legem impleuit? Profectò quia proximum, vt oportet diligere, Deum diligere prorsus est. Nisi enim quis Deum ex toto corde diligat, quomodo poterit proximi sic defectus tolerare, vt ab illius dilectione non recedat?

Qui proximum vt oportet, diligit, manifestat, se Deum ex toto corde amare.

CAPVT II.

Ex prima, & secunda ad Corinthios tredecim.

XI. 1. Cor. 1. 17.
NOn *misit me Christus, baptizare.* At Mat. vlt. 19. cunctis Apostolis Christus indixit: *Docete omnes gentes, baptizantes eos, &c.* Et Paulus mittitur & nõ mittitur baptizare. Plane speciatim ad ministeriũ prædicãdi missus fuit Apostolus, quod quidem si vt requiritur, præstandum sit, toto homine indiget, ita vt ab aliis ministeriis baptizandi tunc, nunc autem confessiones audiẽdi continuò eximatur. *Continuò* dixi, vt affectam nec Paulum semper à Baptismo conferẽdo abstinuisse: nec debere Cõcionatorem se, cũ necessitas vrget ab audiendis confessionibus eximere.

Prædicandi ministerium totum hominem exigit, vnde concionator non debet frequenter in aliis ministeriis occupari.

XII. 1 Cor. 2. 15.
Spiritualis *homo iudicat omnia, & ipse à nemine iudicatur.* At Mat. 7. 1. *Nolite iudicare, vt non iudicemini,* Quomodo ergo si spiritualis omnia iudicat, ipse à nemine iudicatur? Planè quia spiritalis vir non temerariè de proximo iudicat, sed cunctas eius actiones specie non iustas excusat: vnde à Deo accipit, vt à nemine iudicetur.

Qui non iudicat temerarie proximi actiones, ipse à nemine iudicatur.

XIII. 1 Cor. 3. 8.
Qui plantat, & qui rigat, vnum sunt. At qui vers. 6. idem Apostolus inquit. *Ego plantaui Apollo rigauit.* An vnum sunt Paulus & Apollo? Sunt equidem per charitatis identitatem. Ideo dicitur fideles inchoantis Ecclesiæ esse vnum cor, & animam vnam. Si multi discipuli vnum erant, quomodo Magistri non essent vnum?

Multi Euangelij Ministri vnum sunt per charitatem

XIV. 1. Cor. 7. 14.
Sanctificatus est vir infidelis per mulierẽ (vxorem) fidelem. At quæ sanctitas vbi infidelitas? Certè dum infidelis manet vir à sancta vxore non sanctificatur. Attamen societas, & vnitas fidelis mulieris virum paulatim afferunt ad veritatis cognitionem, vnde sacra vnda sanctificatur.

Sancta vxor solet virum impium ad Sanctitatem allicere exemplo.

XV. 1. Cor 7. 23.
Nolite serui fieri hominum. At Paulus ipse cap. 9. 19. ait: *Cum liber essem ex omnibus, omnium me seruum feci.* Quomodo ergo ô Paule agis ipse, quod alios doces fieri ab eis non oportere? Equidem duo sunt genera seruitutis. Nam seruire hominum placito contra iustitiæ præscripta, iniquum est, & Apostolo inuisum: at affectu humilitatis cunctis seruire, admodum est laudabile, quod Paulus gerebat.

Seruire hominum placito iniquo, taxabile, omnibus ex humilitatis affectu seruire, commendabile est.

XVI. 1 Cor. 10 33.
Per omnia omnibus placeo. Cap. 9. 22. *Omnibus omnia factus.* At Gal. 1. 10. *Si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem.* Quomodo ergo hominibus placet, si non placet hominibus? Certè quia iustis placebat salutaria monita prædicando, iniustis vero tunc non placebat, quia eorum taxabat errata: omnibus autem dicit placuisse, quia videntes impij Prædicatoris charitatem, qua omnibus omnibus omnia fiebat, ad meliorem se recipiebant frugem: vnde demum *per omnia* nempe per veram doctrinam iustis dulcem, & per correptionem impiis amarã *omnibus* placebat.

Potest Prædicator iustis, & peccatoribus in concione placere

XVII. 1. Cor. 14. 14.
Si orem lingua: mens mea sine fructu est. At vers. 2. dixerat: *Qui loquitur lingua, Deo loquitur, & semetipsum ædificat.* Annon est vber vocalis orationis fructus Deo loqui, & se ædificare? Cur ergo Paulus asserit se lingua precantem, sine fructu orare? Certè quia Apostolus loquitur de vocali oratione, quam mentis attentio non comitatur: hæc est sine fructu. At prius loquutus est de colloquutione cum Deo, quæ sine mentis attentione fieri nequit: est valde vtilis, hæc ædificat.

Oratio vocalis sine attentione animi, est inutilis: cum attentione, vtilis admodum.

XVIII. 1. Cor. 15. 32.
Ad bestias pugnaui Ephesi. At Act 19. Seditionem Ephesi mouet Demetrius: sed bestiarum mentio nulla. Quomodo ergo Paulus cum bestiis Ephesi pugnarit? An non cum Demetrio & sectis pugnauit iratis? Ita quidem. Cum bestiis igitur verè pugnauit. Homo enim iratus crudelibus haud differt à bestiis.

Homo iratus crudelibus non differt à bestiis.

XIX. 2. Cor. 2. 5.
Si quis autem contristauit. At si te ô Paule non cõtristauere illæ afflictiones: vnde illa *angustia cordis, & lacryma,* Vers. 4. Certè licet lacrymas profunderet, & cor eius angustia afficeretur, contristatus non est. Quia sanctis labores gaudium excitant, non tristitiam.

Sanctis labores excitant gaudiũ non tristitiam.

XX. 2. Cor. 3. 17.
Vbi spiritus Domini, ibi libertas. At Rom. 18. *Liberati à peccato, serui facti estis iustitiæ.* Si in vita spiritus, seu iustitiæ est libertas, vndenam seruitus iustitiæ? Certè quia illa seruitus, vera libertas est.

Seruire virtuti est vera libertas.

XXI. 2. Cor. 6. 14.
Nolite iugum ducere cum infidelibus. Quæ

pars

Noli cum hæreticis conſortium inire.

pars fideli cum infideli? ſeu fugite infidelium ſocietatem. At. 1. Cor.7.14. *Sanctificatus eſt vir infidelis per mulierem fidelem: & filij ſancti ſunt.* Quomodo approbat viri infidelis & fidelis vxoris conſortium, & monet Chriſtianum omninò ab infidelibus ſeparari? Sane quia fideli nulla eſt cum infideli pars: fideli autem vxori pars eſt cum infideli marito, quia duo ſunt in carne vna: vnde non tenebantur tunc ſeparari.

XXII. 2.Cor.10.12. Virtutis opera non metiuntur ex multitudine, ſed ex cordis affectu.

Non audemus cōparare nos quibuſdā. At Cap. 12. 5. *Exiſtimo, nihil me minus feciſſe magnis Apoſtolis*: Verſ.21. *In quo quis audet, audeo & ego, &c.* Ergo iam te ô Paule, non ſolum quibuſdam, ſed magnis Apoſtolis te audes comparare. Minimè quidem. Quia cum opera cōcipiant apud Deum æſtimationem ex cordis affectu licet videret Apoſtolos ſe æqualia opera geſſiſſe, quæ magni Apoſtoli excitarant, non tamen ſe illis comparare audebat; quia poterat in affectu cordis inæqualitas intereſſe.

XXIII. 1.Cor.12.10. Qui humiliter profitetur ſuā infirmitatem ad operandum, à Deo potens, efficitur.

Placeo mihi in infirmitatibus meis. At mox addit. *Cum enim infirmor, tunc potens ſum.* Si infirmus, quomodo potens plane quia cum iuſtus ſe eſſe infirmum humiliter profitetur ad opera iuſtitiæ egregia gerenda, cæleſti ope ad ea potens efficitur.

CAPVT III.

Ex Epiſtolis ad Galathas, Philippenſes & Colloſenſes ſeptem.

XXIV. Ad Gal.1.1.

P*Aulus Apoſtolus non ab hominibus, neque per homines. Et verſ 12. Non ab hominibus accepi Euangelium*, ſed à Chriſto. At cap.2.2. *Secundum reuelationem aſcendi Ieroſolymam ad Apoſtoles, & contuli cum illis Euangelium, quod prædico; nè in vacuum currerem, aut cucurriſſem.* Si à Domino Euangelium Paulus acceperat, non videbatur neceſſarium Apoſtolos adire, vt cum illis Euangelium conferret. Profectò Deus reuelauit ei, id oportere. Vt edoceantur ſubditi etiam reuelationes, & illuſtrationes cæleſtes Rectori, aut ſpirituali patri manifeſtare, vt ſubmiſſio obedientiæ exerceatur, & ne vllum errandi periculum ſubeant? Vndè autem Paulo in vacuum currendi periculum, ſi Euangelium à Chriſto ſuſceperat? Qui à Deo aſſumptus fuerat in Euangelij præconem & modum id munus exercendi ediſceret, debebat id à Petro ſummo Præſule ediſcere, & modum, quo alij Apoſtoli idem officium gerebant, imitari. Nihil Deus vult ſubditos ſine Præſulis directione geri.

Etiam reuelationes, & illuſtrationes cum Spirituali patre ſunt conferendæ.

Non vult Deus vel miniſtros maiores aliquid agere ſine Præſulis dependentia.

XXV. Gal. 2.7. Charitas ſacrorum miniſtrorū vltra obligationis terminos proſilit.

Creditum eſt mihi Euangelium præputij, ſicut Petro circumciſionis. At ex Act.10. conſtat, Petrum etiam Gentilibus: & cap. 13. Paulum etiam Iudæis euangelizaſſe. Certè licet Petrus Iudæis, & Paulus Gentilibus conuertendis ſpecialiter eſſent addicti: at ſacrorum miniſtrorum charitas vltra ſuæ obligationis terminos aſſolet proſilire.

XXVI. Gal.2.11. Subdito licet aliquando ſuperiori reſiſtere.

Cum Cephas veniſſet Antiochiam, in faciem ei reſtiti. An ſubdito licet ſuperiori reſiſtere? Ioan. vlt. 15. Profectò cum ſuperior imperat, aut agit aliquid, quod ſubdito in Domino videatur eſſe reprehenſibile, licet non obedire, imò in propoſito illius exequendi tenaciter omnitenenti reſiſtere. Attamen ad hoc (mihi credite) zelus Pauli requiritur.

XXVII. Gal 2.20. Ille, in quo viuit Chriſtus, curet actiones ſuas illius actionibus conformari.

Viuo ego, iam non ego: viuit vero in me Chriſtus. Si ego viuo, quomodo non ego? Porrò quia ille, in quo Chriſtus viuit ita debet Chriſti voluntati & actionibus conformari: vt dignæ tanto Hoſpite videantur: & illi, qui eum operari viderint, planè dignoſcant, actiones illas à Deo gubernari.

XXVIII. Phil 2.12. Vt ſine metu amittendæ ſalutis viuamus, cū metu eam amittendi, operemur.

Cum metu & tremore veſtram ſalutem operamini. At. 1. Ioan. 18. *Timor non eſt in charitate: ſed perfecta charitas foras mittit timorem.* Quare igitur indicitur, fidelibus tremor & timor ab eiſdem remouetur? Certe quia vt ſine ſalutis amittendæ timore viuamus, neceſſarium eſt, vt cum metu amittendi eam operemur.

XXIX. Phil.2. 13. Non ſuum eſt velle, aut deſiderare operari bonum ſed neceſſarium id perficere deſideramus.

Deus eſt, qui operatur in nobis, & velle, & perficere. At qui Rom.7.18. idem queritur: *Velle adiacet mihi: perficere autem bonum non inuenio.* Certe quia aliud eſt operari velle, aliud autem eſt operari. Cum autem ad *velle* operari bonum, à Deo auxilium accipimus, debemus ab ipſo precibus impetrare, vt ad perficiendam eam voluntatem, ſeu deſiderium præſtet auxilium. Tartarus enim bonorum deſideriorum haud efficacium eſt plenus: Hiſpanicum prouerbium eſt: *El infierno eſtà lleno de buenos deſeos.*

XXX. Colloſ 1.24. Homo implet quæ deſunt paſſionum Chriſti, cum rectè operatur vt eorū fructum percipiat.

Adimpleo ea, quæ deſunt paſſionum Chriſti. At quid deeſt, cum dicat Chriſtus Luc. 23. 27. Ea, quæ ſunt de me, finem habent. Et Ioan.17.4 *Opus conſummaui, quod dediſti mihi, vt faciam* Et cap. 19. 30. *Conſummatum eſt.* Sic reſpondeo: Paſſio Chriſti ad noſtram ſalutem, quæ rectis operibus acquirenda à nobis eſt, ordinatur. Vnde quaſi non impleta ei eſſe videtur, qui ad eius fructum percipiendum, haud rectè operatur. Vnde dixit Dominus, circa paſſionē ea, *quæ ſunt de me*, id eſt pati, & mori, finem habent, iam conſummata, iam ſunt perfecta: reſtat, vt quæ ſunt de homine fiant: quæ quidem ad finem meæ paſſionis intentum deſunt. Ideo Paulus curabat rectè operari, vt id quod ad ſuam ſalutem per Chriſti paſſionis applicationem deerant, adimpleret.

CAPVT IV.

Ex Epiſtolis ad Theſſalonicenſes, prima & ſecunda ad Timotheum, & ad Hebræos ſeptem.

XXXI. 2.Theſ. 2.8. Quam dira mors damnatorum quibus ſemper mors erit in deſiderio?

Q*Vem Dominus Ieſus interficiet ſpiritu oris ſui.* At Apoc. 19. 20. dicitur *viuum* mittendum *in ſtagnum ignis.* Quomodo igitur ſpiritu, ſeu verbo oris Domini interficietur? Planè prius occidetur verbo illo Dominico: *Morere* mox reſurgens viuus in ignis ſtagnū deturbabitur. Attamen quamuis non interficeretur prius, nonne horribilis mors eſt viuum in tartara detrudi, vbi ſemper mors erit in deſiderio?

XXXII. 1.Tim. 1 17. Iuſti Dij per participationem

Soli Deo honor & gloria. At Rom. 2. 10. dicit idem Apoſtolus. *Gloria & honor omni ope-*

pationem efficiuntur.

nanti bonum. Quomodo ergo honor, & gloria soli Deo? An quia operantes bonum Dij per participationem efficiuntur? Sic Deus ipse ait: *Ego dixi Dij estis.*

XXXIII. 1. *Tim.* 2. 12. Mulieri non permittitur, docere vel leuia, nisi prius bene ab alijs edocta. D. Theresiæ de Iesus docere permittitur: quia inter viros annumeranda.

Docere mulieri non permitto. At ad Tit. 2. 3. & 4. dicitur: *Anus bene docentes: vt prudentiam doceant adolescentulas.* Non permittit publicè mulieres licet anus publicè docere dogmata fidei: permittit vero domesticè adolescentulas docere prudentiam, vt viros suos ament, &c. Imò ad id præmittit à ministris bene esse anus edocendas: *Anus bene docentes.* Raro enim mulier inuenitur, quæ ad doctrinam celsiorem edocendam mulier non existat. Quod si D. Theresiæ docere permittitur: tam insignis Virago non inter mulieres, sed inter viros sapientissimos est annumeranda.

XXXIV. 2. *Tim.* 3. 12. Vera sanctorum pax pro Iesu pati persecutionem.

Omnes, qui piè volunt viuere in Christo Iesu, persecutionem patientur. At Prou. 16. 7. *Cum placuerint Domino via hominis, inimicos quoque eius conuertet ad pacem.* Vbinam ergo persecutio? Profectò vera est sanctorum pax, pro nomine Iesu persecutionem pati.

XXXV. *Hebr.* 5. 7.

Preces cum clamore valido, & lacrymis offerens, exauditus est, pro sua reuerentia. Si exauditus est pro hominibus exorans: quare Mat. 27. 46. quasi non fuerit exauditus, clamat: *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Profectò non queritur, quod auditus non fuerit pro hominibus orans: sed derelictus, seu relictus fuerit hominum manibus occidendus. Cuperet enim Christus, si Patri placeret non ab hominibus, sed à demonijs trucidari; nè homines tanti delicti rei redderentur. Quod quidem anxius excusare intendebat, dum diceret: *Ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt.*

Christus cuperet, si Patri placeret, non hominum, sed dæmonum opera occidi ne homines tanti criminis rei redderentur.

XXXVI. *Hebr.* 6. 4. Difficilis admodùm est conuersio eorum, qui à Deo specialiter illuminati, à via perfectionis excidunt.

Impossibile est, eos, qui semel sunt illuminati, & prolapsi, rursus renouari ad pœnitentiam. Ast Ezech. 18. 27. *Cum impius auerterit se ab impietate sua, animam suam viuificabit.* & Vers. 32. *Nolo mortem morientis.* Vndenam ergò illa conuersionis impossibilitas? Tam difficilis quidem est, vt Paulus eam impossibilem quodammodo esse asseruerit reductionem illius, qui specialiter à Deo fuerit illuminatus ad perfectionis viam sectandam.

XXXVII. *Hebr.* 7. 3. Sacerdos quis effectus, quodammodo desinit esse homo.

Melchisedech sine patre, siue matre, sine genealogia: manet sacerdos in perpetuum. At Iob 14. 1. *Homo natus de muliere, breui viuens tempore.* Quomodo igitur Melchisedechus homo sine patre, & matre? Plane quia homo sacerdos Dei summi effectus, iam desinit homo esse, & ad Angelicam, imo ad Deificam naturam quodammodo eleuatur.

Adhuc ad Lectorem.

OPERÆ pretium duxi te ad operis Tomum vltimum admonere, non præsumpsisse me aliquid circa sensum literalem scribere, quod non posses apud tot Bibliorum sacrorum Interpretes inuenire. Sed intendens plura monita ad mores spectantia proprio ex penu Concionatoribus prælibare: Opus fuit, perbreuem literæ Commentarium texere, vt litera materiam conceptibus moralibus exhiberet. Id affirmare possum nullum huius generis me tot in Voluminibus scripsisse, de quo subesset mihi dubium, num apud Auctores alios illo prætextu facilè posset reperiri. De literali autem fateor ingenuè, me ad doctissimorum Interpretum accurrisse fontes ex quorum vberrimo profluxu perbreuem Commentarium hausi, è cuius vi vberem moralium Conceptuum rigatum ad Spiritualem hortum ducerem. Ne autem tibi fastidio esset, passim Auctores assignare, ab ea te & me molestia liberaui, simul indicans nomina eorum, è quibus hunc literalem sensum carptim assumpsi coniunctim recensendo. Mihi ergo præbuêre ducatum.

AD GENESIM.
P. Benedictus Pererius.
P. Martinus Delrius.
Guillelmus Hamerus.
Ludouicus Stella.

AD EXODVM:
P. Benedictus Pererius.
Ludouicus Stella.
Ioannes Modin.

AD LEVITICVM.
P. Ioannes Lorinus.

AD NVMEROS.
P. Ioannes Lorinus.
Varij alij totius scripturæ sacræ Expositores. Nullum enim nisi Lorinum inueni, qui exactè Librum hunc exposuerit speciatim.

AD DEVTERONOMIVM.
P. Ioannes Lorinus, & varij etiam totius sacræ paginæ Interpretes.

AD IOSVE.
P. Nicolaus Serarius.
P. Cosma Magalianus.
Andreas Masius.

AD IVDICES.
P. Nicolaus Serarius.
P. Emanuël de Nagera.

AD RVTH.
P. Nicolaus Serarius.
P. Didacus de Celada.

AD LIBROS REGVM.
P. Gaspard. Sanctius Abulensis Episcopus.
P. Franciscus de Mendoza.

AD PARALIPOMENON.
Abulensis Episcopus.
Alij totius scripturæ Commentatores.

AD ESDRAM.
Abulensis, & alij.

AD TOBIAM.
P. Nicolaus Serarius.
P. Didacus de Celada.

AD IVDITH.
P. Nicolaus Serarius.
P. Didacus à Celada.
P. Lucas Bellosò.

AD ESTHER.
P. Nicolaus Serarius.
Franciscus Febardentius.

AD IOB.
P. Ioannes Pineda.
P. Gaspard. Sanctius.
P. Paulus Comitolus.
Franciscus Feuardentius.

AD PSALMOS.
P. Ioannes Lorinus.
P. Robertus Bellarminus.
Antonius Agelius.
Franciscus Titelmanus.
Cornelius Iansenius.

AD PROVERBIA.
P. Ferdinandus de Salazar.
Cornelius Iansenius.

AD ECCLESIASTEN.
P. Ioannes Lorinus.
Franciscus Titelmanus.

AD CANTICA.
P. Martinus Delrius.
P. Andreas Pintus.
P. Gaspard. Sanctius.
Michaël Ghislerius.
Paulus Serlogus.

AD SAPIENTIAM.
P. Ioannes Lorinus.
Cornelius Iansenius.

AD ECCLESIASTICVM.
P. Ioannes de Pinna.
Rabanus Maurus.
Paulus de Palatio.
Cornelius Iansenius.

AD PROPHETAS.
P. Gaspard. Sanchez.
P. Franciscus Ribera.
P. Christophorus à Castro.
P. Benedictus Pererius.

AD MACHABÆOS.
P. Nicolaus Serarius.
P. Petrus Redanus.
Iosephus Stephanus.

AD EVANGELIA.
P. Alphonsus Salmeron.
P. Ioannes Maldonatus.
P. Sebastianus Barradeus.
P. Emanuel Sa.

Corne

Cornelius Iansenius.
Cornelius à Lapide.

Ad Acta Apostolorum.

P. Ioannes Lorinus.
Gaspard. Sanctius.

Ad Epistolas Pauli.

P. Benedictus Iustinianus.
P. Cornelius à Lapide.
Franciscus Titelmanus.

Ad Epistolas Catholicas.

P. Benedictus Iustinianus.
Claudius Guilliandus.
Franciscus Titelmanus.

Ad Apocalypsin.

P. Benedictus Pererius.
P. Franciscus Ribera.
P. Blasius Viegas.
P. Ludouicus de Alcassar.

Ad cunctos generatim Bibliorum Libros.

Meis fauêre Commentariis Litteralibus, qui in totum Vetus ac Nouum Testamentum scripserunt, nempè
Strabus Fuldensis.
Hugo Carensis.
Nicolaus Lyranus.
Dionysius Carthusianus.
Thomas de Vio Caietanus.
P. Emanuel Sà.
P. Ioannes Mariana.
P. Stephanus Menochius.
P. Iacobus Tyrinus.
P. Iacobus Gordonus.
Et alij plures.

FACVLTAS R. P. PROVINCIALIS Prouinciæ Castellanæ Societatis IESV.

PETRVS Pimentel in Prouincia Castellana Societatis IESV Prouincialis, potestate mihi facta à Reuerendo admodum Patre nostro GOSVINO NICHEL Præposito Generali, facultatem facio, vt *Commentaria in totum Vetus, ac Nouum Testamentum* (exceptis Sapientialium libris) *Auctore* P. ANTONIO DE ESCOBAR ET MENDOZA Theologo eiusdem Societatis, grauium, Doctorúmque hominum iudicio approbata, typis mandentur. In quorum fidem has literas manu nostra subscriptas, nostróque sigillo munitas dedimus, Vallisoleti die 1. Octobris anno 1653.

PETRVS PIMENTEL.

APPROBATIO.

REuerendi Patris ANTONII DE ESCOBAR ET MENDOZA Societatis IESV; *Commentarios Literales & Morales in Sacram Scripturam* nos infrascripti ex eadem Societate Theologi legimus, & vtiles, atque luce dignos iudicauimus. Lugduni 8. Martij anno 1667.

IOSEPH GIBALINVS.
LAVRENTIVS GRANNON.

PRIVILEGIVM.

EGo IOANNES PLATIERE Societatis IESV in Prouincia Lugdunensi, Præpositus Prouincialis, Opus, quod inscribitur ANTONII DE ESCOBAR ET MENDOZA Societatis IESV Theologi Commentarij Literales & Morales in I. & II. Libr. Paralipomenon, in primum & secundum Esdræ, in Tobiam, in Iudith, in Esther, in Iob, in Psalmos, in Prouerbia, Ecclesiasten, Canticum Canticorum, Sapientiam, Ecclesiasticum, Maiores & Minores Prophetas, in primum & secundum Machabæorum, in Euangelia, in Acta Apostolorum, in Epistolas Pauli, in Epistolas Catholicas & Ioannis Apocalypsin, eiusdem Societatis grauium Doctorum iudicio approbatum, iuxta Priuilegium eidem Societati à Regibus Christianissimis HENRICO III. 10. Maij 1583. HENRICO IV. 20. Decembris 1606. LVDOVICO XIII. 14. Februarij 1611. & LVDOVICO XIV. nunc regnante 23. Decembris 1650. concessum; quo Bibliopolis omnibus prohibetur, ne libros ab eiusdem Societatis hominibus compositos, absque Superiorum permissione imprimant. Permitto PHILIPPO BORDE, ET LAVRENTIO ARNAVD, Bibliopolis Lugdunensibus, vt ad decem proximos annos excudere ac liberè diuendere possint. Datum Lugduni 10. Martij 1667.

IOANNES PLATIERE.

22.216 vol VIII-IX

ANTONII DE ESCOBAR ET MENDOZA, E SOC. IESV THEOLOGI, COMMENTARII LITERALES, ET MORALES, ad Vetus, & Nouum Testamentum.

D. PAVLI EPISTOLÆ.

PRÆLVSIO.

Cùm ex Doctorum sententia Paulus ex Ecclesiæ persecutore in egregium Euangelij præconem Deiparæ precibus prostratus exurrexerit, eidem piissimæ Dei Matri debet Apostolus; quod egit præclarè, & quod disertè scripsit. Ideóque primæ Epistolæ initio prima ferè verba gratitudinis ergò Virginis laudibus consecrauit. *Inuisibilia ipsius* Dei *à creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.* Rom. 1. Quænam, quæso, hæc mundi creatura, in qua, & per quam Dei magnalia inuisibilia conspiciuntur. Respondet D. Hildephonsus *serm. de parturit Mar.* hanc creaturam Deiparam esse. *Sicut fieri solet in quodam mirabili artificio dum quidquid in eo multis, & magnis laudibus effertur, totum ad gloriam & laudem manus artificis iure inspicitur:* Vndè *quidquid Dei Genitrici officiosissimè impenditur, Deo impenditur.* Contemplare in Maria pietatem, charitatem, misericordiam, reliquarúmque virtutum colligationem: eæque pro imperfectionis humanæ captu *intellectæ* te ducent ad inuisibilium Dei Artificis perfectionum cognitionem.

Maria est vnica Creatura est, in qua, & per quam Dei magnalia inuisibilia conspiciuntur.

LIBER PRIMVS. EPISTOLA BEATI PAVLI Apostoli *AD ROMANOS.*

Cùm Cenchrensi portu Vrbi Corintho vicino esset Apostolus, hanc Epistolam scripsit ad Romanos & per Pheben immisit anno à morte Dominica vigesimo

sexto. At cùm posterior fuisset vna & altera ad Corinthios, ponitur primo loco inter omnes ob Romanæ Ecclesiæ preeminentiam, & quia gratiam fidei maximè commendat, quæ caput, & initium est Christianismi.

CAPVT PRIMVM.

Euangelij excellentiam demonstrat. Asserit Gentiles grauissimis criminibus obnoxios Iesu gratiâ indiguisse.

1. PAVLVS, seruus Iesu Christi, vocatus Apostolus, segrega-
tus in Euangelium Dei, 2. Quod antè promiserat per Pro-
phetas suos in Scripturis sanctis. 3. De Filio suo, qui factus est
ei ex semine Dauid secundùm carnem, 4. Qui prædestina-
tus est Filius Dei in virtute secundùm spiritum sanctificatio-
nis ex resurrectione mortuorum Iesu Christi Domini nostri:
5. Per quem accepimus gratiam, & Apostolatum ad obe-
diendum fidei in omnibus Gentibus pro nomine eius, 6. In quibus estis & vos
vocati Iesu Christi: 7. Omnibus qui sunt Romæ, & dilectis Dei, vocatis sanctis.
Gratia vobis & pax à Deo patre nostro, & Domino Iesu Christo. 8. Primùm
quidem gratias ago Deo meo per Iesum Christum pro omnibus vobis: quia fides
vestra annuntiatur in vniuerso mundo. 9. Testis enim mihi est Deus, cui seruio
in spiritu meo in Euangelio filij eius, quòd sine intermissione memoriam vestri fa-
cio. 10. Semper in orationibus meis: obsecrans, si quomodo tandem aliquando
prosperum iter habeam in voluntate Dei veniendi ad vos. 11. Desidero enim vi-
dere vos, vt aliquid impertiar vobis gratiæ spiritualis ad confirmandos vos: 12. Id
est simul consolari in vobis, per eam quæ inuicem est, fidem vestram atque meam.
13. Nolo autem vos ignorare, fratres: quia sæpè proposui venire ad vos, (& pro-
hibitus sum vsque adhuc) vt aliquem fructum habeam & in vobis, sicut & in cæte-
ris gentibus. 14. Græcis ac Barbaris, Sapientibus & insipientibus debitor sum:
15. Ita (quod in me) promptum est & vobis, qui Romæ estis, euangelizare.
16. Non enim erubesco Euangelium. Virtus enim Dei est in salutem omni cre-
denti, Iudæo primum, & Græco. 17. Iustitia enim Dei in eo reuelatur ex fide
in fidem: sicut scriptum est. Iustus autem ex fide viuit. 18. Reuelatur enim ira
Dei de cælo super omnem impietatem & iniustitiam hominum eorum, qui verita-
tem Dei in iniustitia detinent: 19. Quia quod notum est Dei, manifestum est in illis,
Deus enim illis manifestauit. 20. Inuisibilia enim ipsius, à creatura mundi, per ea
quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur: sempiterna quoque eius virtus, & diui-
nitas: ita vt sint inexcusabiles. 21. Quia cum cognouissent Deum, non sicut
Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt: sed euanuerunt in cogitationibus suis,
& obscuratum est insipiens cor eorum: 22. Dicentes enim se esse Sapientes, stulti
facti sunt. 23. Et mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem ima-
ginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentium. 24. Pro-
pter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam: vt con-
tumeliis afficiant corpora sua in semetipsis: 25. Qui commutauerunt veritatem
Dei in mendacium: & coluerunt, & seruierunt creaturæ potiùs quam Creatori,
qui est benedictus in sæcula. Amen. 26. Propterea tradidit illos Deus in passio-
nes ignominiæ. Nam fœminæ eorum immutauerunt naturalem vsum, in eum
vsum qui est contra naturam. 27. Similiter autem & masculi relicto naturali vsu
fœminæ, exarserunt in desideriis suis in inuicem, masculi in masculos turpitudinem
operantes, & mercedem, quam oportuit, erroris sui in semetipsis recipientes. 28. Et
sicut non probrauerunt Deum habere in notitia: tradidit illos Deus in reprobum
sensum vt faciant ea quæ non conueniunt, 29. Repletos omni iniquitate, ma-
litia, fornicatione, auaritia, nequitia, plenos inuidia, homicidio, contentio-
ne, dolo, malignitate, susurrones, 30. detractores, Deo odibiles, contume-

diosos, superbos, elatos, inuentores malorum, parentibus non obedientes, 31. In-
sipientes, incompositos, sine affectione, absque fœdere, sine misericordia. 32. Qui
cùm iustitiam Dei cognouissent, non intellexerunt quoniam qui talia agunt, di-
gni sunt morte: & non solùm qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facien-
tibus.

COMMENTARII.

1.

Euangelij excellentiam demonstrat.

VERS. 1.2.3.4.5.6.7.8.9.10.11.12. *Paulus seruus Iesu Christi, vocatus Apostolus, &c.*] Paulus Iesu Christi seruus omnibus Romanis Dei amicis ab ipso vocatis ad sanctitatis viam, gratiam, & pacem à Deo Patre, ac Domino nostro Iesu Christo eius filio precatur. * *Seruus*, inquit, *Iesu Christi*. Cur non addidit, Et Apostolus? Quia docturus Euangelij virtutes humilitatem, quæ est earum fundamentum exemplo commendauit. Prædicationi addit efficaciam doctoris exemplum.] * *Gratia vobis & pax.* Priùs gratiam, mox pacem precatur. Haud enim potest vera pace frui, qui peccati impugnatione intus afficitur. Peccatum & pax haud in vna sede morantur.] * *Pax à Deo*, non ab hominibus. Vt annotent Principes haud posse sine Deo pacem in Regnis statuere. Vnde primus bellicus apparatus esse debet, Dei sibi pacem conciliare.] Is, inquam, Paulus, qui cælesti vocatione præco Euangelij nuncupatur, & diuino consilio electus est ad prædicandi Euangelij munus * *Segregatus*, inquit, *in Euangelium Dei. Qui* enim ad Euangelicum ministerum vocatur, *segregatus* dicitur. Nam à cunctis terrenis rebus, quæ illum ab iniuncto munere possunt retardari, vel distrahi, segregari debet.] Quod quidem Euangelium iampridem Deus suorum Prophetarum oraculis multis modis in veteri Testamento promiserat, Prophetarũ vaticiniis, & legis monumentis. Et quod tanquam ad finem referendum ad Christi Filij Dei diuinam maiestatẽ exponendã, qui vt humanum genus à misera diaboli seruitute eriperet, ex Dauidis sobole humanam naturam assumpsit. Et cùm verè homo inter mortales esset exortus, ab æterno prædestinatus fuerat Dei Filius humanæ libertatis assertor: vnde homo ex Spiritu sancto de Virgine natus vnà cum Deo Patre, & eodem spiritu verè est Deus eadem potestate præstante præstans. Id quod sese ipse ab inferis reuera excitans, manifeste probauit Dominus Iesus Christus. Cuius nos singulari beneficio ad ipsius gloriam, & honorem Apostolatus munus accepimus: vt ad Euangelij fidem cunctæ orbis Gentes opera nostra eius nomen agnoscant. De quarum numero estis ò Romani, qui singulari Dei munificentia, nullis meritis præcedentibus ad Christi fidem vocati estis. *Primum quidem gratias ago, &c.*] Vt igitur hoc Epistolæ meæ initium sit, vestra causa immortali Deo gratias ago, quod fidei vestræ fama vniuersum penè terrarum orbem peruaserit. * Quam verus Euangelij minister Paulus, qui pro Dei beneficio sibi collato ducit, quòd Romani in Christum credant. Bonus enim Euangelij operarius fidelium, quos docet, profectus suiipsius esse ducit, & ideò quasi ipse à Deo accepisset, gratias cælesti reddit largitori.] Testor Deum, quem purà mente colo, cuius respectu Filij eius Euangelium pro virili promulgo, quòd vestri meis in precibus nullo vnquam tempore commemorationem desideraui. Votis omnibus assiduè à Deo contendo, vt mihi tandem aliquandò faciat ad vos prosperè veniendi facultatem. *Prosperum enim erit iter*, si ex Dei voluntate inceptum, *Dei voluntate* terminetur. * Prospera enim semper illi erit expeditio quam sola Dei voluntas direxerit.] Magnoperè vestro conspectu expeto frui, vt nonnihil gratiæ spiritualis à Deo acceptæ ad docendi ministerium in vobis exerceam, vt vos in fide suscepta confirmemini. Tum etiam vt familiari colloquutione, ac meæ vestræ quæ fidei collatione & communicatione vtrimque recreemur.* Spirituales enim viri piis colloquiis maximè recreantur]

Prædicationi efficaciã addit doctoris exemplum.

In vna se de non morantur peccatũ, & pax.

Pax Regnorũ à Deo.

Concionator segregatus esse debet à rebus, quæ eum possunt distrahere à ministerio.

Verus Euangelij operarius profectus fideliũ, quos docet, suiipsius esse ducit.

Prosperum semper erit iter, quod sola Dei voluntas direxerit.

Recreatio spiritualium virorum pia colloquia.

Vers. 13.14.15.16.17. *Nolo autem vos ignorare, fratres, &c.*] Haud vos ô fratres, latere patiar, diutius, mihi semper fuisse in votis ad vos proficisci, vt quemadmodum ex reliquis Gentibus aliquem ex vobis fructum referrem: sed per multiplices occupationes hactenùs non licuit. Græcis enim, ac Barbaris, sapientibus & insipientibus debitorem me profiteor. * Ille namque, quem Deus ad animarum ministeria vocauit, haud vltrò & gratis eis doctrinam impendit: sed docendi sese debitorem se debet agnoscere.] Itaque, quod ad me attinet, promptus omninò sum, vobis, qui Romæ degitis, Euangelij lucem vberius præferre. Neque enim erubesco Euangelium vbique prædicare, quod mira quadam vi salutem credentibus affert, primò quidem Iudæis, tum vero etiam Græcis; siquidem iustitia, qua ab ipso nascentis mundi initio ad hæc vsque tempora imbuti sunt ii, quos Deus à sceleribus expiauit, quæque prius in veteri lege vaticiniis Prophetarum inuoluebatur, retecta palam in Euangelio proponitur, atque in omne æuum quibusdam fidei veluti incrementis profertur: vt merito scriptum sit à Propheta Abacuch: Iustus autem ex fide viuit.

Ille, quem Deus vocauit ad proximos erudiẽdos, se docẽdi illos, debitorem debet agnoscere.

2.

Vers. 18.19.20.21.22.23. *Reuelatur enim ira Dei de cælo, &c.*] Nihil enim æque in Euangelio prædicatur ac supplicium iusto Dei irati iudicio imminens impijs, qui veram de Deo notitiam, quæ sese illis naturæ ipsius ductu aperiebat, quasi cæcis vitiorum nubibus repulerunt, ac veluti clausam detinuerunt, ne suo se fulgore proderet, in eorumque animos insinuaret. Nam quod ad veram Dei notitiam percipiendam attinet, eos nequaquam latere debuit, quibus ex admirabili mundi opificio ipse se Artifex declarauit. Diuinæ enim naturæ plura arcana ex ipsa tantæ molis fabrica, ac artificiosa effectione haud obscure indicantur: in primisque apparet vis sempiterna Conditoris, & diuinitatis maiestas, vt nulla deinceps ratione, queant homines excusari. * Profectò nostra peccata impediunt Dei sese nobis insinuantem cognitionem.] Deum itaque illi ex ipsius operibus cogno-

Asserit, Gentiles grauissimis sceleribus obnoxios Christi gratia indiguisse.

Peccata impediunt Dei sese nobis insinuantẽ cognitionem.

cognouerunt, sed tamen debitum honorem tantæ maiestati, abnegarunt: nec pro acceptis tot à Conditore beneficiis gratias redderet: quin potius inani quadam ratiocinandi calliditate delusi, ipsi euanuerunt, eorúmque meos cœca errorum caligine obducta, in multarum rerum ad salutem attinentium ignoratione desipuit. Dumque inanem mundi plausum sectantes Sapientes se esse ostentarent: suam ipsi inscitiam prodiderunt. * Nihil enim sic hominis insipientiam aperit, quam de propria Sapientia affectata præsumptio. Verus enim sapiens se tot Sapientiæ arcana scit ignorare, vt cogatur se rudem, & inscium profiteri.] Quid enim stultius excogitari potest, quàm gloriam, quæ Deo bonorum omnium fonti iure debetur, imagini corruptibilis hominis litare: imò volucrum, quadrupedum, reptiliumque simulacro tribuere? *Propter hoc, &c.*] Meritò planè ob eiusmodi impietatem insanam, passus est illos Deus in importam vitæ rationem turpiter prolabi, vt sua ipsorum corpora secum ipsi nefariis libidinibus defœdarent. * *Vt contumeliys*, ait, *afficiant corpora sua.* Nihil quidem humanitati magis contumeliosum; quàm seruire libidini, brutis agnatæ.] Illi profectò veram, quam de Deo mente poterant notionem capere, impio mendacio seu idololatria nefaria commutauere: & rebus creatis diuinum cultum exhibuerunt, contempto summo rerum Opifice, qui omnium acclamatione sempiternis est laudibus celebrandus. Hæc causa fuit, inquam, cur illos Deus fœdis affectionibus constringi permiserit. Nam fœminæ illorum eum quem naturæ lex vsum corporum præscribit, in alterum fines naturæ peruertentem commutarunt. Neque aliter mares vsu à natura ad Sobolem propagandam instituto neglecto alius in alium exarserunt, dignam erroris sui mercedem, & compensationem referentes. * Deus enim assoles peccata permittere in aliorum vindictam peccatorum.] * Pondera illud: *Et mercedem, quam oportuit, erroris sui in semetipsis recipientes.* Quia Auctoris naturæ iura violarunt litantes creaturæ Deitatis honorem, ideò permittuntur in suum dedecus sempiternum leges naturæ violare. sepè enim diuinum supplicium peccati normam assolet æmulari.] Quemadmodùm verò eam, quam de Deo cognitionem mente complecti poterant, neglexere: sic illos Deus in detestabilem mentem tradidit: ex quo illud est consecutum, vt ea ipsi aggrederentur, ac perficerent, quæ minimè oporteret. Videris illos omni iniustitiæ scortationi, improbitati, auaritiæ, malitiæ, inuidiæ, cædi, contentioni, dolo, malignitati obnoxios. Notaueris eos susurrones, obtrectatores, Dei osores contumeliosos, superbos, gloriæ inanis appetentes, malorum inuentores, erga parentes immorigeros, desipientes, fœdifragos, charitatis expertes, implacabiles, à misericordia prorsus alienos. * Postquàm omnium vitiorum catalagum recensuit, sic periodum terminauit: *sine misericordia*: vt eos omnino damnationi addictos ostendat. Solet enim charitas, misericordia, eleemosyna multitudinem peccatorum operire. Vnde qui misericordia caret, non habet quo peccata (sic explicare liceat) cælesti Numini operiat. Ideò in iudicio impijs Dominus, *Esuriui & non dedistis manducare*: quasi peccata operuissent, si studuissent misericordiæ.] Qui quidem cum naturalia iura, diuinaque decreta probè cognouissent, affectarunt non intelligere, eos, qui sese hisce sceleribus inquinarent, sempiterno esse interitui obnoxios: imò non modò qui illa patrarunt crimina, sed & qui patrantibus *consentiunt.* * Alij explicant, *Qui patrocinantur.* Deo enim admodùm est inuisum, delinquentibus auxilium, fauorem, aut defensionem offerre.]

Verè sapiens de sua scientia minime præsumit.

Contumeliosū est hominis libidini seruire.

Deus peccata permittit in aliorū peccatorum vindictam.

Sæpè diuinum supplicium peccati normā solet æmulari.

Misericordia in pauperes multitudinē peccatorum operit.

Deo inuisum valde, delinquentibus patrocinari.

CAPVT II.

Sicut de Gentium peccatis hactenus est locutus etiam hic Iudæorum crimina recenset: ideóque fide, ac gratia Christi Domini indigere illos, docet.

1. PROPTER quod inexcusabilis es, ô homo omnis, qui iudicas: In quo enim iudicas alterum, teipsum condemnas: eadem enim agis quæ iudicas. 2. Scimus enim quoniam iudicium Dei est secundùm veritatem in eos qui talia agunt. 3. Existimas autem hoc, ô homo, qui iudicas eos qui talia agunt, & facis ea, quia tu effugies iudicium Dei? 4. An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? 5. Secundùm autem duritiam tuam, & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei, 6. qui reddet vnicuique secundùm opera eius: 7. iis quidem, qui secundùm patientiam boni operis, gloriam, & honorem, & incorruptionem quærunt, vitam æternam: 8. iis autem, qui sunt ex contentione, & qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira & indignatio. 9. Tribulatio & angustia in omnem animam hominis operantis malum, Iudæi

primùm

primùm, & Græci: 10. gloria autem, & honor, & pax omni operanti bonum,
Iudæo primùm, & Græco: 11. non enim est acceptio personarum apud Deum.
12. Quicumque enim sine lege peccauerunt, sine lege peribunt: & quicumque
in lege peccauerunt, per legem iudicabuntur. 13. Non enim auditores legis iu-
sti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur. 14. Cùm enim Gentes,
quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt, eiusmodi legem
non habentes, ipsi sibi sunt lex: 15. qui ostendunt opus legis scriptum in cor-
dibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, & inter se inui-
cem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus: 16. in die, cùm
indicabit Deus occulta hominum, secundùm Euangelium meum, per Iesum
Christum. 17. Si autem tu Iudæus cognominaris, & requiescis in lege, & glo-
riaris in Deo, 18. & nosti voluntatem eius, & probas vtiliora, instructus per le-
gem, 19. confidis teipsum esse ducem cæcorum, lumen eorum qui in tenebris
sunt, 20. eruditorem insipientium, magistrum infantium, habentem formam
scientiæ & veritatis in lege. 21. Qui ergo alium doces, teipsum non doces: qui
prædicas non furandum, furaris: 22. qui dicis non mœchandum, mœcharis:
qui abominaris idola, sacrilegium facis: 23. qui in lege gloriaris, per præua-
ricationem legis Deum inhonoras. 24. (Nomen enim Dei per vos blasphe-
matur inter Gentes, sicut scriptum est. 25.) Circumcisio quidem prodest, si
legem obserues: si autem præuaricator legis sis, circumcisio tua præputium fa-
cta est. 26. Si igitur præputium iustitias legis custodiat: nónne præputium
illius in circumcisionem reputabitur? 27. & iudicabit id quod ex natura est
præputium, legem consummans, te, qui per litteram & circumcisionem præ-
uaricator legis es; 28. Non enim qui in manifesto, Iudæus est: neque quæ in
manifesto, in carne, est circumcisio: 29. sed qui in abscondito, Iudæus est: &
circumcisio cordis in spiritu, non littera: cuius laus non ex hominibus, sed ex
Deo est.

COMMENTARII.

1. *Paulus Iudæorum crimina recenset.*

VERS. 1.2.3.4.5.6.7.8. *Propter quod inexcusabilis es, ô homo, &c.*] Quapropter si Gentiles, qui malitiam illorum criminum nõ tam plenè vt tu intellexerunt, digni tamen morte æterna reputantur: quantò magis tu ô Iudæe qui clarissimè ex Mosaica lege intellexisti, ea esse Deo abominabilia, dignus eo supplicio eris, si eadem flagitia ausus fueris perpetrare. Inexcusabilis quidem es, qui alios reprehendis vi legum, & iurium, quæ probe tenes. Hoc enim ipso, quo Gentiles arguis ac dignos pœna censes; tu te condemnas, quòd aliorum Iudex iisdem sceleribus implicaris. * Magna debet esse in eo puritas, qui prauas proximi actiones ausus fuerit taxare.] Scimus quidem, perspicax atq; acre Dei iudicium absque errore vllo in eos ferri, qui talia agunt: quamuis fortassè hominum opinione ab omni labe censeantur immunes. * Iudicium hominum fallax omninò solum Dei iudicium est *secundùm veritatem*, qui intimos animi motus intuetur.] *Existimas autẽ, ô homo, &c.*] Quis verò tibi persuadet ô homo, qui damnas huiusmodi scelerum patratore, à quibus ipse non abhorres, fore vt quia Iudæus sis, Dei iudicium effugies? Num *diuitias*, seu thesauros eius benignitatis) ac tolerantiæ contemnis? Annon intellexisti, Deum sua illa tolerantia, dum delinquis, id vnum agere, vt te ad pœnitudinem alliciat? * Profectò, si Sapis, ô peccator, hæc ineffabilis Dei bonitas & patientia, te debet non ad peccandi securitatem, sed ad mox pœnitendi affectum adducere.] Verùm pro duritia tua, & corde à pœnitudine abhorrente maiorem Dei tolerantis & expectantis diù iram tibi colligis, quæ illo maximè extremo mundi die, instar diu comparati thesauri affatim profundetur. Quo quidem die Christus Iudex hominum consilia in lucem proferet. * Dei enim *patientia* & *longanimitas* in diuturna expectatione, in grauitate supplicij compensatur.] Tunc vnicuique pro qualitate meritorum vel æternæ vitæ possessionem, vel interminabilia supplicia Christus Dominus reddet. Iis, inquam qui patienter sustinuere labores, vt iustè operarentur ad Dei *gloriam* & *honorem*, nec vllis actionibus prauis voluere corrumpi, vitam præstabit æternam. Ij verò, qui animi peruicacia veritati obluctantur, & iniquitati habenas laxant, *iram* & *indignationem* subitè cogentur.

Magnà puritas esse debet in eo qui prauas aliorũ taxat actiones.

Solum Dei iudicium circa hominum actiones secundum veritatem.

Dei patientia non debet nobis peccãdi securitatẽ, sed mox pœnitẽdi influat affectum.

Dei patientia in expectando grauitatẽ supplicij cõpensatur.

Vers. 9.10.11.12.13.14.15.16. *Tribulatio & angustia, &c.*] Quin etiam illo ipso tempore Deus effundet angustiam in eorum animos, qui flagitiosè vitam duxerint, *primum* quidem id est, vberiori pœna contundens Iudæos, deinde Græcos & omnes infideles. * Cur *primum Iudæi tribulatione*, & *angustia* afficientur, id est, quare vberiorem experientur vltionem? Certè quia maioribus ex cognitione Dei & legis beneficiis donati; fortiores ad reiicienda vitia esse debuere.] Contrà verò gloria, & honore sempiterno afficientur illi, qui rectè vixerint: primo quidem loco Iudæi, deinde Græci, seu Gentiles, qui decepti aliquando, tandem resipuerunt. Neque enim Deus ex genere, ex patria, vel simili alia qualitate metitur: nec vllus est apud ipsum personarum respectus, qui plerumque apud homines cerni

Maioris Dei & legis notitia donati, fortiores debent esse ad vitia reiicienda.

 solet;

ſolet. Illi namque, qui abſque legis Moſaicæ cognitione deliquerunt, *ſine lege* peribunt, hoc eſt damnabuntur, etiamſi huiuſmodi ſcriptæ legis notitiam non habuerint, quia naturalis legis iura violarunt. Qui autem legem à ſe cognitam ſceleratis moribus fuerint tranſgreſſi, ipſius legis præſcripto damnabuntur. Non enim qui legem audiunt, ſola eius cognitione contenti, iuſti apud Deum erunt: ſed qui præſtant quod lege præſcribitur, Iudicis Dei ſententia inter iuſtos numerabuntur. Nam cum Ethnici, aliiſque infideles, quos omnis notitia legis ſcriptæ fugit, magiſtra natura, ac occulto diuinæ gratiæ beneficio adiuti re ipſa præſtant, quod lege præcipitur, legis præceptis deſtituti ſunt ipſi ſibi loco legis. Quippè qui honeſtas illas, ac laudabiles actiones, quæ lege præſcribuntur, mentibus habent inditas, vt eas Chriſti tribunali exponant. Tunc quidem cunctæ actiones & cogitationes conſcientiæ hominum ſeſe mutuo accuſantes, & defendentes apparebunt. Idque, vt ſupra expoſui, fiet in extremo illo pereuntis mundi occaſu, cum Deus immortalis (vt traditur in Euangelio, cuius miniſterio ego Chriſti beneficio fungor) etiam de abditis cogitationibus ſententiam referet.

Verſ. 17.18.19.20.21.22.23.24. *Si autem tu Iudæus cognominaris, &c.*] Sed age, alloquamur ſpeciatim Iudæos: En tu ô frater, Iudæus cognominaris, in lege placidè conquieſcis, in Deo gloriaris. Cuius voluntatem perſpectam habes; & explotas ea, quæ vel à lege diſſident, vel cum ipſa congruunt: & quæ ipſa lege pedagogo, comperis vtiliora eſſe, recto iudicio probas. Hinc quaſi magiſtrum te reputans; confidis te quaſi cæcorum ducem eſſe, & lucem præferre iis, qui in tenebris commorantur. Inſipientium eruditorem, infantium pædagogum: eo quod calleas formam legis, & tradendæ veritatis *rationem* agnoſcas, vt alios queas erudire. *Qui ergo alium doces, &c.*] Cur igitur qui alios doces, te ipſum negligis edocere; qui prædicas à furto abſtinendum, cur furaris? Qui libidini vacandum non eſſe dicis, cur turpiter inquinatis? qui abominaris inania idolorum ſimulacra, cur te impio ſacrilegio obſtringens vel ſacra violas, vel idolotiſtis veſceris, vel idolis dicata, auri cupiditate victus, nefariè contrectas? Qui ob acceptam diuinitus legem gloriaris, legem ipſam violans, Deo latori legis contumeliam infers. Nimirum hoc eſt illud, quod pridem ſacris litteris proditum legimus, Iſa. 52.5. *Propter vos Dei nomen blaſphematur inter Gentes.* Conſciæ enim veſtrorum criminum Deum noſtrum contemnunt, quaſi Deus vulgaris ſit qui tam impios habet adoratores. Vnde illorum blaſphemiæ ex veſtris ſceleribus tanquam à fonte profluxere. * Vt religioſi, irreligioſi ediſcant, eorum exceſſus cauſam eſſe, vt ſæculares Blaſphemias ipſi inferant Religioni, quæ tam indignos alit alumnos.]

Praui religioſi Religioni ipſi dedecus inferunt.

Verſ. 25.26.27.28.29. *Circumciſio quidem prodeſt, &c.*] Circumciſio ô frater, dum lex Moſaica permittitur, prodeſt admodum, ſi legi obtemperes: ſi verò legis præſcripta violes, præputium facta eſt, ſiue perinde eſt coram Deo, nec tibi plus proderit ad iuſtitiam & ſalutem quam ſi præputiatus, ſeu incircumciſus & Gentilis eſſes. Et è contrario ſi præputiatus iuſtitias legis, præcepta ſcilicet naturalia & moralia Gentilis cuſtodiat, *præputium illius in circumciſionem reputabitur*, id eſt, incircumciſio non oberit illi; ſed perinde coram Deo reputabitur, ac ſi circumciſus eſſet. Nonne qui natus incircumciſus, incircumciſus manſit, ſi legis naturæ præcepta atque inſtituta coluerit, te Iudæum circumciſum meritò damnabit, qui profeſſione legis, & ipſa circumciſione quaſi ſuffultus, legem non metuis violare? Damnabit quidem. Profectò neque is, qui in manifeſto Iudæus eſt, neque in corpore oculis cerni poteſt circumciſio Iudæi, circumciſionis veræ nomine coram Deo cenſeri debent. Sed qui clam mente, & ſpiritu Iudæus eſt, quæque in abſcondito eſt circumciſio cordis, iure, ac propriè circumciſionis nomine decoratur: & magnam non quidem ab hominibus, ſed à Deo laudem, & gloriam aſſequitur. Hypocriſis operatur in publico, quia hominum laudes ambit: vera autem ſanctitas quæ Deo ſoli placere ſtudet, operatura ad abſcondita recedit.]

Hypocriſis in publico, vera virtus in abſcondito operatur.

CAPVT III.

Licet aliqua diuerſitas inter Iudæos & Gentiles ſit agnoſcenda, in hoc tamen vtroſque Paulus aſſerit conuenire, vt ſint ſub peccato & Chriſti gratia indigeant.

1. QVID ergo amplius Iudæo eſt; aut quæ vtilitas circumciſio-
nis? 2. Multum per omnem modum. Primum quidem,
quia credita ſunt illis eloquia Dei. 3. Quid enim ſi quidam
illorum non crediderunt? Numquid incredulitas illorum
fidem Dei euacuabit? Abſit. 4. Eſt autem Deus verax:
omnis autem homo mendax, ſicut ſcriptum eſt: Vt iuſtifice-
ris in ſermonibus tuis: & Vincas cùm iudicaris. 5. Si autem
iniquitas noſtra iuſtitiam Dei commendat, quid dicemus? Numquid iniquus eſt
Deus, qui infert iram? 6. (ſecundum hominem dico) Abſit. Alioquin quomo-

iudicabit Deus hunc mundum? 7. Si enim veritas Dei in meo mendacio abunda-
uit in gloriam ipsius: quid adhuc & ego tanquam peccator iudicor? 8. & non (si-
cut blasphemamur, & sicut aiunt quidam oon dicere) faciamus mala vt veniant
bona: quorum damnatio iusta est. 9. Quid ergo? præcellimus eos? Nequaquam.
Causati enim sumus, Iudæos & Græcos omnes sub peccato esse, 10. Sicut scri-
ptum est: Quia non est iustus quisquam: 11. Non est intelligens, non est requi-
rens Deum. 12. Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt, non est qui fa-
ciat bonum, noo est vsque ad vnum. 13. Sepulchrum patens est guttur eorum;
linguis suis dolosè agebant: Venenum aspidum sub labiis eorum: 14. Quorum
os maledictione, & amaritudine plenum est: 15. Veloces pedes eorum ad ef-
fundendum sanguinem: 16. Contritio, & infelicitas in viis eorum: 17. & viam
pacis non cognouerunt: 18. Non est timor Dei ante oculos eorum. 19. Scimus
autem, quoniam quæcumque lex loquitur, iis, qui in lege sunt, loquitur, vt om-
ne os obstruatur, & subditus fiat omnis mundus Deo: 20. Quia ex operibus le-
gis non iustificabitur omnis caro coram illo. Per legem enim cognitio peccati.
21. Nunc autem sine lege iustitia Dei manifestata est, testificata à lege & Prophe-
tis. 22. Iustitia autem Dei per fidem Iesu Christi, in omnes & super omnes qui
credunt in eum: non enim est distinctio: 23. Omnes enim peccauerunt, & egent
gloria Dei. 24. Iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in
Christo Iesu, 25. Quam proposuit Deus propitiationem per fidem in sangui-
ne ipsius, ad ostensionem iustitiæ suæ, propter remissionem præcedentium de-
lictorum, 26. In sustentatione Dei, ad ostensionem iustitiæ eius in hoc tempore:
vt sit ipse iustus? & iustificans eum, qui est ex fide Iesu Christi. 27. Vbi est ergo
gloriatio tua? Exclusa est. Per quam legem? Factorum? Non: sed per legem fi-
dei: 28. Arbitramur enim iustificari hominem per fidem sine operibus legis.
29. An Iudæorum Deus tantùm? nónne & Gentium? Immò & Gentium.
30. Quoniam quidem vnus est Deus, qui iustificat circumcisionem ex fide, & præ-
putium per fidem. 31. Legem ergo destruimus per fidem? Absit: sed legem sta-
tuimus.

COMMENTARII.

1. *Diuersitas inter Iudæos & Gentiles aliqua agnoscenda.*

VERS. 1.2.3.4.5.6.7.8. *Quid ergò amplius Iudæo est? &c.*] Quid igitur est, quo Iudæus cæteris præstet? Quid eximij habet, quo Gentes præcellat? vel quænam demum est ei circumcisionis vtilitas? Porrò negari non potest Iudæos longo interuallo diuina gratia superare. Illud enim primarium est Iudæorum priuilegium, quod eis Dei eloquia, plurimaque vaticinia atque oracula fuerint credita. * Dei enim verbum cordis aure auditum siue erudiat, siuè crimina taxet, animi salutem operari quis abneget? [*Quid enim si quidam illorum, &c.*] Nonnulli, ais, ex Iudæis in perfidia perstitere. An eorum infidelitas diuinam fidem & eloquij sacri veritatem irritam reddidit? vel efficere potuit vt Deus aut consilij mutatione, aut virium imbecillitate promissa non impleuerit? *Absit.* Est equidem Deus vt natura sua, sic & nostra confessione verax: omnis autem homo mendax; sicut scriptum est: Vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas, siuè cum iudicia hominum subibis, siuè cum tua exercebis. Quod si quis contendat Dei iustitiam, qua multos ex impiis pios efficit, vel qua pœnas à peccatore exigit, aut qua promissorum fidem præstat, improbitate nostra commendari; quid, quæso, dicemus? Num (vt more hominum loquar) iniustus appellandus est Deus, qui supplicium peccatis infligat, ex quibus ipse gloriam consequatur?

Animi salus ex Dei verbo cordis aure exaudito.

Absit. Cum enim deliquimus Dei gloriam non quærimus, sed impiè eius legem contemnimus. Ille verò pro sua ineffabili bonitate ex improbitate nostra ansam arripit, vt in ingratos liberaliter agat, & ab impiis iustas pœnas exigat. Alioqui quomodo Deus Iudex erit mundi, si iniustitiam exerceret sæuiens in eos, à quibus laudem & gloriam aucupatur. Illustratio itaque diuinæ iustitiæ, & fidelitatis non dependet ab iniquitate nostra; nec nisi per accidens ab illa consequitur: nempè quia Deus per infinitam suam potentiam, Sapientiam, & misericordiam vult etiam omnia mala (præter eorum naturam, & meritum) ad finem bonum ordinare, nempè ad iustitiæ & gloriæ suæ diuinæ collustrationem. Igitur hæc obiectio quam *secundum hominem* moueo, id est, non ex propria persona, sed ex persona insipientum, & carnalium hominum clare diluitur. * Tanta Dei bonitas vt ex ipsis malis bona sequi efficiat.] *Si enim veritas Dei, &c.*] Etenim si veritas & iustitia Dei meo mendacio & iniquitate illustrata per se, & non per accidens gloriosior ostenderetur; quid causæ erit, quod ego deinceps quasi peccator condemner? ac non potius laudibus efferat, ac præmia recipiam, qui mea improbitate gloriæ diuinæ afferam incrementum? Cur non potius id agimus, & docemus (quod obtrectatores nonnulli, quorum iusta est damnatio) falsò nobis imponunt, gerenda esse mala, vt indè boni aliquid consequamur.

Tanta Dei bonitas vt ex ipsis malis sequi bona efficiat.

Vers. 9.10.11.12.13.14.15.16.17.18.19.20. 2.
Quid ergo? præcellimus eos? &c.] Quid igitur? nos qui Iudæi nati sumus reliquis Gentibus

Iudæi & Gentiles sunt sub

quasi

quaſi innocentes antecellimus? Quod ad iuſtificationem áttinet, nullo modo; quia non euidenti ratione concluſimus, propter acceptam à Deo legem & tam ampla promiſſa promeritas fuiſſe præ Ethnicis ad fidem & iuſtitiam Chriſti vocari. Iam enim ante *præcauſati* ſumus,(ſic in Græco)ſeu cauſam attulimus *cap.* 1. vbi prolatis rationibus oſtendimus, Iudæos non minus quàm Græcos, ſeu Gentiles omnes ſub peccato eſſe, & propter peccata damnationi obnoxios, ſicut ſcriptum eſt variis veteris Teſtamenti locis. Non eſt, inquit Dauid, iuſtus quiſquam, non eſt qui rectè viuat, ne vnus quidem. Non eſt, qui intelligat, & ſapiat, non eſt, qui exquirat Deum. * Vera enim Sapientia eſt, Deum rectis actibus inuenire. Inſipiens omninò debet reputari, qui non ſolùm Deum iuſtis actionibus non exquirit, ſed iniquis ab ipſo elongatur.] Omnes deflexere, ſimul inutiles facti ſunt], non eſt, qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum. * Nam cum homo per peccatum quaſi reducatur in nihilum, inutiles omninò ad cuncta bona redditur, dum in eo ſtatu impœnitens perſiſtit.] Sepulchrum opertum eſt guttur eorum, dum verba mortifera terrum odorem ſpirantia efformant. Linguis ad dolum vſi ſunt: venenum aſpidum ſub eorum labiis lethaliter dum proximum mordere curant. Quorum propterea os amaritudine eſt plenum. Pedes eorum veloces admodùm ad ſanguinem dirè profundendum. Contritio, & calamitas in viis eorum. * Nam ſicut iuſto omnia cedunt in bonum: impio cuncta in malum videntur exundare.] Et viam pacis non cognouerunt, quia interno prauæ conſcientiæ bello contunduntur. Non eſt quidem Dei timor coram oculis eorum. Vnde tanquam equi ſine fræno ad iniuſta quæque præcipites feruntur. * Ex defectu enim timoris Dei in hominibus pronitas ad peccata procedit.] Scimus quidem vniuerſa, quæ in lege & Prophetis præſcribuntur, ad eos, qui ſubiiciuntur legi, pertinere, vt Iudæorum ora occludantur vana proferentia: & appareat, non modo Gentiles, ſed & Iudæos, mundumque vniuerſum peccato obſtrictum Dei ſententiæ, & damnationi, dum in culpa perſiſtitur, eſſe obnoxios. Quia ex *operibus* hiſce *legis* Moſaïcæ expiari poterunt carnis ſordes, & acquiri iuſtitia externa politica, ac ciuilis: ſed nulla ratione interna ſpiritualis, & *coram Deo* ſufficiens ad iuſtitiam ſeu à peccato expiationem. Per legem enim acquiritur ſola peccati cognitio (docet namque quid faciendum, quid cauendum) ſed non acquiritur remedium peccati, quod per ſulam Chriſti Domini gratiam tolli poteſt.

Inſipiens eſt, qui Deum rectis actionibus non exquirit.

Homo in peccato exiſtens, inutilis ad cuncta bona redditur.

Impio omnia in malum exundant.

Ex defectu timoris Dei pronitas ad peccata procedit.

Verſ. 21.22.23.24.25.26. *Nunc autem ſine lege iuſtitia Dei &c.*] Profectò nunc ſine antiquæ legis reſpectu iuſtitia, qua Deus homines iuſtos reddit (ipſo legis ac Prophetarum teſtimonio comprobata) prodiit in lucem. Eaque per Ieſu Chriſti fidem ad cunctos mortales pertinet, omneſque homines abſque diſtinctione, qui rite credunt, rectéque operantur, complectitur. Etenim vniuerſi mortales (dempto Ieſu & per ipſum Maria Matre eius) peccauerunt, (vt *ex cap.* 1. *&* 2. patet) & omnes ideò *egent Dei gloria*, id eſt Chriſto, inquit Chriſtus. vel (vt Auguſtinus) *glorioſa gratia* Chriſti. Hac enim præueniente omnes indigent: nec quiſquam viribus ſolius naturæ, vel ſolius legis adiutorio eam aſſequi valet. Vnde cum hæc gratia ſit prorſus nobis indebita, fateri cogimur, nos gratis, id eſt, ſine nullis noſtris meritis præuiis, per Chriſtum iuſtificari. * Illud expende: *Egent gloria Dei*, id eſt, *gratia*. Quare gratia gloria appellatur? Certè quia & gratiam gloria ſequitur: & quia vel dum hîc degimus, qui Dei gratia fruitur, ſic pacificè incedit, vt quodammodo iam cæleſti gloria nullis obnoxia laboribus potiatur.] Gratis, inquam, iuſtificamur, redemptionis Chriſti beneficio. Quem Deus palam omnibus propoſuit, vt proprio ſanguine fuſo Deum alliceret, vt diuina eius iuſtitia diuino cruore ſatisfacta, omnium crimina condonaret. Eademque iuſtitia nunc profusè declaratur, tum ex Dei tolerantia, qua præterita noſtra crimina ſuſtinuit, ac tandem extinxit: tum ex facilitate, qua homines perditos partim inuitat, partim in gratiam recipit: vt ipſe tùm iuſtus & verax: tum verò iuſtificare cenſeatur eum, qui Ieſu Chriſti fide percepta, abiectaque omni ſpe legis, ac meritorum inani confidentia, ſaniora aliquandò conſilia ſuſcipit.

Hominis in gratia exiſtentis, vel hîc beatitudo.

Verſ. 27.28.29.30.31. *Vbi eſt ergo gloriatio tua? &c.*] Quæ ſi vera ſunt, vt certè negari non poſſunt; quid eſt, ô Iudæe, quod tibi blandiaris, tuaque opera ac merita iactes? omnis equidem occaſio excluſa eſt gloriandi. Qua verò ratione? qua lege? An lege Moſis, qua opera prædicantur, & extolluntur, diuinum auxilium nullum datur? Haud quaquam; ſed ea potius, quæ fidem in Chriſtum proponit, & ad ea peragenda, quæ iuſſa ſunt, auxilium gratiæ præſtat. Quæ cum ita ſint, rectè colligimus, fide in Chriſtum iuſtificari homines cunctos cuiuſuis generis, ac nationis ſint, idque abſque legis Moſaicæ operibus, *An Iudæorum Deus tantum?* An putamus Deum dumtaxat Iudæorum eſſe, aut illorum ſolummodò curam habere? Numquid non etiam maximam ſuæ prouidentiæ & ſolicitudinis ad Gentes deflectit? Etenim vnus, ac idem Deus eſt, qui circumciſos quidem ex fide: & eos, qui circumciſione carent, per eandem fidem iuſtificat. Num igitur legem tanquam inutilem & inanem Chriſti fide abolemus? Minimè: ſed legem potius iacentem erigimus, & ſtabilire curamus. Nam cum lex paſſim doceat, debere nos (ſi ſaluari ac iuſtificari volumus) in Meſſiam credere: nos illud idem docendo, legem ſubſiſtere facimus. E contrario legem euertunt, quicumque fidem in Chriſtum, quam lex vbique inculcat, reiicere audent.

CAPVT

CAPVT IV.

Iustificationem fieri non per opera legis, aut naturæ, sed per Christi fidem Abrahæ exemplo Apostolus probat.

1. QVID ergo dicemus Inuenisse Abraham patrem nostrum se-
cundùm carnem? 2. Si enim Abraham ex operibus iustifi-
catus est, habet gloriam, sed non apud Deum. 3. Quid
enim dicit Scriptura? Credidit Abraham Deo: & reputatum
est illi ad iustitiam. 4. Ei autem qui operatur, merces non
imputatur secundùm gratiam, sed secundùm debitum.
5. Ei verò qui non operatur, credenti autem in eum, qui
iustificat impium, reputatur fides eius ad iustitiam secundùm propositum gratiæ
Dei. 6. Sicut & Dauid dicit beatitudinem hominis, cui Deus accepto fert
iustitiam sine operibus: 7. Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, & quo-
rum tecta sunt peccata. 8. Beatus vir, cui non immutauit Dominus pecca-
tũm. 9. Beatitudo ergo hæc in circumcisione tantùm manet, an etiam in præ-
putio? Dicimus enim quia reputata est Abrahæ fides ad iustitiam. 10. Quomodo
ergo reputata est? in circumcisione, an in præputio? Non in circumcisione, sed
in præputio. 11. Et signum accepit circumcisionis, signaculum iustitiæ fidei, quæ
est in præputio: vt sit pater omnium credentium per præputium, vt reputetur &
illis ad iustitiam: 12. & sit pater circumcisionis, non iis tantùm qui sunt ex
circumcisione, sed & iis qui sectantur vestigia fidei, quæ est in præputio pa-
tris nostri Abrahæ. 13. Non enim per legem promissio Abrahæ, aut semini
eius, vt heres esset mundi: sed per iustitiam fidei. 14. Si enim qui ex lege he-
redes sunt: exinanita est fides, abolita est promissio. 15. Lex enim iram opera-
tur. Vbi enim non est lex: nec præuaricatio. 16. Ideò ex fide, vt secundùm
gratiam firma sit promissio omni semini, non ei qui ex lege est solùm, sed & ei
qui ex fide est Abrahæ, qui pater est omnium nostrum (17. sicut scriptum
est: Quia patrem multarum gentium posui te) ante Deum, cui credidit, qui vi-
uificat mortuos, & vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt: 18. qui
contra spem in spem credidit, vt fieret pater multarum gentium, secundum
quod dictum est ei: Sic erit semen tuum. 19. Et non infirmatus est fide, nec
considerauit corpus suum emortuum, cùm iam ferè centum esset annorum,
& emortuam vuluam Saræ. 20. In repromissione etiam Dei non hæsitauit
diffidentia, sed confortatus est fide dans gloriam Deo: 21. planissimè sciens
quia quæcumque promisit, potens est facere. 22. Ideò & reputatum est illi
ad iustitiam. 23. Non est autem scriptum tantùm propter ipsum, quia repu-
tatum est illi ad iustitiam: 24. sed & propter nos, quibus reputabitur cre-
dentibus in eum, qui suscitauit Iesum Christum Dominum nostrum à mortuis;
25. qui traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem
nostram.

COMMENTARII.

2. *Iustificationē fieri per Christi fidem, non per opera legis, aut naturæ probat Abrahæ exēplo.*

VERS. 1.2.3.4.5. *Quid ergò dicemus inuenisse Abraham, &c.]* Quid igitur dicemus nostri generis parentem ac principem Abrahamum adeptum fuisse, si eius humanas actiones, aut ipsam circumcisionem, eorumque vim solùm spectemus? siquidem constitutum à nobis est, non ex cuiusquam actionibus quantumuis iustis, sed vnius fidei beneficio iustificationem diuinitus concedi? Profectò Abraham ex operibus legis vel naturæ seclusa Christi fide, iustitiam exilem habuit, externam scilicet politicam & humanam: & laudem, & gloriam apud homines, qui sola externa opera vident, & commendant: sed non apud Deum, qui interna respicit, & requirit, nempe fidem, spem, & charitatem. Sed scio, vos tanta iniuria nolle tantum Patriarcham afficere. Sed neque scriptura id permittit: cum *Gen.* 15. 6. dicat: Abraham credidit Deo ipsi promittenti innumerabilem posteritatem, & Messiam ipsum, saltem implicitè, ex ipso

nasciturum. Et hæc fides reputata est à Deo illi *ad iustitiam*, qua re vera iustificatus fuit: Deus verò nemini imputat iustitiam, nec vllum reputat esse iustum, nisi verè sit talis, vel talis fiat. *Ei autem qui operatur, &c.*] Porrò ei, qui sua actione aliquid sit promeritus, merces, quæ iure debetur, non rependetur gratuito, sed lege iustitiæ est persoluenda. Ei vero, qui nullam exercet actionem, sed in illum solummodò credit, qui impium iustificat, sua illi fides pro iustitia fertur accepta, eique ipsa iustitia per fidem gratis conceditur; non quia ea se id fidei debeatur: sed quia diuinæ bonitati placuit propter hominum salutem vltrò decernere, vt fides Christi merita apprehendat, id est, eorum fructum percipiat, eáque ratione veram iustitiam consequatur. * O quàm debitores sumus Christi Domini meritis, quorum respectu cuncta à Deo bona percipimus!]

Admodum debitores sumus Christi meritis, per quæ omnia bona percipimus.

Vers.6.7.8.9.10.11.12. Sicut & Dauid dicit, &c.] Quamobrem etiam Dauid beatum inter mortales asserit illum, cui accepto Deo, iustitia sine operibus ipse impertit. *Beati*, inquit, *quorum remissæ sunt iniquitates*. Beati homines sunt, quorum crimina gratuita condonatione, non operum meritis sunt remissa. Propriè enim offensas remittere, est, gratis ea condonare. *Et quorum* addit, *tecta sunt peccata*, id est, obliterata & obruta per gratiæ iustificantis infusionem, ita vt non amplius sint, neque existant: sicut inductis vestibus nuditas tegitur. Tanta Dei est pietas, vt peccata remissa Dei ipsius oculis ita teguntur, vt nō amplius homini in esse videantur: ergo reuera non amplius illi insunt. * Hanc Dei pietatem deberent homines æmulari, vt cum viderint aliquem è pedibus confessarij, vel è sacerrima mensa prodire, iam prælapsa crimina, quorum consc[i]j fuerant, minimè videant confessione omnino obliterata.] Beatus itaque vir, cui *non imputauit Dominus peccatum* iam plenè condonatum: & consequenter cui nullum amplius peccatum inest. *Beatitudo ergo hæc, &c*] Hæc igitur tam magnifica prædicatio, qua Dauid huiusmodi homines beatos pronunciat, in circumcisionémne solam, an etiam in præputium cadit? siquidem nos asseruimus Abrahæ fidem fuisse pro iustitia acceptam, ipsumque gratis per fidem fuisse iustificatum. At qua tandem ratione aut quādò id factum putamus: Ante circumcisionémne, an post circumcisionem? Certè non post circumcisionem sed multò ante, quam pelliculam resecaret. *Et signum accepit, &c.*] Et postmodùm circumcisionem recepit pro signo ac veluti sigillo, quo obsignaret iustitiam fidei, quæ suo tempore resignanda esset per Christum: vel quæ iampridem in eo, Dei singulari beneficio præessetar, cum nondum esset circumcisus: vt ipse pater fieret omnium credentium non Iudæorum solùm, sed etiam illorum, qui circumcisionem abnuerent, vt reputetur & illis ad iustitiam. Cur autem absque prætio hoc circumcisionis signaculo Deus voluerit Abrahamum iustificari, (secùs quam quibusdam posteris eius Iudæis accidit, qui absque hoc signaculo fidem saltem parentum concomitante, iustificari non poterant.) Certè vt Abrahamus hoc suo facto sit *pater*, magister & exemplar omnium credentium tam incircumcisorum Gentilium, quam circumcisorum Iudæorum, dummodò sectentur vestigia fidei, quam pater eorum Abraham exercuit adhuc incircumcisus. Voluit itaque Deus nobis indicere, quòd sicut Abrahamus antè circumcisionem per fidem fuit iustificatus: etiam omnes Gentiles, qui Abrahæ fidem imitarentur, similiter forent iustificandi, per Christi fidem, si vellent.

Post confessionem nullum peccatoris prælapsum crimen videant Dei æmulatores.

Vers. 13.14.15.16. Non enim ob legis cultum, aut obseruationem illa tam magnifica promissio ad Abrahamum, & ipsius posteritatem censenda est pertinere: sed per vnam fidei iustitiam inter filios suos ac posteros dicitur numeraturos cunctas orbis terræ nationes. Quod si ij, qui legis præcepta sectantur hoc ipso nomine, quod legi obtemperant, ad Abrahæ posteritatem spectant, atque in ipsius hæreditatis partem vocantur: nullus certè erit fidei, & tam eximiæ promissionis fructus: sed cum frustrà credetur, inaniter etiam illa promissio facta fuerit. *Lex enim iram operatur, &c.*] Profectò lex ipsa per se sumpta iram operatur, & quodammodo cumulat damnationem: tantum abest, vt ad hæreditatem assequendam, qui est promissionis fructus, quemquam perducat. Vbi enim non est lex, aut præceptum, ibi eius violatio, quo irritatur Dei ira, locum non habet. Propterea dixi, hæreditatem propositam esse fidei: vt intelligamus, eam à gratia vltro & gratis data pendere: & vt promissio facta vni Abrahæ factam esse toti eius posteritati constet, id est, non modo iis, qui sunt ea Iudæorum natione, sed etiam iis, qui quamuis sint ex Gentibus, fide tamèn Abrahamum omnium nostrum parentem imitantur.

Vers.17.18.19. (Sicut scriptum est, quia patrem multarum gentium, &c.] Quemadmodum scriptum est in libro Geneseos: Patrem multarum gentium te constitui cognatione quadam spirituali non à virili semine, sed à spirituali energia orta, quæ coram Deo in pretio habetur. Credidit igitur Abraham Deo, qui mortuos ad vitam reuocat, & ea quæ non sunt æterna quadam præscientia, ac anticipata prænotione perinde vocat, ac si verè existerent, & vocanti possent respondere. Profectò Abrahamus Deo spondenti illi fœtum, humanis rationibus contrarium suadentibus, magna spe animo concepta sine dubitatione credidit, fore se multarum gentium patrem iis solùm Dei verbis nixus, quæ ad ipsum fuerant cælitus nunciata, nempe sic fore ipsius posteritatem fœcondam, ac multiplici prole numerosam, vt cæli lumina, aut æquoris arenam æquatura videretur. Idcirco minime hæsitans non considerauit suum corpus, iam effœtum, ac penè emortuum, cum centum circiter ætatis annumeraret annos: neque vllam Saræ, quæ proli concipiendæ inepta esset, rationem habendam esse putauit.

Vers. 20.21.22.23. In repromissione etiam Dei &c.] Neque aduersus Dei pollicitationem diffidentia disceptauit, sed fide soboratus Deum promittentem extulit laudibus, illamque, quæ par erat, gloriam tribuit. Plane persuasum habens, quidquid Deus promittit, licet difficilè, imò impossibile humanitati videatur, posse ab ipso facillimè præstari. Quapropter merito illi ad iustitiam fuit reputatum. Id quod non ob illum tantommodo fuit sacrarum litterarum monumentis exaratum; sed etiam nostra

omnium

omnium causa, quibus etiam reputabitur ad iustitiam fides in eum, qui Iesum Christum Filium suum à mortuis excitauit. Quem quidem propter scelera nostra morti addictum, propter nostram iustificationem à morte reuocatum accepimus. Etsi enim hanc non meruerit Christi resurrectio præcisè, seu per se sumpta, quia sic non erat opus viatoris: meruit illam tamèn quatenus resurrectio fuit vltimus terminus mortis, & omnium passionum Christi, & cum illis quasi vnum idemque opus morale redemptionis generis humani constituit. Vndè quod mortis proprium est, resurrectioni adscribitur.

CAPVT V.

Varios fructus iustitiæ per Christi Domini fidem obtentæ recenset. Damna per originalem culpam inuecta enunciat. Christi gratiam Adami crimini & Mosaicæ legi opponit.

1. IVSTIFICATI ergo ex fide, pacem habeamus ad Deum
per Dominum nostrum Iesum Christum, 2. Per quem &
habemus accessum per fidem in gratiam istam, in qua stamus,
& gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei. 3. Non solum autem,
sed & gloriamur in tribulationibus: scientes quod tribulatio
patientiam operatur: 4. Patientia autem probationem,
probatio vero spem, 5. Spes autem non confundit;
quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est
nobis. 6. Vt quid enim Christus, cum adhuc infirmi essemus, secundum tempus
pro impiis mortuus est? 7. Vix enim pro iusto quis moritur: nam pro bono
forsitan quis audeat mori. 8. Commendat autem charitatem suam Deus in nobis:
quoniam cùm adhuc peccatores essemus, secundum tempus. 9. Christus pro nobis
mortuus est: multò igitur magis nunc iustificati in sanguine ipsius, salui erimus
ab ira per ipsum. 10. Si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per
mortem filij eius: multò magis reconciliati, salui erimus in vita ipsius. 11. Non
solum autem: sed & gloriamur in Deo per Dominum nostrum Iesum Christum,
per quem nunc reconciliationem accepimus. 12. Propterea sicut per vnum hominem
peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes
homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerunt. 13. Vsque ad legem enim
peccatum erat in mundo: peccatum autem non imputabatur, cùm lex non esset.
14. Sed regnauit mors ab Adam vsque ad Moysen etiam in eos, qui non peccauerunt
in similitudinem præuaricationis Adæ, qui est forma futuri. 15. Sed non sicut
delictum, ita & domum, si enim vnius delicto multi mortui sunt; multo magis
gratia Dei & domum in gratia vnius hominis Iesu Christi in plures abundauit.
16. Et non sicut per vnum peccatum, ita & donum, nam iudicium quidem ex
vno in condemnationem: gratia autem ex multis delictis in iustificationem. 17. Si
enim vnius delicto mors regnauit per vnum: multo magis abundantiam gratiæ,
& donationis, & iustitiæ accipientes, in vita regnabunt per vnum Iesum
Christum. 18. Igitur sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem:
sic & per vnius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitæ.
19. Sicut enim per inobedientiam vnius hominis, peccatores constituti
sunt multi: ita & per vnius obeditionem, iusti constituentur multi. 20. Lex
autem subintrauit vt abundaret delictum. Vbi autem abundauit delictum, superabundauit
gratia. 21. Vt sicut regnauit peccatum in mortem: ita & gratia
regnat per iustitiam in vitam æternam, per Iesum Christum Dominum nostrum.

COMMENTARII.

1\. *Varios fructus iuſtitia per fidem Christi obtenta recenſet.*

VERS. 1.2.3.4.5.6. *Iuſtificati ergo ex fide, pacem habeamus, &c.*] Græcè, *pacem habemus.* Igitur cum certum adſtruerimus, nos iuſtificari ex fide per Chriſtum, pacato iam animo ſumus non metuentes Dei vindictam, ſiquidem ei fuerimus reconciliati. An hæc animi tranquillitas oritur ex plena certitudine fidei diuinæ, qua quis infallibiliter credat, peccata ſibi eſſe remiſſa? Minimè, ſed ex probabilibus coniecturis, quæ moralem ſtatuunt certitudinem nos eſſe iuſtos. * Inter quas illa mihi præſtans, nempè recta conſcientia nullius conſcia grauis peccati eius, qui promptus eſt mori potius, quam lethale patrare piaculum. Per Chriſtum itaque eadem hac fide aditum in Dei gratiam nacti ſumus, cuius vi ſtamus, & ingenti ſpe concepta, gloriamur, nos ad Dei filiationem eius munere fuiſſe euectos. At non ſolùm expectatione futuræ immortalitatis gloriamur, ſed & tribulationes, quibus premimur gloriam, & exultationem nobis adiiciunt: cum nobis perſpectum ſit, oppreſſionibus patientiam comparari.

Qui paratus eſt potius mori, quam peccare grauiter, ſignum perſpicuum valde habet ſe iuſtum eſſe.

* *Tribulatio*, inquit, *patientiam operatur.* Cur non dixit, Tribulatio operatur cæleſte præmium, ſempiternam gloriam, ſed patientiam, quaſi diceret tribulatio operatur tribulationem? An tribulationem pati præmium eſt tribulationis? Profectò iuſtis præmium tribulationis vnius, quam pro Chriſto ſuſtinuare, præmium eſt noua tribulatio pro eodem ſufferenda patienter.] * Quia amantibus pro amato pati gloria eſt.] Porrò patientia probatur iuſti animi virtus: & aſſuefit tribulationibus ſuſtinendis: replicatio verò patiendi in corde *ſpem* roborat felicitatem interminabilem aſſequendi. *Spes autem non confundit, &c.*] Spes quidem nullo vnquam tempore hominem rubore ſuffundit: ſed potiùs pudorem illum, qui ex rebus aduerſis coram hominibus nonnunquam ſolet oriri, omninò expellit: propterea quod diuina illa charitas, qua foueri ſperamus, in corda noſtra profuſa eſt exuberans per ſpiritum ſanctum, qui vna cum cæleſtibus muneribus nobis eſt datus. Cur enim Chriſtus mortem oppetiit, niſi vt ſpem noſtram confirmaret, certámque redderet, & ſuam in nos debiles, & ſpiritualibus morbis oppreſſos oſtenderet, eo paſſionis tempore iam à Deo Patre præfixo, & Prophetarum oraculis præſignato? Mortuus quidem Chriſtus fuit eo tempore, quo omnia plena erant infidelitate, & peccato, & maximè egerent Medico, & redemptione.

Sancti pro præmio vnius tribulationis pro Deo toleratæ aliam tribulationē alacres accipiunt.

Amantibus gloria eſt pro amato pati.

Verſ. 7.8.9.10.11. *Vix enim pro iuſto quis moritur, &c.*] Pro alio quopiam etſi iuſto ſancto, & laudato homine quis mori ſuſtineat? Vix talis inuenietur? Dico *vix*, nam pro *bono*, hoc eſt benefico, & ergà ſe liberali forſitan quis mori audebit, Græcè, *ſuſtinebit.* Sicut Codrus, Decij, Samſon, Leonides, & quidam alij pro patria ſua erga ſe benefica morti ſe expoſuere. *Bonum*, pro benefico ſæpiſſimè ſcriptura vſurpat. 1. Reg. 29.6. *Homines iſti boni ſatisfecerunt nobis*, id eſt, benefici. * Hinc Chriſti in nos charitas ponderanda obiicitur, cum mortem ſuſtinuerit non ſolùm non *iuſtis*, ſed innumeris peccatis infectis: non ſolùm non *bonis*, ſeu beneficis, ſed maleficis admodum, qui eum ipſum qui pro eorum vita moriebatur, interfecerunt.] Deus igitur commendat admodùm ſuam erga nos charitatem eximiam, qui cum impij eſſemus, & à nobis magnis iniuriis eſſet laceſſitus: paſſus eſt Chriſtum Filium ſuum pro nobis mortem præfinito à ſe tempore ſuſtinere. Tam illuſtri itaque beneficio affecti, Chriſtique profuſo ſanguine iuſtificati, ſolidiori nos ſpe recreari oportet, quod ipſius demùm ope fore nos ab extremi iudicij ira liberandos. Nam ſi inimici Dei eſſemus, per Filij eius mortem ſumus reconciliati: multo profectò vberius nunc ab immortali Chriſto Domino gratia donati, ſalute æterna donabimur. *Non ſolùm autem* ſperare id debemus, ſed & nunc exultare in Deo per Chriſtum Dominum, per quem nos poſt ipſius in cælum aſcenſionem, fidem amplexi, & reconciliationis vberrimum fructum ſumus aſſecuti.

Ineffabilis in nos Chriſti charitas, morientis pro illis qui eum interficiebāt.

Verſ. 12.13.14.15.16.17. *Propterea ſicut per vnum hominem, &c.*] Propterea ſicut per vnum omnium parentem Adamum peccati labes, ac fœditas mundum occupauit, peccati autem noxam mors fuit ſubſecuta, quæ ideo omnes homines peremit, quia nemo eſt liber à culpa: ad eum modum Chriſti gratia in nos omnes exundauit, in ſpemque æternæ vitæ erexit. Toto eo tempore, quo naturalis lex vigebat, peccatum originale erat in cunctis hominibus; ſed vſque ad legem Moſaicam non *imputabatur*, id eſt, non putabatur eſſe. Quamuis enim homines ſolo lumine naturali inſtructi, & fide ac doctrina legis deſtituti, non exiſtimarent, ſe originali peccato eſſe obnoxios: tamen viguiſſe illud etiam tum in mundo, & omnes ei eſſe obnoxios certò conſtat, & colligitur ex eiuſdem peccati pœna, puta ex morte. Nam mors regnauit, & ſæuiit in omnes quotquot ab Adamo vſque ad Moſen vixere: ergo & cauſa mortis, ſeu peccatum originale. Quod quidem imperium ſuum extendit in eos, *qui non peccauerunt*, actuali aliquo piaculo infecti, ſeu propria voluntate, ſicut Adam deliquerat, puta infantes. At qui in infantibus nulla potuit eſſe cauſa iuſta tantæ pœnæ niſi peccatum originale. Porrò Adam vocitatur hic *forma futuri*, id eſt, Chriſti Domini venturi totius Eccleſiæ Patris typus. *Sed non ſicut delictum, ita & donum, &c.*] Non tamen tantum nocuit peccatum, quantum donum Chriſti profuit. Nam ſi Adæ peccato multi, id eſt, omnes mortui fuere tam morte corporali, quam ſpirituali originalis culpæ: gratia Dei, & donum *in gratia*, ſeu per gratiam vnius hominis Ieſu Chriſti in plures abundauit, Græcè eſt *in multos*, id eſt, in omnes. Id patet in gratiis & donis nobiliſſimis ſpiritus ſancti, quæ Chriſtus contulit Apoſtolis, Martyribus, virginibus, Doctoribus, Religioſis, Prælatis, &c. vt memoriam non agam de futura vita, & gloria cæleſti. * Recole verbum illud: *Vnius delicto multi mortui ſunt.* Cur non dixit *Omnes.* Crediderim, vt Chriſtum Dominum & Deiparam ab hominum omnium progenie eximeret, qui Adami piaculo mortui non fuere.]

2\. *Damna per originale peccatum inuecta, quibus Chriſti gratia opponitur.*

Maria mortua non fuit Adami piaculo.

re.] *Et non sicut per vnum peccatum, &c.*] Alia præterea est ratio reatus, qui ab vnius culpa profectus omnes æque afficit: & diuini beneficij, quo per Christum ad Dei amicitiam inuitamur. Nam reatus ab vnius hominis noxa ortum habuit, & in omnium condemnationem ita propagatur, vt vel vna primææ labis macula sempiternæ morti cunctos addicat. Gratiæ vero Iesu donum ad innumerabilia expianda delicta, & ad omnium iustificationem perficiendam impendatur. Etenim si vna hominis offensa nos omnes originali spoliatos iustitia morti, ac damnationi omninò subiecit: ità vna est iustificationis ratio, qua per Christum Dominum ij, qui redundantem illam gratiam, & iustitiæ donum percipiunt, ad æternam vitam destinantur.

Vers. 18. 19. 20. 21. *Igitur sicut per vnius delictum &c.*] Igitur sicut per vnius culpam reatus ille damnationis æternæ mortales omnes obstrinxit: ita vnius obedientia, quam Patri pro nostra iustificationi exhibuit, vim habet, omnes homines ad viuificam iustificationem adducendi. Vt sicut ob vnius hominis obedientiæ contemptum multi sunt constituti peccatores: haud aliter vnius Christi obedientia iusti quàm plurimi efficiantur. * Est quidem illustrissimum obedientiæ elogium, per eam actam fuisse humani generis per inobedientiam pereuntis, reparationem] *Sex autem subintrauit, &c.*] Iam verò ad illum morbum, quo vnius delicto contaminati vniuersi mortales laborabant, etiam Mosaica lex accessit, qua per hominum malitiam illius violatorum, auctior facta est ægritudo. sed vbi quasi in immensum vis illa peccati excreuisset, tanta è cælo gratiæ copia effluxit, vt peccatum non æquarit modò, sed innumeris etiam partibus superarit. *Vt sicut* peccati Regnum ac tyrannis homines in interitum perurgebat, ità gratiæ Principatus veram iustitiam afferret, & vitam æternam per Christum Dominum largiretur.

Per obedientiam actam est mundi perditi reparatio.

CAPVT VI.

Nos hortatur, vt diligenter studeamus gratiam per Christum acceptam seruare, & augere.

1. QVID ergo dicemus? permanebimus in peccato vt gratia
abundet? 2. Absit. Qui enim mortui sumus peccato, quo-
modo adhuc viuemus in illo? 3. An ignoratis quia qui-
cumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius
baptizati sumus? 4. Consepulti enim sumus cum illo per
baptismum in mortem: vt quomodo Christus surrexit à
mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambu-
lemus. 5. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis eius: simul & re-
surrectionis erimus. 6. Hoc scientes, quia vetus homo noster simul crucifi-
xus est, vt destruatur corpus peccati, & vltrà non seruiamus peccato. 7. Qui enim
mortuus est, iustificatus est à peccato. 8. Si autem mortui sumus cum Christo:
credimus quia simul etiam viuemus cum Christo: scientes quòd Christus resurgens
ex mortuis iam non moritur, mors illi vltrà non dominabitur. 10. Quòd enim
mortuus est peccato, mortuus est semel: quòd autem viuit, viuit Deo. 11. Ita
& vos existimate, vos, mortuos quidem esse peccato, viuentes autem Deo, in Chri-
sto Iesu Domino nostro. 12. Non ergo regnet peccatum in vestro mortali cor-
pore vt obediatis concupiscentiis eius. 13. Sed neque exhibeatis membra vestra
arma iniquitatis peccato: sed exhibete vos Deo, tanquam ex mortuis viuentes:
& membra vestra arma iustitiæ Deo. 14. Peccatum enim vobis non dominabi-
tur: non enim sub lege estis, sed sub gratia. 15. Quid ergo? peccabimus, quoniam
non sumus sub lege, sed sub gratia? Absit. 16. Nescitis quoniam cui exhibetis
vos seruos ad obediendum, serui estis eius, cui obeditis, siue peccati ad mortem,
siue obeditionis ad iustitiam? 17. Gratias autem Deo, quòd fuistis serui peccati,
obestis autem ex corde in eam formam doctrinæ, in quam traditi estis. 18. Li-
berati autem à peccato, serui facti estis iustitiæ. 19. Humanum dico, propter
infirmitatem carnis vestræ: sicut enim exhibuistis membra vestra seruire im-
munditiæ, & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra ser-
uire iustitiæ in sanctificationem. 20. Cùm enim serui essetis peccati, liberi fuistis
iustitiæ. 21. Quem ergo fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubesci-
tis? Nam finis illorum mors est. 22. Nunc verò liberati à peccato, serui autem facti
Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem verò vitam æternam.
23. Stipendia peccati, mors. Gratia autem Dei, vita æterna, in Christo Iesu Do-
mino nostro.

COMMMENTARII.

I. *Nos hortatur, gratiam per Christum acceptam seruare, & augere.*

VERS. 1.2.3.4.5.6. *Quid ergò dicemus? &c*] Quid igitur dicemus ad hæc? Num quia gratiæ Christi beneficium, peccati calamitatem non modo æquat, sed etiam excellit: nobis idcircò persistendum est in peccato, vt gratia auctior, & cumulatior fiat? *Absit*: nam qui peccati vires fregimus, & eius veluti vitam in nobis omnino extinximus: quomodò rursum illam renouabimus, vt in peccato viuamus. * *Quomodo adhuc* (*ut*) *viuemus in illo*? Quasi impossibile quidem debet esse, vt peccator ad gratiam restitutus rursum in crimina relabatur.] *An ignoratis*, quod quicumque in Christo sacra vnda sumus abluti, à morte Christi virtute accepta peremisse peccatum? *Consepulti enim sumus, &c.*] Per Baptismum enim verè peccato mortui, cum Christo fuimus quodammodo sepulturæ mandati, vt sicut ille ad Patris gloriam illustrandam, eiusque vi diuina à mortuis fuit excitatus, ita & nos in nouam vitam ad Dei gloriam institutam resurgamus. *Si enim* mortis eius similitudinem non æmulantes solum, sed vim haurientes, ipsi tanquam trunco, nos velut surculi insitione ineffabili coaluimus: eadem quidem ratione ipsi rediuiuo coaliti vna cum illo reuiuiscemus, illiusque resurrectionis cum referemus imaginem, tum eius fructum vberrimum colligemus. * Fructus quidem resurrectionis Christi non colligit, nisi qui cum illo mortuus fuerit, & sepultus.] *Hoc scientes*, veterem illum nostrum hominem ab Adamo vitiatum simul cum Christo fuisse cruci suffixum: vt omnis scelerum colluuies non aliter ac si *corpus* quoddam esset, penitus eneruetur: ne quisquam posteà adsit, qui sese peccati infami seruituti subiiciat. * Preme particulam, *Vt destruatur corpus peccati.* An peccatum constat anima & corpore? Cur corpus peccati vocitatur? Profectò tota peccatorum massa quasi vnum corpus hominis veteris est, cuius membra sunt superbia, auaritia, libido, reliquæque peccatorum species, cuilibet Christiano mortificanda, vt mortificatis singulis membris totum concidat corpus. Nec enim sufficit, vnum membrum mortificari, si reliqua viuant. Vnde colligo, in Confessione omnia simul crimina grauia esse aperienda.]

Quasi impossibile esse debet, vt peccator gratiæ restitutus, rursum relabatur in crimina.

Fructus Christi resurrectionis non colliget nisi qui cum illo mortuus fuerit, & sepultus.

In Confessione omnia simul peccata grauia sũt aperienda.

Vers. 7.8.9.10.11. Qui enim mortuus est. &c.] Nam qui in seipso peccati vitam extinxit, is planè à peccato iustificatus est, ab eiusquo vinculis liber procedit. *Si autem* quemadmodum Christus corpore oppetiit mortem, sic nos peccato mortui sumus cum ipso: credimus quidē fore, vt etiam cum ipso vitã ducamus immortalē, *scientes* certissimè, Christum à morte excitatum, morti iam minime esse obnoxium, neque mortis tyrannidi deinceps subiacere.* Vnde qui cum Christo resurgimus, deberemus nos omninò à peccati eximere sic potestate, vt nunquam illi rursum subiiceremur.] *Quod enim* Christus mortuus est peccato, id est, ad peccatum in nobis extinguendum non nisi *semel*, idque breuissimo tempore factum: quòd autem resurrectione Deo viuit, seu ad Dei gloriam collustrandam, durat, durabitque æternum, * Quomodo molestias corporis mortis huius breui soluendas non patienter tolerabimus æternæ consecuturæ felicitatis memores?] *Ita & vos* existimare debetis, per Christi Domini gratiam mortuos esse peccato, Deo autem per iustitiam ipsius Christi meritis viuere.

Resurgentes cum Christo, qui iam non moritur, debemus gratiæ vitam æternum conseruare.

Molestias vitæ patienter tolerat, breui soluẽdas, qui æternæ memor est felicitatis.

Vers. 12.13.14.15.16. 17. Non ergo regnet peccatum, &c] Nullo igitur modo patiamini in vestro mortali corpore imperium exercere, quo ipsi voluptatibus indulgentes obsequium exhibeatis. * *In vestro*, ait, *mortali corpore*, mortalitatis addicto passionibus. Voluptatum tyrannis tam dira est, vt cultorum suorum corpora innumeris ægritudinibus lethalibus afficiat. Vndè memor esse debet libidini seruiens, suum corpus esse mortale.] *Sed neque* membra vestra ipsius imperio sistite, vt ei sint veluti iniquitatis instrumenta, & velut quidam scelerum administri: sed potius vos Deo sistite ex mortuis rediuiuos, ac immortalitate donatos; nauateque operam, vt membra vestra ipsi sint quasi virtutis, ac sanctitatis instrumenta. * Membra quidem *arma* fiunt *iniquitatis*, dum lingua peierat, aut proximo detrahit: dum manus vindictæ operam impendit, aut aliena surripit: dum pedes ad illicita properant, &c. His armis instructum peccatum nos miserè debellat.] * Sunt verò membra nostra *arma iustitiæ*, dum lingua Dei laudes enunciat, & veritatem loquitur: dum manus elemosynæ gerendæ aperiuntur: dum pedes ad misericordiæ opera festinant, &c. Hisce armis iustitia velut instructa nos fortius in Dei amicitia defensat incolumes. *Peccatum enim, &c.* Vobis enim, qui non ampliùs sub nuda lege, quæ gratiæ præsidio destituta, vires quodammodo peccato subministrabat, sed sub gratiæ præsidio vestris armati membris viuitis: peccatum dominari non poterit: quin potius tanto patrocinio freti, eius vires omninò debellabitis. *Quid ergo?* An quia non sumus sub legis, sed sub gratiæ imperio: idcircò liberi ac soluti sumus, vt peccare nobis impune liceat? Minimè id quidem. *Nescitisne*, quod cui vos tanquam seruos sistitis ad obtemperandum, verè eius esse seruos, siue pareatis peccato, quod interitum interminabilem affert: siue Deo obtemperetis, vndè vera ortum habet iustitia. *Gratias autem Deo*, immortales debemus reddere, quod cum aliquandò serui mancipia fuistis, tamen Deo vos misericorditer vocanti ex corde obtemperastis: eamque doctrinæ formam complexi estis, quæ vobis est proposita, vt eam vestris in actionibus transcribatis.

Voluptatum in mortali cultorũ suorum corpore tyrannis.

Quomodò membra nostra peccati sint arma?

Quomodò membra nostra fiunt arma iustitiæ.

Vers. 18. 19. 20. 21. 22.23. Liberati autem, &c.] Quocirca à peccati tyrannide liberati, ad iustitiæ imperium translati, Dei pietate, fuistis. *Humanum dico, &c.*] Iam verò rem humanam, & humano iudicio æquam à vobis efflagito. Scilicet vt tanto conatu studeatis iustitiæ seruire *in sanctificationem*, hoc est, vt in dies magis ac magis sanctificemini: quanto olim seruistis *iniquitati ad iniquitatem*, id est, vt ex vno in aliud peccatum rueretis, & in dies euaderetis sceleratiores, * Operæ pretium quidem est, vt peccatorum replicatio actuum virtutis replicatione compensetur. Tertius

Numerum peccatorum actionũ virtutis numero æquare studeat.

Petrus

Petrus Dominum abnegauit: ter se illum ardenter amare post resurrectionem profitetur: vt triplicem negationem quo iniquitati seruierat, triplici seruiens virtuti amoris compensaret affectu.] * Illud expende: *seruire iniquitati ad iniquitatem.* Vnum peccatum alterius est fomes. Vnde dum in animo viget, rarò id videris consistere solitarium.] * Et illud annota: *Humanum dico, propter infirmitatem carnis vestra.* Posset meritò Apostolus Dei gerens personam à nobis exigere, quod olim Propheta Baruch cap. 4. 28. *Sicut sensus vester fuit, vt erraretis à Deo, decies tantùm iterùm conuertentes requiretis eum.* Paulus verò ex humanitate non decuplum, sed solummodo par studium deposcit: scilicet vt tanto conatu seruias virtuti, quanto iniquitati seruieras. Vnde legis gratiæ suauitas exponitur.] *Cum enim* diro peccati iugo premebamini, nullum iustitiæ ius, aut imperium sustinuistis. *Quem ergo* (vos quæso) tunc fructum percipiebatis ex his actionibus, quarum causa nunc rubore afficimini. Etenim eiusmodi opera exitus amarissimos sortiuntur, cum æternum abducant ad interitum. * Demens profectò & suiipsius inimicus est, qui audet actionem exponere, ex qua aliquando necesse ei sit erubescere.] *Nunc verò,* peccati iugo omninò è collo reiecto, Deoque serui feliciter facti, vbertim percipitis fructum nempe vitæ sanctitatem, qua quidem recta via ad patriam peregrinationis sanctorum finem, tenditis. *Stipendia enim, &c.* Quemadmodùm enim qui peccato seruiunt, pro obsequij stipendio mortem capiunt æternam: ita qui Deo seruiunt pro mercede vita æterna donantur, quam quidem ob Christi Domini merita. * Pro *stipendia peccati*, Syrus legit *Merces peccati* pro mercede iustitiæ vita æterna est; quam Paulus Dei *gratiam* vocat, non stipendium vel mercedem, vt antithesis exigere videbatur. Quamuis enim supposita promissione diuina sit reuera stipendium, merces, & vt alibi ait *corona iustitia* 2. Tim. 4. 8. de condigno debita piis operibus: quia tamen ea promissio, & auxilium gratiæ (ex qua tanquam radice opera iusta promanant) planè gratuita sunt: labor autem, quem nos gratia adiuti nostra ex parte adhibemus, parui momenti censetur, nec nisi auxiliante gratia à nobis potest adhiberi: hinc optimo iure *vita æterna* omni ex parte vocatur, & est *gratia*, ac gratuitum donum. Hinc collige cælestem beatitudinem tanti esse pretij, vt post innumerabiles iustorum exantlatos labores eam illi gratis verè dicantur accepisse.]

Vnum peccatum alterius est fomes.

Legis gratiæ suauitas.

Demens est, qui id agit, vnde postmodum erubescat.

Cælestis beatitudo tanti valoris est, vt post innumeros exantlatos labores, eã gratis accipiamus.

CAPVT VII.

Nos sub lege non esse, sed sub gratia Christi pluribus ostendit. De concupiscentia adhuc reliqua etiam in iustis ex peccato, & lege disserit.

1. AN ignoratis fratres (scientibus enim legem loquor) quia lex
in homine dominatur, quanto tempore viuit? 2. Nam
quæ sub viro est mulier, viuente viro, alligata est legi: si
autem mortuus fuerit vir eius, soluta est à lege viri. 3. Igitur,
viuente viro, vocabitur adultera si fuerit cum alio viro:
si autem mortuus fuerit vir eius, liberata est à lege viri: vt
non sit adultera si fuerit cum alio viro. 4. Itaque fratres
mei, & vos mortificati estis legi per corpus Christi: vt sitis alterius, qui ex mortuis
resurrexit, vt fructificemus Deo. 5. Cùm enim essemus in carne, passiones
peccatorum, quæ per legem erant, operabantur in membris nostris, vt fructificarent
morti. 6. Nunc autem soluti sumus à lege mortis, in qua detinebamur, ita
vt seruiamus in nouitate spiritus, & non in vetustate litteræ. 7. Quid ergo dicemus?
Lex peccatum est? Absit. Sed peccatum non cognoui, nisi per legem: nam
concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret: Non concupisces. 8. Occasione autem
accepta, peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam.
Sine lege enim peccatum mortuum erat. 9. Ego autem viuebam sine lege
aliquando. Sed cùm venisset mandatum, peccatum reuixit. 10. Ego autem mortuus
sum: & inuentum est mihi mandatum, quod erat ad vitam, hoc esse ad mortem.
11. Nam peccatum occasione accepta per mandatum, seduxit me, & per
illud occidit. 12. Itaque lex quidem sancta, & mandatum sanctum, & iustum,
& bonum. 13. Quod ergo bonum est, mihi factum est mors? Absit. Sed peccatum,
vt appareat peccatum, per bonum operatum est mihi mortem: vt fiat supra
modum peccans peccatum per mandatum. 14. Scimus enim quia lex spiritualis
est: ego autem carnalis sum, venumdatus sub peccato. 15. Quod enim operor,
non intelligo, non enim quod volo bonum, hoc ago: sed quod odi malum, illud
facio. 16. Si autem quod nolo, illud facio: consentio legi, quoniam bona est.

17. Nunc

17. Nunc autem iam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum.
18. Scio enim quia non habitat in me, hoc eſt in carne mea, bonum. Nam vel-
le, adiacet mihi: perficere autem bonum, non inuenio. 19. Non enim quod
volo bonum, hoc facio: ſed quod nolo malum, hoc ago. 20. Si autem quod
nolo, illud facio: iam non ego operor illud, ſed quod habitat in me, peccatum.
21. Inuenio igitur legem, volenti mihi facere bonum, quoniam mihi malum
adiacet: 22. Condelector enim legi Dei ſecundùm interiorem hominem:
32. Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis
meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis. 24. Infelix ego
homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? 25. Gratia Dei per Ieſum
Chriſtum Dominum noſtrum. Igitur ego ipſe mente ſeruio legi Dei, carne autem,
legi peccati.

COMMENTARII.

Nos ſub lege nō eſſe, ſed ſub gratia Chriſti fuſius oſtendit.

1. VERS 1.2.3.4.5.6. *An ignoratis fratres, &c.*] Si mirum cuipiam ex vobis fortaſſe videatur id, quod paulo ante aſſerui, nos liberos eſſe à legis veteris ſeruitute, quæ gratiæ huius auxilio destituta, peccato nos quadam ratione ſubiiciebat: liber vos legis Moſis, & etiam naturalis iuris peritos interrogare, num ignoretis lege tantiſper hominem teneri, eiuſque ſubeſſe neceſſitati, quoad ipſe vixerit. *Nam* fœmina, quæ ſuaptè natura viro ſubeſſe debet, non deuincta eſt viro, niſi connubij lege: vnde ſi eius vir ſuum diem obierit à connubij illius lege proſus eſt ſoluta. *Igitur* ſi illo viuente alteri viro adhæſerit, adultera verè vocabitur: at mortuo iam viro, prioris coniugij vinculo expedita, ſi alteri nubat, adulterij rea nullatenus cenſeri poteſt. *Itaque fratres mei* dilectiſſimi hæc ſimilitudo à matrimonij lege ac iure petita eo potiſſimum ſpectat, vt intelligatis, legem, quæ erat quaſi maritus veſter iam eſſe mortuam, quia per corpus Chriſti in cruce immolatum iam lex Moſaica eſt abolita, & in aliam meliorem commutata. Nupſiſtis itaque ſecundo marito, Chriſto ſcilicet. Profectò ſicut mortuo marito vxor à lege maritali liberatur, & liberè alias tranſit ad nuptias: ſic mortua Moſaica lege, nos omnes ab eius dominio liberamur, & colligamur Chriſti legi: vt deinceps non fructificemus morti, id eſt, non pariamus mala opera digna morte, & ad mortem ducentia (quæ erant fructus prioris coniugij) *Sed fructificemus Deo*, ſub dominio ſecundi mariti noſtri Chriſti, id eſt, recta, & diuina opera proferamus. * Annon execrabile admodum indicares adulterium pauperculæ fœminæ quam diligens Rex ad regium thalamum vxorem eleuaſſet? Quis dubitare poteſt? Collige hinc quam execrabilius ſit adulterium animæ tuæ, quæ cum extrema laboraret inopia à Chriſto cœleſti Rege electa eſt in ſponſam.] *Cùm* igitur prioris coniugij legibus teneremur, prauæ affectiones, & animi motus ad peccatum allicientes, intus in membris noſtris vim ſuam exerebant, vt fructus mortiferos ederemus, agitioſas ſcilicet actiones, quibus ſtricti aliquando degebamus. *Nunc autem* iam liberi ſumus à ſeruitute legis, qua priori concubio adſtringebamur, mortuo ſcilicet viro, qui nos ſibi ſubiectos arctabat: vt Chriſto in nouitate ſpiritus ſeruiamus, id eſt, ſub noua, & ſpiritu plena lege: & non amplius in vetuſtate litteræ, id eſt, ſub veteri, & non niſi litterali lege Moſaica, quæ morbos, & vulnera noſtra detegebat, ſed non curabat: vtpotè ſpiritu, ſeu gratiæ auxilio deſtituta: vndè ſæpè maioris mali & peccati anſam miniſtrabat.

Anima quæ Chriſto Regi nupta, delinquere audet, execrabili admodū adulterio inficitur.

Verſ. 7.8.9.10.11.12. Quid ergo dicemus? &c.] Quid igitur dicendum? Num exiſtimandum eſt nobis veterem legem illam per ſe eſſe peccatum, vel peccati fomitem, aut patrocinium præſtare? Abſit. Tantùm enim abeſt, vt lex peccatum ſit, aut illud foueat, vt maximè ei repugnet, & auerſetur. Porro quià lex quid ſit faciendum, quid vitandum, dum præcepta legis negliguntur, illud neceſſario conſequitur, vt peccatum alioqui latens, ac veluti abditum prodeat in lucem, & quodammodò detegatur. Nam etiam illam prauam concupiſcentiam, ſeu cupiditatem, quæ malorum omnium eſt origo, nemo planè perſpectam haberet, ac dignuſceret, quantopere rationi reluctetur, niſi inter legis præcepta illud etiam legeret: *Non concupiſces. Occaſione autem accepta* per præceptum legis nonum & decimum vbi vetamur concupiſcere, *peccatum*, id eſt, naturà meà peccatis, & concupiſcentiis ſubdita, & infectà, operatum eſt; & produxit in me omnem concupiſcentiam, ſeu omne genus prauorum deſideriorum. Sine lege enim concupiſcentiam prohibente, *peccatum* quaſi *mortuum*, id eſt, ſopitum erat: ſed præcepto legis excitatum exarſit in omnes prauos concupiſcentiæ motus. (* Mittimur procul dubio in vetitum.)] Id ego in me ipſo (Paulus ait) ſum expertus, nam *Ego aliquando* nempe in prima adoleſcentia ſine lege viuebam, vtpotè nec dum Moyſis legem edoctus: neſciebam tunc concupiſcentiam eſſe peccatum, nec admodum illa infeſtabat. *Sed cum veniſſet*, mandatum illud nonum & decimum legis in meam notitiam, mox *peccatum* ſeu natura mea peccaminoſa, quæ antea ſopita & velut mortua iacebat, per legem excitata reuixit, cuius morſu dire læſus, *mortuus* ſum, dum me ſcientem ad conſenſum pertraxit. *Ego* inquam, qui dudum mihi viuere, ac ſpiritum ducere videbar, repente *mortuus* ſum; deprenſúmque eſt legis præceptum, quod ad vitam largiendam, & propagandam fuerat inſtitutum mihi natura vitiato, cedere ad mortem. * Pondera Pauli humilitatem, cui prælapſos defectus profiteri non refugit, vt te pudeat tam ſolicitum tua piacula operiendi.] *Nam peccatum*, hoc eſt, peſtilens illa prauæ concupiſcentiæ lues, arrecta (vti

In vetitum mittimur.

Sancti non refugiūt, ſua piacula confiteri.

(vti dixi) occasione, per præceptum ipsum, non modo me seduxit, meo quidem vitio, sed etiam occidit. *Itaque* ne quis putet, me legem damnare, aut accusare tanquam peccati ministram, assero, me contrarium potius affirmare. Lex enim omnino sancta est, eius præceptum *bonum* & iustum.

Vers. 13.14.15.16.17.18.19.20. *Quod ergo bonum est, &c.*] An existimare debemus, id quod per se bonum est, factum mihi esse lethale, eius culpa? Absit. Nam *peccatum* seu natura mea peruersa, & peccaminosa (*vt appareat peccatum*, id est, vt hinc pateat quanta eius sit peruersitas) *per bonum*, id est, per legem, seu occasione legis quæ ex se bona est, me pellexit in mortem: ita vt fieret in me *suprà modum*, seu excessiuè & suprà quam dici possit, *peccans peccatum*, id est, multa, magna, & exuberantia peccata produceret, & causaret. * Loco particulæ *supra modum*, Græcè est, secundum *hyperbolem*. Sancti enim ad exprimendos defectus suos, exaggeratione hyperbolica vtuntur callentes quidem Dei, quem contemplere, maiestatem.] *Scimus* plane *quia lex spiritualis est*, quia spiritualia præscribit, nempe virtutes sectari, piacula fugere. Ego autem corruptæ naturæ vitio ea sector, quæ non spiritui, sed carni placent, vtpotè *venundatus sub peccato*, Græcè, *sub peccatum* iampridem ab Adamo vilissimi pomi pretio, & traditus in seruiturem peccati, seu naturæ peccaminosæ. Vndè non lex, sed ego ipse mihi causa sum peccati, & consequenter mortis. Multi Patres existimant Paulum hîc in persona peccatoris loqui. Alij verò conuenientius censent, Apostolum de seipso, & in persona hominis iusti hæc scripsisse. Quasi diceret: Ego iam liber à veteri lege, & sub gratia constitutus, & tot priuilegiis à Deo donatus, tantostamen concupiscentiæ stimulos in malum sentio vt instar serui emptitij sæpius cogar illos motus velim, nolim sentire. * Concupiscentiæ velut tyranno traditi sunt etiam iusti: non item peccatos coguntur enim motus eius sentire, sed non consentire. *Quod enim* sic secundum carnem, seu partem animæ inferiorem operor, impulsus per corruptam naturam, v. gr. primos inordinatos motus concupiscentiæ ego secundum spiritum, seu superiorem partem animæ *non agnosco* practicè approbando, id est, non consentio, non admitto. Non autem bonum, quod expeto exequi, hoc ago: vellem enim bona multa peragere promptè & expeditè: sed inualescente concupiscentia, sæpius non ita perficio: cum è contrario *malum* quod mente odi, nempè motus primos concupiscentiæ sæpissimè per naturam admittam. *Si autem* illud faciam nolens, vel potius inuoluntariè patiar secundum naturam, mente & voluntate per omnia *bona* integra, & consentienti, seu conformi legi diuinæ: seqüitur *Nunc*, quod iam non ego operor illud) scilicet in quantum homo sum, & secundum rationem ac voluntatem operor) sed *peccatum*, (seu concupiscentia) quod in me habitat: id est, natura mea corrupta. *Scio enim*, quod non habitat in mea corrupta natura *bonum*, vel aliquid quod me ad agendum bonum inuitet: sed potius propensio, & inclinatio ad malum. *Velle* seu prompta voluntas, seu facultas appetendi bonum est in me iustificato: sed vix, & nonnisi difficulter illud exequi possum. Prompto enim spiritu, caro autem infirma, imò reluctans spiritui ostentatur. *Non enim*, vti paulo ante dicebam) quod bonum esse sentio, nequaquam id ago: sed id cogor facere, siuè pati inuitus, quod mihi maxime displicet: *si autem* id facio, seu pati cogor, quod recta ratio non probat: concluditur, non id à me ea ratione effici, qua homo sum mente & intelligentia præditus: sed ab insolita concupiscentia, atque inhærente libidinum impetu proficisci.

Sancti ad exprimêdos defectus suos hyperbolica exaggeratione vtuntur.

Sancti etiam concupiscentiæ motus sentiunt, sed non consentiunt.

Vers. 21.22.23.24.25. *Inuenio igitur legem, &c.*] Quocirca ad optima quæque contendens, comperio in me, seu experior aliam legem contrariam mihi, meque impedientem. Scilicet legem, dictamen, imperium concupiscentiæ, quæ mihi in parte animi inferiori *adiacet* perpetuò, intimè est insitum, & inhæret. *Condelector*. exulto, gaudio afficior, cum legis Dei expeto obseruationi studere iuxta interioris hominis, seu superioris partis animi affectum: experior autem (vt dixi) aliam in inferiori legem à tyranna concupiscentia latam, legi mentis repugnantem, & *captiuantem me*, non voluntatis assensu, sed passionum commotione: vt etiam inuitus ac reluctans cogar vitiosas concupiscentiæ inclinationes, dignamina, impulsusque sentire, licet non assentire. *Infelix ego homo*, Græcè *miser*, & ærumnosus, quisnam me liberabit de corpore mortis huius, seu de moribundo hoc corpore, & mortalis huius vitæ miseriis, & nominatim tot prauis affectibus obnoxiæ. * Innuit Apostolus luctam hanc mentis & carnis finem non accepturam, priusquàm mortali hac vita perfuncti fuerimus. Nè confides, te in senectute esse ab hac impugnatione liberandum.] *Gratia* quidem *Dei*, seu gratuita misericordia Christi meritorum intuitu nos ab omnibus miseriis expediens, & vita nos donans immortali, poterit solùm nos ab interminabili, dum viuimus, impugnatione liberare. Interea autem dum mors adhuc differtur, saltem *mente*, seu parte animæ superiore, fideliter legi Dei seruiam, etsi *carne*, seu parte inferiore, vel sensitiua cogar sæpius seruire *legi peccati*, siue concupiscentiæ imperio.

Dum vita fingimur, à côcupiscentiæ haud possimus impugnatione liberari.

CAPVT VIII.

Contra concupiſcentiæ præfata nocumenta vires gratia Chriſti deſcribit Apoſtolus.

1. NIHIL ergo nunc damnationis eſt iis, qui ſunt in Chriſto
Ieſu, qui non ſecundùm carnem ambulant. 2. Lex enim
ſpiritus vitæ in Chriſto Ieſu liberauit me à lege peccati &
mortis. 3. Nam quod impoſſibile erat legi, in quo infir-
mabatur per carnem: Deus filium ſuum mittens in ſimilitudi-
nem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in car-
ne, 4. vt iuſtificatio legis impleretur in nobis, qui non
ſecundùm carnem ambulamus, ſed ſecundùm ſpiritum. 5. Qui enim ſecun-
dùm carnem ſunt: quæ carnis ſunt, ſapiunt: qui verò ſecundùm ſpiritum ſunt: quæ
ſunt ſpiritus, ſentiunt. 6. Nam prudentia carnis, mors eſt: prudentia autem ſpi-
ritus, vita & pax. 7. quoniam ſapientia carnis inimica eſt Deo: legi enim Dei
non eſt ſubiecta: nec enim poteſt. 8. Qui autem in carne ſunt, Deo placere non
poſſunt. 9. Vos autem in carne non eſtis, ſed in ſpiritu: ſi tamen ſpiritus Dei ha-
bitat in vobis. Si quis autem Spiritum Chriſti non habet, hic non eſt eius. 10. Si
autem Chriſtus in vobis eſt: corpus quidem mortuum eſt propter peccatum, ſpi-
ritus verò viuit propter iuſtificationem. 11. Quòd ſi Spiritus eius, qui ſuſcitauit
Ieſum à mortuis, habitat in vobis: qui ſuſcitauit Ieſum Chriſtum à mortuis, viuifi-
cabit & mortalia corpora veſtra, propter inhabitantem Spiritum eius in vobis.
12. Ergo fratres, debitores ſumus non carni, vt ſecundùm carnem viuamus.
13. Si enim ſecundùm carnem vixeritis, moriemini: ſi autem ſpiritu facta carnis
mortificaueritis, viuetis. 14. Quicumque enim ſpiritu Dei aguntur, ij ſunt filij
Dei. 15. Non enim accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterùm in timore, ſed accepiſtis
ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba (Pater.) 16. Ipſe enim
Spiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quòd ſumus filij Dei. 17. Si autem
filij, & heredes: heredes quidem Dei, coheredes autem Chriſti: ſi tamen com-
patimur, vt & conglorificemur. 18. Exiſtimo enim, quòd non ſunt con-
dignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.
19. Nam expectatio creaturæ, reuelationem filiorum Dei expectat. 20. Vani-
tati enim creatura ſubiecta eſt, non volens, ſed propter eum, qui ſubiecit eam in
ſpe: 21. quia & ipſa creatura liberabitur à ſeruitute corruptionis, in libertatem
gloriæ filiorum Dei. 22. Scimus enim quòd omnis creatura ingemiſcit, &
parturit vſque adhuc. 23. Non ſolum autem illa, ſed & nos ipſi primitias ſpiritus
habentes: & ipſi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei expectantes, re-
demptionem corporis noſtri. 24. Spe enim ſalui facti ſumus. Spes autem quæ
videtur, non eſt ſpes: nam quod videt quis, quid ſperat? 25. Si autem quod non
videmus, ſperamus: per patientiam expectamus. 26. Similiter autem & Spiritus
adiuuat infirmitatem noſtram: nam quid oremus, ſicut oportet, neſcimus: ſed
ipſe Spiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. 27. Qui autem ſcruta-
tur corda, ſcit quid deſideret Spiritus: quia ſecundùm Deum poſtulat pro ſan-
ctis. 28. Scimus autem quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bo-
num, iis, qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt ſancti. 29. Nam quos præſciuit,
& prædeſtinauit conformes fieri imaginis Filij ſui, vt ſit ipſe primogenitus in
multis fratribus. 30. Quos autem prædeſtinauit, hos & vocauit: & quos voca-
uit, hos & iuſtificauit: quos autem iuſtificauit, illos & glorificauit. 31. Quid
ergo dicemus ad hæc? ſi Deus pro nobis, quis contra nos? 32. Qui etiam pro-
prio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum: quomo-
do non etiam cum illo omnia nobis donauit? 33. Quis accuſabit aduerſus ele-
ctos Dei? Deus qui iuſtificat, 34. quis eſt qui condemnet? Chriſtus Ieſus, qui
mortuus eſt, immò qui & reſurrexit, qui eſt ad dexteram Dei, qui etiam in-
terpellat

terpellat pro nobis. 35. Quis ergo nos separabit à charitate Christi? tribulatio?
an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius?
36. (sicut scriptum est: Quia propter te mortificamur tota die: æstimati sumus
sicut oues occisionis.) 37. Sed in his omnibus superamus, propter eum qui di-
lexit nos. 38. Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, ne-
que principatus, neque virtutes, neque instantia: neque futura, neque fortitu-
do, 39. neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos sepa-
rare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.

COMMENTARII.

1\. *Christi gratia contra concupiscentiam vires præstat.*

VERS. 1. 2. 3. 4. *Nihil ergo nunc damnationis est iis, &c.*] Nulla igitur ratione motus illi qui à concupiscentia ortum habent, vitio vertuntur: vnde damnationis periculum nullum imminet iis, qui Christo Iesu hærentes non iuxta carnis, sed iuxta spiritus placitum incedunt. *Lex enim* illius vitalis spiritus, qui Christo acceptus referri debet, me à peccati & mortis lege liberauit, vires præstans, vt intestinam impugnationem fortiter superarem. *Nam quod impossibile erat*, omni alteri legi tam naturali, quam Mosaicæ, quatenus, & quia *infirmabatur*, seu infirma erat partim propter carentiam gratiæ, & auxilij ad id necessarij; partim *per carnem*, seu propter naturam humanam nimis infectam, & immersam concupiscentiis, & peccatis, quæ lex per se tollere non poterat. Vnde Deus misericordia motus misit in mundum Filium suum *in similitudinem carnis peccati*, seu peccatricis, id est, indutum carne, id est, humana natura, quæ similis esset carni peccatrici aliorum hominum. Qua indutus Christus *de peccato damnauit peccatum in carne*, in est, per oblationem carnis suæ in cruce, damnauit peccatum, & dominio, quod instar tyranni in omnes homines vsurpabat, spoliauit: idque propter grauissimum peccatum à peccato admissum, nempe propter vim iniustè illatam Filio Dei, qua Agnum innocentissimum interemit, eo quod videret illum carnis peccati similitudinem habere. Est prosopopeia. Quasi diceret: Iustè priuauit Christus peccatum dominio suo, eo quod dominium non suum vsurpauit. * Iustè priuatur suis bonis, qui in alie- na iniustè manum extendit. Sæpè videris, eum qui aliena bona iniquè possedit, demum propriis bonis absumptis, misera inopia laborare.] Duo itaque tyranni peccatum & mors de possessione Regni, quod inuaserant, per Christum fuére deturbati. *Vt iustificatio legis*, seu vt remissio peccatorum, iustitia, & sanctitas, quam lex Mosaica præscribebat, & exigebat, nec tamen per se præstabat: per legem ac gratiam Christi *in nobis compleretur*, seu perficeretur: in nobis, inquam, qui non iuxta carnis placitum, sed iuxta spiritus præscriptum incedimus.

Propriis bonis priuatur, qui iniustè possidet aliena.

Vers. 5. 6. 7. 8. *Qui enim secundum carnem sunt, &c.*] Nam qui sese carni conformant, ij profectò quæ carnis sunt *sapiunt*: qui verò sectantur spiritum, ij spiritualia curant, & sedulo meditantur. * Preme illud. *Quæ carnis sunt, sapiunt.* Videris homines voluptatis carnis addictos adeò intellectu stupidos, vt nihil aliud sapere videantur, ad impudicum sermonem valde diserti, ad scribendũ de cęco amore eloquentes: & ad vtiliaque sese prudentiæ inopes ostentantur. Solùm enim Veneris facultatem didicerunt, vnde solùm *quæ carnalia sunt, sapiunt.*] *Nam prudentia*, & Sapientia carnis, quæ cupiditatis imperium sequitur, mors quidem est, & ideò ea quæ ad mortem ducunt, sapit: Spiritus verò prudentia, quæ cælesti instinctu mouetur, vita planè est, ideóque quæ ad vitam dirigunt, sapit *Quoniam Sapientia carnis, &c.*] Certè carnis Sapientia, quæ diuinæ legi neque subiicitur, neque subiici potest tanta est eius peruersitas) inimicitias aduersus Deum exercet. * Illud annota: *Legi Dei non est subiecta, nec potest* illi subiici, quia prorsus illi repugnat, sicut igni aqua. Portò qui iuxta desideria carnalia viuit adeo solet voluptatibus hærescere, vt quodammodo ab eis semoueri non possit. Tanta est difficultas reductionis in voluptatum sectatore.] *Qui autem* carnis affectionibus & sordidis voluptatibus tenentur impliciti, Deo, cui omnis fœda libido exosa est, placere non valeat.

Carnis voluptatib' ad-dicti solùm Sapiẽtes sunt circa ea, quæ carnem sapiunt.

Voluptatum sectator difficilmè ad meliorẽ frugem reducitur.

Vers. 9. 10. 11. 12. 13. *Vos autem in carne non estis, &c.*] Vos quidem ô fratres, ex horum carnalium numero non estis, sed potius inter eos recensendi, qui sese totos spiritui colendo: si modo in vobis Dei spiritus inest. Nam qui hoc Christi spiritu destituitur, hic inter eius sectatores nequit annumerari. *Si autem Christus* in vobis habitat, per spiritum suum, etsi corpus vilior pars vestri *mortuum*, seu mortis necessitati sit obnoxium ita certo & breui vt ex tunc pro mortuo habeatur) idque propter peccatum, seu peccati merito talem pœnam deposcentis: iam spiritus vester viuit vita spirituali gratiæ *propter iustificationem*, id est, propter iustificantem gratiam, quam in anima vestra producit, fouet, & continuò auget spiritus Christi, qui in vobis habitat. Quod *si spiritus illius*, qui Iesum à mortuis excitauit, in vobis adest; is profectò, qui Christum reuocauit ad viuos, ipsis etiam corporibus vestris morti obnoxiis vi Dominici spiritus, qui in vobis habitat, seu propter Christi merita vitam impertiet immortalem. *Ergo fratres*, debitores sumus non quidem carni, vt ad ipsius præscriptum vitam instituamus: sed potius spiritui omnia studia litare debemus magis ac magis perficiendo. *Si enim* carni, eiusque prauis cupiditatibus obtemperaueritis, geminam mortem contrahetis, & hanc, quæ spirituali vitæ aduersatur: & illam, quæ impios ad tartara detrudet. At si spiritu affectiones carnis compresseritis, duplici vita donabimini, vna quæ à gratia oritur, altera cælesti, ac plenè beata.

Verſ. 14.15.16.17. Quicunque enim, &c.] Quotquot enim ducuntur Dei ſpiritu, carnis ſeruitute ablegata, ij ſunt filij Dei, quorum vos cœtui aggregatos iam eſſe haud quidem dubito. *Non enim accepiſtis* ſeruilem illum ſpiritum quo, metu perurgente, quaſi iugo quodam iterum premamini? Sed repleti eſtis ſpiritu illo adoptante, per quem id etiam aſſecuti eſtis, vt ipſum Deum parentis nomine vere poſſitis compellare, *Abba* ſcilicet, qui *Patrem tenerrimum* ſignificat. Inuocamus itaque Deum non ſicut ſerui herum ſuum: puta cum timore, & affectu ſeruili, ſed ſicut filij amantiſſimum nempe filiali, fiduciali, ac tenerrimo affectu. * Profectò qui ſpiritualibus exercitamentis ſtudet omnino à carnalibus voluptatibus abſtractus, tam tenerè à Patre Deo diligitur, vt Patrem eum tenerrimum & ipſe nominet, & experiatur.] *Ipſe enim Spiritus* ſanctus in nobis habitans documentum reddit ſpiritui ſeu menti noſtræ, quod ſumus non mancipia, ſed Dei filij. * Quodnam quæſo, hoc Spiritus ſancti teſtimonium? Crediderim eſſe experimentum internæ pacis, & tranquillitatis conſcientiæ nullis (quod ſciamus) lethalibus peccatis obnoxiæ: ſimul & deſiderij, ad promptè, & ex puro amore Deo ſeruiendum. Hinc probabiliter admodum nos Dei eſſe filios coniectabimus.] *Si autem filij* ſumus verè, & non modo appellamur: certum eſt, etiam nos hæreditate iure potiri: vt ſcilicet ſimus ſimul cum Chriſto cæleſtis hæreditatis participes; ſi modò cum illo patimur, vt vna cum illo gloriam aſſequamur. Duo igitur requiruntur ad hæreditatem illam aſſequendam. * Vnum, vt *ſimus* veraciter & reipſa filij Dei, non ſolum nomine. Multi enim illud verbum vſurpant: *Pater noſter, qui es in cælis*, & Dei ſunt veraciter hoſtes. Sicut diues ille, qui in tartaro clamitabat: *Pater Abraham*, cuius charitatis erat hoſtis.] * Alterùm hic cum Chriſto ſimul patiamur. Non enim inire cælum poſſumus niſi Chriſtum præeuntem ſequamur: nemo autem Chriſtum cruciferum ſine cruce ſequitur.

Qui à carnis voluptatibus abſtinet, Deum poteſt Patrē tenerrimum appellare.

Probabilis coniectura, quod ſimus in gratia.

Ad Dei hæreditatem aſſequendam debemus veraciter Dei eſſe filij.

Et Chriſtum cruciferum cruciferi ſequi.

Verſ. 18. 19. 20. 21. 22. 23. Exiſtimo enim &c.] Ego enim ſic ſentio, & id mihi indubitatum minimè eſſe paria, quæ in præſenti toleramus, futuræ illi immortali gloriæ, quæ nobis aliquando retecta palam à iuſto omnium Iudice Deo nobis retribuetur. Profectò quatenus ſunt paſſiones ex Chriſti gratia toleratæ, ipſiuſque meritis innixæ, prorsùs *condignæ ſunt* ad futuram gloriam: ex ſe autem hoc non habent, (cum nimis improportionatæ ſint) ſed ex gratuito decreto, beneplacito, ac promiſſo Dei. *Nam expectatio creaturæ* expectat reuelationem gloriæ filiorum Dei. Græcum ſignificat ſolicitam & anxiam expectationem. Vndè non dicit ſimpliciter Paulus, *Creatura expectat*, ſed, *Expectatio creaturæ expectat.* * Vt innuatur, quam expectabilis debeat eſſe iuſtis ille dies, in quo Dei gloria reuelabitur: à cuius expectatione longè (heu.) verſantur, qui caducis huius mundi bonis inhærent.] *Omnis*, inquit, *creatura*. Non ſolùm homines, ſed & cæli, elementa, cæteraque omnia creata licet inſenſibilia; tamen auidiſſimè naturali appetitu præſtolantur tempus, quo filij Dei æterna gloria donabuntur, nempe vt vna cum eis, quibus tanquam dominis ſeruierunt, ipſa etiam gloriam ſuam (nempè renouationem, & vltimam perfectionem) accipiant. * Tanta quippe eſt, diei reſurrectionis generalis gloria, vt etiam inſenſibilibus creatoris ſit vtilis, & quodammodo optabilis.] *Vanitati enim, &c.*] Creatura enim perpetuæ vanitati vita hac durante ſubiicitur, ſeu continuæ mutationi, corruptioni, & tot ſeruilibus laboribus, quibus in hominum obſequiis ſe impendit, non quidem *volens*, non ſua ſponte (quia, ſignaturam ſpectes, omnis res appetit ſtabiliter conſeruari, & odit corrumpi) ſed propter Deum diuinamque ordinationem. Deus enim ſubiecit creaturam huic vanitati & ſeruitio ad tempus, facta illi certa *ſpe* liberationis, & commutationis in melius, quæ quidem illi in vniuerſali reſurrectione continget. * *Vanitati*, ait, *creatura ſubiecta eſt*, dum vita hæc corruptibilis tranſit. Quia omnia tranſitoria vanitas quidem ſunt.] * Addit, *Non volens*, vt corripiat hominum ingenia, qui *volentes* non eos pudeat vanitati hac delectari, cui inſenſibilia non volentia, ſed quaſi violentia affecta ſubiiciuntur] Attamen non ſolùm homines iuſti, ſed & ipſa inſenſibilis creatura liberabitur à ſeruitute huius corruptionis, & tranſibit *in libertatem gloriæ*, id eſt, ad communicationem quodammodo glorioſæ libertatis filiorum Dei. *Scimus enim*, hanc rerum creatarum vniuerſitatem hactenus ſuſpirare, & ingemiſcere, & quodammodo parturientium tolerare cruciatus propter ſuæ immutationis dilationem. * Vt carpant homines tanta brutalitate laborantes, qui expetunt diuturnam, & (ſi poſſent) æternam ſibi huius mortalitatis eſſe vanitatem.] *Non ſolum autem* creatura, quin etiam nos, qui primitias ſpiritus, & primum veluti guſtum futuræ felicitatis delibauimus, taciti nobiſcum ſuſpiramus, & ingemiſcimus *adoptionem*, ſeu extremam illam corporis noſtri inſtaurationem expectantes, quam ſuo tempore certo futuram ſperamus. * Qui æternam corporis inſtaurationem ſperat, debet id temporali laborum deſtructioni exponere.]

Dies generalis reſurrectionis expectabilis iuſtis.

Tanta diei reſurrectionis generalis gloria, vt vel creaturis inanimatis futurus ſit vtilis, & quodammodo optabilis.

Omnia tranſitoria vanitas.

Homo volens vanitati ſæculi ſubiicitur, cui inſenſibilia *nō volentia* parent.

Carpūtur qui hic cupiunt diù admodum viuere.

Qui vult æterna corporis inſtauratione donari, corpus téporali deſtructioni exponat.

Verſ. 24.25.26.27. Spe enim ſalui, &c.] Nec mirum ſi nunc gemitus edamus huiuſmodi. Quia dum *ſpe* ſola ſalutem ſumus aſſecuti, nondum re ipſa ea potimur felicitate. Porrò ſpes ſi ob oculos poneret id quod ſperatur, ſpes nullatenus poſſet appellari; nam quis ſperet id, quod iam poſſidet, aut oculis aſpectat? Ergo ſi ſperamus animi beatitudinem, & corporis inſtaurationem, id minimè poſſidemus. Quid itaque mirum, ſi in lachrymarum valle lachrymas profundamus? *Si autem* ea ſperamus, quæ ab aſpectu noſtro ſunt remota: neceſſe eſt profectò patienter expectare, quæ aliquando procul dubio euenient, ſi vt filij Dei viuimus, Dei filij moriamur. *Similiter autem &* ſpiritus ſua diuina vi noſtram ſubleuat infirmitatem. Nam cum nos rebus aduerſis oppreſſi, ancipiti cogitatione ſæpè ita diſtrahamur, vt neque quid precandum ſit, neque certam precandi rationem teneamus: ipſe ille ſpiritus, cuius primitias deguſtauimus, qui nobis eam fiduciam impertit, & perpetuam ac ſingularem noſtri curam exerit: poſtulat apud Deum, interpellat, & vti diligentiſſimus aduocatus clientum ſuorum deſideria in conſpectu

SS. Trinitatis exponit, *gemitibus inenarrabilibus*. Id est, tanta instantia, & ardore pro nobis intercedit, quanta haud possit enarrari, aut exponi. * Vndè ediscimus quàm simus spiritui sancto debitores, qui in causis nostris aduocatum agat, Iudicem agere quodammodò desinit. } *Qui autem* omnium corda scrutatur, Deus probè nouit, quæ preces, quæque suspiria à spiritus sui afflatu à nobis procedant (Nam cum pro nobis intercedit gemitibus huiusmodi nos docet quonammodo debeamus orare, & gemere.) & approbat eum sensum, qui à spiritu cietur, quo excitat homines, vt à Deo precentur, quæ sunt & sanctitati, & eius voluntati maximè consentanea.

> Spiritus sanctus in causis nostris quodammodo iudicem agere desinit, vt agat aduocatum.

Vers. 28. 29. 30. 31. 32. *Scimus autem, &c.*] Nouimus verò, iis, qui Deum amant, æterno eius consilio, & beneplacito vocatis, quæcumque eueniant siue secunda siue aduersa ad ipsorum vtilitatem procul dubio conferre, nullaque ratione eorum salutem posse impediri. * O quàm felix sors iustorum, quibus nec ipsæ calamitates, quæ impios comprimunt, noxiæ esse possunt.] *Nam quos* ille admirabili sua prouidentia antè omnem æternitatem approbauit: eosdem incredibili beneuolentia prædestinauit, vt conformes fiant Filij sui imagini: quo ille *in multis fratribus primogenitus* esset. *Quos autem* prædestinare dignatus fuit, eosdem etiam vocauit: quos verò vocauit, illos quoquè iustificauit: quos profectò iustitia, seu gratia donauit, eos demum gloriæ immortali addixit. *Quid ergo* ad hæc possumus respondere, qui tribulationibus agitamur? Cur ergò animo deiicimur, vel de requie desperamus? si Deus à nobis stat, nostramque salutem sua admirabili prouidentia procurat: quis nobis aduersabitur, vel diuino patrocinio tutos in periculum adducet? *Qui etiam* Filio proprio suo non pepercit, sed pro cunctis nobis cum morti tradidit: qua tandem ratione non etiam cum illo nobis donauit omnia, quæ ad salutem, & gloriam assequendam sua ex parte sunt necessaria, ac simul suæ opis ac prouidentiæ scutum?

> Iustis vel calamitates esse noxiæ non possunt.

Vers. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. *Quis accusabit aduersus electos Dei?* Quisnam itaque hostium accusationem audebit gerere aduersus huiusmodi Dei amicos ab ipso electos in Christi sui socios, & Spiritus sancti aduocati litigatores: Quæcumque volent, audeant obiicere. Deus est, qui clientes suos ab intentata aduersariorum actione absoluit, iustósque pronunciat, quis condemnet, aut reos efficere instet? Profectò *Christus Iesus*, Redemptor noster, qui vt nos ab omni reatu tam culpæ, quam pœnæ expediat mortuus est, nec tamen ita mortuus est impotens nos vlterius adiuuare: nam secundùm diuinitatem & secundùm animam mori non potuit: imò & secundùm corpus resurrexit, & instat soliciti patroni & aduocati pro nobis perpetuò patrem interpellat. *Quis ergò nos separabit Christi*, internus aut externus hostis *à charitate*, fauore, protectione, qua Christus, & Spiritus sanctus per ipsum nos prosequitur? Alij exponunt: Quis nos separabit à charitate, qua nos Christum, vt Deum diligimus? Ac si diceret: Deo tam solicitè nos protegente, vt omnia in nobis in bonum cooperentur, cum debemus adeò firmiter diligere, vt nec tribulatio, nec angustia, seu oppressio, nec fames, nec nuditas, nec vllum periculum, aut persecutio dira vlla nos ab amore tanti largitoris auellat. * Profectò tam replicata Dei beneficia interminabilem à nobis exigunt dilectionis ardentis gratiarum actionem. Ardens enim in Deum amoris affectus quædam est ipsi gratiarum acceptabilis actio.] * *Sicut scriptum est, &c.*} Vt scilicet appareat, quam verè fuerit *Psal.* 43. 22. Quia propter te die tanta *mortificamur*, seu occidimur: facti sumus sicut oues mactationi destinatæ. * Illud enim ipsum sperare periculi incursum, iam illud planè est incurrisse.] *Sed in his omnibus*, plusquam victores sumus fortitudine accepta à Deo, qui nos eximia dilectione est prosequutus. *Certus sum enim*, quia hoc præsidio nitens, ne ipsam quidem mortem, neque vitam, neque Angelos tartareos, neque Potestates tyrannorum, neque instantia incommoda, neque quæ possit obuenire in futurum calamitas. *Neque* sublimitatem, seu res præclaras, & excelsas: neque profunditatem, siuè ea, quæ vilia sunt, & abiecta, nec vllam rem aliam creatam posse nos ab illa charitate, qua nos Deus Christi Iesu intuitu ab æterno dilexit, separare.

> Ardens in Deum amoris affectus est ipsi acceptabilis gratiarum pro beneficiis actio.

> Periculum sperare quodammodo est illud iam incurrisse.

CAPVT IX.

Promissiones Abrahæ factas ad filios spirituales qui credendo in Christum fidem Abrahæ imitantur, pertinere Paulus ostendit.

1\. VERITATEM dico in Christo, non mentior, testimonium mihi perhibente conscientia mea in Spiritu sancto:
2\. quoniam tristitia mihi magna est, & continuus dolor cordi meo. 3. Optabam enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundùm carnem, 4. qui sunt Israëlitæ, quorum adoptio est filiorum, & gloria, & testamentum, & legislatio, & obsequium, &
promissa: 5. quorum patres, & ex quibus est Christus secundùm carnem, qui est

super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen. 6. Non autem quòd exciderit
verbum Dei. Non enim omnes qui ex Israël sunt, ij sunt Israëlitæ: 7. neque
qui semen sunt Abrahæ, omnes filij: sed in Isaac vocabitur tibi semen: 8. id
est, non qui filij carnis, hi filij Dei: sed qui filij sunt promissionis, æstiman-
tur in semine. 9. Promissionis enim verbum hoc est: Secundùm hoc tem-
pus veniam, & erit Saræ filius. 10. Non solùm autem illa: sed & Rebecca ex
vno concubitu habens, Isaac patris nostri. 11. Cùm enim nondum nati fuis-
sent, aut aliquid boni egissent, aut mali, (vt secundùm electionem propositum
Dei maneret) 12. non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei: 13. Quia
maior seruiet minori: sicut scriptum est: Iacob dilexi, Esau autem odio habui.
14. Quid ergo dicemus? numquid iniquitas apud Deum? Absit. 15. Moysi
enim dicit: Miserebor cuius misereor: & misericordiam præstabo cuius misere-
bor. 16. Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei. 17. Di-
cit enim Scriptura Pharaoni. Quia in hoc ipsum excitaui te, vt ostendam in te
virtutem meam: & vt annuntietur nomen meum in vniuersa terra. 18. Ergo cu-
ius vult miseretur, & quem vult indurat. 19. Dicis itaque mihi: Quid adhuc
quæritur; voluntati enim eius quis resistit: 20. O homo, tu quis es, qui respon-
deas Deo? Numquid dicit figmentum ei, qui se finxit: Quid me fecisti sic?
21. Annon habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem
vas in honorem, aliud verò in contumeliam? 22. Quòd si Deus volens ostendere
iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia, vasa iræ, apta
in interitum, 23. vt ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ
præparauit in gloriam. 24. Quos & vocauit nos non solùm ex Iudæis, sed etiam
ex Gentibus, sicut in Osee dicit: 25. Vocabo non plebem meam, plebem
meam, & non dilectam, dilectam: & non misericordiam consecutam, misericor-
diam consecutam. 26. Et erit: In loco, vbi dictum est eis: Non plebs mea vos:
ibi vocabuntur filij Dei viui. 27. Isaias autem clamat pro Israël: Si fuerit nu-
merus filiorum Israël tamquam arena maris, reliquiæ saluæ fient. 28. Verbum
enim consummans, & abbreuians in æquitate: quia verbum breuiatum faciet
Dominus super terram: 29. & sicut prædixit Isaias: Nisi Dominus Sabaoth reli-
quisset nobis semen, sicut Sodoma facti essemus, & sicut Gomorrha similes fuis-
semus. 30. Quid ergo dicemus? Quòd gentes, quæ non sectabantur iustitiam, ap-
prehenderunt iustitiam: iustitiam autem, quæ ex fide est. 31. Israël verò sectando
legem iustitiæ, in legem iustitiæ non peruenit. 32. Quare? Quia non ex fide, sed
quasi ex operibus: offenderunt enim in lapidem offensionis, 33. sicut scriptum
est: Ecce pono in Sion lapidem offensionis, & petram scandali: & omnis, qui credit
in eum, non confundetur.

COMMENTARII.

1. *A Christianos promissiones factæ Abrahæ pertinent.*

VERS. 1.2.3.4.5. *Veritatem dico in Christo, &c.*] Hoc verè ô fratres, possum vobis, Christo teste, affirmare: nec vllo modo mentiar, ipsa, mea conscientia, quæ Spiritum sanctum ducem sequitur, testimonium mihi præbente, me quod sentio solummodò vobis aperire. *Quoniam tristitia, &c.*] Hoc, inquam, vobis possum asserere ingenti me tristitia affici, & animum meum continuo quodam angore, cruciatúque distorqueri, propter id, quod adhuc in corde retinui, dum iam illud cogor penitus propalare: scilicet Iudæos ob incredulitatem à Deo repudio esse affectos. Tantum enim abest, me hoc dicere Iudæorum odio, vt iampridem *optarem anathema esse à Christo pro fratribus meis Iudæis.* Hebræum חרם *cherem* significat totalem *separationem, occisionem, succisionem.* Optabat ergo Paulus heroico quodam excessu (vt olim Moses) in æternum separari à Christo, id est, non à charitate & gratia, sed à persona Christi, seu ab æterna beatitudine futura cum Christo in cœlis, dummodo hac via Iudæi saluarentur. Addit Cassianus *collat.* 32. *cap.* 6. optasse pœnis æternis addici, vt hac via plures saluarentur, & Deum in æternum laudarent. Quod quidem etiam cuiuis sibi optare sub conditione asseruandam Dei gratiam licere, Ludouicus Molina docet 1.*p.quæst.*14. * Liceat mihi ô Paule, asserere, te habuisse huius tam heroici charitatis affectus æmulatorem. D. enim Ignatius meus Pater, qui auditus fuit dicere, si optio daretur, malle se beatitudinis incertum viuere, & Deo inseruire, ac proximorum saluti, quam certum eiusdem gloriæ statim mori. Imo Pauli affectui addidit, hoc cum periculo damnationis quodammodo fieri.] Alij sic exponunt: Optarim anathema esse à Christo quasi deuotum caput abdicari, contumeliis affici, diuturno tempore exul à patria viuere, seu potius mori, pro fratribus meis Iudæis, qui me sanguinis cognatione attingant. Quique sunt ex genere Israelitico, ad quos præcipuè pertinebant tùm ius

Ignatius de Loyola maluit incertus de salute viuere, vt proximorum saluti seruiat, quam certus de gloria statim mori.

D. Pauli heroicus admodum charitatis affectus.

ado

adoptionis, tum illa perilluſtris diuinæ præſentiæ teſſera, quæ arca continebatur, cui diuina Maieſtas inſidebat: fœderis item tabulæ, quæ ad morum præcepta: legiſque conſtitutio, quæ ad iudicia, & ſacros ritus, diu inique cultus cæremonias referebantur: ipſæ denique promiſſiones factæ legis cultoribus. *Quorum patres, &c.*] Qui quidem ad illos primos ſanctiſſimos parentes Abrahamum, Iſaacum, & Iacobum referunt genus ſuum: quique digni habiti ſunt, ex quibus Chriſtus humanam ſibi naturam, inter mortales naſcens, coaptaret, cum alioqui, ſi perſonam diuinam ſpectes, vere Deus eſt, paterque parentum ſuorum exiſtat, omnium quidem præconiis in omnem æternitatem iure optimo celebrandus.

Verſ. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. Non autem quod exciderit verbum, &c.] Porrò hoc, quod ad Iudæorum repudium attinet, non dico, quaſi ideò exciderit, ſeu irritum factum ſit *verbum*, ſiue Dei promiſſum. Veris enim Iſraëlitis pollicitatio hæc facta eſt, nempè iis, qui ſpiritu ſunt Iſraëlitæ, Chriſto Domino hærentes: & in his planè impleta. Certè non omnes, qui ab Iſraële parente noſtro ſunt geniti, ad gentem verè Iſraëliticam pertinent. *Neque* quicumque ſanguinis cognatione Abrahamum attingunt, eo illicò inter veros ac germanos ipſius filios recenſendos eſſe putarim. Verùm id vni Iſaaco iure reſeruatur, cui tanquam non ſolùm ex carne, ſed ex ſpiritu orto filio omnis antiquæ illius benedictionis fructus impenditur. *Id eſt, &c.*] Vt non qui humano ſemine ab eo orti ſont, ſint ideo Dei filij, id eſt, veri Iſraëlitæ digni pollicitationis diuinæ illius participatione. Sed ij dumtaxat filij Abrahæ cenſantur, qui diuinitus electi, ſic vitam probè gerunt, vt ad illam cæleſtem promiſſionem meritò pertinere videantur. *Promiſſionis* autem verbum hoc fuit: *Secundum hoc tempus veniam, & erit Sara filius*, id eſt, hoc ipſo tempore vertente anno reditum agam, & Sara Iſaacci materiam erit. Qui quidem eiuſque poſteri promiſſionis erunt diuinæque benedictionis participes: nos Iſmaëlitæ, neque alij ex Cetura procreandi filij *carnis*, ſeu ſola vi generatiua producti, ſed ſoli Iſaacidæ, qui *ſunt filij promiſſionis*, ſeu qui ex Iſaacco ſingulari Dei promiſſione, & virtute ſuper naturali tibi iam ſeni, & ſterili Saræ conceſſo procreabuntur. *Non ſolùm autem Sara*, ſed & Rebecca idipſum fuit experta, ſcilicet, veros filios cenſeri & hæredes non omnes, qui carnaliter gignuntur, ſed eos ſolos, quod Deus eligere dignatur. Porrò Rebecca ex vno eodemque concubitu ſimul duos concepit, & peperit filios: è quibus tamen ſolus minor, nempe Iacob ad hæreditanda patribus promiſſa bona delectus à Deo fuit: ſenior verò Eſau neglectus, & reiectus. *Cum enim* neuter illorum infantium editus eſſet in lucem, nec quidquam boni aut mali egiſſent, vnde meritorum diſtinctione niti poſſet electio, qua diuinum conſilium ac propoſitum firmaretur: quo altero præterito, alterum ante omnem æternitatem elegit: non quidem ex operibus, quæ nulla erant, nec ex præcognitis, quorum nulla eſt habita ratio: Sed ex ipſa libera vocantis voluntate & conſilio Deus prætulit Iſaaccum Eſau: cuius ratat diuinitùs Rebeccæ editum ab oraculo reſponſum: *Maior ſeruiet minori. Sicut ſcriptum* à Malachia multo poſt legimus: *Iacob dilexi, Eſau autem odio habui.* Maior inquam minori ſeruiet non in ſua perſona ſed in poſteris. Deus autem Iacobum dilexit, ſeu voluit eum in ſua poſteritate copioſè benedicere. Eſau autem odio habuit, ſeu neglexit nolens ſingularia eius poſteritati beneficia conferre. Haud aliter nunc Deus (ait Paulus) Iacob ſeu Chriſtianos, qui ſunt promiſſionis filij, & ſemen Abrahæ ſpirituale quaſi filios dilexi: Eſau verò, ſeu Iudæos incredulos odio habui, repuli, reieci.

Verſ. 14. 15. 16. 17. 18. Quid ergo dicemus, &c.] Cum igitur hæc ita ſe habeant, num poterit quiſquam Deo iniuſtitiæ notam inurere? Abſit. Quis iuſtitiæ rationem exigat, vbi vna dumtaxat diuina liberalitas, & miſericordia cuncta perficiunt? *Moyſi enim* Dominus Exod. 33. 19. *Miſerebor, cuius miſereor: & miſericordiam præſtabo, cuius miſerebor*, ſeu cuiuſcumque voluero. Eiuſmodi electio non eſt opus iuſtitiæ nec cuiquam iure debita: ſed eſt ſolius miſericordiæ, & gratuita: ideoque mihi libera. Poteram enim ſi libuiſſet, bonorum corporalium promiſſorum hæreditatem extendere etiam ad Idumæos. Et pari ratione (nam & hoc quoque in ſenſu ſaltem allegorico Apoſtolus inſinuare voluit) poteram hæreditatem bonorum ſpiritualium de ſalute æterna promiſſorum Abrahæ, extendere etiam ad eos, qui ſola carnali generatione ex Abrahamo & Iacobo eſſent generandi, etſi fidem illorum non æmularentur. Sed vt illud volui, ita nec iſtud placuit. Vtrumque mihi liberum, neutrum vlli eſt iniurium. *Igitur non volentis, &c.*] Igitur benedictio Iſaaci, & quæ hanc conſequebatur hæreditatio bonorum Abrahæ & Iſaaco promiſſorum, non obuenit Eſau, licet Iſaacus id enixe expeteret: & Eſau citiſſime venatum curreret: ſed neque Iacobo ideo obtigit, quod, volente matre, cucurrerit ad gregem, citiuſque hædum patri attulerit, quam Eſau ſuam venationem. Sed quia Deus pro ſuo ſolius beneplacito ſic voluit, ac decreuit: Non itaque *volentis* Iſaaci, & Rebeccæ: nec *currentis* Iacobi, & Eſau. Haud aliter quod illi, qui per fidem in Chriſtum ſpirituales filij ſunt Abrahæ & Iacobi, id eſt, quod Chriſtiani hereditent bona ſpiritualia Patriarchis illis promiſſa, excluſis, qui ſolùm carnales filij ſunt, ſeu Iudæi: non prouenit ex volitione, curſu, vel præuijs meritis horum vel iſtorum, ſeu ex operibus legis Moſaicæ Iudæorum, vel legis naturalis Gentilium; ſed ex ſolo nutu, ac beneplacito Dei volentis, tam nobilem benedictionem, & filiationem rebus naturalibus, vel cæremonialibus alligare: ſed ſolis ſupernaturalibus, nempè fidei & ſpei in Chriſtum tanquam diſpoſitioni ad iuſtitiam (qua filij Dei fiunt) congruæ, & neceſſariæ. *Dicit enim ſcriptura Pharaoni* Exo. 9. 16. *In hoc ipſum* ò Pharao, *excitaui te* non ad peccandum, & mihi rebellandum, ſed ad ſolium Regni occupandum: vt oſtendam in te comprimendo, & puniendo fortitudinem meam; vt ſic toti orbi metus incutiatur. Porrò hæc non fuit primaria, & abſoluta Dei intentio, ſed ſecundaria, & ex hypotheſi: nempe ſi Pharao ſua malitia pœnam fuerit promeritus, Deus namque in omnibus abſolutè

inten

intendit gloriam sapientiam, potentiam, bonitatem suam ostendere! sed cùm hæc possint duplici via ostendi vel misericordię, vel iustitię: viam misericordiæ sæpè pro placito suo absolutè, & determinatè intendit: sed iustitiæ viam nunquam nisi sub conditione, si quis sua culpa fuerit promeritus.* O quàm proprium Dei est misereri? Beneficia gratis impertit: iustitiam verò ad puniendum non nisi crimine prouocatus manifestat.] *Ergo cuius vult* miseretur: vti patuit in Iacobo eiusque posteris; & quem vult *indurat:* vt patuit in Pharaone. *Indurat*, inquam, non directè ac propriè, sed impropriè & indirectè: scilicet, eo ipso, quod non miseretur, sed subtrahit specialia auxilia gratiæ, & permittit peccatorem in sua malitia, ac duritia persistere, ad quam sponte pronum est cor humanum, quando vberiori Dei gratia destituitur.

Propriū Dei est misereri.

Vers. 19.20.21.22.23.24.25.26. *Dices itaque mihi, &c.* Quod si ita res habet, & diuinæ voluntatis cuncta tribenda sunt: Quid ergo (dicet aliquis) causæ esse dicemus, cur Deus hominibus succenseat, seu de eis queratur? Quis enim, quæso, poterit illius voluntati resistere? *O homo* (respondeo obiectioni) quisnam es tu, qui valeas ex aduerso Deo respondere, aut diuinæ actionis rationem exigere? Num dicet figmentum suo fictori: Cur me hunc in modum vas efformasti? *Annon* habet figulus potestatem in lutum, vt ex eadem massa aliud vas ad honestos, aliud verò ad sordidos vsus efficiat? *Quòd si Deus volens, &c.*] Quis verò Deum iniustitiæ insimulare audebit, si ad ostendendam suæ æquitatis veritatem, suamque potentiam palam declarandam ineffabili tolerantia pertulit vasa iræ apta sua peruersitate ad interitum? Econtra verò sit vt palàm omnibus ingentes *gloriæ suæ diuitias* in vasa ad specialem misericordiam electa patefaceret, ea ad vitam æternam, gloriamque beatorum destinauit? Hoc quidem de numero electorum crediderim nos esse, quos Deus non solùm ex Iudæis, verùm etiam ex Gentibus ad fidem abduxit, & Ecclesiæ suæ diuinitus aggregauit. *Sicut in Osea* cap. 2. 24. de Gentibus dixit: Populum, qui meus non erat; populum meum vocabo: & eam gentem, quæ dilecto non erat, eximia charitate complectar: quæque expers misericordiæ videbatur, singularem misericordiam assequetur. *Et erit in loco, &c.*] Itemque futurum est, vt quo in loco populus Gentilis inerat à Deo prorsus alienus, & verè expers religionis, cui Deus dicebat: *Non plebs mea vos:* ibi Dei immortalis filij plurimi ex illo ipso populo annumerentur.

Vers. 27.28.29.30.31.32.33. *Isaias autem clamat, &c.*] Isaias verò *cap.* 22. 22. de Israëlitarum gente in hæc verba prorumpit: Etiamsi fuerit filiorum Israël numerus arenæ maritimæ numero æqualis, *reliquiæ saluæ fient.* vel vt habet Isaias *Conuertentur* ex eo ad Dominum, id est exigua solùm pars. Profectò quod Propheta ad litteram prædicit de Iudæis tempore Ezechiæ Regis Iuda ex clade per Sennacherib Assyriorum tyrannum illata residuis: hoc allegorico, & à Spiritu sancto principaliter intento sensu vult Paulus de Iudæis tempore Christi ad eius cultum conuertendis, & ita saluandis, intelligi. Nam teste eodem Isaia sup. *Consummans, & abreuians est Deus*, seu consummabit & abreuiabit *verbum*, id est, rem de qua agimus; nempe numerum Iudæorum (*in æquitate*, seu prout æquum & iustum erat) ad Christum conuersorum breuem, seu exiguum colliget. Vt verum appareat, quod *cap.* 1.9. dixerat idem Isaias: *Nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis semen*, Sodomæ & Gomorrhæ similes eandem sententiam subeuntes penitus sine reliquia periissemus. *Quid ergo dicemus? &c*] Quidnam igitur ex hac tota disputatione colligendum nobis? Profectò concludimus Gentes, quæ iustitiam non sectabantur, iustitiam aliquando assequutas esse, vt eam quidem iustitiam, quæ ex fide in Christum oritur. * De peccatoris salute non desperes: qui hodie iniustitiæ hæresit, cras, Deo vocante, iustitiæ erit cultor.] Contra verò colligimus ex præfatis, Israëlitas, qui legem Mosaicam sectabantur, quæ ipsis ad comparandam iustitiam data erat, & ipsos eò (si sequi voluissent) manu ducebat ad fidem in Christum: tamen in legem iustitiæ, seu ad fidem Christi verè iustificantem, & extra quam nulla est iustitia & salus, non perueniss e. *Quare?* precor.. Certè non ob aliam causam nisi quod non ipsa fide in Christum, sed legis cæremoniis & operibus, adhuc post fidem nouam promulgatam, niterentur. Offenderunt enim in Christum, quem amplecti noluerunt: & ad illum tanquam ad lapidem allisi contriti fuere. De hoc ipse lapide scriptum legimus Isa.8.4. *Ecce ego ponam in Sion offendiculi lapidem, & scandali petram.* Quisquis autem in illum crediderit, non pudefiet, nec spe suâ frustrabitur, sed certò salutem assequetur. Sed quicumque non crediderit in eum, certò confundetur, & nunquam assequetur iustitiam, vel salutem: quin potius talis lapis iste erit lapis offensionis, occasio lapsus, ruinæ, exitij, & damnationis, non lapidis, sed suomet vitio.

De peccatorum salute non desperandum.

CAPVT

CAPVT X.

Quantum præcellat iustitia fidei in Christum iustitiæ legis, ostendit Apostolus: legis iustitiæ Iudæi adhærescere, Gentilibus illam, quæ ex fide est, amplexantibus.

1. FRATRES, voluntas quidem cordis mei, & obsecratio ad
Deum, fit pro illis in salutem. 2. Testimonium enim per-
hibeo illis, quòd æmulationem Dei habent, sed non secun-
dùm scientiam. 3. Ignorantes enim iustitiam Dei, & suam
quærentes statuere, iustitiæ Dei non sunt subiecti. 4. Fi-
nis enim legis Christus, ad iustitiam omni credenti. 5. Moy-
ses enim scripsit, quoniam iustitiam, quæ ex lege est, qui fe-
cerit homo, viuet in ea. 6. Quæ autem ex fide est iustitia, sic dicit: Ne dixeris
in corde tuo: quis ascendet in cælum? id est, Christum deducere: 7. Aut quis
descendet in abyssum? hoc est, Christum à mortuis reuocare. 8. Sed quid dicit
Scriptura? Propè est verbum in ore tuo, & in corde tuo: hoc est verbum fidei,
quod prædicamus. 9. Quia si confitearis in ore tuo Dominum Iesum, & in corde
tuo credideris, quod Deus illum suscitauit à mortuis, saluus eris. 10. Corde enim
creditur ad iustitiam: ore autem confessio fit ad salutem. 11. Dicit enim Scriptu-
ra, Omnis, qui credit in illum, non confundetur. 12. Non enim est distin-
ctio Iudæi & Græci: nam idem Dominus omnium, diues in omnes qui inuocant
illum. 13. Omnis enim, quicumque inuocauerit, nomen Domini, saluus erit.
14. Quomodo ergo inuocabunt, in quem non crediderunt? Aut quomodo cre-
dent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante; 15. Quo-
modo verò prædicabunt nisi mittantur? sicut scriptum est: Quam speciosi
pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona! 16. Sed non omnes obe-
diunt Euangelio, Isaias enim dicit: Domine quis credidit auditui nostro? 17. Er-
go fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi. 18. Sed dico: Numquid
non audierunt? Et quidem in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis
terræ verba eorum. 19. Sed dico: Numquid Israël non cognouit? Primus Moy-
ses dicit: Ego ad æmulationem vos adducam in non gentem: in gentem insipien-
tem, in iram vos mittam. 20. Isaias autem audet, & dicit: Inuentus sum à non
quærentibus me: palam apparui iis, qui me non interrogabant. 21. Ad Israël au-
tem dicit: Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, & contradi-
centem.

COMMENTARII.

1. *Quantum præcellat iustitia fidei in Christum legis iustitia.*

VERS. 1.2.3.4.5.6.7. *Fratres, voluntas quidem cordis mei, &c.*] Fratres, ego quidem magna animi propensione, ac studio ergà Iudæos afficior: & pro eorum salute assiduas ad Deum preces effundo: tantum abest, vt quæ hactenus de eorum repulsa scripsi, ex odio prodierint. * Sancti enim præscindere norunt: in peccatore humanam diligunt naturam, odio crimina prosequuntur. Ideo dicit: *Voluntas cordis mei pro illis.*] *Testimonium enim. &c.*] Hoc enim de ipsis ex animo affirmarim, recto Dei zelo illos moueri, & diuinarum rerum studio duci ratos, vetera illa sacra, & cæremonias religiosè retinendas: adeóque Euangelij fidem tanquam iis

In peccatore ama hominē odio prosequere peccatum.

auersam esse repudiandam. Negare tamen non possum eorum hac quidem in re scientiam & prudentiam omnino deficere. *Ignorantes enim* Dei iustitiam, quæ vere nos iustos reddit: & suam iustitiam ex lege sinè Christo statuere curantes, vera sese iustitia à Deo imbuendos minime exhibuere. *Finis enim legis*, & eius perfectio est Christus, à quo iustitiam sperare debent omnes, qui diuinæ fidei præceptis obtemperant. Ad illum namque vniuersa lex Mosis referebatur. *Moyses enim* iustitiam, quæ ex lege est, hisce verbis describit: Qui præstiterit ea, quæ lege imperantur, per illa viuet. Sic enim in Leuitico *cap.* 18.15. legimus: *Custodite leges meas, atque iudicia*, quæ faciens homo, *viuet in eis*: hoc est, assequetur vitam temporalem seu corporalem: spiritualem autem, & æternam non promittit lex nisi per Christum. *Quæ autem ex fide est, &c.*] Porrò de iustitia, quæ est per fidem in Chri-

stum idem dicit: *Ne dixeris in corde* tuo: *Quis ascendet in cælum, id est, Christum deducere.* Haud velim existimes, ad iustitiam per fidem in Christum assequendam necessariam tibi esse corporalem Christi præsentiam. Dixit enim Moses: Ne dixeris in corde tuo, neque solicitus, aut anxius quæras: Quis mihi ad iustitiam à Christo comparandam, ascendet ad ipsum in cælum? id est iuxtà sensum allegoricum: Quis eò ascendet, Christum indè deducturus, ad me sua corporali præsentia curandum, & iustificandum? Aut quis descendet in abyssum, vel in subterraneos specus, in sepulchrum, vel in limbum Patrum? Hoc est, Quis eò descendet, Christum à mortuis (si forsan apud illos versetur) in orbem reuocaturus?

Vers. 8.9.10.11.12.13. *Sed quid dicit Scriptura? &c.*] Non est profectò quòd te crucies, aut quod anxietate afficiaris. Nam quod Scriptura de lege Mosaica dicit, hoc in legem Christi, & iustificationem per Christum longe verius quadrat. *Propè est verbum*, seu res tibi facilis est, in promptu, & ad manum, nec alibi quærenda nisi in *corde tuo, & ore tuo*: facillima est iustificationis & saluationis tibi via. Nam *hoc est verbum fidei*, seu ad hæc pauca reuocatur totum Euangelium, quod vobis tanquam necessarium ad iustitiam, & salutem assequendam prædicamus. *Quia si corde* credas in Christum Dei Filium per te incarnatum, mortuum, & resuscitatum: & *ore* id ipsum profitearis, salutem consequeris. *Corde enim*, id est intellectu ex imperio volútatis in Christum creditur ad iustitiam obtinendam; ad salutem autem assequendam, debet etiam ore & opere externo fieri confessio, seu professio fidei, quandocumque res exigit. *Dicit enim Scriptura*: Isa. 28.16. *Omnis qui sic credit in illum*, siue Iudæus fuerit, siue Gentilis, *non confundetur*, non frustrabitur sua fide, & spe, sed salutem speratam procul dubio assequetur. *Non enim est* in hoc vlla (licet vos contrarium arbitremini) distinctio *Iudæi & Græci*, seu Gentilis. Nam idem, & communis omnium Dominus æquali affectu *diues*, seu largus & munificus in omnes homines & nationes, dummodò qua decet fide, spe, & charitate *illum inuocent*, eiusque gratiam, & opem implorent, * Oratio origóne est nostri spiritualis profectus. Annon verius dixisset: Diues est in omnes, qui opera egregia, in eius obsequium exponunt? Certe oratio adeò est cælesti Numini grata, vt quasi abstrahens ab aliis virtutis operibus diuitiæ eius in innocationem, seu orationem profundantur.] * Non verò me fugit, ex Patrum sententia hîc sub *inuocationis*, seu orationis nomine intelligi non solùm opis diuinæ implorationem: sed etiam gratiarum actionem, laudem, adorationem, sacrificium, votum, Martyrium, omnémque externum, & internum Dei cultum. Hinc autem vberius orationis præstantiam intelligo, quæ quidem quodammodò egregiarum tot virtutum epilogus est.

Adeo grata est Deo oratio, vt eius in eam diuitiæ profundantur.

Oratio quasi virtutũ epilogus.

Vers. 14.15.16.17. *Quomodò ergo, &c.* Quonammodo igitur Gentiles etiam nomen Dñi, in quem nondum credidere, inuocabunt, imò de quo nihil adhuc audierunt. Quomodò autem audient sine prædicante? Cur ergo mihi ô Iudæi succenseris, quo Gentibus euangelizem, eisque communicem gratias à Christo concessas? *Quomodo verò* vel ego, vel alij Euangelij præcones illud prædicare poterunt, nisi ad id ministerium immittantur? Nam absque legitima missione seu destinatione Dei ad tale munus non licet vlli id vsurpare: cum nullus possit esse legatus nisi missus ab eo, cuius legatus est, vndè illa Dei querela Ie. 29.9. *Non mittebam eos & ipsi currebant.* Ex quo innuit Apostolus, se iussu, ac missu Dei Gentibus Euangelium prædicare. * Multi non missi à Deo sese vltro prædicationi ingerunt: quomodo autem hi vtiliter *prædicabunt*, nisi mittantur.] Porrò pro eis, qui à Deo immissi proferunt sacrum verbum, *scriptum est* Isa. 52.7. *Quàm speciosi pedes Euangelizantium pacem, euangelizantium bona.* Quàm scilicet suauis, quàm gratus, quam vtilis aduentus, discursus, labor Concionatorum, omnibus pacem & bona omnis generis per Christum nobis procurata suis auditoribus afferentium, scilicet peccatorum remissionem, gratiam, dona Spiritus sancti, &c. *Sed* si tam speciosus, & gratus est eorum aduentus, cur non omnes credunt illis, & Euangelio obediunt? & cur speciatim ex Iudæis tam pauci ad id afficiuntur conformiter querelæ Isaiæ *cap.* 53.1. *Quis.* seu quotus quisque Iudæorum credidit *auditui nostro.* id est Euangelio, quod nos Apostoli ex ore Christi audiuimus, & Iudæi postmodum ex ore nostro audierunt? Pauci admodum.

Qui non missi prædicant, fructum non referunt.

Vers. 17.18.19.20.21. *Ergò fides ex auditu, &c.*] Vndenam, quæso, hoc illis malum accidit? Certè fides nascitur ex auditu, seu ex audito Euangelio. Auditur vero Euangelium per verbum Christi, id est, per prædicationem de Christo, quæ commissa est Apostolis, & aliis Apostolicis viris. *Sed dico*, seu requiro: An hæc prædicatio Iudæis defuerit? Annon illam tot iam continuis annis audierunt partim ipsiusmet Christi ex ore, partim ex Apostolorum aliorumque præconum Euangelij eloquio? Num fortè *sonus eorum*, qui ad vltimos vsque *fines orbis terræ* penetrauit, solos Iudæos latet? Quod Dauit Psal. 18.5. de cælis ad litteram dixerat, allegoricè Paulus Euangelij præconibus accommodat: *sed dico* adhuc, seu rogito. *Numquid Israel non cognouit*, fidem veram esse Gentilibus prædicandam? Profectò id Moses prædixit Deut. 32. 21. *Ego ad æmulationem vos adducam in non gentem: in gentem insipientem, in iram vos mittam.* Afficiemini æmulatione, inuidia, & ira ô Iudæi, aduersus Gentiles occasione Euangelij de Messiæ ipsis euulgati, & ab ipsis acceptati. Indignantur quidem admodùm Iudæi, hoc beneficium delatum esse Gentilibus, quos ob pristinam idololatriam vocant *gentem insipientem*, imò *non gentem*, seu nomine gentis indignam. * Profectò homo insipiens quasi non homo dici potest, cum potius ad bruta animantia pertinere videatur.] Certè qui ob delatum Gentilibus Euangelium tam grauiter indignantur, ipsimet Euangelium cognouerunt. Sed causa incredulitatis Iudæorum minimè latet. *Isaias* enim eam *audet* manifestè in lucē proferre nihil veritus contribulium suorum offensionem. * *Audet* inquit, *& dicit.* Ad dicendum enim veritatem pia audacia Concionator indiget. Veritas enim amara est peccatoribus eosque sæpè ad indignationem aduersus illius præconem, eorum vitio, abripit.] *Inuentus sum* (Inquit cap. 65.2. & 3.) *à non quærentibus me: palam apparui ijs, qui me non interrogabant.* In persona Christi Iudæis exprobrat:

Homo insipiens quasi non homo.

Pia audacia indiget Cõcionator, vt veritatē prædicet peccatoribus.

brat: Gentiles, qui antè de me suis intenti idolis nihil interrogabât, & an essem minime dignoscebant: simul atque per Apostolos meos ipsis palam apparui seu innotui: mox summo studio me quæsierunt, nec prius destitere, quam perfectè inuentus sum illis Redemptor, ac Saluator. *Ad Israël autem dicit* cap. 65. 2. *Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, & contradicentem.* Israëliticus populus tot hominibus meus, ad quem semper expandi ambas manus meas, & vlnas, quem arctissimo affectu vti primogenitum sum complexus, quem beneficiis manibus apertis perpetuò prosequor: ad quem etiam corporales has manus in ligno crucis expansas, quanta potui charitate protendi, vt vltrò moriens ad sinum meum allicerem: nihil ad hæc omnia attendens, incredibili obstinatione in perfidia permansit. Et quasi hoc parum esset, vbique mihi meisque se opponens contradicit. Hæc obstinatio causa est præsentis incredulitatis, & consequenter illius exitij.

CAPVT XI.

Reiectum à iustitia & salute ob incredulitatem populum Iudæorum asserit. Attamen posse conuerti, addit imò multos esse conuersos, & in mundi fine reliquos omnes, qui vixerint, conuertendos.

1. DIco ergo: Numquid Deus repulit populum suum? Absit
Nam & ego Israëlita sum ex semine Abraham, de tribu Beniamin: 2. Non repulit Deus plebem suam, quam præsciuit. An nescitis in Elia quid dicit Scriptura: quemadmodum interpellat Deum aduersum Israël? 3. Domine Prophetas tuos occiderunt, altaria tua suffoderunt: & ego relictus sum solus, & quærunt animam meam. 4. Sed quid dicit illi diuinum responsum? Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curuauerunt genua ante Baal. 5. Sic ergo & in hoc tempore, reliquiæ secundùm electionem gratiæ saluæ factæ sunt. 6. Si autem gratia, iam non ex operibus: alioquin gratia iam non est gratia. 7. Quid ergo? quod quærebat Israël, hoc non est consecutus: electio autem consecuta est: cæteri verò excæcati sunt. 8. sicut scriptum est: Dedit illis Deus spiritum compunctionis: oculos vt non videant, & aures vt non audiant, vsque in hodiernum diem. 9. Et Dauid dicit: Fiat mensa eorum in laqueum, & in captionem, & in scandalum, & in retributionem illis. 10. Obscurentur oculi eorum ne videant: & dorsum eorum semper incurua. 11. Dico ergo: Numquid sic offenderunt vt caderent? Absit. Sed illorum delicto, salus est Gentibus vt illos æmulentur. 12. Quòd si delictum illorum diuitiæ sint mundi, & diminutio eorum diuitiæ Gentium: quantò magis plenitudo eorum? 13. Vobis enim dico Gentibus: Quamdiu quidem ego sum Gentium Apostolus, ministerium meum honorificabo, 14. si quomodo ad æmulandum prouocem carnem meam, & saluos faciam aliquos ex illis. 15. Si enim amissio eorum, reconciliatio est mundi: quæ assumptio, nisi vita ex mortuis? 16. Quòd si delibatio sancta est, & massa: & si radix sancta, & rami. 17. Quòd si aliqui ex ramis fracti sunt, tu autem cùm oleaster esses, insertus es in illis, & socius radicis & pinguedinis oliuæ factus es, 18. noli gloriari aduersus ramos. Quod si gloriaris: non tu radicem portas, sed radix te. 19. Dices ergo: Fracti sunt rami vt ego inserar. 20. Benè: propter incredulitatem fracti sunt. Tu autem fide stas: noli altum sapere, sed time. 21. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit: ne fortè nec tibi parcat. 22. Vide ergo bonitatem, & seueritatem Dei: in eos quidem, qui ceciderunt, seueritatem: in te autem bonitatem Dei, si permanseris in bonitate, alioquin & tu excideris. 23. Sed & illi, si non permanserint in incredulitate, inserentur: potens est enim Deus iterum inserere illos. 24. Nam si tu ex naturali excisus es oleastro, & contra naturam insertus es in bonam oliuam: quanto magis ij, qui secundùm naturam inserentur suæ oliuæ? 25. Nolo enim vos ignorare, fratres misterium hoc, (vt non sitis vobisipsis sapientes) quia cæcitas ex parte contigit in Israël, donec plenitudo Gentium intraret, 26. & sic omnis Israël saluus fieret, sicut scriptum est: Veniet ex Sion, qui eripiat, & auertat impietatem à Iacob. 27. Et hoc illis à me testamentum: cùm

abstulero peccata eorum. 28. Secundùm Euangelium quidem, inimici propter vos: secundùm electionem autem charissimi propter patres. 29. Sine pœnitentia enim sunt dona & vocatio Dei. 30. Sicut enim aliquando & vos non credidistis Deo, nunc autem misericordiam consecuti estis propter incredulitatem illorum. 31: ita & isti nunc non crediderunt in vestram misericordiam, vt & ipsi misericordiam consequantur. 32. Conclusit enim Deus omnia in incredulitate: vt omnium misereatur. 33. O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientia Dei: quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius? 34 Quis enim cognouit sensum Domini? Aut quis consiliarius eius fuit? 35. Aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei? 36. Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia: ipsi gloria in sæcula. Amen.

COMMENTARII.

1\. *Iudæi ob incredulitatem à iustitia, ac salute exciderunt.*

VERS. 1.2.3.4.5. *Dico ergo Numquid Deus repulit populum suum, &c.*] Si ergo vera sunt, quæ supra expressi, interrogarim, num Deus populum suum ita prorsus abiecerit a se, vt eorum nullus ad assequendam salutem admittatur? Absit, vt hoc quisquam suspicetur. Nam & ego, qui quidem beatitudine donari spero, Israëlita sum, non Proselitus: & ex semine Abrahæ, & Tribu Beniamim exortus. *Non repulit Deus* populum suum quem ante omnem æternitatem delectum fuerat complexus: id quod ex sacris literis apertè demonstro. Annon recordamini, quid de Elia sacra sit in pagina consignatum: quoque modo illum cũ Deo loquentem, & Israëlem criminantem inducat? *Domine*, ait, *Prophetas tuos occiderunt, altaria tua suffoderunt: & ego relictus sum solus, & quærunt animam meam*, seu me etiam procurant interficere, ne vllus Propheta relinquatur in viuis qui tuæ gloriæ sit assertor. 3. Reg. 19. 10. *Sed quid* Dominus respondit, audite: *Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curuauerunt genua ante Baal*, seu septem millia viri ex hoc populo mea ope superstites sunt, qui veræ religioni hærentes idolo Baal minime litauerunt. *Sic ergo* in præsentia quædam veluti segregatio facta est, qualem gratuita Dei postulabat electio. Nam sicut tunc Deus, cum penè vniuersus Israël idolorum cultu erat infectus, non paucos ab illa contagione gratiæ suæ beneficio præseruauit: ita nunc ex innumerabili Iudæorum multitudine, quæ Euangelium despicit, nonnullos selegit, qui Christi fidem vltronei, & alacres complectantur. Pauci hi sufficiunt fideles, vt Deus populum suum repulisse non dicatur. * Ita quidem Deus vel vnum fidelem diligit, vt ei quasi populus totus existat.]

Vel pauci, vnus iustus Deo quasi totus est populus.

Vers. 6.7.8 9.10. Si autem gratia, &c.] Quod si gratiæ beneficio factum est, vt Iudæorum reliquiæ salux, aut iustificatæ fuerint: non igitur sunt iustificatæ *ex operibus*, seu merito, vel efficacia operum legis suæ Mosaicæ, vel etiam legis naturæ, vt ipsi Iudæi arbitrantur. Alioquin *gratia*, seu iustificatio, quam constat esse gratuitam, iam gratia non esset, sed merces. *Quid ergò* ex dictis hucusque concludemus? Nempe quod sequitur. Quærebat quidem & etiam nunc quærit maior pars populi Israëlitici iustitiam: sed eam non est consecutus; quia non quærit vbi oportet: & sicut oportet. Quærit namque eam ex merito solùm operum legis, cum deberet requirere ex Christi meritis, per fidem sibi illa applicando, quam tanquam præuiam dispositionem, & medium ad assequendam iustitiam necessarium ab æterno Deus statuit, & pro suo beneplacito elegit, & decreuit. Porrò quia hanc fidem amplexata est *electio*, siue pars illa minor Iudaici populi, (quam à Deo electam esse dixi) ideò ipsa iustitiam est assecuta: *ceterò* vero qui fidem hanc admittere noluerunt, à Deo, sua quidem malitia deserti, & excæcati sunt: *Sicut scriptum est* ab Isaia cap. 6. 9. & cap. 29. 10. *Dedit illis Deus spiritum compunctionis*, seu compunctum. Ac si diceret: *Oculi* eorum ita cæcitate capti sunt, ac si acu compuncti, videndi facultatem perdidissent. In Isaia vertit Interpres *spiritum soporis* altissimum adeò somnium, Hebraicè *thardema*) vt omnem oculorum aurium & mentis ademerit sensum: vndè nec vident, neque audiunt *vsque in præsentem diem*. * Profectò criminum replicatio ad huiusmodi statum peccatores addicit, vt quasi profundissimo somnio correpti videntes, & audientes quæ ad profanitatem spectant exitialem: non vrgent, nec audiunt quæ ad salutem pertinent.] *Et David dicit* Psal. 68. 23. *Fiat mensa eorum in laqueum, & in captionem, & in scandalum & in retributionem illis.* Spiritualis eorum mensa, legis scilicet, & scripturarum, quæ illos instar lautissimi epuli, pascere solebat, nunc præuaricatoribus fiat in laqueum, quo capiantur: & in *retributionem*, qua debita sceleribus pœna eorum ipsis rependatur. Hanc igitur Iudæi increduli habeant suæ peruicaciæ mercedem vt qui ex Scripturis sacris Christum suum nolunt agnoscere, ipsis magis excæcentur. * Tam dulcis, tam delectabilis animo est Christi cognitio, vt licet pœna æterna incredulis non parata esset, illud ipsum eum non cognoscere, dirum sit peruicaciæ supplicium.] * *Fiat*, inquit, *mensa eorum in laqueum.* Qui ad mensam Eucharisticam es inuitatus, vide num fidelis, & amicus accedas? In fideli enim inimico dulcissimum hoc epulum damnationis vertetur in laqueum.] *Obscurentur oculi eorum, ne videant: & dorsum eorum semper incurua*, vt iam non celestia vel diuina erecti videant: sed curui solùm terrena sapiant, & requirant.

Peccatoris ob replicata crimina cæcatio.

Christum nõ agnoscere, dira incredulitatis est pœna.

Mensa Eucharistica fit in laqueum peccatori indignè accedenti.

2\. *Vers. 11.12.13.14.15.16.17.18. Dico ergo: &c.*] Rogarim itáque iam nunc: Vtrum illi ita impegerint, vt penitus sine spe surgendi conciderent? Apage: sed ita existimare debemus per, eorum lapsum, ac ruinam Gentibus ad salutem

Affirmat, Iudæos in mundi fine conuertendos.

hucem aditum fuisse reseratum; vt ipsi Iudæi (quod olim fuerat prænunciatum à Mose) illorum exemplo ad æmulationem, seu imitationem excitarentur. * Qui ad perfectionis statum vocati, irreligiosè viuunt, videntes in seculari ad mãdata seruanda promptitudinem, eum pudet, & errata corrigens, illius studium æmulari contendit accuratius perfectionis iter resumens.] *Quod si* Iudæorum ruina mundum (vt ità dixerim) multarum Gentium conuersione locupletat: ipsorúmque imminutio multitudinem Gentium vbertim auget: quantò magis proderit iisdem Gentilibus plenitudo Iudæorum, quando omnes in fine mundi conuertentur. Tunc enim suo exemplo ad se traherent imitandos quotquot ex Gentibus infideles superessent. Et hæc est causa, (quod vobis Gentibus dictum volo) cur vbique ministerium Apostolatus mei ad Gentes quantum possum opere honorificem, & extollam tùm verbis, tum miraculis: *Si quomodò* ad æmulationem excitare queam Iudæos mihi sanguine iunctos: & experiar, nùm aliquos ex ipsis ad salutis æternæ viam capessendam allicere valeam. * Preme illud: Vt *ad æmulationem prouocem carnem meam.* Laudabile admodum Pauli studium conuertendi ad Christum Iudæos, quibus sanguine hærebat. Vt edoceamur operarij Euangelij, sic ad extraneorum profectum accurrere, vt domesticorum, & conciuium non obliuiscamur.] *Si enim amissio* Græcè, *abiectio*, & reprobatio maioris partis Iudæorum reconciliationis Gentilium cum Deo fuit occasio: *quæ assumptio*, id est, quantæ frugis, quanti gaudij erit, quando omnes Iudæi ad Christi fidem assumentur. *Nisi vita ex mortuis.* Numquid perindè erit ac si mundus altera parte sui antè mortuus, integre reuiuiscat? * Vera enim mors est peccatum, quod ad duplicem mortem temporalem, & æternam peccatorem adducit.] *Quod si delibatio*, Græcè *primitiæ*, seu pars prima delibata aut assumpta ex tota massa sancta est, Deóque dicata, & consecrata, puta, Patriarchæ, Apostoli, & primi ex Iudæis Christiani: ergo etiam tota massa populi Iudaici sancta censetur, cuius sanctificationis intuitu Deus illam aliquando sibi vendicabit. Probat itaque Paulus, Iudæos non ita à Deo reiectos, quin aliquandò sint ad eum conuertendi. Quia sanctorum patrum sunt filij: ac proinde etiam ipsi saltem morali quadam æstimatione, & quasi analogica sanctitatis aspergine sancti sunt, & Deo consecrati. * Vnde magna admodum est filiorum felicitas & vtilitas qui sanctos sunt sortiti parentes.] E sancta etiam radice rami sancti procedunt. *Quod* si rami aliqui arboris Iudaicæ è radice sanctorum Patriarcharum exortæ fracti sunt, & ab arbore reuulsi: id est, à fide & iustitia parentum exciderunt, scilicet posteriores Iudæi, quia fidem, quam in Messiam habebant, in eum iam præsentem abiecerunt. In horum locum tu populus Gentilis cum *oleaster*, seu siluestris oliua esses, siue infidelis populus ex infidelibus oriundus: *insertus*, seu insitus es inter oliuæ reliquos ramos, nempe inter Apostolos, & alios ex Iudæis ad Christum conuersos. *Et factus es socius radicis, ac pinguedinis oliuæ*, hoc est, particeps fidei, gratiæ, & donorum Spiritus sancti, quæ Iudæorum parentes Abrahamus Isaacus, Iacobus, & alij Patriarchæ habuere. * En vtilitatem societatis ac consuetudinis bonorum. Iustis adhære, iustus euades.] *Noli* autem ô fidelis ex Gentibus aduersus ramos, seu Iudæos iam fractos, seu incredulos gloriari. Nam si gloriaris, si te iactas, & Iudæo infideli insultas: *Non tu radicem portas, &c.*] Seu respondebitur tibi, te tantùm radici esse insertum, seu fidei Ecclesiæ Patriarcharum, & Apostolorum, qui omnes Iudæi fuerunt, ab eaque omnem gloriam nactum esse, & vtilitatem suxisse: ideoque rursum excindi posse, vt Iudæi rami naturales oliuæ ob superbiam effracti, & euulsi periere. * Periculosè quis stans cadenti insultat peccatori.]

Regularis irreligiosè degens, videns sæculare pietati studere, corrigi assolet.

Laudabile est gaudium cócionatoris curantis propinquos ad virtutem allicere.

Vera mors peccatum.

Felicitas filiorum, qui sanctos sortitus est parentes.

Societatis bonorũ vtilitas.

Periculosè quis stans cadenti peccatori insultat.

Vers. 19.20.21.22.23.24. *Dices ergo. Fracti sunt, &c.*] At fortasse obiicies: Iudæi tanquam rami inutiles fuére excisi, vt ego qui oleaster, seu Gentilis eram, trunco, vtilior insererer. *Benè* quidem, neque inficior: sed illi propriæ incredulitatis vitio fracti & auulsi sunt, tu verò fide stas, vltronea Dei benignitate. Noli animo efferri, nolite magnificentiùs circumspicere, sed potius time, ne fortè & ipse propter elationem abscindaris. * Ipsa enim venti elationis vis ramum facilè auellit.] *Si enim Deus* naturalibus ramis non pepercit, diligenter aduerte, ne tibi idem vsu accidat. * Aliorum casus debet nobis timorem incutere. Nihil enim homo gerit, quod homo efficere non valeat, si à Deo deseratur.] *Agnosce ergo bonitatem, & seueritatem Dei:* seueritatem quidem exercuit in illos, qui ceciderunt: benignitatem autem in teipso, qui loco illorum insitione coaluisti, persistésque in arbore, si ea te benignitate continenter exhibeas non indignum: alioqui tu etiam excideris. *Sed & illi* ipsi, qui iam veluti rami à trunco reuulsi conjacent: à sua perfidia recedentes denuò natiuæ arbori inserentur. Potest enim Deus illos rursum inserere. * *Potens est enim Deus iterum inserere illos.* Ad Dei potentiam refert Apostolus rami semel abscissi nonam insitionem. Vt ostendat difficilem esse admodùm conuersionem illius, qui è præcelso virtutis gradu cecidit. Vnde eius reductio Dei omnipotentiæ quodammodo est referenda] *Nam si tu*, qui ex agnato excisus es oleastro, & præter naturam in bonam oliuam es insitus, inde succum vitamque ducis: *quanto magis* id illi assequentur, qui velut agnati rami natiuæ rursùs oliuæ inseruntur?

Facilè quis ob elationẽ labitur.

Aliorum casus nobis timorem incutiat.

Difficilis admodum conuersio illius qui è præcelsæ virtutis gradu excidit.

Vers. 25.26.27.28.29.30.31.32. *Nolo enim vos ignorare, fratres, &c.*] Nolim profectò, ô fratres, hoc vos mysterium ignorare (ne nimium vobis placeatis, & insolentius extollamini) quod obduratio hæc aliqua ex parte solùm, non in vniuersum Israëli contigit, & tantisper quorundam animos occupabit, donec Gentium, quæ ad Christi aggregantur Ecclesiam definita à Deo multitudo expleatur. *Et sic*, id est, post Gentiles electos ad gregem adductos, vniuersa Israëlitarum natio Christi sacris perceptis salua fiat; sicut scriptum est ab Isaia cap. 59. 20. *Veniet ex Sion, qui eripiat, & auertat impietatem, à Iacob.* Ex Tribu Iuda, & familia Dauidica, quæ in Sion habitat, veniet in Iudæorum infidelium animos ille diù ab illis expectatus Messias, & impietates à Ia-

cob, ſeu ab eius poſteris abolebit. *Et hoc illis à me teſtamentum*, ſeu fœdus ſancietur, cum abſtulero (Chriſtus ait) peccata ipſorum circa mundi finem. Nec enim dicendus eſt Dominus aboleuiſſe Iudæorum impietates, qui paucos admodum diſcipulos ad Euangelij fidem perduxerit. Vndè cum diuinis oraculis nequeat ſubeſſe falſum, exiſtimare debemus, omnes aliquando Iudæos ad veram Chriſti fidem traducendos. *Secundum Euangelium, &c.*] Itaque nunc quidem quod ad Euangelium attinet, ob veſtram ipſorum ſalutem, vel eius occaſione inimici Deo facti ſunt; quod autem ad æternum Dei conſilium pertinet, ipſorum parentum reſpectu diliguntur, quorum pietatis attentione Deus quod olim promiſit implebit.

Magnæ vtilitatis eſt filiis patres habuiſſe pios.

* O quantæ vtilitatis eſt filiis patres habuiſſe pietate conſpicuos!] *Sine pœnitentia enim ſunt, &c.*] Cum ſcilicet dona, & vocatio Dei huiuſmodi ſint, vt ipſorum promiſſionis eum vnquam pœnitere non poſſit: neque vlla ratione reuocari, vel irrita, aut inania eſſe queant. *Sicut enim* vos ipſi aliquando, ô fratres ex Gentibus electi, Deo non paruiſtis: nunc autem Iudæorum contumacia, & alienatione miſericordiam eſtis conſecuti.

Regularis negligès circà Dei obſequium reiicitur, & eius ad locum ſæcularis diligens aſſumitur aliquandò.

* Hoc pondera: *Miſericordiam eſtis conſecuti propter incredulitatem illorum.* Populus ille à Deo dilectus, tot donis ornatus ob ingratitudinem reiectus fuit, & populus Gentilium à Deo remotus eſt electus ad fidem. Vt timeat ille, quem Deus ad gradum ſublime perfectionis euexit, ne propter deſidiam circa diuinum obſequium a Deo abiiciatur, & alius olim à Deo auerſus aſſumatur eius occupaturus locum.] *Ita & iſti nunc* Iudæi Euangelio non obtemperant, idque in veſtram *miſericordiam*, id eſt, vt vos, ô Gentiles ea occaſione miſericordiam prædicationis, fidei, & gratiæ, & oleam inſitionis à Deo aſſequeremini. Vt & Iudæi prouocati veſtro exemplo credant poſtmodum in Chriſtum: atque ità eandem vobiſcum miſericordiam, gratiam, & gloriam aſſequantur. *Concluſit enim omnia*, id eſt, *omnes homines* (ſic Græcus & Syrus) permiſit Deus ſub peccato infidelitatis concludi quaſi carcere, vt ſic omnium totius mundi nationum miſereatur, & ineffabilem pietatem ſuam toti orbi patefaciat. Miſericordia enim miſeriam ſupponit.

Verſ. 33. 34. 35. 36. *O altitudo diuitiarum, &c.*] O abditas penituſque occultas, & ab humanis ſenſibus remotas diuinæ ſapientiæ ſcientiæque diuitias; quàm prorſus inſcrutabilia ſunt Dei Opt. Max. iudicia, & quàm inperueſtigabiles conſiliorum ipſius rationes. *Quis enim*, quæſo cognouit abditos diuinæ mentis receſſus: *aut quis conſiliarius eius fuit?* Græce, ſeu *conſcius* illius arcanorum. *Aut quis* denique prior in eum liberalitatem exercuit, vndè meritò remunerationem expectet? *Quoniam ex ipſo* quidem tanquam ab auctore: & *per ipſum* tanquam conſeruatorem, & cuſtodem omnia exiſtunt: & *in ipſo*, ſeu ad ipſum tanquam ad finem omnia referuntur. *Ipſi* in ſæcula *gloria* præcinatur. Porrò hæc attributa licet ſingulis SS. Trinitatis Perſonis conueniant, tamen Baſilius Ambroſius, & alij ſingula ſingulis accommodant. Quod verò ſubiungitur. *Ipſi gloria, &c.* Eſſentiæ diuinæ indicat vnitatem.

CAPVT XII.

Incipiens iam moralia monita ſubiicere, hortatur Paulus, vt quiſque ſuo muneri à Deo iniuncto vacet, & inimicum ex animo diligat.

1. OBSECRO itaque vos, fratres, per miſericordiam Dei, vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo
placentem, rationabile obſequium veſtrum. 2. Et nolite
conformari huic ſæculo, ſed reformamini in nouitate ſenſus
veſtri: vt probetis quæ ſit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta. 3. Dico enim per gratiam quæ data eſt
mihi, omnibus qui ſunt inter vos: Non plus ſapere quam
oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem: & vnicuique ſicut Deus diuiſit menſuram fidei. 4. Sicut enim in vno corpore multa membra habemus, omnia au-
tem membra non eundem actum habent: 5. Ita multi vnum corpus ſumus
in Chriſto, ſinguli autem alter alterius membra. 6. Habentes autem dona-
tiones ſecundùm gratiam, quæ data eſt nobis differentes; ſiue Prophe-
tiam ſecundùm rationem fidei, 7. Siue miniſterium in miniſtrando, ſiue
qui docet in doctrina, 8. Qui exhortatur in exhortando, qui tribuit in ſim-
plicitate, qui præeſt in ſollicitudine, qui miſeretur in hilaritate. 9. Dilectio
ſine ſimulatione. Odientes malum, adhærentes bono: 10. Charitate fraterni-
tatis inuicem diligentes: Honore inuicem præuenientes. 11. Sollicitudine non
pigri: Spiritu feruentes: Domino ſeruientes: 12. Spe gaudentes: In tribulatione
patientes: Orationi inſtantes. 13. Neceſſitatibus ſanctorum communicantes:

Hoſpita

Hospitalitatem sectantes. 14. Benedicite persequentibus vos: benedicite, & no-
lite maledicere. 15. Gaudete cum gaudentibus, flete cum flentibus: 16. Idip-
sum inuicem sentientes: Non alta Sapientes, sed humilibus consentientes. Noli-
te esse prudentes apud vosmetipsos: 17. Nulli malum pro malo reddentes: proui-
dentes bona non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus. 18. Si
fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes: 19. Non
vosmetipsos defendentes, charissimi, sed date locum iræ. Scriptum est enim: Mi-
hi vindicta; ego retribuam, dicit Dominus. 20. Sed si esurierit inimicus tuus, ci-
ba illum: si sitit, potum da illi, hoc enim faciens, carbones ignis congeres super
caput eius. 21. Noli vinci à malo, sed vince in bono malum.

COMMENTARII.

1\.

Hortatur, vt quisque suo muneri vacet.

VERS. 1.2.3.4.5. *Obsecro itaque vos fratres, &c.*] Per Dei misericordiam, qua se ergà vos tam munificum (vt vidistis) præstitit, obsecro vos, vt vicissim erga ipsum grati sitis. Cúmque omnia ab ipso acceperitis, æquum est, vt omnia, & præ omnibus corpora vestra, id est, vos ipsos exhibeatis Deo perpetuam *hostiam*, seu victimam non Aaronicam cultro iugulatam in Templo Salomonico: sed Christianam, spiritualem mortificationis gladio occisam, sed viuentem fide viua, spe animatam, vegetatam charitate, sanctam, *Deo beneplacentem:* sic in Græco. Ita quidem, vt *rationabile* sit *obsequium.* (seu cultus) non corporale solum, aut cæremoniale externum, qualis est Iudæorum, qui pecudibus Deo sacrificant: sed internum, & spirituale, conformeque rectæ rationis dictamini, quæ docet Deum spiritualem, spirituali cultu præcipuè colendum. * *Vt exhibeatis*, inquit, *corpora vestra.* Cur non & animam? Quia repugnantia ad Dei obsequium ex corporis prauis affectionibus oritur. Vndè corpore Deo in victimam oblato, facilè spiritus obsequitur.] * *Rationabile*, addit, *obsequium.* Quia tota ratio postulat, vt Deo totus homo pareat. Vnde diuinæ voluntati non parentes, irrationabilibus brutis comparandi obiiciuntur.] *Et nolite* vos huius sæculi impia dictamina sectari, vestrarum cupiditatum impetui obedientes, quod gerunt ij, qui suam felicitatem huius vitæ terminis circumscribunt: sed potius per eam mentis instaurationem, quam fidei beneficio assecuti iam estis, in nouas cogitationes, in noua studia translati, apti reddamini, ad intelligendum, quid illud sit, quod à vobis iustificatis præcipuè Deus requirat, quid ei sit maximè acceptum, & vt vno verbo exponam, quid sit vndequaque *perfectum.* * Hæc est profectò totius sanctitatis norma, semper gerere, quod gratius Deo, & perfectius esse iudicatur.] *Dico enim* per eam gratiam, quæ ad docendum mihi à Deo præstita est, cuiuis inter vos versanti cuiuscumque ille gradus sit, & conditionis, ne quis de se, quàm par sit existimet, se magnificentius suprà alios extollat affectans Sapientiæ nouas, & exquisitas inutiliter dogmatum rationes: sed sapiat *ad sobrietatem*, veritatem syncerè edocens, & quæ docenda sint, sobriè, & moderatè sine affectatione scientiæ tradere. * Doctores Euangelici affectantes subtiliores docendæ veritatis modos inutiliter quidem, meritò subtaxantur.] *Et intrà mensuram fidei*, seu donorum, quæ cum fide à Spiritu sancto accepit, Ecclesiæ deseruiat, haud se ingerens ministerio, ad quod vocatus à Deo non fuerit: nec ea affectans docere, quæ extra mensuram captus sui esse videantur. * Euangelij enim minister errabit, si extra scientiæ suæ captum alios docere præsumpserit.] *Sicut enim in vno corpore* multa membra habemus, non autem omnibus vnica communis est actio: sed singula munere diuerso funguntur: *Ita multi* Christi Domini gratia in vnum veluti mysticum corpus coalescimus: sed singuli membra sumus diuersis muneribus deputata. * Corpus itaque Ecclesiæ pace non potietur, si pes voluerit manus gerere ministerium. Prudens ergo aliorum munus tuo captu sublimius agere non præsumas, nec aliorum officium gerere affectes.]

Corpore Deo oblato, animus facile eidẽ subiicitur.

Irrationabile prorsus est, Deo non obedire.

Totius sanctitatis est norma, id gerere quod Deo gratius fore iudicatur.

Taxantur Doctores affectantes inutiliter subtiliores doctrinæ modos.

Errabit Euangelij minister, si ea docere præsumat, quæ vltra suum sint captum.

Ne te aliorum munus gerere affectes.

Vers. 6.7.8.9.10.11.12. *Habentes autem donationes, &c.*] *Habentes* Hebraismus est pro *habemus.* Alia singuli atque alia dona habemus, pro ea, quam quisque gratiam accepit. Habemus itaque alij *prophetiam*, vel futura vaticinando, vel obscuriora sacræ scripturæ interpretando testimonia: siquidem in vaticinando auguria non sectetur inania, neque in interpretando vel minimus à fidei prætextu recedant. Si verò habet quis iniunctum *ministerium* Ecclesiasticum altaris, altari pure deseruiat. Si docendi assecutus est munus, syncere studeat discipulos ac sacræ doctrinæ intelligentiam vtiliter promouere. *Qui* adhortandi talentum accepit, proximos adhortetur, vt fugiant vitia, virtutes sectentur. * Certè adhortandi alios officium difficile est, indigétque vocati specialiter à Deo, qui eiusmodi ministerio incumbit.] *Qui tribuit in simplicitate.* Qui Ecclesiæ bonis opibusque collectis distribuendis egenti cuique præest: id candidè faciat, neque cuiusquam personam aspiciat. Taxantur hinc vltimarum voluntatum executores, qui nuptui tradunt ex.gr. virginem, quia pulchra, quia amici propinqua, quià intercessoribus patrocinata accedit: cum solummodo virtutis, & paupertatis merita debeant ponderari.] *Qui praeest, in solitudine.* Qui aliis præficitur, diligenter subditorum regimini studeat. Qui *miseretur, in hilaritate.* Cui egenorum cura commissa est, ea cum hilaritate defungatur, nec morosum, aut tetricum se iis, quos solari debeat, exhibeat. * Qui de penu alieno dat nummos, de proprio saltem det hilaritatem, & placidam promptitudinem. Hæc enim facilitas & hilaritas in eleemosynarum distributione, quæ quidem pluris quandoque, quam nummus æstimatur, propria ipsius distributoris meritoria est eleemosyna.] Atque hæc quidem

Difficile est adhortandi alios ministerium.

In distribuendis eleemosynis orphanorũ, in tradẽdo nuptui virginem, solum merita eius ponderentur.

Qui alienæ eleemosynæ est distributor, ex proprio penu eleemosynam dat, cum hilariter illam distribuit.

dem ad singulos. Cæterùm, vt iam alloquar vniuersos. *Dilectio sine simulatione.* Sit primum inter vos mutua charitas, & beneuolentia non ficta, aut simulata. Deinde date operam, vt sitis cuncti à nequitia abhorrentes, & æquitati quodammodò agglutinati.* Si enim nos inuicem diligamus, ex corde, nihil contrà proximos incommodi moliemur.] *Charitate* fraterna alij ad alios propensi: honore alij aliis præeuntes. Vrbanitas, & comitas, qua nullo pretio possides exhibito, multorum procul dubio, emis affectum. Liceat vulgariter expendere. *No te cuesta nada el ser cortes, y compras con la cortesia el affecto de todos.*] *Solicitudine*, seu studio minime pigri, aut desides? feruentes spiritu, dùm Domini obsequio studium aut operam impenditis.

Qui verè proximum amat, nihil cōtra eum incommodi molitur.

Vers. 13.14.15.16. *Spe gaudentes, &c*] Gaudio debetis animi affici, dum recolitis, vos felicitatem cælestem, ad quam vocati estis expectare. Vndè incommoda vitæ huius exilij aguata patienter tolerabitis. Si tamen ad opem cælestem impetrandam in patientiæ acquisitionem, precibus frequenter operam præstiteritis. * Hominibus enim orationi instantibus placidi sunt labores.] *Necessitatibus sanctorum*, seu fidelium Christianorum tam spiritualibus, quàm corporalibus prout quis potuerit, succurrentes. *Hospitalitatem sectantes.* A veris Christianis, qui operum perfectioni student, Deus requirit, non solùm, vt hospites venientes ad eorum ædes benignè recipiant; sed vt hospitalitatem sectentur, inopes, aut peregrinos, quos recipiant, quærentes; vti sanctum Lothum egisse sacra scribit historia.] *Benedicite*, seu bene precamini iis, qui vos insectantur: nullatenúsque eos execremini. *Gaudete* cum iis, qui gaudio gestiunt: & coram flentes lacrymas compatientes si non oculorum, saltem cordis effundite, *Id ipsum inuicem &c.*] Eodem inter vos animo mutuo affecti, non elatè de vobis ipsis cogitantes, sed humiles seu de se humiliter existimantes studentes æmulari. Nolite verò per arrogantiam plus vobis æquo attribuere, perindè quasi aliena prudentia, aut consilio minimè indigeatis. * Verè enim *prudentes* se ostendunt, qui nihil nisi de aliorum consilio gerunt.]

Homini orationis studioso placidi sunt labores.

Perfectius hospitalitatis opus est, hospitesque quærere, quos recipias.

Verè prudens omnia de aliorū cōsilio agit.

2.

Vers. 17.18.19.20.21. *Nulli malum pro malo &c.*] Nulli malum pro malo vobis illato rependite. Date operam, vt quæ geritis bona opera, non ipsi Deo tantum, verùm etiam cunctis hominibus Iudæis, & Gentilibus probentur. * Ne aliquo opere externo, quod alias probum sit, reprobum ob scandalum ex ipso ortum reddi videatur.] *Si fieri potest*, salua pietate, & iustitia nitimini, vt nullam cuiquam dissidij ansam exhibeatis, sed cum omnibus semper colatis amicitiam. * Aptè præmisit: *si fieri potest*. Nihil enim difficilius, (nè impossibilius dicam) quàm omnibus placere maximè qui Præsulis munere fungitur.] *Non vos metipsos &c.*] Quod si quis fortè aliqua ratione iniuriam vobis irrogauerit, cauete ô charissimi fratres, ne vestram ipsi iniuriam vlciscamini: quin potius irato parcite: quem quidèm, nisi resipiscat, ira Dei manet: cum scriptum sit Deut. 32. 35. *Mihi vindicta*, seu mihi est vltio relinquenda, ego reperdam, *dicit Dominus.* * Profectò irrogantibus iniuriam patienter ignoscere, dirum quoddam vindictæ genus est, cùm Dei manus duriores sint pro ignoscentium inimicis causa ad sumendam vltionem.] *Sed si esurierit inimicus tuus*, egestate pressus, illum tu benignè recrea cibum ministrans: si siti videris estuantem, largiri ei potum. Hoc si gesseris, illum beneficiis ita obrues, vt veluti ignitis carbonibus congestis in ipsius caput, amoris ignem in eo succendes: ac tua lenitate victum ex inimico amicum facies. * Vel efferatus leo beneficiis mansuescere discit.] * Quod si ad mysticum sensum diuertere libeat: Licet in te (quod absit) vindictè affectus ardesceret: in inimicum conferens beneficia, & pro iniuria munificum ei reddens affectum, illum veluti flammis addictum efficis concremari, dum illum de sua infami pudet ingratitudine.] *Noli* itaque pati, vt ab inimici iniuriis tibi illatis supereris: se patientia tua illius malitiam vincere stude.

Inimicos diligendos esse docet.

A recto aliàs opere abstine, si ex eo scandalum sit oriturum.

Ferè est impossibile omnibus placere, maximè eum, qui Præsulis munere fungitur.

Parcere inimicis dirum quodammodò vindictæ est genus.

Vel efferatus animus beneficiis mansuescit.

Beneficia inimico cōferens, eum facis dire cremari.

CAPVT XIII.

Docet sæculari Magistratui parendum, diligendum proximum, viuendum probè, Christum Dominum induendum.

1. OMNIS anima potestatibus sublimioribus subita sit: Non est enim potestas nisi à Deo: quæ autem sunt, à Deo ordinatæ sunt. 2. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt: 3. nam principes non sunt timori boni operis, sed mali. Vis autem non timere potestatem? Bonum fac? & habebis laudem ex illa: 4. Dei enim minister est tibi in bonum. Si autem malum feceris, time: non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est: vindex in iram ei, qui malum agit. 5. Ideò necessitate subditi estote, non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam. 6. Ideò enim & tributa præstatis: ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum seruientes. 7. Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem. 8. Nemini quidquam debeatis, nisi vt inuicem

cem diligatis: qui enim diligit proximum, legem impleuit. 9. Nam: Non adulterabis, Non occides: Non furaberis: Non falsum testimonium dices: Non concupisces: & si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur: Diliges proximum tuum sicut teipsum. 10. Dilectio proximi malum non operatur. Plenitudo ergo legis est dilectio. 11. Et hoc scientes tempus: quia hora est iam nos de somno surgere. Nunc enim propior est nostra salus, quàm cùm credidimus. 12. Nox præcessit, dies autem appropinquauit. Abiiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis. 13. Sicut in die honestè ambulemus; non in comessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis, non in contentione & æmulatione: 14. sed induimini Dominum Iesum Christum, & carnis curam ne feceritis in desideriis.

COMMENTARII.

1. *Sæculari Magistratui parendum.*

VERS. 1.2.3.4 *Omnis anima potestatibus sublimioribus, &c.*] Præmitto, fuisse contrà Iudæos calumniam excitatam, quod Sectatores essent cuiusdam Iudæ Galilæi, qui olim Iudæos solicitabat, vt à Romanorum obedientia abscederent, dicens, populum Dei non debere vlli externo subesse principi. Vnde Iudæis Christicolis, vt hac eos calũnia vindicaret, hæc scribit: *Omnis anima*, siue omnes homines supereminentibus subiecti sint potestatibus; nulla enim est potestas siuè sæcularis, siue Ecclesiastica, quæ ortum à Deo non ducat. Quæ autem etiam Gentiles potestates in terrarum orbe à Deo ordinatæ, constitutæ, & recto ordine sunt expositæ. *Itaque* qui sese cuilibet harum potestatum opponit, Dei ordinationi resistit. Qui autem se huiusmodi piaculo inficit, iustæ damnationi se præbet obnoxium. *Nam principes, &c.*] Accedit, quod Principes, & Magistratus laudabiliter viuentibus (quales vos esse non dubito) nullum metum incutiunt, sed illis solùm, qui flagitiosam vitam instituère non verentur. Vndè si expetis nullo metu à Præsulibus affici, probè degere stude: & non solùm nihil erit, quod metuas, sed multum habebis, ob quod à Principe, seu Præsule commendationem accipias. A subditorum corde hoc monitum non excidat: *Vis non timere potestatem? bonum fac.* Profectò licet cæleste præmium piè degentibus paratum non esset, probe conuersari deberemus, saltē nè Præsulum seruili metui subiiceremur.] *Dei enim minister est, &c.*] Est Princeps Dei minister magno cuiusque bono, siue dum singulos subditos in officio continet, siue dùm ad bonarum artium studium allicit, siue dum à delinquendi licentia absterret.* Quod quisquam impietati seruierit, meritò ei metuendum erit. Nec enim otiosè gladium potestatis portat, quasi eo legitimè vti non valeat. Dei enim minister est, per quem ille iratus in flagitiosè degentes vltor exsurgit.

Saltem nè seruili Præsulum metui subiiceremur, debemus probe viuere.

Vers. 5.6.7. *Ideo necessitate subditi estote, &c.*] Quamobrem necesse est, subiici Magistratibus non tantùm metu supplicij, sed etiam ne conscientia inobedientiæ piaculo inquinetur. Cum planè nefas sit, eius potestati reluctari, cui nos Deus voluit esse submissos. *Ideò enim*, dum tributa persoluitis, hanc de qua agimus, parendi necessitatem profitemini? Magistratusque tanquam Dei ministros agnoscitis. * Tam inuisum quippè est, vectigalia pendere, vt necessarium sit meditari, à Deo id præcipi, vel permitti, vt sinè repugnantia, & impatientia persoluantur] *Reddite ergo* omnibus id quod debetis: & cui tributum præstandum est, tributum persoluite: item vectigal, cui vectigal debetur: cui timor, timorem: cui denique honor, honorem rependite. * Præsulibus enim certiùs debitus est honor, quàm tributum.]

Tam durum est, tributa soluere, vt necesse sit meditari, Deum id præcipere, vel permittere.

Præsulibus certius est debitus honor, quam tributum.

2. *Proximus diligendus.*

Vers. 8.9 10. *Nemini quidquam debeatis, &c.*] Nolite, vlli quidquam debere præter mutuam dilectionem. Tributum postquam soluitur iam non debetur: amoris autem in proximum vult nos Deus nunquam nos debitores esse.] Profectò qui proximum verè diligit, is dicendus est quidquid lex præcipit, vita & moribus præstitisse. * Diligens enim ex corde proximum, nihil contra illum audet patrare ex his, quæ septem vltimis Decalogi præceptis lex prohibet in proximi geri vtilitatem.] *Nam* leges illæ: Non mœchaberis, Non occides, Non furaberis, Non falsum testimonium dices, Non concupisces: & si quod aliud est diuinum mandatum, in hoc vno præcepto summatim comprehenditur, nempè vt quisque suum proximum. Sicut seipsum diligat. *Dilectio* namque proximi efficit, vt nullum ei inferre audeamus incommodum. Vndè vna charitas nos agit totam legem implere.

Dilectionis in proximũ semper sumus debitores.

Qui verè diligit proximum totam fere legē Dei implet.

3. *Christum induamus.*

Vers. 11.12.13.14 *Et hoc scientes, &c.*] O fratres, date operam dilectioni proximi, & omnium præceptorum impletioni cum sciatis, horam iam esse diei gratiæ, qua decet nos de somno surgere negligentiæ, & peccatorum. Nunc enim exorta Euangelij luce salus nostra tùm iustitiæ, tùm gloriæ æternæ propior est, quia præsens, & ad manum) nobis, quam cum solum *credidimus*, id est, cum Christus & salus, ac redemptio sperata per Christum nondum nobis esset exhibita, sed sola fide, nobis esse obuentura, crederentur. *Nox præcessit* seu præteriit, scilicet, tempus peccatorum & infidelitatis tenebris obductum. *Dies*, seu tempus lucis gratiæ Euangelij appropinquauit, quo Sol Christus cælestis fulgoris sui quaquauersum spargit. *Abiiciamus ergò* opera tenebrarum, seu peccata, quæ lucem fugiunt, & tenebras amant. * Quia scilicet nihil magis homini abSonum rationis experti, nihil magis pudori agnatum, quam delinquere; ideóque delictutus fugis ad tenebras.] *Et induamur arma lucis*, seu nobis opera lucis fidei, spei & charitatis comparemus, quibus tecti contra animi inimicos securi pugnemus. *Sicut in die honestè ambulemus, &c.*] Perinde ac si in clarissima luce in omnium conspectu diuersaremur, nos modeste geramus fugientes vtique comessationes, ebrietates, & cubilia, vbi scortationes gerun-

Peccator ad tenebras fugit, quia nihil sic pudorem incutit, quam peccare.

tur impuræque libidines: ab omnibus demùm litibus, & inuidentiis abstinentes. *Sed induimini* Iesum, ornate, & armate vos iis maximè virtutibus, quæ in Christo eluxerunt: vt ex his insignibus omnes agnoscant vos eius domesticos & filios existere. Et curam carnis, mundi, dæmonium ad explenda eorum desideria ne habueritis; sed hostes istos vestros his armis configite. * Hæc pondera: *Induimini Dominum nostrum Iesum Christum, & curam carnis ne feceritis.* Ac si diceret: si Christum induitis, curam carnis non facietis. Credite mihi, nullum efficacius esse medicamen contra carnis vitium, quam Christum induere, seu sæpè ad sacram Eucharistiam, quam Chrysostomus *pallium* vocitat, accedere.]

Eucharistiã sæpè accipere efficacissimum est cõtra luxuriam medicamen.

CAPVT XIV.

Ostendit abstinentiam à nonnullis cibis lege Mosis prohibita, iam non obligare. Monet tamen, ne infirmos fideles, qui eam adhuc obseruant quis fortior reprehendat.

1. INFIRMVM autem in fide assumite, non in disceptationi-
bus cogitationum. 2. Alius enim credit se manducare
omnia: qui autem infirmus est, olus manducet. 3. Is qui
manducat, non manducantem non spernat: & qui non man-
ducat, manducantem non iudicet: Deus enim illum assum-
psit. 4. Tu quis es, qui iudicas alienum seruum? Domino
suo stat, aut cadit: stabit autem, potens est enim Deus sta-
tuere illum. 5. Nam alius iudicat diem inter diem: alius autem iudicat omnem
diem: vnusquisque in suo sensu abundet. 6. Qui sapit diem, Domino sapit. Et
qui manducat, Domino manducat: gratias enim agit Deo. Et qui non mandu-
cat, Domino non manducat, & gratias agit Deo. 7. Nemo enim nostrum sibi vi-
uit, & nemo sibi moritur. 8. Siue enim viuimus, Domino viuimus: siue mori-
mur, Domino morimur. Siue ergo viuimus, siue morimur, Domini sumus. 9. In
hoc enim Christus mortuus est, & resurrexit: vt & mortuorum & viuorum domi-
netur. 10. Tu autem quid iudicas fratrem tuum? aut tu quare spernis fratrem
tuum? Omnes enim stabimus ante tribunal Christi. 11. Scriptum est enim: Viuo
ego, dicit Dominus, quoniam mihi flectetur omne genu: & omnis lingua confite-
bitur Deo. 12. Itaque vnusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo. 13. Non
ergo amplius inuicem iudicemus: sed hoc iudicate magis, ne ponatis offendicu-
lum fratri, vel scandalum. 14. Scio, & confido in Domino Iesu, quia nihil com-
mune per ipsum, nisi ei qui existimat quid commune esse, illi commune est. 15. Si
enim propter cibum frater tuus contristatur: iam non secundùm charitatem ambu-
las. Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est. 16. Non ergo
blasphemetur bonum nostrum. 17. Non est enim regnum Dei, esca & potus: sed
iustitia, & pax, & gaudium in Spiritu sancto: 18. Qui enim in hoc seruit Chri-
sto, placet Deo, & probatus est hominibus. 19. Itaque quæ pacis sunt, sectemur:
& quæ ædificationis sunt, in inuicem custodiamus. 20. Noli propter escam de-
struere opus Dei. Omnia quidem sunt munda: sed malum est homini, qui per of-
fendiculum manducat. 21. Bonum est non manducare carnem, & non bi-
bere vinum, neque in quo frater tuus offenditur, aut scandalizatur, aut in-
firmatur. 22. Tu fidem habes; penes temetipsum habe coram Deo: Beatus, qui
non iudicat semetipsum in eo quod probat. 23. Qui autem discernit, si mandu-
cauerit, damnatus est: quia non ex fide. Omne autem quod non est ex fide, pecca-
tum est.

COM

COMMENTARII.

1\.

Docet abſtinendam à cibis Moſis lege vetitis iam nõ obligare.

VERS. 1.2.3.4.5.6.7. *Infirmum autem in fide aſſumite, &c.*] Chriſtianum infirmum, ſeu non ſat in fide inſtructum vos qui fortiores iam eſtis, aſſumite inſtruendum, & iuuandum ad plenam cognitionem. Non tamen id fiat *in diſceptationibus cogitationum*, ſeu diſceptando, diſputando, contendendo, cum ipſis, vtrum vos, an illi malè ſentiant, vel agant. *Alius enim* omniuò Euangelij fide edoctus probe credit veſci poſſe queiſcumque cibis ad eſum ſunt apti. Alius nondum penitus informatus, oleribus contentus, à reliquis abſtinet cibis, ne fortè contingat veteribus inquinari. *Is, qui manducat, &c.* Iam igitur, qui abiecta antiquæ ſuperſtitione, queiſcumque cibis ſine delectu veſcitur, non deſpiciat, aut contemptui habeat eum, qui à nonnullis vt anteà abſtinet: nec manducantem iudicet id in nouæ legis contemptum agere. Hunc enim Deus ſua beneuolentia non adjudicauit indignum, cui Spiritus ſancti chariſmata impertiit. *Tu quis es*, aut cuius auctoritatis, aut ſcientiæ cæleſtis edoctus, qui alienum famulum, Dei ſcilicet, audeas iudicare? Proprio ille Domino ſtat, aut cadit: eique vni aut rectè viuit aut delinquit. Stabit autem nullo ſtratus piaculo. Dominus enim, cui ſeruit, facilè poteſt illum ſtabilire: etſi nondum firmus omnino degit, reddete firmiorem. * Itaque, licet exterius Dei ſeruus aliquid agat, quod piaculi reddat ſpeciem, ſoli Deo qui cor intuetur, actionis illius iudicium remittendum, noſtrum enim errore plerumq; ie eſt obnuaium.] * Immò ſi ille *Dei ſerui*, ſeu ſpiritualis viri nomen aut famam habet, exiſtimare debemus cunctas illius actiones ad Domini ſui dirigi obſequium, bullamque deuiare.] *Nam alius iudicat diem, &c.*] Affine eſt huic exemplo, quod in dierum obſeruatione nonnunquam contingere aſſolet. Nam alius quidem Iudaico more dierum diſcrimina obſeruans, nonnullos tanquam ſolemnes aliis velut profanis præfert. Alius verò æquè omnes æſtimat dies, nullúmque inter eos diſcrimen agnoſcit. In huiuſmodi cauſis per ſe non malis, non vetitis, ſed indifferentibus *vnuſquiſque in ſuo ſenſu abundet*, id eſt, ſententiam animi ſui pro libito expleat, ſuum iudicium libere ſequatur. *Qui ſapit diem, &c.* Syriacè, *Qui diiudicat diem.* Qui diiudicat, ſeu diſcernit diem, verb. gr. abſtinentiæ ab alio die vulgari, *Domino ſapit*, id eſt, ad Dei legiſlatoris obſequium id efficit, intendens præceptis illius olim latis obtemperare. Et qui promiſcuè quiduis quouis die manducat, *Domino manducat*, ad eius obſequium vtens libertate ab ipſo Domino ſibi lege noua conceſſa. Et vterque *gratias* Deo agit, hic pro omnibus cibis, ille ſaltem iis, quos lege Moſaica Deus indulſit. Vnde neuter nunc peccat: ſed nec debet ab altero peccati damnari. *Nemo enim noſtrum* ſibi ipſe viuit, & nemo ſibi ipſi moritur; æquum namque eſt, Chriſtianos omnes Deo & Chriſto Domino ſuo viuere, & mori, id eſt, dum viuunt omnes actiones ſuas iuxta conſcientiæ bonæ præſcriptum ad mortem vſque ad Dei Domini obedientiam dirigere.

Nec ob actiones externa ſpecie non rectas, audeas proximum iudicare.

De eo, qui nomen ſerui Dei, ſeu ſpiritualis viri famã habet, quæcumque actiones benè ſunt conſulendæ.

Verſ. 8.9.10.11.12.13. Siue enim viuimus, &c.] Profectò ſiuè huius lucis aura fruimur, & ſpiritum ducimus, Domino viuimus: ſiue diem ſupremum claudimus, Domino morimur; quia nos Domino ſerui ſumus. * Tota ſpiritualis vitæ norma eſt totas vitæ actiones ad mortem vſque ad Dei voluntatem implendam traducere.] *In hoc enim*, ſeu hanc potiſſimum ob cauſam Chriſtus & morti fuit traditus, & reuiuiſcens vitam immortalem fuit adeptus, vt & viuentibus, & morientibus dominetur. Vndè qui iudicat, ſuas actiones verè ad Chriſti dirigi voluntatem, probè operatur. *Tu autem* cur fratrem tuum audes condemnare, iam quia à nullo abſtinet cibo, iam quia vno vel altero abſtinere iudicat ſibi eſſe neceſſarium. Et quare eum hac ratione ſpernis? Omnes ante Chriſti tribunal ſiſtendi ſumus, vt ibi noſtræ actiones iudicentur. Tunc apparebit opera in hominum conſpectu damnabilia à Deo approbari. *Scriptum eſt enim* Iſa. 45. 24. *Viuo ego dicit Dominus, quoniam mihi flectetur omne genu, & omnis lingua confitebitur Deo.* Omnes homines coram Chriſti Domini tribunali ſubmiſſi adſtabunt, & omnis iuſtorum lingua illius iudicij æquitatem iuſtis laudibus efferent. *Itaque* vnuſquiſque noſtrum inibi non de aliorum vita, ſed de ſuis propriis actionibus Iudici cæleſti rationem reddet. *Non ergò* deinceps aliorum facta iudicemus: ſed potius adhibeamus iudicij, ſeu intellectus noſtri vim, vt fratri offendiculum non apponamus, quo de Chriſti fide minus probe ſentiat, quaſi permittat fratrum actiones à fratribus leuiter iudicari.

Vitæ ſpiritualis perfectio eſt, Deo viuere, & mori.

Verſ. 14.15.16.17.18.19.20.21. Scio & confido, &c.] Agnoſco quidem, & Chriſto Magiſtro, mihi perſuaſum habeo, nihil eſſe per ſe impurum per ſe, & natura ſua, vel iam etiam lege veteri ſed pro cuiusque opinione atque ſententia aliquos cibos impuros reddi, dum qui cogitant eſſe vetitos, eſu illorum ex errante conſcientia inquinatur. *Si enim propter cibum, &c.*] Cum vero per accidens ratione ignorantiæ alicuius immunda eſt eſca illi, qui putat hanc, vel illam adhuc eſſe lege prohibitam, & ideo immundam eſſe: nolim coram tali vos vti libertate per Chriſtum conceſſa comedendi cibos lege antiqua vetitos. Tunc enim frater veſter haud nouæ perfectè informatus propter cibum illum libere a vobis ſumptum ſcandalo punctus contriſtatur: atque ita contra charitatis fraternæ iura delinquitis. *Non ergo* dedit anſam, vt blaſphemetur ſeu à Iudæis, ſeu à Gentilibus *bonum noſtrum* religio ſcilicet, & Chriſtiana libertas. Profectò tunc temporis contentiones illæ de cibis, ac ciborum delectu multos offendebant. *Non eſt enim Regnum Dei* ſeu religio, pietas, & iuſtitia (per quam Deus ſpecialiter in nobis regnat) *eſca & potus*, id eſt, per ſe non conſiſtit, aut dependet à cibi, potúſve delectu: ſed conſiſtit in ſtudio iuſtitiæ, pacis, reliquarumque virtutum, & *in gaudio* Spiritus ſancti, ſeu perpetua lætitia in omnibus, & de omnibus, quæ Deus diſpoſuerit. * Si vis in te Deo Regnum ſtabilire, debes ſiue in proſperis, ſiuè in aduerſis de diuinæ voluntatis executione gaudere.] *Qui enim* pacem & iuſtitiam colens Dei ſemper voluntati obtemperat; tum & Deo gra-

Deus in nobis regnat cũ ſemper de illius voluntatis executione gaudemus.

tus & cunctis hominibus charus existit. *Itaque* sectemur, quæ ad pacem tum conciliandam tum retinendam conferunt: & quæ ad fidem, ac religionem propagandam maximè faciunt. *Noli propter escam*, seu huius vel illius cibi eligendi causa Dei opus in Iudæis ad Christum conuersis destruere. Omnia quæ à Deo creata sunt alimonia pura censentur. At nefas erit tibi, si quamuis mundo & licito cibo vtaris, cum aliorum offendiculo vescetis, dum insei existimant te Christi legem violare. * Ergo etiam à licitis aliquandò abstinendum, nè in proximo excitemus scandalum.] *Bonum est*, honestum laudabile carnibus non vesci, & à vino abstinere, eaque prorsus cuncta non gerere, in quibus frater tuus valeat impingere, aut circa fidem infirmior reddi.

Vel à licitis abstinẽdum, ne in proximo excitem* scandalum.

Vers. 22. 23. Tu fidem habes? &c.] Tu quidem fidem habes, qua certo credis, nullum cibum amplius esse immundum? Rectè credis. Sed penes temetipsum habe, & vtere hac licentia, noli hanc libertatem in publico iactare, vel cum aliorum ea offendiculo vti. Sed & tu, qui adhuc in Christiana es infirmus doctrina, & existimas, non licere vesci cibis lege Mosaica prohibitis, caue nè contra conscientiam tuam exemplo illorum, qui liberè vescuntur, illectus tu etiam eisdem vescatis. Beatus qui in eo, quod practicè probat, seu quod de facto eligit, & facit, *non iudicat* erroneè *semetipsum*, id est, non putat scrupulose, se delinquere. Qui enim aliquid agit contrà suam conscientiam, is suomet iudicio se damnat, eo quod practicè malè agat, licet speculatiue cum errore procedat. *Qui autem discernit* propria conscientia cibum à cibo, si manducauerit cibum, quem credit immundum, & illicitum esse, peccati damnatur etiam proprio iudicio, (cui diuinum conformabitur) quia non manducauit *ex fide*, seu ex dictamine conscientiæ, quo iudicat, licere sibi tali cibo vesci. Omne autem, *quodnam est ex fide* profectum, seu ex conscientiæ dictamine, quo quis censet, tale quid hîc nunc, & sic licere, *peccatum est.* Profectò Apostolus hîc non agit de fide Christiana supernaturali, generali, & speculatiua: Sed de fide naturali morali, particulari, & practica, quæ nihil aliud est, quàm dictamen conscientiæ, seu iudicium rationis, quo iudico me (v. gr.) dum carne suilla vescor, rectè agere, nec Deum offendere.

CAPVT XV.

Iudæos ac Gentiles hortatur, vt gratos sese Deo eos ad Christi Ecclesiam vocanti, gerant, & inuicem pacem tueantur. Promittit se inuisurum Romanos, cum in Hispaniam iter instituet.

1. DEBEMVS autem nos firmiores imbecillitates infirmiorum
sustinere, & non nobis placere. 2. Vnusquisque vestrûm
proximo suo placeat in bonum, ad ædificationem. 3. Etenim
Christus non sibi placuit, sed sicut scriptum est: Impro-
peria improperantium tibi ceciderunt super me. 4. Quæ-
cumque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta
sunt; vt per patientiam, & consolationem Scripturarum,
spem habeamus. 5. Deus autem patientiæ & solatij, det vobis idipsum sapere in
alterutrum secundùm Iesum Christum: 6. vt vnanimes, vno ore honorificetis
Deum, & patrem Domini nostri Iesu Christi. 7. Propter quod suscepite in-
uicem, sicut & Christus suscepit vos in honorem Dei. 8. Dico enim Christum
Iesum ministrum fuisse circumcisionis propter veritatem Dei, ad confirmandas
promissiones patrum: 9. Gentes autem super misericordia honorare Deum, sicut
scriptum est: Propterea confitebor tibi in Gentibus Domine, & nomini tuo canta-
bo. 10. Et iterùm dicit: Lætamini Gentes cum plebe eius. 11. Et iterùm: Lau-
date omnes Gentes Dominum: & magnificate eum omnes populi. 12. Et rursus
Isaias ait: Erit radix Iesse, & qui exurget regere Gentes, in eum Gentes sperabunt.
13. Deus autem spei repleat vos omni gaudio & pace in credendo: vt abundetis in
spe, & virtute Spiritus sancti. 14. Certus sum autem fratres mei, & ego ipse de
vobis, quoniam & ipsi pleni estis dilectione, repleti omni scientia, ita vt possitis al-
terutrum monere. 15. Audacius autem scripsi vobis, fratres, ex parte, tanquam
in memoriam vos reducens: propter gratiam, quæ data est mihi à Deo. 16. vt
sim minister Christi Iesu in Gentibus: sanctificans Euangelium Dei, vt fiat obla-
tio Gentium accepta, & sanctificata in Spiritu sancto. 17. Habeo igitur gloriam
in Christo Iesu ad Deum. 18. Non enim audeo aliquid loqui eorum, quæ per me
non efficit Christus in obedientiam Gentium, verbo & factis; 19. in virtute sig-

norum

norum, & prodigiorum, in virtute Spiritus sancti: ita vt ab Ierusalem per circuitum vsque ad Illyricum repleuerim Euangelium Christi. 20. Sic autem prædicaui Euangelium hoc, non vbi nominatus est Christus, ne super alienum fundamentum ædificarem: sed sicut scriptum est: 21. Quibus non est annuntiatum de eo, videbunt: & qui non audierunt, intelligent. 22. Propter quod & impediebar plurimùm venire ad vos, & prohibitus sum vsque adhuc. 23. Nunc verò vlteriùs locum non habens in his regionibus, cupiditatem autem habens veniendi ad vos ex multis iam præcedentibus annis: 24. cùm in Hispaniam proficisci cœpero, spero quòd præteriens videam vos, & à vobis deducar illuc, si vobis primùm ex parte fruitus fuero. 25. Nunc igitur proficiscar in Ierusalem ministrare sanctis. 26. Probauerunt enim Macedonia & Achaia, collationem aliquam facere in pauperes sanctorum, qui sunt in Ierusalem. 27. Placuit enim eis: & debitores sunt eorum. Nam si spiritualium eorum particeps facti sunt Gentiles: debent & in carnalibus ministrare illis. 28. Hoc igitur cùm consummauero, & assignauero eis fructum hunc: per vos proficiscar in Hispaniam. 29. Scio autem quoniam veniens ad vos, in abundantia benedictionis Euangelij Christi veniam. 30. Obsecro ergo vos, fratres, per Dominum nostrum Iesum Christum, & per charitatem sancti Spiritus, vt adiuuetis me in orationibus vestris pro me ad Deum, 31. vt liberer ab infidelibus qui sunt in Iudæa, & obsequij mei oblatio accepta fiat in Ierusalem sanctis, 32. vt veniam ad vos in gaudio per voluntatem Dei, & refrigeret vobiscum. 33. Deus autem pacis sit cum omnibus vobis. Amen.

COMMENTARII.

1\. *Iudæos, ac Gentiles hortatur, vt gratos se Deo vocanti ad gratiam Euangelij ostendant.*

VERS. 1.2.3.4.5.6.7. *Debemus autem nos firmiores, &c.*] Nos autem, qui cæteris peritiores maiori fidei præditi cognitione, & intelligentia sumus, rudiorum & minus instructorum imbecillitatem æquo animo ferre: & nullatenus, illis contemptis, aut eorum prætermissa cura, solis nobis *placere*, seu satisfacere debemus. *Vnusquisque* itaque vestrum proximo placere curet, eique indulgeat *in bonum*, seu vt aliquam ei spiritualem afferat vtilitatem ad ipsius, aliorumque *ædificationem*. * Qui sibi soli vel probè viuit, apud videntes bene audit: Sed qui probè degens simul iuuandis proximis studium impendit, specialem ædificationem aspectantibus affert.] Etenim Christus Dominus, quem vobis ad imitandum tanquam præstantissimum exemplar propositum esse oportet non soli sibi sanctissimè vixit: sed impenso studio, proximis proficere curauit, cælestem eis dictando doctrinam. Sic ore Dauidico ipse testatur Psal. 68. 10. *Improperia improperantium tibi, ceciderunt super me.* Opprobria, & scelerata facta nequissimorum hominum tibi, ô Pater, improperantium, teque offendentium, cruciarunt, & afflixerunt me. Vndè suscepi illa omnia in me luenda, & expianda, vt sic honorem debitum tibi, ô Deus, redderem, & miseros homines tibi doctrina, gestis, & morte mea reconciliarem. *Quæcumque enim* Spiritus sancti instinctu à Prophetis sunt scripta, ad nostram instructionem fuére exarata. Vt per patientiam quam nos Scripturæ docent, & per consolationem, quam tot exhortationibus, & tam egregio Christi exemplo suggerit, spem habeamus mercedis cælestis obtinendæ, si illum vacantem sibi ac simul proximorum saluti studentem imitemur, *Deus autem patientiæ, & solatij* auctor, ac largitor det nobis *id ipsum sapere in alterutrum*, id est, similem affectum, ac beneficentiam proximis exhibere, secundum exemplum, monitum, & præceptum Iesu Christi. * Certè ministerium circà proximos tam difficile, tam plenum temporariis est incommodis, vt ad illud perfectè obeundum, necesse sit, vt *Deus patientiæ, & solatij* nobis adsit, id est, vt patientia nos donet ad tolerandáque in hoc ministerio desæuiunt incommoda: & solatio spirituali, quod assolet labores dulcorare.] *Vt vnanimes, &c.* Vt in idem quodammodò conspirantes vno veluti ore Dei immortalis, ac Domini nostri Iesu Christi Patris sempiternam gloriam prædicetis. *Propter quod* suscipite alij alios, & ope, consilioque fouete: quemadmodum & Christus non dedignatus est, nos sibi asciscere, quos gloriæ Dei, atque illius cælestis felicitatis faceret esse participes.

Speciali ædificatione videntes afficit, qui probè viuens, simul studet proximis proficere.

Proximorum ministerium tam plenum incõmodis, vt necesse sit Deum patiẽtia, & solatij Euãgelij ministro fauere.

Vers. 8.9.10.11.12.13. Dico enim Christum, &c.] Credite mihi, Christum ministrum fuisse circumcisionis, siue circumcisorum, Iudæorum scilicet (queis ipse asseruit venisse ministrare.) prædicatorem, doctorem, & seruatorem à Deo missum *propter veritatem*, seu ad explendam veritatem Dei in promissis suis, quibus olim pollicitus fuerat Iudæis, eorúmque patribus, se immissurum ipsis Messiam. Si igitur Dei Filius cum sit, ministrum se Iudæorum ad eorum salutem gessit, adstrictiori iure serui debemus conseruis ad eorum profectum inseruire. *Gentes autem* dico debere Deum honorare, eique gratias reddere propter gratuitum beneficium donati ipsis Messiæ non ex promisso (vt Iudæis) sed ex mera misericordia. * Debemus quidem, qui ex Gentibus ad Euangelij gratiam in proauis nostris per Pauli prædicationem fuimus ex mera Dei misericordia, non ex promissione adducti speciales ob hoc beneficium Deo quotidie gratias litare.] Scriptum est enim Psal. 17. 50. *Propterea confitebor tibi in Gentibus Domine, & nomini tuo cantabo.* Et iterùm Scriptura dicit 2. Reg. 22. 50. *Læta*

Qui ex Gentibus vocati ad Euangelium sunt, ex mera Dei misericordia, nõ ex promissione, speciales Deo Gratias quotidie reddant.

Lætamini Gentes cum plebe eius. Et iterum Dauid Psal.116.1. *Laudate omnes Gentes Dominum, & magnificate eum omnes populi.* Item Isaias cap.11.10. *Erit radix Iesse, & qui exurget regere Gentes: in eum Gentes sperabunt.* Hæc omnia Sacræ Scripturæ testimonia Christicolas ex Gentibus adductos ad Euangelij gratiam euincunt, admodum debitores esse Deo, *quoniam confirmata est* super eos *misericordia eius,* dum illos haud promissione adstrictus ad Euangelij gratiam aduocauit. *Deus autem spei*, seu Deus, in quo spes nostræ sitæ sunt: quique vnus hanc spei nostræ certitudinem, & firmitatem cordibus nostris infudit, efficiat, vt omni gaudio, & spe, Spiritus sancti vi, & beneficio, abundetis. * Preme particulam, *Deus spei.* Vnicè quidem spei bonæ Deus est Dominus, & possessor. Vndè qui sibi aliquid bonum, vel vtile sperat à Deo solo, id debet postulare vnico bonæ spei possessore: non ab hominibus, qui nullum huiusmodi spei dominium habent.]

Nihil boni ab hominibus sperandum, sed à Deo solùm spei Domino.

Vers. 14.15.16. 17.18.19. *Certus sum autem &c.*] Persuasum autem mihi habeo, & hoc de vobis ô fratres videor mihi posse polliceri, ita vos esse charitate in proximum flagrantes, & adeò esse Euangelij scientia imbutos vt absque mea opera vos mutuo monere valeatis. * Illud adnota *ipsi pleni estis dilectione, repleti omni scientia.* Duo requiruntur ad docendi seu monendi alios ministerium dilectio, & scientia. Dilectio sine scientia non sufficit: quis enim docebit alios, quæ ipse ignorat. At sine dilectione pigrum docendi erit studium. Tantæ enim est molestiæ, rudes informare, vt necessarium sit ad leuamen laboris Magistrum ergà discipulum affici dilectione: immò vix hæc sufficiet nisi erga Deum feruens dilectio adsit.] *Audacius autem scripsi vobis* fratres mihi dilectissimi, hanc epistolam, seu aliquanto liberius. Sed id solùm feci, vt animi mei erga vos affectum ostenderem, memoriam vobis refricando eorum, quæ probè nostis: *propter gratiam, quæ mihi data est à Deo*, seu vt muneri Apostolico mihi à Deo imposito satisfaciam. * Nullus enim prudens se ingerit ministerio, ad quod à Deo inductus non sit, præcipuè si alios monere, aut corripere sit aggressurus.] *Vt sim minister Christi, &c.*] Data autem est mihi illa gratia seu Apostolicum officium, in eum finem, vt sim publicus minister Euangelij Christi apud Gentes. Vt oblatio Gentium grata sit Deo, & Spiritus sancti munere miram quandam concipiat sanctitatem. *Habeo igitur* vndè per Christum Iesum gloriari queam, non quidem in rebus caducis, sed in iis, quæ ad Deum pertinent. *Non enim* fas mihi est, aut vlla prorsus ratione ausim, quicquam referre, quod per me Christus non gesserit sine Gentibus prædicarem, sinè miracula ad eorum fidem excitandam ederem. Ego instrumentum rude, ille peritus Artifex. *In virtute signorum, &c.*] Profectò prædicatio mea auctoritatem, & efficaciam sibi attraxit in virtute signorum, & prodigiorum, potentia Spiritus sancti per me editorum. Ita vt ab Ierosolyma vsque ad *Illiricum* (iam *sclauonia* vocitatur) *repleuerim*, seu plenè vbique euulgarim, & sparsgerim Christi Euangelium.

Ad docendi ministerium admodù laboriosum exercendū necessariū est, Deum impensè diligere.

Ne te ministerio monendi alios ingeras, nisi à Deo in id eligaris.

V. 20.21.22.23.24.25.26.27. *Sic autē prædicaui, &c.*] Euangelicæ autem prædicationis munere sic defungi curaui, vt non alibi verba facerem, aut retia laxarem, quam vbi Christus notus, imo nominatus non esset; *nè super alienum fundamentum ædificarem.* * Si hoc in Paulo fuit merito illustrissimum, non immerito hinc D. Francisci Xauier mei Patris gloriā innuere permittatur, qui tot Nationibus, tot Regnis, vbi vel nomen Iesu haud fuerat auditum, Apostolus illuxit. Non quidem super alienum fundamentum ædificauit, sed fundamina plurima iecit, super quæ posteà multi operarij Euangelici conseruandæ & augendæ spirituali exædificationi Xauerij studium impenderunt.] Porrò *sicut scriptum est* Isai.52. 11. *Quibus non est annunciatum de eo, videbunt: & qui non audierunt, intelligent.* Mea, ac si diceret, opera perfectum est, id, quod olim Prophetæ vaticinio prædictum fuerat: Audient & intelligent ab Apostolo à me immisso Euangelij doctrinam Gentilium populi, qui à nullo anteà prædicatore id audierant. *Propter quod*, id est, vt etiam Romæ super alienum fundamentum non ædificarem, sed primus Euangelij minister apud vos essem: expetij ad vos primum venire; sed plurimis occupationibus præpeditus prohibitus sum vsque adhuc affectui meo satisfacere. *Nunc verò*, cum peragrata Achaia, & Macedonia, nullum amplius in hisce regionibus locum videam, in quo Euangelij fundamenta non iecerim: & à multis annis desiderio afficiar ad vos ventitandi: *Cum in Hispaniam* proficiscar, dabo operam, vt in transitu vos inuisam. Et spero fore, vt vestro optato fruar conspectu; & per vos in Hispaniam deducar: si prius tamen vestra consuetudine fuero recreatus. *Nunc* autem, dum tempus id tam optatum aduenerit, necessum mihi est inire Ierosolymam, hoc sanctis illis Christicolis impendens officij, vt pecuniam ad eorum inopiam subleuandam hìc collectam à fidelibus, ad eos perferam. * Ipse Paulus pecuniam ad pium illud opus adfert, nec alij committit, vt portet. Pecuniæ enim ad pia opera dicatæ è manu in manum traductæ solent imminui, immò penitùs sine fructu non semel deperire.] *Probauerunt enim*, seu placuit Macedoniæ & Achaiæ nonnihil in subsidium sanctorum, seu Christianorum, qui Ierosolymis egebant, benignè conferre. *Placuit*, inquam eis, quin etiam se id illis debere intelligunt. Quia si Gentes spiritualium bonorum ipsorum participes fuerant effectæ: profectò & ipsæ debent in his, quæ ad corpus fouendum spectant illis opem ferre, eorúmque inopiam subleuare. * Quæ spirituali ministro egenti ad sustentationem impenduntur, non tam dantur quam soluuntur. Corporalis enim alimonia debetur egenti ministro, qui spiritualia impertit.]

2\. Promit ad Romā se venturum, cum in Hispaniam venerit.

D. Franciscus Xauier alter Paulus super alienū fundamentum non ædificauit: sed vt alij ædificarent fundamina iecit.

Pecunia ad pia opera dicata è manu in manum traducta assolet imminui, & non semel omninò perire.

Quod spirituali ministro assignatur ad sustentationem, nō tam illi datur, quàm soluitur.

Vers. 28.29.30 31.32.33. *Hoc igitur cum consummauero, &c.*] Vbi ergo hoc munere fuero perfunctus, eisque hoc subsidium impendero, istac in Hispaniam proficiscar. *Scio autem*, meum ad vos aduentum maximè vtile esse futurum: spero namque fore tunc, vt Deus vobis cumulatissimè mysteriorum Euangelicorum cognitionem impertiat. *Obsecro ergo vos, fratres* per Domini nostri Iesu reuerentiam, & per charitatem Spiritus sancti, vt interim pro

inco

incolumitate mea Deum oretis. *Vt liberer* ab iis, qui rebelles Euangelio sunt in Iudæa? à quibus non à Gentilibus mihi insidiæ statuuntur. Et vt hoc ministerium, & obsequium ergà Ierosolymitanos fideles, qui inopia premuntur, eis gratum existat. *Vt* cum gaudio, cælesti annuente Numine ad vos perueniam, & vna simul in Domino recreemur. *Deus autem pacis* auctor & largitor vos omnes tueatur, ac seruet, Amen.

CAPVT XVI.

Amicos saluere iubet. Monet, vt ab iis caueant, qui sunt scandalorum auctores.

1. COMMENDO autem vobis Phœben sororem nostram, quæ est
in ministerio Ecclesiæ, quæ est in Cenchris: 2. vt eam susci-
piatis in Domino dignè sanctis: & assistatis ei in quocumque
negotio vestri indiguerit: etenim ipsa quoque astitit mul-
tis: & mihiipsi. 3. Salutate Priscam & Aquilam adiutores
meos in Christo Iesu (4. Qui pro anima mea suas cer-
uices supposuerunt: quibus non solus ego gratias ago, sed
& cunctæ Ecclesiæ Gentium) 5. & domesticam Ecclesiam eorum. Salutate Epæ-
nerum dilectum mihi, qui est primitiuus Asiæ in Christo. 6. Salutate Mariam,
quæ multùm laborauit in vobis. 7. Salutate Andronicum & Iuniam, cognatos &
concaptiuos meos: qui sunt nobiles in Apostolis, qui & ante me fuerunt in Chri-
sto. 8. Salutate Ampliatum dilectissimum mihi in Domino. 9. Salutate Vrba-
num adiutorem nostrum in Christo Iesu, & Stachyn dilectum meum. 10. Salu-
tate Apellen probum in Christo. 11. Salutate eos, qui sunt ex Aristoboli do-
mo. Salutate Herodionem cognatum meum. Salutate eos, qui sunt ex Nar-
cissi domo. 12. Salutate Tryphænam & Tryphosam, quæ laborant in Do-
mino. Salutate Persidem charissimam, quæ multùm laborauit in Domino.
13. Salutate Rufum electum in Domino, & matrem eius, & meam. 14. Saluta-
te Asyncritum, Phlegontem, Hermam, Patrobam, Hermem, & qui cum eis sunt,
fratres. 15. Salutate Philologum & Iuliam, Nereum & sororem eius, & Olym-
piadem, & omnes, qui cum eis sunt, sanctos. 16. Salutate inuicem in osculo san-
cto. Salutant vos omnes Ecclesiæ Christi. 17. Rogo autem vos, fratres, vt ob-
seruetis eos, qui dissensiones & offendicula, præter doctrinam quam vos didicistis,
faciunt, & declinate ab illis. 18. Huiuscemodi enim Christo Domino nostro
non seruiunt, sed suo ventri: & per dulces sermones, & benedictiones, sedu-
cunt corda innocentium. 19. Vestra enim obedientia in omnem locum diuulga-
ta est. Gaudeo igitur in vobis. Sed volo vos Sapientes esse in bono, & simplices
in malo. 20. Deus autem pacis conterat satanam sub pedibus vestris veloci-
ter. Gratia Domini nostri Iesu Christi vobiscum. 21. Salutat vos Timotheus ad-
iutor meus, & Lucius, & Iason, & Sosipater, cognati mei. 22. Saluto vos ego Ter-
tius, qui scripsi epistolam, in Domino. 23. Salutat vos Caius hospes meus, &
vniuersa Ecclesia. 24. Salutat vos Erastus arcarius ciuitatis, & Quartus, fra-
ter. Gratia Domini nostri Iesu Christi cum omnibus vobis. Amen. 25. Ei
autem, qui potens est vos confirmare iuxta Euangelium meum, & prædica-
tionem Iesu Christi, secundùm reuelationem mysterij temporibus æternis ta-
citi, (26. Quod nunc patefactum est per Scripturas Prophetarum secundùm præ-
ceptum æterni Dei, ad obeditionem fidei) in cunctis Gentibus cogniti, 27. So-
li Sapienti Deo per Iesum Christum, cui honor & gloria in sæcula sæculorum.
Amen.

COMMENTARII.

I. *Amicos salutare iubet.*

VERS. 1.2.3.4.5. *Commendo autem vobis,&c.*] Phebem verò *Sororem* nostram si non natura, religione quidem vobis commendo, quæ ministerium Diaconissæ Cenchrensis Ecclesiæ obit. Sic tunc vocabantur piæ quædam fœminæ, quæ seu virginibus, seu viduis Deo dicatis præerant, vel curam agebant aliarum inopum mulierum, quæ Ecclesiæ sumptu alebantur. Hæc Phebe seu priuatorum, seu publicorum negotiorum causa è Cenchris Corinthiorum portu Romam profecta, hanc ad Romanos Christiam Epistolam deferebat. vt ex textu Latino, Græco & Syro in eius fine patet. Rogo itaque vos, *Vt eam suscipiatis in Domino* ea, qua par est charitate suscipi à sanctis sanctorum ministram. Eique adsitis, quacumque in re opera vestra ei vsui esse poterit: multis enim ipsa, mihique etiam hospitium aptauit, & semper eius ædes peregrinis quasi publicum diuersorium patuere. * *Ipsa*, inquit, *astitit multis, & mihi ipsi.* Addit, *Et mihi ipsi*, vt ostendat obligationem Phebem illis commendandi. Lex enim gratitudinis quasi præceptum quoddam vrgens à sanctis, & à nobilibus (qualis erat Apostolus) obseruatur.] *Salutate Priscam & Aquilam* meos in Christo Domino coadiutores. Aquila & Prisca Iudæi erant illi tentoriorum apifices, qui nuper Roma per Claudium eiecti, sub Nerone Romam redierant Act.18.3. Hi quidem, ait, non solum in negotio fidei promouendo adiutores se mihi exhibuere: sed & pro vita mea ceruices suas supposuerunt euidenti mortis periculo. Id accidisse putarim vel in Corinthia seditione *Act.*18.12. vel in Ephesina *Act.*19.14. Quibus (addit) pro eo beneficio non solum ego, sed & Cunctæ Gentium Ecclesiæ gratias referunt. Ob vtilitatem scilicet, quam ob Paulum asseruatum cuncti fideles acceperunt. * Egregium enim ornamentum est Vrbi, in ea sanctum virum inesse. Ideo cunctæ Gentium Ecclesiæ pro asseruata vita Pauli Aquilæ ac Priscæ gratias reddunt.] Saluere etiam iubeo *priuatam* Ecclesiam, seu fideles amicos, & familiares qui in Aquilæ & Priscæ domo habitant. *Salutate* itèm *Epanetum* mihi dilectum, quem merito Asiæ *primitiuus* in Christo appellare possum, siue quia primus Christo nomen dedit, siue quia vir primarius eminet inter omnes. * Egregia plane laus est viri, qui in quacumque re magna est primitiuus aliis exemplum exhibens, vt insequantur.]

Gratitudinis lex à sanctis & nobilibus velut præceptum vrgens observatur.

Magnum est Vrbi ornamentum, in ea sanctum virum adesse.

Magna laus est viri cuiuslibet rei egregiæ esse ducem.

*Vers.*6.7.8 9.10.11.12.13.14.15.16. *Salutate Mariam,&c.*] Meo etiam ea nomine Mariam, quæ plurimum vestra causa laborauit. Nonnulli existimant Mariam hanc esse illam ad quam D. Ignatius, & Mariam Cassobolitatem vocitat. Quis hic labor, vel quod opus fuerit, non exprimit Paulus. Crediderim laborem fuisse, quod ad Euangelij promotionem pertineret. * Dicit etenim, *Multum laborauit in vobis.* solus enim is labor æstimabile est, & debet memoriæ retineri, & memorari, qui ad Dei gloriam ordinatur.] *Salutate Andronicum & Iuniam* meos *cognatos* cum è Tribu Beniaminea duæ sint ortum: & *concaptiuos meos*, qui aliquando simul mecum pro Christo passi fuere vinculis adstricti. (Vbi autem, vel quando id factum fuerit, ignoramus.) Qui quidem inter Apostolos & Doctores Euangelij sunt insignes: qui ante me crediderunt, & Christiano nomine fuere nobilitati. *Salutate Ampliatum* mihi in Domino dilectissimum. Salutate *Vrbanum* adiutorem nostrum *in Christo*, seu in his, quæ ad fidem Christi propagandam pertinent. *Et Stachym* dilectum meum. Hic quidem à D. Andrea primus Byzantinæ Vrbis fuit creatus Episcopus, vti in Martyrologio Romano legimus. *Salutate Apellem* probum plane in Christo virum, seu probatum (Græcus sic) Christi discipulum. *Salutate eos*, qui ex Aristoboli domo sunt. Profectò Aristobolus in Martyrologio tanquam Apostolorum discipulus & Martir annotatur. *Salutate Herodionem cognatum meum*, Iudæum scilicet, & fortè ex Beniaminia Tribu. *Salutate eos, qui sunt ex Narcissi domo, qui sunt in Domino.* Saluere iubeo ex illis, qui adsunt in domo Narcissi, eos, qui Domini fidem sunt amplexi: reliquos nolo meo ex nomine salutari. * Cum infidelibus nullum vel leue commercium est ineundum.] Probabile existimo Narcissum hunc fuisse Claudij Imperatoris libertum, cuius mentionem Tacitus, & Suetonius agunt. *Salutate Tryphænam, & Tryphosam*. quæ laborant Euangelio Christi, siue eum laborem gerunt qui sexui femineo conuenit; nempè Apostolicis viris ad victum necessaria ministrant. * Et huiusmodi ministerium gerere Paulus asserit esse, Euangelio laborare. *Quæ laborant in Domino.* Vt quodammodò Euangelij ministri vocandi sint, non solùm qui prædicant illud, sed & qui, aut quæ eis prædicantibus necessaria impendunt.] Fuere quidem Tryphæna, & Tryphosa feminæ nobiles Iconienses, quas Paulus Iconij ad Christum adduxerat. *Salutate Persidem* charissimam, quæ illarum æmulatrix multum etiam in Domino laborauit. *Salutate Rufum* in domino electum, seu qui insignis pietate inter fideles eminet. Et *matrem eius*, & quidem *meam.* Matrem suam vocat Apostolus hanc feminam, eo quod fuerit de Paulo & de fide bene meritam. * Addiderim, fortasse ab illa Apostolum alicubi necessariam accepisse alimoniam. Et quidem quæ te alit, quasi mater est altera.] * Multi D. Bernardum, (cuius festum dum hæc scribo Ecclesia celebrat) Deiparentis filium vocitant, & merito planè, quia ex Mariæ virgineis vberibus cælestis lactis alimoniam accepit.] *Salutate Asyncritum*, Phlegontem, Hermam, Patrobam, Hermen, & qui cum eo sunt, Fratres. Porrò Asyncritus & Phlegontes tanquam Apostolorum discipuli in Martyrologio Romano memorantur. Hermas verò auctor fuit libri qui vocatur *Pastor.* Eos autem Apostolus *fratres* vocitat Christianos horum virorum domesticos. *Salutate* Philologum, & Iuliam, Nereum, & sororem eius: & Olympiadem, & omnes qui cum eis sunt, *sanctos*, seu fideles. *Salutate inuicem in osculo sancto*, id est cum osculo, quale decet sanctos, quodque symbolum sit amoris sinceri, & spiritualis, quod charitatis signum vocitamus.

Labor ille debet solùm memorari & laudari, qui ad Dei gloriam ordinatur.

Cum infidelis, nec leue commercium est ineundum.

Non solùm qui Euangelium prædicant, dicuntur eius ministri, sed quodammodò & qui illis necessaria impendunt.

Quæ te alit quasi altera tibi mater est.

D Bernardus quasi Mariæ filius, quia eius fuit cælesti lacte potatus.

Taxantur qui pacis osculo ad libidinem abutuntur.

Mira D. Pauli charitas in fideles proximos.

mus. * Particula hæc, *In osculo sancto* carpit eos, qui nonnullarum regionum osculo ad amoris fraterni signum instituto, ad libidinem abutuntur.] * Hinc profectò D. Pauli charitas innotescit, qui tot occupationibus impeditus memoriæ tot nomina virorum ac fœminarum fidelium retineat, documentum exhibens quod personas in corde fouebat.]

Vers. 17. 18. 19. 20. *Rogo autem vos, fratres, &c.*] Precor vero vos, ô fratres, vt obseruetis diligenter verba & actiones eorum, qui scandali se præbent auctores, & promulgant dogmata ei doctrinæ repugnantia, quam vos pridem ab Euangelij præconibus didicistis: & eorum consuetudinem declinate. * Vel vnius enim prauus socius maxime hæreticus pestis est toti communitati.] Cum pestis grassatur in aliqua prouincia vel Vrbe, assolent seruari portæ aliarum Ciuitatum, ne aliquis infectioni addictus, ingrediatur. Ideo Apostolus vsus est verbo illo *Obseruetis*, id est, vos seruate sicuti fores Vrbium tempore infectionis assolent obseruari, ne ad vos aliquis hæresis peste accedat infectus.] *Huiuscemodi* enim homines Domino Iesu nequaquam seruiunt, sed potius suo ventri indulgent, suaque blandiloquentia, & assentatione innocentum hominum corda seducunt. *Vestra autem obedientia, &c.*] Obedientiæ vestræ ad fidei præscripta fama ad omnes fermè gentes penetrauit. Vndè quoad vos attinet, est quidem quo magnopere gaudeam. Cupio tamen, vos in rebus bonis atque honestis esse cautos, & prudentes; ne tanto bono blandis seductorum persuasionibus excidatis: *Simplices autem in malo*, vt qui nocendi, vel male agendi artem non teneatis. *Deus autem pacis* amator, & auctor *Satan* magistrum, & incentorem discordiarum velociter sub pedibus vestris conterat: vt opprimatis quotquot dæmone instigante dissidia inuehere conantur. *Gratia Domini* nostri Iesu Christi vobiscum.

Vel vnus malus socius pestis est toti communitati.

Vers. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. *Salutat vos Timotheus, &c.*] Ex his autem, quæ mecum diuersantur, vos saluere iubet *Timotheus* (Fuit hic postmodum Ephesi Episcopus, ad quem duæ Pauli Epistolæ extant) Et *Lucius*, (seu Lucas iuxta plurium sententiam, cui adhæreo. * Nec enim credam Lucæ tunc Pauli socij charitatem pigriorem fuisse ad fratres in Christo salutandos.)] Et Iason, & Sosipater cognati mei, seu mea ex Tribu exorti. *Saluto vos ego Tertius, qui scripsi epistolam, in Domino.* Hic Tertius Pauli Amanuensis fuit in hac Epistola conscribenda, vel ex Græco transferenda in Latinum. Postea quidem Iconij Episcopus, & Martyr, Dorothæo & Diodoro testantibus. *Salutat vos Caius hospes meus* (Corinthi scilicet) ab Apostolo instructus, & sacra vnda dilutus. Hic est, ad quem Ioannes suam tertiam scripsit Epistolam, in qua eum ab hospitalitate commendat. * En vtilitatem semel iustum hospitio excipiendi. Accepit hinc peregrinos tam frequenter excipere, vt merito à Ioanne ex hospitalitatis virtute mirè laudaretur. Magna vnius hospitalitatis est merces, plures alias gerere hospitalitatis actiones.] Item vos *vniuersa Ecclesia* salutat. * Vndenam nouit Paulus Romanos ab vniuersa Ecclesia salutari si variis in regionibus erat dispersa? Nouerat quidem charitatem eos in vnum coalescere. Vnde iussi saluere ab vno, à cunctis salutationis excipiebant officium.] *Salutat vos Erastus Arcarius*, seu quæstor publicus Corinthiorum postea Philippensium Episcopus, & Christi Martyr. Et *Quartus* frater eius vel sanguine, vel religione. *Gratia Domini nostri Iesu Christi* vobis omnibus adsit, semperque opituletur. *Soli* autem Sapienti omnia Deo, per Iesum Christum gloria sit immortalis in sæcula. *Ei* inquam, Deo, qui potest vos stabilire in fide suscepta, iuxta *Euangelium meum* seu prædicationem Euangelij Iesu Christi, eiusque mysteriorum reuelationem, quod ab æterno arcano quodam silentio inuolutum claudebatur. Nunc verò reseratum est per sacrorum oraculorum Prophetarum expositionem ex Dei imperio declaratorum. Vt omnes Gentes id edoctæ ministrorum fidei præconiis ad Christum traducantur, *Amen.* Itaque Pauli *Euangelium* est prædicatio seu annunciatio œconomiæ Iesu Christi, qua continetur non res aliqua vulgaris naturali lumine inuenta: sed à solo Deo reuelata, res maximi momenti, nempe misterium redemptionis & saluationis omnium Gentium per Christum. Quod tamen non est recens à Deo decretum, sed ab æterno excogitatum ab ipso, ac definitum, licet in ipsius sinu perpetuo reseruatum. * Euangelij itaque ministri hinc discant quanto pondere rem tanti ponderis debeant euulgare. An decet ex suggestu iocosa inutilia verba cælesti doctrinæ miscere?] Crediderim hanc Epistolam Græcè fuisse à Paulo scriptam & à Tertio in Latinum conuersam, ideo præ cunctis aliis obscuritate plenam.

Lucæ Euangelistæ charitas.

Vnius hospitalitatis merces hîc est plures postea gerere hospitalitatis actiones.

Christianos omnes charitas vnum conuertit.

Ab inutilibus, & iocosis verbis sacer abstineat Orator.

LIBER SECVNDVS.

EPISTOLA BEATI PAVLI APOSTOLI AD Corinthios prima.

PRÆLVSIO.

Epiſtola hæc Epheſi ſcripta fuit anno à morte Dominica vigeſimo quinto (quod *ex cap.* 16.8. colligitur) & ad Corinthios emiſſa. Porrò Corinthus Achariæ, ſeu Peloponeſi Metropolis duobus inclita portubus Ionio, & Ægeo. Merito à Tullio (orat. pro lege Manil.) Corinthiam Vrbem à Corintho Oreſtis filio inſtauratam *totius Græciæ lumen* appellat, tùm ob opes, tùm ob ædificiorum ſplendorem, tùm ob Oratorum, ac Philoſophorum frequentiam. Mihi itaque parenti huius Epiſtolæ myſteria reſerare, mox illa *cap.* 1. 3. clauſula occurrit: *Gratia vobis, & pax*, in qua neſcio quid ad Deiparam attinens contemplor. Cum Gabriel Archangelus myſterij Incarnationis tractatum appararet, Virgini dixit, *Aue gratia plena.* Adque Richardus Laurent. de laud. Virg. lib. 1. cap. 2. Quod præmiſit Angelus, *Gratia plena, ecce ſalutatio Apoſtoli, qui in ſuis Epiſtolis ſemper præmittit, Gratia vobis.* Si igitur Paulus hoc veluti reſpectu ad Deiparæ factam ab Archangelo ſalutationem tam diſertè & vtiliter ſcripſit Epiſtolam: ego eodem reſpectu ſpero, ſi non diſertè, ſaltem vtiliter eam me interpretaturum.

Qui memor Deiparæ eſt cum ſcribere apparat, vtiliter ſcribit.

CAPVT I.

Corinthios Paulus à vanæ ſapientiæ faſtu ad humilem crucis Chriſti fidem adducit. Et concordiam fraternam eis ſuadet.

1. PAVLVS vocatus Apoſtolus Ieſu Chriſti, per voluntatem Dei, & Soſthenes frater, 2. Eccleſiæ Dei, quæ eſt Corinthi, ſanctificatis in Chriſto Ieſu, vocatis ſanctis, cum omnibus qui inuocant nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti, in omni loco ipſorum, & noſtro. 3. Gratia vobis & pax à Deo Patre noſtro, & Domino Ieſu Chriſto. 4. Gratias ago Deo meo ſemper pro vobis in gratia Dei, quæ data eſt vobis in Chriſto Ieſu: 5. quòd in omnibus diuites facti eſtis in illo, in omni verbo, & in omni ſcientia: 6. ſicut teſtimonium Chriſti confirmatum eſt in vobis: 7. ita vt nihil vobis deſit in vlla gratia, expectantibus reuelationem Domini noſtri Ieſu Chriſti. 8. qui & confirmabit vos vſque in finem ſine crimine, in die aduentus Domini noſtri Ieſu Chriſti. 9. Fidelis Deus: per quem vocati eſtis in ſocieta

societatem filij eius Iesu Christi Domini nostri. 10. Obsecro autem vos, fratres,
per nomen Domini nostri Iesu Christi: vt idipsum dicatis omnes, & non sint in
vobis schismata: sitis autem perfecti in eodem sensu, & in eadem sententia.
11. Significatum est enim mihi de vobis, fratres mei, ab iis qui sunt Chloës, quia
contentiones sunt inter vos. 12. Hoc autem dico, quòd vnusquisque vestrûm
dicit: Ego quidem sum Pauli: ego autem Apollo: ego verò Cephæ: ego autem
Christi. 13. Diuisus est Christus? Numquid Paulus crucifixus est pro vobis?
aut in nomine Pauli baptizati estis? 14. Gratias ago Deo, quòd neminem vestrûm
baptizaui, nisi Crispum & Caium: 15. ne quis dicat quòd in nomine meo bap-
tizati estis. 16. Baptizaui autem & Stephanæ domum: cæterum nescio si quem
alium baptizauerim. 17. Non enim misit me Christus baptizare, sed euangeli-
zare: non in sapientia verbi, vt non euacuetur crux Christi. 18. Verbum enim
crucis, pereuntibus quidem stultitia est: iis autem qui salui fiunt, id est nobis,
Dei virtus est. 19. Scriptum est enim: Perdam sapientiam sapientium, & pru-
dentiam prudentium reprobabo. 20. Vbi sapiens? vbi scriba? vbi conquisitor
huius sæculi? Nónne stultam fecit Deus sapientiam huius mundi. 21. Nam quia
in Dei sapientia non cognouit mundus per sapientiam Deum: placuit Deo per stul-
titiam prædicationis saluos facere credentes: 22. Quoniam & Iudæi signa petunt,
& Græci sapientiam quærunt: 23. nos autem prædicamus Christum crucifixum
Iudæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam, 24. ipsis autem vocatis
Iudæis atque Græcis, Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam: 25. quia quod
stultum est Dei, sapientius est hominibus: & quod infirmum est Dei, fortius est
hominibus. 26. Videte enim vocationem vestram fratres, quia non multi sapien-
tes secundùm carnem, non multi potentes, non multi nobiles? 27. sed quæ stulta
sunt mundi elegit Deus, vt confundat sapientes: & infirma mundi elegit Deus,
vt confundat fortia: 28. & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, &
ea quæ non sunt, vt ea quæ sunt destrueret: 29. vt non glorietur omnis caro in
conspectu eius. 30. Ex ipso autem vos estis in Christo Iesu, qui factus est nobis sa-
pientia à Deo, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio: 31. vt quemadmodum
scriptum est: Qui gloriatur, in Domino glorietur.

COMMENTARII.

1. Corinthios à vana Sapientia fastu ad humilitatē crucis Christi traducit.

1. VERS. 1. 2. 3. 4. *Paulus vocatus Apostolus, &c*] Paulus Dei vocatione Apostolus Iesu Christi, idque non vllo suo præcurrente merito, sed per vnius gratuitam Dei voluntatem, vna cum Sosthene fratre ciue inter Corinthios primario, ac Synagogæ Principe, qui eiusdem est mecum sententiæ & voluntate, salutem dicit *Ecclesiæ Dei*, quæ est Corinthi, id est, *sanctificatis* in Christo, seu Baptismo dilutis, & sic vera gratia ac sanctitate donatis: & *vocatis sanctis*, seu ad sublimem ac sanctum perfectionis vocatis statum. (Portò Sostenes hic pro fide coram Gallione Achaic Proconsule acriter fuit à Iudæis verberatus. Inter sanctos refertur 28. Nouembris.) Vnico verbo salutem precatur vniuersis, qui vbique locorum inuocant nomen Domini Iesu Christi, Domini, inquam, nostri, & ipsorum. *Gratia vobis & pax, &c.*] Gratiamque & pacem à bonorum omnium fonte Deo Patre nostro, & Domino Iesu Christo eadem cum Patre natura, efficientia, ac maiestate prædito summis votis precatur. * *Gratia*, inquit, *vobis*, *& pax*. Primus gratia illos ornari studet, quam pacem precetur. Quia vera animi pax ex gratiæ possessione ducit originem. Quomodò enim cor vera pace fruetur, si vacuus Dei gratia ipsi bellum indicit, & tanti hostís ineuitabili vulnere affici metuit.] Et quidem vestra causa ô Corinthij *gratias ago Deo* sẽper ob ea diuinæ gratiæ munera, & cælestia charismata Spiritus sancti, quibus donari estis per Christi merita & ipsius ineffabilem munificentiam.

Qui Dei gratia non fruitur, vera pace potiri non potest.

Vers. 5. 6. 7. 8. 9. Quod in omnibus diuites, &c.] Gratias, inquam, Deo affectu cordis reddo, propterea quod ipsius munificentia abundare vos omnes video prædicatorum copia, & doctorum Euangelicorum, & quæ inde hauritur scientia mysteriorum fidei, & officij Christiani. * Probi Concionatores magno Dei beneficio Ecclesiæ impenduntur. Vndè Apostolus Christiani populi ait esse diuitias: *Diuites facti estis.*] *Sicut* satis apparet ex eo, quod firma in vobis, & quidem perspicua sint illa Spiritus sancti dona, quæ testimonium aperte reddunt, vos in fide Christi Domini esse confirmatos. *Ita* profectò, vt nullo cælesti munere non potiamini, dum alterum Christi aduentum expectatis: qua quidem expectatione vos à peccatis asserebatis immunes. *Qui* plane aliquandò venturus ad iudicium vos vsque in vitæ finem sine crimine confirmabit. * Nihil enim sic homines à peccatis absterret, quam extremi iudicij memoria.] *Fidelis* quippè *est*, ac verax Deus, à quo vocati estis ad fidem, hoc est, ad societatem, & communem quendam vsum cælestium bonorum, quæ Christi Domini nostri Dei filij beneficio cunctis hominibus proponuntur.

Christiani populi diuitię probi Cõcionatores.

A peccando absterret homines extremi iudicij memoria.

Vers. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. Obsecro autem vos fratres, &c.] O fratres, per Domini

noſtri Ieſu Chriſti *nomen* enixè vos obſecro, vt idem & ſentiatis omnes, & loquamini: neque diſſidiis aut concertationibus inuicem dimicetis; ſed eadem omninò mente, atque ſententia in vnum veluti corpus coagmentati & animum, cóſpiretis. Nihil enim ſic fraternam charitatem imminuit, quam ſchiſmatum obreptio, & inutilium quæſtionum affectata altercatio] *Significatum eſt enim mihi* per domeſticos Chloes fœminæ cuiuſdam Chriſtianæ nobilis nomen eſſe crediderim.) inter vos lites, & contentiones gliſcere.

Schiſmata peſtis charitatis fraternæ.

* Cur Paulus non inuoluit ſilentio eos, à quibus certior de hiſce contentionibus fuerit effectus? Annon anſam exhibebát Corinthiis nonnulli in illos Chloes *domeſticos* querimoniæ? Minime quidem. Nam *vocatus ſanctus* Paulus ſcribebat. Sanctorum autem mos eſt vberiori illos affectu diligere, per quos immediate, vel mediate à ſuis piaculis, vel imperfectionibus corriguntur.]

Sancti maiori affectu amant illos, per quos à ſuis corrigūtur imperfectionibus.

Hoc autem dico, quod quiſque eorum, qui inter vos de magiſtri ſui præcellentia contentioſè & ambitioſè diſceptat (nec enim crediderim, omnium fuiſſe hoc vitium commune) dicit, & iactat, vnus: *Ego ſum Pauli* catechumenus, & diſcipulus: A Paulo Gentium doctore, & Apoſtolo glorior doctrinam fidei accepiſſe. Alius dicit, *Ego autem ſum Apollo* viri diſerti, & eloquentis: Tam illuſtris viri magiſterio me ſubdere malo. Alius dictitat: *Ego vero* ſum *Cepha* ſeu Petri Principis Apoſtolorum omnium. Alius denique gloriatur, quaſi humanos faſtidiens doctores: *Ego Chriſti ſum. Diuiſuſne eſt Chriſtus?* An plures Chriſti ſunt, An alius eſt Chriſtus Pauli, quam Chriſtus Apollo, vel Petri? Annon vnus eſt idemque Chriſtus, qui ab his omnibus prædicatur, qui & pro vobis omnibus crucifixus eſt, & in cuius nomine vos baptizati eſtis? Num forſan inaudita blaſphemia vultis Paulum, vel Apollo, vel Cepham eſſe vobis Chriſtum pro vobis cruci ſuffixum, & vos in nomine Pauli ſacra vndae eſſe dilutos? *Gratias ago Deo* eiuſque prouidentiæ, quod ad tollendam huius intolerabilis erroris anſam neminem veſtrum meis manibus baptizaui, niſi vnicum *Criſpum* apud vos Archiſynagogum, & Caium hoſpitem meum: *ne quis* dicere audeat quod meo in nomine diluti eſtis. *Baptizaui autem & domum Stephana* viri quidem à fide, zelo, & charitate celebris: cæterum ſi quem alium vnda ſacra diluerim ignoro. *Non* enim à Chriſto immiſſus ſum baptizandi miniſterio, ſed prædicandi incumbere, *non in ſapientia* ſeu affectata eloquentia, & ornatu verborum: vt non *euacuetur*, Seu inanis reddatur ſaltem hominum opinione *Crux*, ſiue paſſio Chriſti, dum putarent homines, ſe ad fidem pellectos, & conſequenter ſalutem aſſecutos non tam vi meritorum Chriſti, quam humanæ vi eloquentiæ.

Affectata in Concionibus eloquentia euacuat fructum, ſeu inutilem reddit Euāgelij vim.

* Preme illa: *Non in ſapientia verbi, vt non euacuetur crux Chriſti.* Concionibus affectata eloquentia ornatis euacuatur, ſeu inutilis redditur Euangelica vis ad homines ad Chriſtum adducendos.] * *Non* inquit, *miſit me Chriſtus baptizare, Sed euangelizare.* Addenda eſt particula. *Principaliter*, vel *Ordinariè*: alioqui fatetur Apoſtolos à ſe nonnullos fuiſſe dilutos. Vt ediſcant Regulares qui miniſterio concionandi ſunt à Prælatis deputati, non ideo exemptos eſſe à confeſſionibus (altero quidem baptiſmo) audiendis: Sed debere, cum occaſio ſe obtulerit, ei incumbere miniſterio.]

Qui a Prælato Concionandi miniſterio eſt addictus, non ideo à confeſſionibus audiendis eximitur.

Verſ. 18.19.20.21.22.23.24.25. *Verbum enim crucis, &c.*] Nam illa doctrina, quæ de Chriſti paſſione & morte crucis à me vobis traditur, iis quidem, qui cum perituris nunc peccatoribus deputantur, nihil aliud eſſe videtur, quam perſpicuum amentiæ Concionatoris indicamentum. Nobis autem, qui per fidem ſpe fruimur ſalutis aſſequendæ, mirificum eſt diuinæ potentiæ teſtimonium, qui crucis virtute aſpectu fragilis & vilis, mortem, peccatum, & infernum debellauit.

Taxantur Cōcionatores, qui affectant à paſſionis Dominicæ tractatu in ſermone abſtinere.

* Vt ediſcant verbi ſacri præcones, quam taxabiles in cócionibus qui à Dominicæ paſſionis tractatu abſtinere affectant.] Cum hæc deberet toti concioni materiam ſubiicere, per quam munda ſalus perfecta eſt.] *Scriptum eſt enim* ab Iſaia c. 29. 14. *Perdam ſapientiam ſapientum, & prudentium, prudentiam reprobabo.* Vt ſcilicet nulli ſit vſui ad animas Chriſto adiungendas.

Dei ſupplicio magno introductus eſt hodiernus Concionandi vſus inutilis.

* Maximo Dei ſupplicio talis hodiè concionandi vſus eſt introductus, vt vix clauſula vna prodit, quæ perdita non ſit, & inutilis] Huius mundi ſapientes, philoſophi, ſcriptores, & qui in arcanis naturæ ſcrutandis, & ſubtiliſſimis explicandis quæſtionibus totam ætatem tranſegiſtis, vbinam eſtis? accedite: & quem fructum ad animarum ſalutem collegeritis, exponite. Profectò Deus huius mundi ſapientiam inſaniam verè eſſe oſtendit. Res tàm perſpicua eſt, vt negari, vel in dubium vocari non queat. *Nam* poſt tot mundi ſapientum dicta & ſcripta: poſt ipſam mundi fabricam quæ loquaci ſilentio Dei ſapientiam & potentiam teſtatur: Deum homines perfectè non cognouerunt. Sed idem ille bonorum omnium parens gratuita ſua, ac immenſa bonitate impulſus decreuit in erudita Euangelij prædicatione eos, qui credidiſſent, ad veram Dei cognitionem, & ſalutem pertrahere. Vultis oſtendam, quam inutilis ad ſalutem mundi ſapientia extitit? Iudæi poſt tot ſapientum ſcribarum monita, *ſigna petunt*; rebus mirabilibus aſſuati. *Græci*, ſeu Gentiles vnam diuinarum humanarumque ſapientiam rerum, quam in deliciis habent, admirantur. Quanam autem vtilitate? Nulla quidem vſque ad Euangelicæ prædicationis ſonum. *Nos autem prædicamus*, colendumque cunctis proponimus Chriſtum cruci ſuffiſum, quem Iudæi quaſi offendiculum abominantur, Gentiles verò perindè ac rem ſtultitiæ plenam, & à recta ratione alienam omnino contemnunt. Cum tamen *ipſis Iudæis & Græcis*, ſeu Gentilibus, à Deo vocatis, & Euangelio ſubmiſſis reuera Chriſtus Deus & homo religioſo cultu ſuſcipitur obſequendus: hoc vel maximè nomine, quod in illo mira Dei Sapientia, potentiaque eluceat. En noſtræ veræ, ac ſinceræ prædicationis fructus. *Quia quod ſtultum eſt, &c.*] Illa enim crux, quæ hominum iudicio ſtultitia quædam putatur, Dei quidem Sapientia ac maieſtate indigna. Etſi quæ fortè humano ingenio Dei imbecilitas videatur, ea iure optimo quolibet creato eſt robore validior, quæ omnem Philoſophorum Sapientiam, & Imperatorum potentiam ſibi omninò ſubiecit.

Verſ. 26.27.28.29.30.31. *Videte enim vocationem veſtram, &c.* Videte ô fratres, & expendite

dite rationem & modum, quem secutus est Deus in vobis ad fidem aduocandis. Nam si spectetis Euangelij præcones, qui vos vocauerunt, non multos certè inter eos reperietis *Sapientes secundum carnem*, seu carnali, humana, terrena Sapientia præditos: *Sed quæ stulta sunt mundi* Deus elegit, vt fortia, seu vt Sapientiam mundi confundat: *Et quæ* mundi opinione alicuius notæ aut momenti non sunt: *vt ea, quæ sunt* apud mundanos maximo pretio habita nempe Sapientes sæculi destrueret, & euerteret. *Vt non glorietur omnis caro*, siue vt nulli hominum detur occasio se iactandi, quod ob suam sapientiam, aut aliorum sæculi Sapientium ministerio vocatus fuerit ad Euangelij fidem: sed ex mero Dei beneplacito, qui insipientum, iuxta carnem Syncera prædicatione disposuit homines ad se adducere. *Ex ipso autem*, id est, ipsius Dei dono vos estis vocati ad Christi fidem. Qui quidem Dei dono factus est nobis Sapientia, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio. Id est, factus est auctor & dator Sapientiæ, &c. Quia Christus per passionem suam promeritus est nobis nostram Sapientiam, iustitiam redemptionem, & per suam gratiam, ac sacramenta illas in nobis producit. *Vt quemadmodum* Sapienter à Ieremia cap. 23. 5. Scriptum legimus: *Qui gloriatur* nullo modo in se, suaque, aut alius humana Sapientia: sed in Domino omnium bonorum largitore glorietur.

CAPVT II.

Spiritualem mysteriorum fidei Christi scientiam simplicem omni scientiæ naturali, & carnali præfert Apostolus.

1. ET ego, cum venissem ad vos, fratres, veni non in sublimi-
tate sermonis, aut Sapientiæ, annuncians vobis testimo-
nium Christi. 2. Non enim iudicaui me scire aliquid inter
vos, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum. 3. Et ego
in infirmitate, & timore, & tremore multo fui apud vos:
4. & sermo meus, & prædicatio mea, non in persuasibilibus
humanæ Sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus & vir-
tutis? 5. Vt fides vestra non sit in Sapientia hominum, sed in virtute Dei. 6. Sa-
pientiam autem loquimur inter perfectos: Sapientiam verò non huius sæculi, ne-
que principum huius sæculi, qui destruuntur: 7. Sed loquimur Dei sapientiam
in mysterio, quæ abscondita est, quam prædestinauit Deus ante sæcula in gloriam
nostram. 8. Quam nemo principum huius sæculi cognouit: si enim cognouis-
sent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent. 9. Sed sicut scriptum est:
Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præ-
parauit Deus iis, qui diligunt illum: 10. Nobis autem reuelauit Deus per spiri-
tum suum: Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei. 11. Quis enim
hominum scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? ita & quæ
Dei sunt, nemo cognouit, nisi Spiritus Dei. 12. Nos autem non spiritum huius
mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo: est, vt sciamus quæ à Deo donata
sunt nobis: 13. quæ & loquimur non in doctis humanæ Sapientiæ verbis, sed in doctri-
na Spiritus, spiritualibus spiritualia comparantes. 14. Animalis autem homo non
percipit ea quæ sunt Spiritus Dei: stultitia enim est illi, & non potest intelligere:
2. quia spiritualiter examinatur. 15. Spiritualis autem iudicat omnia: & ipse à nemi-
ne iudicatur. 16. Quis enim cognouit sensum Domini, qui instruat eum? Nos
autem sensum Christi habemus.

COMMENTARII.

1. *Scientiam simplicem Euangelij scientia fucata mundi præponit.* VERS. 1.2.3.4.5. *Et ego cum venissem ad vos, &c.*] Ego itaque fratres, cum ad vos missus à Christo veni, humana præditos eloquentia, non orationis apparatu, neque affectatæ Sapientiæ instructus, aggressus fui Euangelij mysterium, quo Deus suam Sapientiam, & maiestatem testatam esse voluit, vobis annunciare. *Non enim* quidquam mihi delegi, cuius apud vos eximiam scientiam profiterer, nisi vnicum Iesum Christum, eumque pro hominibus cruci suffixum. Hanc veram fidei notitiam simpliciter, & sine fuco verborum exponendam censui: vt eius dignitas, vis, ac maiestas magis eluceret omni peregrino ornatu expedita. Veritas enim nuda sibi est ornamentum: eius agnata pulchritudo fuco non indiget.] *Et ego* quidem *in infirmitate*, seu cum magna animi demissione, multoque timore affectus apud vos fui ob Iudæorum persecutionem, & graues ærumnas, quas Corinthi sustinui. Lege Act. 18. *Et sermo meus*, seu oratio, *Veritatis pulchritudo ornatu non indiget.*

qua in prædicando Euangelio vtebar, haud constabat exquisitis ad persuadendum humanæ Sapientiæ, aut eloquentiæ verbis: sed *ostensione spiritus, & virtutis*, id est, solidis rationibus, quæ & rem concluderent, & diuinam potentiam ostentarent. *Vt fides*, & conuersio vestra non sit fundata in Sapientia humana, nec illi adscribatur; sed Dei virtuti, seu verbi diuini, & Euangelij efficacitati.

Vers. 6 7.8.9.10. *Sapientiam autem loquimur &c.*] Sapientiam autem sublimiorem, & profundiorem doctrinam de secretioribus & eleuatioribus fidei mysteriis, nempè de modo, consilio, & fine incarnationis, & passionis Filij Dei, de prædestinatione, & reprobatione, de Sapientia, potentia diuina, de modo processionum Trinitatis beatissimæ, &c. loquimur non apud vos vtpotè adhuc paruulos quibus *lacte*, seu facili doctrina est opus: sed *inter perfectos*, seu magis in fide, & virtutibus prouectos, qui huiusmodi sublimioris doctrinæ sunt capaces. * Edisçat hinc Euangelij præco doctrinam concionis captui auditorum accommodare.] Tradimus, inquam, rudibus, & prouectis, iuxta eorum captum, Sapientiam non huius sæculi, neque eorum, qui primas in hoc mundo gerunt, quique ab hominum memoria momento temporis abolentur. *Sed loquimur Dei Sapientiam* in mysterio latentem, id est, abditam illam, quam Deus ab æterno nostram in gloriam prædestinauerat. *Quam nemo principum* sæculi huiusce, Dynastarum, Magistratuum vel eminus tantum aspexisse creditur. Nam si qua ratione Pontifices, Scribæ, Pharisæi, Pilatus, Herodes, & alij proceres illam plenè comprehendissent, intellexissent quidquid Christi mors tum in hac mortali, tum in alia sempiterna vita fructus esset paritura: haud quidem gloriæ Dominum tam impiè in crucem egissent. Dixi, doctrinam hanc absconditam ab æterno prædestinatam esse à Deo *in gloriam nostram*, decreuit, inquam, vt vobis in tempore panderetur, quo per illam pertingeretis ad celsissimam illam gloriam adoptionis in terris, & beatificationis in cælis. Quæ quidem beatitudo filiis adoptiuis disposita tanti ponderis, tantæ est excellentiæ vt, sicut scriptum est *Isa.* 64.4. non solum non vidit vllus, aut audiuit, sed neque hominum *corda ascendit*, seu in illorum mentem venit naturæ viribus vim gloriæ, quam Deus se diligentibus apparauit. Sunt enim hæc supernaturalis ordinis, nempè adoptio hæc, & adoptionis fructus. Proceribus mundi (vt dixi) gloria hæc fuit abscondita, quam etiam nos ignoraremus, nisi Deus nobis per Spiritum suum sanctum reuelasset, vt illam vos ô Corinthij, & alios doceremus. *Spiritus* enim Dei sanctus *omnia etiam profunda Dei*, seu abditissima diuina consilia (inter quæ vnum est hoc adoptionis & glorificationis nostræ per Christi mortem, & meritum) *scrutatur*, id est, intimè penetrat, & perfectè cognoscit, vtpotè Deus.

Concionator debet doctrinam sermonis captui auditorum accommodare.

Vers. 11.12.13.14.15.16. *Quis enim hominum scit. &c.*] Quis quæso hominum aliorum scit quæ sunt occulta in huius vel illius hominis animo? Certe solus spiritus, vel intellectus istiusmet hominis, qui quasi quid vnum est cum homine. Haud aliter Spiritus sanctus, qui eandem cum Patre, & Filio naturam & cognitionem habet, omnia nouit, quæ Dei sunt. Profectò hunc *Spiritum* sanctum *nos accepimus*, vt sciamus per fidem quidem, & obscurè, (sed tamen certo & infallibiliter) hæc mysteria ac beneficia diuina per eius gratiam nobis donata non in indiuiduo; (v.gr. iustificationem cuiusque in singulari) sed, in generali mysteria in nostri gratiam facta, & beneficia toti humano generi, toti Ecclesiæ per Christum collata. *Quæ* quidem vti à Dei spiritu accepimus, & cognouimus, ita etiam *loquimur* & alios docemus: non doctis humanâ Sapientiæ verbis, nec oratione rethorico artificio constructa: Sed *doctrina spiritus*, seu oratione & vel qualia decent spiritualia mysteria, & qualia Spiritus sanctus suggerit. Spiritualia verba rationes & discursus *comparantes* seu accommodantes spirituali materiæ, sic synceriter nobis ab Spiritu sancto dictatæ. * Vnde Concionator, qui ad dogmata fidei, & Euangelij doctrinam tradendam vtitur verbis Ciceronianis, Platonicis rationibus, Demosthenicis discursibus, videtur se velle Spiritus sancti stilum emendare.] *Animalis autem homo*, seu non alia, quam naturali animi luce & cognitione præditus, non ea percipit, quæ sunt spiritus Dei: quippe illa pro stultitia habet, nec vlla potest ratione ea consequi; quia vi & afflatu solius sancti Spiritus diiudicantur, & ab aliis secernuntur vt internosci queant. *Spiritualis autem*, seu qui diuo Spiritu cælitus est imbutus, intelligit, & perspicit hæc omnia, quæ fide credimus: ipse verò à nemine iudicari, aut condemnari meritò potest. *Quis enim* mentem Domini nouit, vt quasi collatis consiliis, quid ei agendum sit certò præscribat? Atque adeò possit spiritualem, seu à Spiritu sancto edoctum arguere, & condemnare? Nos itaque mentem, ac Christi spiritum vtcumque accepimus, qui nobis arcana illa alioqui abdita, & occulta, ac humanæ imbecillitati penitus inscrutabilia in vestram vtilitatem patefecit.

Concionator, qui verbis affectatis vtitur, videtur, se velle Spiritus sancti, stilum emendare.

CAPVT

CAPVT III.

Omnes Euangelij pratones docet esse Christi ministros. Christum autem esse Ecclesiæ fundamentum, cui cuncti inædificare debent.

1. ET ego, fratres, non potui vobis loqui quasi spiritualibus,
sed quasi carnalibus. Tanquam paruulis in Christo,
2. lac vobis potum dedi, non escam: nondum enim potestis:
ratis: sed nec nunc quidem potestis: adhuc enim carnales
les estis. 3. Cùm enim sit inter vos zelus, & contentio:
nónne carnales estis, & secundùm hominem ambulatis?
4. Cùm enim quis dicat: Ego quidem sum Pauli; alius
autem: Ego Apollo: nónne homines estis? Quid igitur est Apollo? quid verò
Paulus? 5. Ministri eius, cui credidistis, & vnicuique sicut Dominus dedit.
6. Ego plantaui, Apollo rigauit: sed Deus incrementum dedit. 7. Itaque neque
qui plantat est aliquid, neque qui rigat: sed, qui incrementum dat, Deus. 8. Qui
autem plantat, & qui rigat, vnum sunt. Vnusquisque autem propriam mercedem
accipiet secundùm suum laborem. 9. Dei enim sumus adiutores: Dei agricultura
estis, Dei ædificatio estis. 10. Secundùm gratiam Dei, quæ data est mihi vt sapiens
architectus fundamentum posui; alius autem superædificat. Vnusquisque
autem videat quomodo superædificet. 11. Fundamentum enim aliud nemo potest
ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Iesus. 12. Si quis
autem superædificat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos,
ligna, fœnum, stipulam, 13. vniuscuiusque opus manifestum erit: Dies enim
Domini declarabit, quia in igne reuelabitur: & vniuscuiusque opus quale sit, ignis
probabit. 14. Si cuius opus manserit quod superædificauit, mercedem accipiet.
15. Si cuius opus arserit, detrimentum patietur: ipse autem saluus erit: sic tamen
quasi per ignem. 16. Nescitis quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in
vobis? 17. Si quis autem templum Dei violauerit, disperdet illum Deus. Templum
enim Dei sanctum est, quod estis vos. 18. Nemo se seducat: si quis videtur
inter vos sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat vt sit sapiens. 19. Sapientia
enim huius mundi, stultitia est apud Deum. Scriptum est enim: Comprehendam
sapientes in astutia eorum. 20. Et iterùm: Dominus nouit cogitationes sapientium,
quoniam vanæ sunt. 21. Nemo itaque glorietur in hominibus. 22. Omnia
enim vestra sunt, siue Paulus, siue Apollo, siue Cephas, siue mundus, siue vita,
siue mors, siue præsentia, siue futura; omnia enim vestra sunt: 23. vos autem
Christi: Christus autem Dei.

COMMENTARII.

1. *Docet, omnes Euangelij pratones esse Christi ministros.*

VERS. 1.2.3.4.5. *Et ego fratres, non potui vobis, &c.*] Non potui huc vsque ô fratres, quasi *spiritualibus*, seu spiritum Dei, & sensum Christi plenè sequentibus loqui, & occultiora fidei mysteria (de quibus suprà) enucleare, quæ plane esca sunt, seu solidus cibus. Sed tanquam adhuc paruulis in Christo, & *carnalibus*, sed carnis sensum sequentibus, & rudibus in schola Christi *lac dedi*: id est, faciliorem & suauiorem doctrinam instillaui de natiuitate, baptismo, morte, resurrectione Christi, redemptione & saluatione mundi, de gratia iustificante, de gloria, & de aliis similibus, quæ catechuminis & recens conuersis solent proponi. *Lac*, inquam, vobis potum dedi, non escam: nondum enim poteratis abstracti ab vberibus solidiori refici cibo. Sed needum quidem potestis: Adhuc enim vos carnalem sensum ducere iudico. *Cum enim sit inter vos* zelus, seu liuor, & contentio, & dissidia in dies gliscat, quis negare possit, vos humani iudicij imbecillitati obnoxios. *Cùm enim dicat quisquam* ex vobis: Ego quidem sum Pauli discipulus; alter verò: Ego sum Apollo: & priuatos vobis magistros vobis asciscatis, nonne adhuc humanum sapitis, à diuina intelligentia penitus recedentes? Quid, quæso, est Apollo? quid Paulus? *Ministri* quidem sunt Christi, cuius fidem tenetis, quorum opera, & labore diuinæ gratiæ facti estis participes. Qui sanè ministri quatenus

tum cuique Deus impertiit, vobis erudiendis laborarunt. * Hinc profectò taxantur, qui de ſcholarum ſpecialium Magiſtris nimium gloriantur dictitantes: Ego ſum Thomæ. Ego ſum ſcoti. Ego ſum Suarij, &c. Annon hi omnes ſunt Chriſti miniſtri, qui eadem fidei dogmata tradunt?]

Taxantur, qui de Scholarū ſpecialium Magiſtris glorian tur.

Verſ. 6.7.8.9. Ego plantaui, &c.] Nihil mihi arrogare poſſum præter obſequium ac functionem miniſtri. Ego enim, qui primus in Gentibus terram ſacro proſcidi ligone, germen fidei plantaui: Apollo vero, qui deinceps iſtam Eccleſiam inſtruendam ſuſcepit, piis monitis germen irrigauit. Quidquid autem incrementi in vobis apparet ad vnum Deum tanquam auctorem eſt referendum. * Non ſibi abroget Euangelij miniſter cuiuſuis profectus proximorum gloriam. Omnia namque Euangelicæ plantationis incrementa à Deo ſolummodò proueniunt.] *Itaque* & qui plantat, & qui rigat nihil ſibi hinc verè tribuere poteſt, ſed omnia à Deo bonorum cunctorum auctore profecta illi vni ſunt referenda, qui vegetat ipſe per ſe & plantationi impendit incrementa. *Qui autem plantat*, & qui rigat non ſunt diuerſi, non inter ſe diſſident, nec diſſentiunt, quod vos videmini ſuſpicari: ſed idem plane, atque vnum ſunt eos quemque conatus dirigit in Euangelij profectum: & inſtar agricolæ miniſtrorum, vnuſquiſque mercedem recipiet ſuo operi ex æquo reſpondentem. *Dei enim ſumus.* adminiſtri. Quocirca vos neque vnius Pauli, aut vnius duntaxat Apollo, ſed æque vtriuſque eſtis diſcipuli: cum ambo vnum planè atque idem ſint in Chriſto. Re autem vera neque Pauli, neque Apollo ſimpliciter ſectatores dicendi, niſi quatenus nos ſumus Chriſti diſcipuli, & miniſtri; nam alioqui verè ipſius eſtis Dei aruum, ſeges, vinea, quam ipſe excoluit: vel ædificium, quod in Filio ſuo Chriſto Domino extruxit.

De nullo proximorum prouentu ſacer magiſter vere poteſt gloriari.

2. *Verſ. 10.11.12.13.14.15. Secundum gratiam Dei, &c.*] Ego ſanè pro eo munere, quod mihi gratuito fuit à Chriſto collatum, vti peritus architectus illius quæ in vobis eſt ſpiritualis ſubſtructionis primùm ſolidum ieci fundamentum: alius verò eſt, qui parietes erigit. Porro cuique perſpiciendum diligenter eſt: quonammodo ſe circa ædificium gerat. *Fundamentum* quidem aliud ſubponere nemo poteſt præter id, quod à me iactum videtis nempe Chriſtus, cuius vobis fidem doctrinamque amplectendam propoſui. *Si quis* itaque huic firmo iacto fundamini ſuper extruxerit congruentem doctrinam, & docendi rationem, *quæ* frugifera ſit, atque merito in pretio habeatur inſtar auri, argenti, ac pretioſorum lapidum, id eſt doctrinam ſolidam, ſanctam, proficuam ſuperponit: hic mercedem accipiet. Si quis verò è contrario parietes extruxerit viles lignorum, fœni, ſtipularum, ſeu doctrinam nimis curioſam, inutilem, pompoſam, detrimentum patietur. Nec eſt quod quis ſperet, ignotum iri, quale quiſque ſeu opus, ſeu doctrinam ſuperædificauerit. *Vniuſcuiuſque enim opus manifeſtum erit.* Illa enim dies Domino propria, nempe dies iudicij vel vniuerſalis in mundi fine, vel particularis in morte cuiuſque) non ſolum declarabit ſingulorum opus, ſed probabit per ignem Quia dies hæc *in*, ſeu cum igne reuelabitur, quaſi cum diuinæ iuſtitiæ lictore. Porrò *ignem* hîc proprie dictum accipio verum, & materialem, partim Purgatorij in iudicio particulari cuiuſque: partim conflagrationis in fine mundi & iudicio vniuerſali. Non intelligi autem tartareum certum exiſtimo ex ver. 14. vbi dicitur auctorem arſuri operis ſaluum fore, etſi per ignem. *Si* igitur quis eiuſmodi materiam ſolidam ac firma ſuperædificauerit, quæ inuiolata permaneat, ſui laboris fructum vberrimum recipiet, anima è corpore in cœlum auolante ſine flammæ tortura. *Si enim* autem *opus arſerit*, quia ex ea materia conſtet igni obnoxia, detrimentum quidem ſeu torturam ſubibit: ipſe autem illo purgatorio igne expiatus, ſalutem conſequetur. * O Eccleſiæ operator ſuprà Chriſtum fundamentum pretioſiſſimum audes ædificare non aurum vel argentum, ſed ligna vilia admodùm, fœnum & ſtipulas? Te fundamenti pretium videris contemnere, vnde ſaltem diro Purgatorij igne pœnas dabis, ob futilia verba, ob inutiles excogitationes quas ex ſuggeſtu protuliſti.]

Christus Eccleſiæ fundamentum, cui omnes inædificare debent.

Pœna dira ſaltē in Purgatorio cruciantur Concionatores ob inutilem prædicandi modum.

Verſ. 16.17.18.19.20.21.22.23. Neſcitis, quia Templum, &c.] Vt autem adhuc in ædificij metaphora perſiſtamus, an ignoratis ſacrum Dei Templum cæleſti artificio inſtructum vos eſſe, vbi Spiritus ſanctus velut in domicilio ſibi conſecrato habitare dignatur? *Si quis autem* eo temeritatis progredi auſus fuerit, vt Templum Dei violet, & Eccleſiam ſeditionibus diſtrahat: hunc Deus addicet perditioni. Templum ergo Dei, quod vos eſtis reuerentes eius immunitatem non lædatis diſſidia adhuc fouentes. *Nemo ſe ſeducat*, ſe blandiendo ac veluti aſſentādo. Si quis ſibi inter vos ſapere: ſi iſta Sapiētia ſæcularis eſt & humana, dediſcat oportet, & ſe ſtultum eſſe profiteatur, vt verè Sapiens euadat. *Sapientia* enim huiuſmodi, quæ laudibus effertur, & admirationi eſt apud homines: reuera apud Deum iuſtiſſimum rerum æſtimatorem nil aliud eſt, quam mera ſtultitia. *Scriptum eſt enim* Iob 5.13. *Comprehendam Sapientes in ſtultitia eorum.* Seu Sapientes ipſorum verſutia capiam, eos velut fugientes à vera Sapientia apprehendam, & captos in ſeruitutem redigam. Et iterum Pſal 93.11. *Dominus nouit cogitationes Sapientium, quoniam vana ſunt*, ſiue dum Sapientiam inſolentius prædicant, ſeque magnificentius circumſpiciunt: ſiue dum imperitam multitudinem ſuperſtitioſa doctrina imbuunt. *Nemo* itaque *in hominibus* glorietur, id eſt, ob cuiuſquam hominis ſiuè patrocinium, ſiue auctoritatem ſibi placeat, aut ab alienis nominibus gloriam aucupetur. Nulla etenim res creata vllam meretur gloriam, quæ quidem Deo tota debetur. *Omnia enim veſtra, &c.*] Quod vſque adeò eſt verum, vt ipſi etiam Magiſtri cæleſtis doctrinæ ad vnam veſtram vtilitatem à Deo ſint inſtituti: vt merito affirmare poſſim, ſiue Paulum, ſiue Apollo, ſiue Cepham, ſiue mundum, ſiue vitam, ſiue mortem, ſiue præſentia, ſiue futura, omnia eſſe quaſi adminicula à Deo vobis deſtinata. Vt eorum ſubſidio adiuti, plane calleatis, vos eſſe veluti Chriſti peculium, Chriſtum vero Dei Patris vnicum Filium; vt ad Chriſtum humani generis liberatorem: & à Chriſto ad Deum verum, ac bonorum omnium auctorem ſubuehamini.

CAPVT

CAPVT IV.

Pergit inflatos Corinthiorum animos redarguere. Minatur, se breui aduolaturum, vt Pseudoprophetas viriliter redarguat.

1. SIc nos existimet homo vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. 2. Hic iam quæritur inter dispensatores, vt fidelis quis inueniatur. 3. Mihi autem pro minimo est vt à vobis iudicer, aut ab humano die: sed neque meipsum iudico. 4. Nihil enim mihi conscius sum: sed non in hoc iustificatus sum: qui autem iudicat me, Dominus est. 5. Itaque nolite ante tempus iudicare, quoad vsque veniat Dominus: qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium: & tunc laus erit vnicuique à Deo. 6. Hæc autem, fratres, transfiguraui in me & Apollo, propter vos: vt in nobis discatis: ne suprà quàm scriptum est, vnus aduersus alterum infletur pro alio. 7. Quis enim te discernit? Quid autem habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? 8. Iam saturati estis, iam diuites facti estis: sine nobis regnatis, & vtinam regnetis, vt & nos vobiscum regnemus. 9. Puto enim quòd Deus nos Apostolos nouissimos ostendit, tamquam morti destinatos: quia spectaculum facti sumus mundo, & Angelis, & hominibus. 10. Nos stulti propter Christum, vos autem prudentes in Christo: nos infirmi, vos autem fortes: vos nobiles, nos autem ignobiles. 11. Vsque in hanc horam & esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cædimur, & instabiles sumus, 12. & laboramus operantes manibus nostris: maledicimur, & benedicimus: persecutionem patimur, & sustinemus: 13. blasphemamur, & obsecramus: tamquam purgamenta huius mundi facti sumus, omnium peripsema vsque adhuc. 14. Non vt confundam vos, hæc scribo, sed vt filos meos charissimos moneo. 15. Nam si decem millia pædagogorum habeatis in Christo, sed non multos patres. Nam in Christo Iesu per Euangelium ego vos genui. 16. Rogo ergo vos, imitatores mei estote, sicut & ego Christi. 17. Ideò misi ad vos Timotheum, qui est filius meus charissimus, & fidelis in Domino: qui vos commonefaciet vias meas, quæ sunt in Christo Iesu, sicut vbique in omni Ecclesia doceo. 18. Tanquàm non venturus sim ad vos, sic inflati sunt quidam. 19. Veniam autem ad vos citò, si Dominus voluerit: & cognoscam non sermonem eorum qui inflati sunt, sed virtutem. 20. Non enim in sermone est regnum Dei, sed in virtute. 21. Quid vultis? in virga veniam ad vos, an in charitate, & spiritu mansuetudinis?

COMMENTARII.

1. *Pergit inflatos Corinthiorum animos redarguere.*

VERS. 1.2.3.4.5. *Sic nos existimet homo vt ministros Christi, &c.*] Quisque existimet, nos ministros vestros, sed tamen reuereatur vti Christi ministros eiusque Apostolos, ac legatos ab ipso ad vos immissos non vacuis manibus vt vestra abripiamus, seu vestris muneribus acceptis ditemur: sed plenis spiritualium bonorum thesauris, vt vos ditare valeamus, sumus enim mysteriorum Dei *dispensatores.* * Operarius Euangelicus se humilem discipulorum ministrum gerat, sed ab eis oportet vt minister Christi reuerentiam accipere.] Profectò Apostoli, & eius successores ministri sunt Dei mysteriorum, nempè mysticæ, arcanæ, diuinæ doctrinæ, simul & Sacramentorum, indulgentiarum, aliarumque gratiarum spiritualium Ecclesiæ à Christo concessarum: verbi gratia, dispensationis in legibus, in pœnitentiis, in votis, in iuramentis, &c. vti hinc Tridentinum edocet. *Hic iam* alia vobis disputatio suboritur, & quæritur, vter inter hos duos dispensatores Apollo & Paulum magis fidelis Domino suo *inueniatur* in suo prædicationis & sacrorum administrationis ministerio? *Mihi autem*, seu quod ad me attinet pro minimo est, & nihili facio, quantus, qualisue à vobis habear, & iudicer, *aut ab humano die*, seu quouis humano iudicio *diei* huius hominum. Solummodò timendum diei iudicium illius, quando Deus homo Iudex assidebit. *Sed neque* meipsum iudico, seu iudicare certo possum,

Operarius Euangelij se discipulorum ministrũ gerat: sed illi eum, vt Christi ministrum reuereantur.

Non timeas diei hominis, sed diei Dei iudicium.

ſum, cum ſæpe vix ſciam qua quidque intentione, conſcientia, vel motiuo geſſerim. *Nihil* ſeu nullius infidelitatis in muneris Apoſtolici adminiſtratione conſcius ſum: Sed non tamen ideò me iuſtum coram Deo eſſe definio. Qui verum de me iudicium ferre poteſt, ſolus Dominus eſt. Ipſe namque videt forte in me imperfectiones, quas ego non aſpicio. * Profectò cum in multis offendamus omnes, maiorem offenſarum partem nec quidem intelligimus. Vnde nos haud poſſumus iudicare.] *Itaque* nolite, quæſo, ante tempus de veſtra, aut de aliorum vita aut meritis iudicare: ſed expectate, donec adueniat Iudex Deus, qui diuini ſui luminis ſplendore in conſpectum hominum proferat actiones, quæ nunc tenebris inuoluta veluti cæca nocte occluduntur: & abdita cordium conſilia patefaciet. Et tunc ſua cuique laus, vel vituperatio apud Deum manebit.

Nemo ſeipſum rectè diiudicare poteſt.

Verſ. 6. 7. 8. 9. 10. Hæc autem fratres, &c.] Verùm ô fratres, hæc quæ à me hactenus diſputata ſunt, *transfiguraui*, ſiue in exemplum aſſumpſi, quaſi in me & in Apollo quadrarent, propter vos equidem; vt in nobis diſcatis nihil de vobis ſentire ſupra id, quod capitis huius initio ſcripſi, id eſt, non amplius zelo vanæ æmulationis inflari pro magiſtris, ac doctoribus veſtris. *Quis enim* te ô magiſter, o catechumene, *diſcernit* quaſi cæteris eminentiorem ſeu in naturalibus, ſeu in ſupernaturalibus? Quis, inquam, niſi tu ipſe qui inflaris? ſi dicas: Labor, ſtudium, induſtria me diſcernunt reſpondebo: Quid habes, quod non à Deo acceperis? Nam labor, ingenium, & omnia, quæ habes ſeu naturalia, ſeu ſuper naturalia à Deo accepiſti? Ergò non tibi, non hominibus, ſed Deo omnem gloriam attribuere: ſi autem accepiſti, cur gloriaris, quaſi nullatenus acceperis. * Profectò qui de aliqua animi, vel corporis dote gloriatur, nec cæleſti tribuit largitori, quaſi Deum ſe eſſe iudicat dotis illius agnatum poſſeſſorem quam à ſe ipſo accepit.] *Iam ſaturati eſtis*, iam diuitiis ſapientiæ, ac reliquorum bonorum fruimini, vt vos iactatis. (eſt ironia) *ſine nobis regnatis*, ſeu noſtro non egetis auxilio, immò non excludentes, videmini vobis Regnum, victoriamque adepti, quod vobis minime inuidemus: immò Deum enixè precamur, vt veraciter regnetis, vt et vos, tanti boni participes ſimus, & vobiſcum regnemus. * Charitas efficit, vt proximi mei bona mea verè exiſtant. Vnde Paulus Corinthiorum bonum proprium exiſtimabat.] Tantum verò abeſt, vt nos vobiſcum regnemus eo modo, quo vos Regnum apparari putatis, nempe omnium viſibilium bonorum abundantia: vt potius viliſſimi habeamur, & omnium mortalium abiectiſſimi, *Puto enim*, quòd Deus nos, quos Apoſtolos elegit Eccleſiæ Principes non Regni temporalis commodis deſtinauit, ſed ad cuncta incommoda ſubeunda, nempè ad mortem poſt acerbiſſimas ærumnas, & calamitates, quibus veluti in theatro ſpectaculum exhibuimus toti mundo, nempe Angelicis ſpiritibus, & hominibus, inſtar damnatorum ad beſtias, vel ad ignem, qui ſupetne in theatro ab omnibus aſpectantur. *Nos* in mundi theatro à vobis, veſtrique ſimilibus cenſemur ſtulti, id quidem propter Chriſtum, cruci ſuffixum, quem ſimplici an ſyncero ſermone prædicamus: vos è contrario, qui acumina philoſophica ſectamini, & eloquentiam affectatis, *in Chriſto*, id eſt, in Chriſti Euangelio exponendo *prudentes* habemini. Nos infirmi diſcurſibus, vos fortes conceptibus, & rationibus: vos nobilitate conſpicui, nos penitus ignobiles. * Hinc patet aperte, quam quanto hominum iudicia errore nitantur.]

Qui de aliqua dote gloriatur, nec Deo tribuit, quodammodò ſe Deum eſſe præſumit.

Charitas efficit, vt proximi mei bonum meum ſit.

Quanto errore nitantur hominum iudicia.

Verſ. 11. 12. 13. 14. 15. 16. Vſque in hanc horam, &c.] Et planè hoc verè poſſum, ex animoque affirmare, nos ad hoc vſque tempus fame ac ſiti premi, nuditate laborare, ab omnibus excludi, colaphis cædi, mancipiorum inſtar: & incertis ſedibus diuagari. *Et laboramus*, manibus noſtris tentoria conſuentes nè diſcipulis moleſtiam afferamus. Conuitiis puncti, benè precamur: aduerſa patienti animo ſuſtinemus. *Blaſphemamur, & obſecramus*, id eſt, probris, ac contumeliis appetiti ad preces confugimus, vt blaſphemiæ illatoribus veniam, nobis autem patientiam à Domino impetremus. * Profectò oratio omnibus laborantibus, cunctis perſecutione affectis tutum eſt aſylum.] Tanquam *purgamenta*, excrementa, fæces, ſordes, ramentum, & omnium peripſema ſeu pannus ſordem tergens huiuſmodi ſumus effecti, & hoc *vſque adhuc*, ſeu vſque ad præſentem horam. *Non* autem hæc ita ſcribo, vt vos pudore ſuffundam: quorſum enim id apud vos agam? ſed id mihi potius propoſitum eſt, vt vos filios meos dilectiſſimos amanter admoneam, doceamque veram Chriſtianæ doctrinæ tradendæ rationem. *Nam* & ſi decem millia pœdagogorum in Chriſti doctrina habueritis qui vos erudiant: non multos certè habebitis patres, qui vos paterna charitate complectantur, & eo amore ac benignitate, qua decet filios doceri, vos cæleſtis doctrinæ præceptis imbuere. Quod de me ipſo poſſum affirmare; in Chriſto enim Ieſu per Euangelij prædicationem ego vos genui, & ipſius Eccleſiæ ſummo Dei beneficio aggregaui. * Optimus itaque magiſter eſſe debet diſcipulorum pater.] *Rogo ergo vos*, & per eam qua vos paterna charitate proſequor, etiam atque etiam obteſtor, vt meam viuendi, docendique rationem, neglectis iis, quæ inanem oſtentationem ſapiunt, imitandam vobis obiiciatis. Non ego, quoad fieri poteſt, Chriſtum mihi tanquam exemplar imitandum propoſui.

Oratio aſylum eſt laborantium.

Optimus magiſter eſſe debet diſcipulorum pater.

Verſ. 17. 18. 19. 20. Ideò miſi ad vos Timotheum &c.] Ob eam cauſam ad vos Timotheum immiſi, filium meum dilectiſſimum, ac fidelem Chriſti Domini miniſtrum, qui quidem vobis in memoriam reuocabit, quæ ſit meæ vitæ ratio in Chriſti imitationem: quæque doceam Eccleſiis, quas fidei præceptis, Chriſtianiſque moribus inbuendas ſuſcepi. *Tanquam non venturus, &c.*] Illud autem reticere non poſſum quod à nonnullis fide dignis audiui Aliquos ſcilicet inter vos degere, qui ſic inflati viuunt, ac docent, quaſi ego nunquam ad vos ſim rediturus. *Veniam* ſanè, ſi Deo placuerit, ad vos breui, & attentiùs perſpiciam non iſtorum magiſtrorum eloquentiam, orationis apparatum, & elegantiam: ſed ſpiritualem agendi, docendique facultatem *Non enim* in eloquutionis nitore, aut ſermonis cultu ſitum eſt Dei Regnum, nempe vera fidei Euangelij prædicatio, & Chriſtianæ religionis profeſſio, ſed in Spiritus 2.

Minatur, ſe breui aduenturũ vt Pſeudoprophetas redarguat.

ſancti

ſancti vi, ac poteſtate. *Quid vultis?* Sic enim libet vos interrogare: vtrum è duobus eligitis? An vt veniam ad vos blandus, & lenis? an cum *virga*, ſiue ſeuera correptione, vt decet patrem ad filios diſcolos peruenire? * Si mihi optio dare tur ô ſanctiſſime Paule, in caſu ſimili, eligerem quidem Præſulem ad me inſtruendum, ac monendum accedere *in charitate, & ſpiritu manſuetudinis*. Quæ efficacius ſolet ſubditos minus morigeros ad frugem meliorem adducere.]

Manſuetudo Præſulis ſolet faciliùs, quàm ſeueritas ſubditos diſcolos ad frugem meliorem adducere.

CAPVT V.

Inceſtuoſum priuignicum nouerca coniugium reprehendit. Quodlibet hinc aliud peccati fermentum expurgandum adiicit, vt æternum Paſcha celebrare queant.

1\. OMNINO auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis
nec inter Gentes, ita vt vxorem patris ſui aliquis habeat.
2\. Et vos inflati eſtis: & non magis luctum habuiſtis, vt tol-
latur de medio veſtrûm qui hoc opus fecit. 3. Ego qui-
dem abſens corpore, præſens autem ſpiritu, iam iudicaui vt
præſens, eum, qui ſic operatus eſt, 4. in nomine Domi-
ni noſtri Ieſu Chriſti, congregans vobis & meo ſpiritu, cum
virtute Domini noſtri Ieſu, 5. tradere huiuſmodi ſatanæ in interitum carnis,
vt ſpiritus ſaluus ſit in die Domini noſtri Ieſu Chriſti. 6. Non eſt bona gloriatio
veſtra. Neſcitis quia modicum fermentum totam maſſam corrumpit? 7. Expur-
gate vetus fermentum, vt ſitis noua conſperſio, ſicut eſtis azymi. Etenim Paſcha
noſtrum immolatus eſt Chriſtus. 8. Itaque epulemur, non in fermento veteri,
neque in fermento malitiæ & nequitiæ: ſed in azymis ſinceritatis & veritatis.
9\. Scripſi vobis in epiſtola: Ne commiſceamini fornicariis. 10. non vtique
fornicariis huius mundi, aut auaris, aut rapacibus, aut idolis ſeruientibus, alio-
quin debueratis de hoc mundo exiiſſe. 11. Nunc autem ſcripſi vobis non com-
miſceri; ſi is qui frater nominatur, eſt fornicator, aut auarus, aut idolis ſer-
uiens, aut maledicus, aut ebrioſus, aut rapax: cum eiuſmodi nec cibum ſumere.
12\. Quid enim mihi de iis, qui foris ſunt, iudicare? Nonne de iis, qui intus ſunt,
vos iudicatis? 13. nam eos, qui foris ſunt, Deus iudicabit. Auferte malum ex
vobiſipſis.

COMMENTARII.

1\. *Inceſtuoſum priuigni cum nouerca coniugium reprehendit.*

VERS. 1. 2. 3. 4. 5. *Omninò auditur inter vos, &c.*] Non incerto tumore, ſed *omninò*, ſeu fama conſtanti audio tolerari inter vos talis fornicationis abuſus, qualis neque inter Gentiles honeſtos & ciuiles aſſolet tolerari: nempè vt priuignus vxorem patris ſui, ſeu nouercam ſibi concubinam, idque viuente adhuc patre, habeat. Porrò adhuc patre ſuperſtite, id illos Corinthos ſcelus patraſſe, colligo ex 2. *Cor.* 7. vbi pater dicitur *paſſus iniuriam*. Erat ergo inceſtus ſimul & adulterium. Quod apud bene moratas Gentes valde improbabatur. *Et vos* interim cum ſciatis tam fœdo ſcelere Eccleſiam veſtram contaminari, adhuc inflati eſtis ſuperbis de magiſtrorum præcellentia diſceptationibus: & non potius (quod æquiratis, & religionis ratio exigit) luctu ac lacrymis conſternati, datis operam, vt de medio veſtrum tollatur is, qui tam immane facinus tam impudenter, tam impiè patrauit. * *Vt tollatur*, ait, *de medio veſtri, qui hoc opus fecit*: non *Vt tollantur, qui fecerunt*, innuens, vnum ſolummodo fuiſſe, qui hoc facinus perpetrauit. Et hoc ſufficit, vt Corinthij *omnino* male audiant. Quia vnus inſignis delinquens in communitate eam totam conſpurcare videtur.] * Vndè remedium erat, huiuſmodi hominem ab Vrbe deturbari: *Vt tollatur de medio veſtri* Vt ſancta hinc communitas ediſcat, notam, quam ex prauo ſocio contraxit, eius exturbatione dilui. Sic ex Chriſti collegio recedente Iuda, ſi qua vmbra quodammodo erat velut offuſa Ieſu ſocietas, fuit omnino ablegata. Vnde opportunè Dominus: Nunc *clarificatus eſt Filius hominis*.] *Ego quidem* abſens corpore, animo verò præſens, iam perinde, ac ſi re vera præſens eſſem & corpore, eum, quem non puduit, poſt auditum, & acceptum Euangelium palam in media Eccleſia tantum ſcelus patrare, diuina ſententia iam damnatum eſſe definio. Vndè *in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti* vobis in vnum coactis, ea poteſtate, qua ab ipſo fungor, enuncio, me ſtatuere tradere dum ſatanæ eiuſmodi hominem, ſeu excommunicare in *carnis interitum*, ſiue vt corpore diuexetur & morbis, ſeu vulneribus à dæmone affligatur: vt ſic diuexatus tandem reſipiſcat. * *Tradere*, inquit, *huiuſmodi ſatanæ*. Siue excommunicare,

Vnus peccator publicus totam communitatem conſpuicare videtur.

Ex pundo prauo ſocio, communitas à prorſus decore expurgatur.

municare. Vt qui excommunicationis pœnam contemnunt, ediscant, idem esse excommunicari hominem, ac dæmoni tradi.] * Addit, *In interitum carnis, vt spiritus saluus sit.* Ægritudines, & labores qui peccatori immittuntur, ad spiritus sanitatem à cælesti Medico ordinantur.] * *In interitum*, ait, *carnis.* Seu in peccati illius carnalis abolitionem (vt alij exponunt. Vbi annoto, non dixisse Paulum, In interitum peccatoris, sed *carnis*, sed peccati. Præsul enim correpturus subditum, præscindere debet, & diuidere peccatorem à peccato: huius agat interitum, illius autem incolumitati affectuosè studeat.]

Excommunicari hominem, idē est, ac diabolo tradi.

Corporis incommoda à cælesti Medico ad sanitatem spiritus ordinantur.

Qui corripis non contra peccatorem, sed cōtra peccatum inuectiuus exsurgat.

Vers. 6.7.8. Non est bona gloriatio vestra, &c.] Vestra de propria Sapientia iactantia *bona*, seu cum fundamento non est. Nam si verè Sapientes essetis, cognoscere debebatis, fermentum quantumuis modicum totam massam corrumpere, Græcè, *fermentare.* Et pari modo scelus hoc impij istius ciuis, etsi vnius incestuosi, tamen totam vestram congregationem inficere. Partim imitatione. * Quia vnius publicè delinquentis exemplum impunitum plures sequuntur.] Partim imputatione. * Quia tam enorme scelus, quod præter fas à cunctis vobis toleratur, iusta Dei vltione in omnibus punietur.] *Expurgate* itaque *vetus fermentum*, seu istum putidum fornicatiorem è cœtu vestro pellite. *Vt sitis noua conspersio*, siue pura & integra massa nullo fermento infecta. Sicut *estis*, seu esse debetis (est Hebraismus) *azimi*, seu à peccati fermento prorsus alieni. Quod non abs re moneo nunc: cum Pascha vobis continuo sit agendum in quo Iudæis omnia sunt azima. Nostrum enim Christianorum Pascha, seu Agnus (& victima paschalis) pro nobis immolatus est Christus sua morte nos ab Angelo percutiente liberans, & Pharaonis, siue peccati iugo eripiens. *Itaque* Hebræorum exemplo, solemnibus epulis festum celebremus, non cum fermentato veteris vitæ peccatis infectæ pane: sed cum panibus azimis non physicis è farina confectis, sed mysticis, & spiritualibus, qui sunt morum synceritas, & vitæ totius veritas practica quidem ex honestate actionum.

2.

Peccati fermentum expurgandū adgit, ad animi puritatem azimam.

Vnius publicè delinquentis exēplum impunitum plures sequuntur.

Ob vnius peccatū tota communitas sæpè punitur.

Vers. 9.10.11.12.13. Scripsi vobis, &c.] Scripsi aliàs vobis, si recordamini, ne vlla vobis cum scortatoribus esset consuetudo. * Pestis enim est libidinis vitium, quæ facilè hærenti communicatur.] *Non vtique* hæc à me accipi voluerim, quasi omninò à me vobis sit interdictum, cum Gentilibus scortatoribus diuersari, aut cum auaris, aut cum rapacibus, aut cum idololatris. Nam si prorsus vobis ab eiusmodi hominum cōsortio esset abstinendum, ex hoc planè mundo in nouū aliū esset cōmigrandū. *Nunc autem* de iis scortatoribus vobis scribo, qui in Ecclesiæ sinu versantur, ne inquā, iis commisceamini: & si quis ex fratribus verè sit scortator, auarus, aut idolis seruiens, aut conuitiator, aut ebriosus, aut rapax, cum huiusmodi, nec cibum quidem sumendum esse censeo. * Ediscant hinc Religiosi plus scandali cunctis exhiberi ex vnius socij publico excessu, quam ex multorum sæcularium improbitate.] Sic quidem meum monitum accipi à vobis voluerim. *Quid enim* mea speciatim interest de iis, qui ab Ecclesiæ finibus longè absunt, neque Euangelij fulgorem recipiunt, iudicare. Nonne de iis omnibus qui intus, seu intrà Ecclesiam vestram sunt, & in aliqua publica scandala labuntur, vos iudicatis, & commeritis pœnis eos punitis? De iis itaque & ego iudico. Vnde piaculum erit mihi, & vobis, si malum Græcè, hunc incestuosum è Christianorum cœtu auferri non studeamus ego affectu & monito, vos executione. Eos namque qui foris sunt, *Deus iudicabit*: ad nos non pertinet punire eos, qui nondum attinent ad Ecclesiam.

Pestis est luxuria facilè hærentes inficiens.

Grauius scandalum oritur ex vnius Sacerdotis, aut Religiosi peccato, quam ex plurium sæcularium improbitate.

CAPVT VI.

Taxat Corinthios quod apud Paganos Iudices lites cum Euangelij decore instituant. Vehementer libidinem insectatur.

1. AVDET aliquis vestrûm habens negotium aduersus alterum, iudicari apud iniquos, & non apud sanctos? 2. An nescitis quoniam sancti de hoc mundo iudicabunt? Et si in vobis iudicabitur mundus, indigni estis qui de minimis iudicetis? 3. Nescitis quoniam Angelos iudicabimus; quantò magis sæcularia? 4. Sæcularia igitur iudicia si habueritis: contemptibiles qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad iudicandum. 5. Ad verecundiam vestram dico. Sic non est inter vos Sapiens quisquam, qui possit iudicare inter fratrem suum? 6. Sed frater cum fratre iudicio contendit: & hoc apud infideles? 7. Iam quidem omninò delictum est in vobis, quod iudicia habetis inter vos. Quare non magis iniuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini? 8. Sed vos iniuriam facitis, & fraudatis: & hoc fratribus: 9. An nescitis quia iniqui regnum Dei non possidebunt? Nolite errare: Neque fornicarij, neque idolis seruientes, neque adulteri, 10. Neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque auari; neque

ebriosi,

ebriosi, neque maledici, neque rapaces, regnum Dei possidebunt. 11. Et hæc
quidam fuistis: sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis, in nomine
Domini nostri Iesu Christi, & in Spiritu Dei nostri. 12. Omnia mihi licent, sed
non omnia expediunt. Omnia mihi licent, sed ego sub nullius redigar potestate.
13. Esca ventri, & venter escis: Deus autem & hunc & has destruet: corpus autem
non fornicationi, sed Domino: & Dominus corpori. 14. Deus verò & Dominum
suscitauit: & non suscitabit per virtutem suam. 15. Nescitis quoniam corpora ve-
stra membra sunt Christi? Tollens ergo membra Christi, faciam membra mere-
tricis? Absit. 16. An nescitis quoniam qui adhæret meretrici, vnum corpus effi-
citur? Erunt enim (inquit) duo in carne vna. 17. Qui autem adhæret Domino,
vnus spiritus est. 18. Fugite fornicationem. Omne peccatum, quodcumque fe-
cerit homo, extra corpus est: qui autem fornicatur, in corpus suum peccat.
19. An nescitis quoniam membra vestra, templum sunt Spiritus sancti, qui in vo-
bis est, quem habetis à Deo, & non estis vestri? 20. Empti enim estis pretio ma-
gno. Glorificate & portate Deum in corpore vestro.

COMMENTARII.

1. *Corinthios increpat, quod lites apud Iudices Gentiles instituant.*

VERS. 1.2.3.4.5.6.7.8.9.10. *Audet aliquis vestrum habens negotium, &c.*] De alio ô Corinthij excessu vestro certior sum factus, scilicet, quod vos non pudeat, quempiam existere inter vos qui cum aduersus alterum fratrem litem intentet, ad tribunal iniquorum, & non sanctorum accedit, id est, non Christianorum, sed Paganorum iudicio submittitur. * Iudices Gentiles vocat iniquos. Nam qui Deum verum non colit, sed idola, quomodò ea ligno, ac lapide seu mendaci deitate veritatem iudicio adstruendam edisceti Iudex sine Deo difficile æquè iudicabit.] *An nescitis*, futurum aliquandò, vt sancti cunctos homines in extremo die Iudicent: Quod si vestrum iudicium subiturus est mundus, annon digni nunc estis, qui minimis iudiciis præficiamini? *Nescitis* nè, nos qui Euangelij perfectioni studemus, de dæmone ipso eiusque sectatoribus Angelis sententiam esse laturos? Tantum profectò abest, vt quæ ad huius vitæ vsum spectant, & mortalia sunt & caduca, eiusmodi iure censeantur immunes, vt à nobis iudicari non queant. *Sæcularia igitur iudicia si habueritis*, id est, si de rebus corporeis, quæque ad hanc mortalem vitam siue tuendam, siuè ornandam referuntur, ciuiles concertationes existant: quid necessum est, Iudices Gentiles adire? Malim quidem Iudices à vobis constitui potius eos, qui minimæ æstimationis sunt inter vos. * Res enim temporales tam infimi pretij sunt, vt vel infimi quique è fratribus iis dirimendis controuersiis idoneus affatim esse valeat } *Ad verecundiam vestram, &c.*] Hæc idcircò à me commemorantur, vt hanc potissimum ob causam vobis pudorem incutiam; dum enim ad Paganorum tribunal accurritis, profiteri videmini, neminem esse inter vos ea sapientia, ac prudentia præditum, qui fratrum suorum lites componere, & contentiones dirimere sciat. *Sed frater cum fratre, &c.*] Sed profectò ita se res habet, frater cum fratre iudicio contendit, & alius aliud ad Iudices à Christiana religione alienos trahit; quod in religionis dedecus refundi quis non videat? *Iam* quidem non solum magna animi impotentia est, sed & non leue crimen, quòd inter vos con-

Iudex sine Deo difficilè iuste iudicabit.

Cunctæ res temporales leuis æstimationis sunt.

trouersias in foro disceptandas, & ciuiles contentiones Iudicis auctoritate dehuiendas non sinè graui infidelium offensione habeatis. Potius enim deberetis, iniurias æquo animo ferre, ac bonorum iacturam boni consulere. Hæc enim caduca posthabenda sunt publicæ ædificationi. * Quod quidem Religiosi, ac sacerdotes debent alte menti reponere: sæculares enim graui scandalo punguntur, dum vident à mundo ea statu semotos, ea ambitione aut auaritia publicè lites excitare.] Atqui multo aliter se res habet, quia non modò non toleratis iniuriam, nè lis excitetur, *Sed vos iniuriam facitis fratribus*, & illorum bona fraude, ac dolo interuertitis, *An nescitis*, impios, ac scelestos homines cælesti Regno, & paterna Dei hæreditate excludi? Nolite, quæso, vano errore deludi: sed certum habetote, neque scortatores, neque idololatras, neque adulteros, neque qui præpostera masculorum Venere vtuntur, neque molliciei libidine delectantur, neque fures, neque auaros, neque ebrietati studentes, neque conuitiatores, neque rapaces Regni cælestis possessionem consequuturos.

Sæculares pūgūtur scādalo, dum vident Regulares de rebus indecentibus lites excitare.

Vers. 11. 12. Et hæc quidam fuistis, &c.] Et certe quidam vestrum hisce criminibus fuerunt infecti; sed Dei benignitate ab hisce sordibus estis diluti, & sanctificati, seu veram iustitiam adepti sacro Baptismo Christi Domini nomine lustrati diuinoque spiritu percepto. Verumtamen (vt alia omittam) *omnia*, quæ indifferentia sunt, & in vtramque partem facilè attrahi possunt, *mihi licent*: non tamen omnia ad eum finem, quem expetimus, assequendum recta conducunt. Omnia, vt dixi, indifferentia mihi licent; sed ego sub nullius Gentilis redigi potestate patiar. Occurrit Apostolus tacitæ Corinthiorum obiectioni: Si iure naturæ licet, coram tribunali etiam Ethnico lites instituere cur acritèr in illas inueheris? Respondet Apostolus: Non inuehor, quia non licent: Sed quia vobis non expediunt: & quia nolo seu me seu vos sub alienorum Iudicum potestatem redigi. * Non omnia quæ communiter licent, expedit à fidelibus speciatim Deo addictis geri. Licitum est publicis ludis interesse: sed sacerdoti, & Regulari expedit ab eiusmodi spectaculis abstinere.]

Non omnia quæ licent, expedit à sacerdote, aut Religioso geri.

Vers. 13.14.15.16.17.18.19.20. Esca ventri & venter escis, &c.] Iam vero de scortationis turpitudine, à qua vos immunes omninò esse cu- 2.

Fornicationē multis argumentis insectatur.

pio, pauca attexam. Escæ ventri, & venter escis est deputatus: Deus autem & hunc, & illas aliquando abolebit. Corpus vero vestrum non idcirco conditum est, vt scortationi; sed vt Deo Domino seruiat. Contrà vero & ius & æquitas postulat, vt Deus corpori vestro præsit, eique dominatur. Itaque sicut esca corpori & corpus escis deputandus est: haud aliter corpus vestrum Deo debet addici, & Deus corpori vestro vnicè debet dominari. * Cum igitur corpus nostrum non sit, sed Dei, vtendum nobis illo est tanquam alieno.] Qui autem hoc corpus ab immundiria seruarit immune, præmium & in ipso recipiet. *Deus* enim qui Christum corporis nostri Dominum suscitauit ab inferis: & nos diuina sua potestate tametsi corpora periisse videantur, rursus ad vitam excitabit. *Nescitis* corpora vestra membra quodammodo esse Christi? An igitur adeò quispiam desipiet, vt Christi membra tollat, & impuræ voluptatis illecebris captus, faciat, vt scorti sint membra? *An nescitis*, quoniam qui scorto adhæret eum fieri cum illo quodammodo vnum corpus. Sanè ita olim scriptum esse accepimus. *Erunt duo in carne vna*, cum de maris ac fœminæ sermo procederet? *Qui autem*, verè & ex animo Domino adhæret, vnus planè spiritus cum illo efficitur, & eiusdem propemodùm naturæ fit particeps: atque adeo nullum mortale, ac caducum cogitat: tantum abest, vt sese voluptatibus inficiendum exhibeat. *Fugite fornicationem, &c.*] Sic ergo apud vos statuite omni animi contentione, scortationem vobis esse fugiendam. * Ad alia vitia superanda pugnax accede: si luxuriei vitium contra te insurgat ei exhibe terga. Fugienti enim sine sanguine victoria paratur.] *Omne enim peccatum*, quod ab hominibus patratur, citra corporis iniuriam, seu contumeliam fit: qui verò scortatur, quia fœda voluptate inficitur, corporisque vires frangit, merito dicitur in corpus suum peccare, eique iniuriam inurere. *An nescitis*, corpus vestrum Templum esse Spiritus sancti, qui quadam ratione sedem suam in vobis collocauit, ex quo illum Baptismo expiati cælitùs percepistis? An ignoratis Templum Dei esse, cum Christum in Eucharistia recipitis? Itaque oportet vos esse Deo sic penitus addictos, vt vestri iuris nequaquam iam sitis. *Empti enim estis* magno pretio, id est, sanguine Christi. Æquum igitur est, vos Deo tùm corpore tum spiritu omnem honorem & gloriam exhibere, cum hæc omnia Dei sint beneficia * Illud non cadat sine pondere: *Membra* vestra *Templum sunt Spiritus sancti.* Quid *Spiritui* cum carnis voluptatibus? quid *sancto* cum nequissimis libidinis actionibus?]

Vti debemus corpore nostro tanquam alieno.

Luxuriæ vitium fugiendo vincitur.

Templum Spiritus sancti cum simus, debemus castitate fulgere.

CAPVT VII.

Respondet Paulus quæstionibus tribus sibi à Corinthiis propositis, nempè de iure matrimonij, de virginitate, de cælibata.

1. DE quibus autem scripsistis mihi: Bonum est homini mulierem non tangere: 2. propter fornicationem autem vnusquisque suam vxorem habeat, & vnaquæque suum virum habeat. 3. Vxori vir debitum reddat: similiter autem & vxor viro. 4. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. 5. Nolite fraudare inuicem: nisi fortè ex consensu ad templum, vt vacetis orationi: & iterùm reuertimini in idipsum, ne tentet vos satanas propter incontinentiam vestram. 6. Hoc autem dico secundùm indulgentiam, non secundùm imperium. 7. Volo enim omnes vos esse sicut meipsum: sed vnusquisque proprium donum habet ex Deo: alius quidem sic, alius verò sic. 8. Dico autem non nuptis, & viduis: bonum est illis si sic permaneant, sicut & ego. 9. Quod si non se continent, nubant, Melius est enim nubere, quàm vri. 10. Iis autem: qui matrimonio iuncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, vxorem à viro non discedere: 11. quòd si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Et vir vxorem non dimittat: 12. Nam cæteris ego dico, non Dominus. Si quis frater vxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam. 13. Et si qua mulier fidelis habet virum infidelem, & hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum: 14. sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem, & sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem: alioquin filij vestri immundi essent: nunc autem sancti sunt 15. Quòd si infidelis discedit, discedat: non enim seruituti subiectus est frater aut soror in huiusmodi: in pace autem vocauit nos Deus. 16. Vnde enim scis mulier, si virum saluum facies? aut vnde scis vir, si mulierem saluam facies? 17. nisi vnicuique sicut diuisit Dominus, vnumquemque sicut vocauit Deus ita ambulet, & sicut in omnibus

ecclesiis

ecclesiis doceo. 18. Circumcisus aliquis vocatus est? non adducat præputium. In præputio aliquis vocatus est? non circumcidatur. 19. Circumcisio nihil est, & præputium nihil est: sed obseruatio mandatorum Dei. 20. Vnusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat. 21. Seruus vocatus es? non sit tibi curæ: sed & si potes fieri liber, magis vtere. 22. Qui enim in Domino vocatus est seruus, libertus est Domini similiter qui liber vocatus est, seruus est Christi. 23. Pretio empti estis, nolite fieri serui hominum. 24. Vnusquisque in quo vocatus est, fratres, in hoc permaneat apud Deum. 25. De virginibus autem præceptum Domini non habeo: consilium autem do, tamquam misericordiam consecutus à Domino, vt sim fidelis. 26. Existimo ergo hoc bonum esse propter instantem necessitatem, quoniam bonum est homini sic esse. 27. Alligatus es vxori? noli quærere solutionem. Solutus es ab vxore? noli quærere vxorem. 28. Si autem acceperis vxorem: non peccasti. Et si nupserit virgo, non peccauit. tribulationem tamen carnis habebunt huiusmodi. Ego autem vobis parco. 29. Hoc itaque dico, fratres: Tempus breue est, reliquum est, vt & qui habent vxores, tanquam non habentes sint: 30. & qui flent, tamquam non flentes: & qui gaudent, tamquam non gaudentes: & qui emunt, tamquam non possidentes: 31. & qui vtuntur hoc mundo, tanquam non vtantur: præterit enim figura huius mundi. 32. Volo autem vos sine sollicitudine esse. Qui sine vxore est, sollicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo. 33. Qui autem cum vxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuisus est. 34. Et mulier innupta, & virgo, cogitat quæ Domini sunt: vt sit sancta corpore, & spiritu. Quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro. 35. Porrò hoc ad vtilitatem vestram dico: non vt laqueum vobis iniiciam, sed ad id, quod honestum est, & quod facultatem præbeat sine impedimento Dominum obsecrandi. 36. Si quis autem turpem se videri existimat super virgine sua: quòd sit super adulta, & ita oportet fieri: quod vult faciat: non peccat, si nubat. 37. Nam qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis, & hoc iudicauit in corde suo, seruare virginem suam, benè facit. 38. Igitur & qui matrimonio iungit virginem suam, benè facit: & qui non iungit, meliùs facit. 39. Mulier alligata est legi quanto tempore vir eius viuit, quod si dormierit vir eius, liberata est: cui vult nubat: tantum in Domino. 40. Beatior autem erit si sic permanserit, secundum meum consilium: puto autem quod & ego Spiritum Dei habeam.

COMMENTARII.

Respondet quæstioni circa matrimonij vsum.

VERS. 1.2.3.4.5. *De quibus autem scripsistis mihi, &c.*] Quæstionum verò per litteras mihi à vobis propositarum prima est: An Christiano, vtpotè iam renato iam & sanctificato castitatis studioso prorsus sit à re vxoria abstinendum, vt quidam pseudo-Apostoli, quò sanctiores habeantur vos edocent? sic respondeo: *Bonum est*, Græcè καλὸν, id est, *pulchrum*, seu res in se præclara non cognoscere mulierem. Hoc enim Angelicum est, summéque optandum. Per accidens autem, hoc est, *propter fornicationem* vitandam expedit, vt vnusquisque vestrum qui incontinentiæ subiris periculum, vxorem suam, quam duxit, habeat, & illa vtatur. (Loquitur hic plàne Apostolus de solis coniugatis, nam infrà vers. 8. incipit de non nuptis disserere.) & vnaquæque virum suum, cui nupsit, habeat, quo vti etiam possit. *Vxori* itaque vir debitum reddat: & similiter vxor viro. *Mulier* nupta corpus in sui potestate non habet, sed ex nuptiarum inito fœdere illud viro penitus permisit: Similiter vir sui corporis potestate spoliatus, eam omnem vxori concessit. *Nolite* igitur, ne inuicem vestro iure fraudemini: nisi fortè communi consensu ad aliquod certum tempus ab vsu matrimonij abstinendum censeatis vt *vacetis* orationi. * Si tanta puritas decet orationem, quid Eucharistiam recipiendam? Laudabiliter quidem coniux recepturus Eucharistiam coniugem rogabit, vt sibi sit licitum debitum tunc non soluere. Tanta enim synaxis sacerrimæ puritati ea corporis eam recepturi præparatio debetur: *Et iterum reuertimini in idipsum*; id est, ad ius maritale seruandum; ne satanas vos in fraudem inducat à continentia illa vestra ad incontinentiam arrepta occasione.

Eucharistiam recipiendæ diē laudabiliter coniuges ab vsu matrimonij abstinentes.

Vers. 6.7.8.9.10.11. Hoc autem dico secundum indulgentiam, &c.] Hæc autem non perindè accipi volo, quasi hanc vobis legem necessariò imposuerim: nec enim hæc ego ex animo præcipienda duco; sed humanæ conditionis memor, ad grauia mala vitanda, hoc vobis permittendum imo suadendum censuerim. *Volo enim, &c.*] Nam si ex animo meo fingendi homines essent, omnes vos mei similes cœlibes esse optarem. Sed video, non idem omnes posse, sed vnumquemque proprium, ac suum à Deo *munus* accepisse aliud sanè, atque aliud, adeò vt hic quidem hoc modo, ille verò

secus

secùs, & longe alia quapiam ratione sic comparatus, & animo constitutus. *Dico* itaque si meam requiritis sententiam, coniugij expertibus, & illis, qui nuptiarum fœdere sunt soluti, laudabile, atque vtile illis esse, eam viuendi rationem complecti, quam ego iampridem profiteor. *Quod si* cupiditatum æstu, atque impotenti libidine vincuntur, nec castè se degere posse sperant, me auctore, matrimonio iungantur. Satius enim est legitimum inire coniugium, quam libidinis flamma ita exuri, vt te voluptati constringendum illicitæ præbeas. Porrò hìc vri non est tantum calere, vel tentari calore libidinis (nam sic etiam Paulus vrebatur 2. 1. Cor. 12. 7. nec tamen propterea nupsit) sed est idem quod ardere libidine, & ab ea vinci succumbendo, ac lædi consentiendo. * Illud preme: *Vnusquisque proprium donum habet ex Deo.* Et quidem specialis Dei donum est fortitum te esse corpus à libidinis punctionibus immune: sed specialissimum, fortitudinem accepisse ad tentamina superanda.]

Magnum Dei donum est, fortitudo, qua libidinis tentamina superantur.

Iis autem, qui matrimonio adstricti tenentur, non mea solum sententia, sed Domini ipsius præcepto denuncio, vt nuptiarum fœdus, connubiique sanctitatem ad extremum vsque vitæ spiritum obseruent: neque vxor à viro sibi vnquam recedendum putet: aut vir fas sibi esse persuadeat, vxori nuncium remittere. *Quod si* (vt non semel accidit) dissidij causa aliqua adeò grauis occurrat, vt fœmina à viro per diuortium separetur Ecclesiastici Iudicis sententia: id sibi persuadeat, alterum è duobus sibi eligendum, aut absque connubio cœlibem morum rationem inire, aut ad viri redire consortium. Vir autem intelligat, vxorem haud esse facilè vel hoc licito modo dimittendam. * Si coniuges alter alterius onera portarent, sibi inuicem non difficile ignoscerent. Hodie excedit maritus, cras vxor excedit. Diuortium tolerantia mutua non noscit.]

Tolerantia mutua coniugum diuortium non noscit.

Vers. 12. 13. 14. 15. 16. Nam cæteris ego dico, &c.] Cæteris autem ego meam aperio sententiam, quamuis ea de re nihil Christus Dominus aperte, ac nominatim præscripserit. Si quis ex fratribus vxorem habet infidelem, illa verò sponte sua eius consuetudinem amat, amicéque cum illo degit, nec vllam Deo inferat contumeliam: illam nullo modo repudiet. *Etsi* quæ fœmina, quæ viro infideli nupta est, qui suas nuptias non renuit, reliquaque coniugis officia beneuolæ præstet, nè illum deserat, seu vllo modo à coniugio recedat: Annotarim verò, tempore D. Pauli infidelitatem nec fuisse impedimentum dirimens matrimonium cum fideli contractum, nec impediens; seu contrahendum, vel contractum, si fideli non erat peruersionis periculum. Poterat tamen ex Christi permissione fidelis coniux infidelem coniugem nolentem conuerti, dimittere, & alias nuptias inire. Progressu autem temporis fuit in Ecclesiam inductum, vt infidelitas dirimat matrimonium à fideli cum infidele contractum. Causa autem cur Paulus malit eiusmodi coniuges non separari, erat, quia id saluti prolium, & ipsius coniugij infidelis non expediebat. Neque profanabatur, aut polluebatur fidelis per infidelis contactum, (vt Corinthij scrupulo puncti timebant.) sed potius *sanctificatus est*, (ait) *vir infidelis per mulierem fidelem*, scilicet morali quadam denominatione, & quasi sanctitatis extrinsecæ aspergine: partim quia maritus est sanctæ seu fidelis coniugis, & vna caro cum illa: partim quia non impediendo illam in sua fide & religione degere quasi viam sibi ad veram sanctitatem sternit, vt scilicet per preces, merita, monita, & exempla fidelis coniugis, paulatim etiam ipse conuertatur, & sanctus fiat. Patuit hoc in Valeriano Ceciliæ, Adriano Nataliæ, Clodoueo Clotisdis marito. * Valde equidem confert vnius coniugis proba vita ad alterius non probi coniugis reductionem.] Et sanctificata eodem modo est vxor infidelis per maritum fidelem: si hoc vero ita non esset, & huiusmodi nunc coniugia (inquit Paulus) illegitima censeantur, liberi vestri impuri, seu adulterini essent, & alieni à vera sanctitate, quæ Baptismo percipitur: cum tamen re vera sancti, id est legitimi, & iure sacra vnda lustrandi obiiciuntur. *Quòd si is* qui fidelis non est, à fideli coniuge recedere velit, recedat. Frater enim aut soror, seu fidelis maritus, vel vxor in huiusmodi rebus seruituti subiecti non sunt, vt cogantur infidelem sequi impium, aut creatoris contumeliam sustinere. Verùm ad pacificam vitam nos Deus vocauit, quæ non potest coalescere, vbi inter fidelem, & infidelem voluntatis alienatio intercedit. *Vnde enim scis, &c.*] Hortor autem tam fideles maritos infidelibus vxoribus adstrictos, quam fideles vxores maritis infidelibus illigatas, vt patienter sustineant quæ ex diuerso cultu orta fuerint, salua fide, incommoda. Persistentia enim huius coniugij potest esse vtilis ad salutem. Nescis etenim ô vxor Christiana, an tuis monitis & exemplis virum tuum Gentilem poteris ad Euangelij cultum allicere. Vnde etiam scis ô vir Christicola, an vxori tuæ Gentili valeas aliquandò aut consilio, aut vitæ exemplo salutem afferre.]

Valde confert vnius cõiugis proba vita ad coniugis improbi reductionem.

Vers. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. Nisi vnicuique sicut diuisit Dominus, &c.] Particula, *Nisi*, idem est hoc loco quod *Sed* hoc sensu. Sed ita ambulet quisque sicut vnicuique diuisit Dominus, & sicut vnumquemque Deus diuisit. Hæc ô fratres dixi, & in omnibus Ecclesiis, sui Christianorum congregationibus *doceo* circa coniugium fidelis cum infideli: & circà discessionem, & diuortium, si infidelis illud quærat, aut constare pax sine diuortio non valeat. Alioqui velim, vnumquemque in vocatione sui coniugij perseuerare, & vniuersim sorte sua esse contentum. Si *circumcisus aliquis* prius, quia Iudæus erat, vocatus est ad fidem Christi, *præputium non attrahat*, seu instrumento attractorio reducat cutem, vt glandem tegat. Id posse fieri docet Celsus lib. 7. cap. 25. idque eos, qui à Iudæis apostatæ ad Gentiles migrabant, facere solitos ex lib. 1. Mach. 1. 18. patet. Instrumentum autem, quo id gerebatur, *Spatisterem* vocitabant. *In præputio autem vocatus*, seu ex Gentilismo ad Christianismum Dei vocatione adductus *non circumcidatur*, hoc enim esset iudaizare. Circumcisio iam nihil est, seu nihil valeat ad salutem, & iustitiam, ideo non sunt affectanda. Obseruatio mandatorum Dei est totum quod ad iustitiam & salutem confert. *Vnusquisque* persistat in eo vitæ statu, ad quem à Deo vocatus fuit. *Seruus vocatus es?* Non sit tibi curæ, seu non te angat, quod sis seruus (Si tamen

tamen sese occasio offerat consequendi libertatem, eam elabi non sinas, sed illa vtere, vt te in libertatem asseras. Qui enim cum sit seruus, à Domino ad fidem Christi vocatus est, est manumissus, libertatem filiorum Dei assecutus, licet adhuc seruitute temporali prematur. * Non itaque angaris, quod sis seruus, quia eo ipso quod ad seruitutem Christi vocatus fueris, vera animi frueris libertate. Vnde mancipia, quæ ad fidem conuertuntur, transeunt à seruitute vili ad seruitutem quæ quidem est simul Dei filiatio. *Similiter* qui liber vocatus est, seruus fit Christi. *Pretio* enim sanguinis eius redempti estis tam seruus, quam liber. Qui autem liberi fuistis ad fidem vocati, *nolite fieri serui hominum*, seu ne vos in mancipia vendatis, si possitis libertate potiri. Hæc enim ciuilis libertas decet Christi libertum, & iurat, vt expeditius Christo vero Domino seruire possitis. Hæc igitur sit huius disputationis clausula: *Vnusquisque*, suam contitionem, & statum agnoscat, planéque intelligat, nullum esse statuum genus, cui Christi Domini beneficio non pateat aditus ad salutem.* Quid ô agricola, ô mendice, ô mancipium tuam vicem doles? Permane *apud Deum*. diues es, Rex es, dum faciliùs planè, quam mundi Principes ex tua humilitate fortè ad Regnum æternum eleuaberis.]

Mancipia, quæ ad fidem cõuertuntur, vera animi potiuntur libertate.

Omnis sit sui status sorte contentus, cũ statui omni pateat ad salutem ingressus.

2. *Vers.* 25.26.27.28.29.30.31. *De virginibus autem, &c.*] De virginibus verò præceptum Domini, quod imponam, nullum habeo, ea tamen de re meam vobis sententiam, & consilium exponam: quippe qui Christi Domini beneficio assecutus videar, vt quamdiu munere Apostolico fungi possitis, imò debeatis consiliis meis fidem adhibere; fideliter namque vobis annuncio, quod à cælesti spiritu accepi. *Existimo ergo* cœlibem vitam esse in primis commodam, & opportunam propter *necessitatem instantem molestiarum*, atque ærumnarum, quæ nuptias assolent comitari. Vndè cælebs vita videtur esse coniugio præferenda, bonumque esse homini *sic esse*, seu in cœlibatu permanere. * Preme particulam, *Propter instantem necessitatem*, nec exprimit quænam instet necessitas. Vt scilicet innuat, ipsam necessitatem in abstracto nuptias comitari.] *Alligatus* autem *es vxori?* Ne quæras diuortium. *Solutus es* adhuc, & cælebs? Noli nuptias appetere, & coniugij leges ducas subire. *Si autem* vel post meum monitum, vxorem duxeris, haud tu quidem peccasti: quomodo nec deliquit virgo, si nupsit. Hoc tamen affirmare possum, eos, qui matrimonij iugo colla subdidere, carnis afflictionem grauissimasque molestias toleraturos. * Quænam hæc *carnis* tribulatio? Loco verbi illius *instantem*, est in Græco, *Inexistentem* statui coniugali. V. gr. onus alendæ, & instruendæ familiæ, onus vteri, partus, educationis filiorum, molestiæ, mœrores, timores, rixæ, &c. statui coniugali inexistunt, seu ei sunt agnatæ.] *Ego autem*, qui tenerrimè afficior vestro commodo, *vobis* vt filiis charissimis *parco*, seu parcitum velim, optans, vt multiplicium afflictionum, & molestiarum, quæ nuptias comitantur, sitis expertes: & ideo continentiam suadeo. *Hoc itaque dico, &c.*] Iam verò vobis siue cælibes sitis, siue coniugio alligati indixerim, breue esse huius vitæ miserè tempus æternéque instare

De virginitate, & cælibatu.

Ipsa necessitas in abstracto nuptias comitatur.

Omnimoda tribulatio statui coniugali inexistit.

felicitatem. Vndè qui vxoribus colligati sunt, perindè se gerant, ac si eis omninò careant. Nec enim coniunctio hæc perpetua erit, seu ad voluptatem, seu ad molestiam. *Qui flent* aduersis afflicti, non aliter sint animo constituti, ac si nihil sustineant incommodi. Qui verò rebus vtuntur prosperis, ne insolenti gaudio afficiantur, sed præ se ferant moderationem. Et qui mercaturæ vacant, vt rem augeant familiarem, ita viuant, ac si nihil obtineant. *Et qui vtuntur hoc mundo*, rebusque creatis oblectantur, ne præposterè iis ad pompam, abutantur, & luxum. Præterit enim breuissimo temporis interstitio huius mundi *figura*, seu *forma*, vt est in Græco. * Profectò humana cuncta fumus, vmbra, vanitas, & scenæ imago, & verbo vt absoluam, nihil. In scena quidem omnes sunt fictitiæ actiones, qui flet, non flet, qui ridet non ridet: & qui dum scena durat, flere, aut ridere simulat, vel regnare post breuissimum tempus scena finita, exprimit illarum actionum vanitatem] *Volo* propterea *vos absque solicitudine esse*. Porrò qui cælibem vitam agit cælestia ac diuina meditatur, seduloque inuigilat, atque omni animi contentione laborat, vt Deo solummodo placeat. *Qui autem* nuptias celebrauit, cõnubij iure quodammodo compellitur, ea curare, quæ ad hanc mortalem vitam pertinent, idque potissimum spectat, vt vxori satisfaciat, cui placere cupit; atque ita in varia studia, diuersas cogitationes, ac curas distrahitur. *Et mulier innupta*, seu *virgo* ea curat, quæ Deo sunt grata, datque operam, vt sanctitatem tum corpore, tùm animo assequatur. *Quæ autem nupta est*, de iis est solicita, quæ ad mundum spectant, quonammodo scilicet viro valeat placere. * Illa expende: *Mulier virgo cogitat, quæ Domini sunt, vt sit sancta corpore, & spiritu.* Nil virginitati cum mundo, tota est planè cælestis. Angelorum quippe instar, vni Deo diuinoque obsequio totaliter intendit. Integrum est, ac perfectum holocaustum, corpore, & animo Deo omni ex parte dicatis. Dulcis est Christi sponsa. Studio, cogitatione, affectu Deo simillima. Nobilissima pars, seu portio Ecclesiæ: gemmæque & monilia totius orbis. Sicut nuptiæ terram, sic virginitas cælum replet. Plus cæteris à Deo, & Christo sponso suo redamatur. Maius præmium in cælo, & singularis aureola eam manet: vnde hymnum canit, quod nemo alius modulari potest.] Ex quibus omnibus, & aliis, quæ à Patribus excogitata sunt, elogiis & ex hisce Pauli verbis concludo virginitatem matrimonio esse meliorem, non tantum in ordine ad temporales curas, ac molestias vitandas, (vti Lutherus vult) sed etiam vt quis sanctior euadat, & cultui diuino aptior.

Rerum omnium mundi vanitas, & mendacium.

Virginitatis elogia.

Vers. 35.36.37.38 39.40. *Porrò hoc ad vtilitatem vestram dico, &c.*] Ego verò ab hanc potissimum caussam hæc ad vos scribo, non vt laqueum, seu offendiculum vobis iniiciam, sed vt ostendam quanam ratione honestè, & aptè reliquis omnibus curis, ac solicitudinibus abiectis, vni Deo adhærere possitis. *Si quis autem* turpe sibi aut indecorum putat, filiam suam virginem domi consenescere, & florem ætatis sinè spe fructus marcescere cogatur: & ad vitandum fortasse casus periculum, eam connubio iungere decernit: agat, vt libet; nec

enim propterea delinquit, sed tuto potest eam viro tradere. *Qui vero statuit in corde suo* firmiter nulla actus necessitate, nulloque puellæ periculo, libere potest suo arbitratu, quod maluerit consilium de filia capere, & virginem eam asseruare: *benè* quidem *facit.* *Igitur* (vt paucis exponam) qui filiam matrimonio locat, rectè agit; qui verò qui eius virginitatem integram esse vult, rectius admodùm agit.

Taxatur filia, quæ inscio, vel repugnante parente nuptui traditur.

* Illud annota, *Qui matrimonio iungit virginem suam.* Innuit Apostolus parentem esse ad quem pertinet, filiam coniugio aptare: non ad ipsam filiam. Vndè taxantur filiæ, quæ inscio, vel repugnante iusta ex causa parente, nuptui traditur. *Mulier*, seu vxor lege connubij tandiù tenetur, quamdiu vir eius est superstes. Si ille diem suum obierit, ipsa, ea lege soluta, libere potest, cui libuerit, iterum nubere: dummodo *in Domino*, id est, in Ecclesia Christi, & viro Christiano. *Beatior autem erit*, si sic cælebs permanserit; hîc enim vitam aget quietiorem & sanctiorem, & maiori gloria in cælo decorabitur. Hoc quidem meo gerat illa consilio: nec suspectum illud reputet; existimo enim, me non aliter atque alios Apostolos diuino spiritu esse præditum. * Exaggerat Paulus consilij huius veritatem vt fœminas à secundis nuptiis auertat charitatis, ac compassionis affectu. Raro etenim mulier secundis addicta nuptiis suam vicem non doluit.]

Mulier secũdis nuptiis tradita rarò non doluit vicem suam.

CAPVT VIII.

Edocet, esum ciborum, qui idolis fuère immolati, per se non esse illicitum, si flat non repugnante conscientia, & sine pusillorum scandalo.

1. DE iis autem, quæ idolis sacrificantur, scimus quia omnes
scientiam habemus. Scientia inflat, charitas vero ædificat.
2. Si quis autem se existimat scire aliquid, nondum cognouit
quemadmodum oporteat eum scire, 3. Si quis autem dili-
git Deum, hic cognitus est ab eo. 4. De escis autem, quæ
idolis immolantur, scimus quia nihil est idolum in mundo,
& quòd nullus est Deus, nisi vnus. 5. Nam etsi sunt qui
dicantur dij, siue in cælo, siue in terra (siquidem sunt dij multi, & domini multi:)
6. Nobis tamen vnus Deus, Pater, ex quo omnia, & nos in illum: & vnus Do-
minus Iesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum. 7. Sed non in omnibus
est scientia. Quidam autem cum conscientia vsque nunc idoli, quasi idolothytum
manducant: & conscientia ipsorum cùm sit infirma, polluitur. 8. Esca autem nos
non commendat Deo. Neque enim si manducauerimus, abundabimus: neque si
non manducauerimus, deficiemus. 9. Videte autem ne fortè hæc licentia vestra
offendiculum fiat infirmis. 10. Si enim quis viderit eum, qui habet scientiam, in
idolio recumbentem: nónne conscientia eius, cùm sit infirma, ædificabitur ad man-
ducandum idolothyta? 11. Et peribit infirmus in tua scientia frater, propter quem
Christus mortuus est? 12. Sic autem peccantes in fratres, & percutientes con-
scientiam eorum infirmam, in Christum peccatis. 13. Quapropter si esca scandali-
zat fratrem meum: non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scan-
dalizem.

COMMENTARII.

1. An, & quomodò liceat idolothyta vesci.

VERS. 1. 2. 3. 4. 5. 6. *De iis autem, quæ idolis sacrificantur, &c.*] Omnes quidem rectè in fide Christiana instituti sufficientem scientiam habemus, quod carnes, panes, vinum, aliique cibi idolis immolati, nihil indè seu religionis, seu sanctitatis, seu vitij aut sordium in se trahant, nec ex se ab aliis vulgaribus cibis differant. Sed hæc scientia quia in plerisque vestrum, ô Corinthij, non associatur charitati fraternæ, non tam prodest, quam nocet; nam & vos inflat, seu superbire, & aliis quasi ignorantibus facit insultare: & non *ædificat*, sed lædit proximum, id est, non promouet infirmos ad salutem, sed illis offendiculum apponit, quo in ruinam trahuntur. * Profectò scientia, quæ Concionatorem inflat, vt vanos conceptus meditetur, & inutiles aëreas clausulas proferat, non solùm non prodest, sed omninò auditoribus nocet, sacros sermones profanam dum mutat in scenam.] *Si quis autem* sibi videtur, aliud scire, eoque nomine sibi nimium placens cæteris se præponit, & plus æquo sibi indulget: is nondum quicquam nouit, vti oporteret scire. * Hominem præsumptio Sapientiæ prorsus reddit ignorantem] *Si quis autem* Deum vera charitate complectitur, hic quidem ab eo Sapientiam hausisse putandus est, & ab ipso ita

Scientia Cõcionatoris quæ vana meditatur proferenda, nocet admodum auditoribus.

Scientiæ præsumptio reddit hominem ignorantem.

appro

Verè est sapiens, qui Deum verè diligit.

approbatur, vt eius Sapientia vera, minimè qua adulterina esse appareat. * Verè sapiens est, qui Deum verè diligit.] *Deescis autem* (vt ad propositam redeam quæstionem, quæ de vsu eorum, quæ idolis immolantur, instituta erat) nemo nostrum ignorat, idolum nihil esse in rerum natura, ac nullis prorsus viribus subnititnullumque omnino Deum esse præter vnum verum Deum viuum ac immortalem quem religiosè colimus. *Nam etsi* inficiari non possumus plures circumferri, qui dij nominentur tam cæli, quàm terræ: stultisque apparet ideò plurimos esse deos, qui in cælo, & in terra dominantur: *Nobis tamen* vnus Deus verus est summus ille Patens à quo cuncta fuere profecta, & cuius vi subsistimus: vnus item Dominus Iesus Christus, per quem omnia subsistunt, & per quem nos vitam habemus.

Vers. 7.8.9.10.11.12.13. Sed non in omnibus est scientia, &c.] Portò licet hoc sit euidens, non omnes sunt hac præditi scientia. Nonnulli etenim tacito quodam animi sensu immunda esse sibi persuadent, quæ idolis fuerunt oblata: nec tamen propterea ab eorum vsu hactenus abstinuerunt; quo fit, vt illa ipsorum conscientia, haud satis firma, polluatur. *Esca autem* per sese tantum haud nos Deo *commendat*, id est, neque si vescamur, quidquam nobis spiritualis lucri accedit: neque si abstineamus vllius rei prorsus iacturam facimus. *Videte tamen*, ne hæc libera vescendi potestas, quam vobis scientia assumitis, offendiculo sit iis, qui ægro sunt animo, atque imbecillo. *Si enim quis viderit* te ea (de qua diximus) scientia præditum in idolorum delubro mensæ accumbentem; nonne illius conscientia, quæ alioqui rei ignorantia, animique infirmitate laborat, ad scelus prouocabitur: cum non liceat, cum idololatris idolothytis promiscuè vesci: quæ priuatim in domo comedere, sit licitum? *Et* ita tua ista scientia comedendi licitè, quæ scandalo oborto comedis, perdet infirmum fratrem, cuius salutem Christus suo sanguine, & morte operari contendit. *Sic autem* in fratrum pernitiem & interitum delinquentes, & infirmam eorum conscientiam quasi quibusdam vulneribus concidentes, in Christum ipsum humanæ salutis operatorem peccatis. * Nihil enim Christo Domino magis inuisum, quam ab eo abstrahere illos, quos tot laboribus ad se allicere procurauit.] *Quapropter* si esca fratri meo quidquam obiicit, quo labatur, aut offendat, equidem sic animo sum paratus, vt mihi in omnem vitæ tempus à carnibus abstinendum censeam, ne per me fiat, vt frater meus vel leuiter impingat.

Maximè Christo inuisum, causam re esse, vt aliquis delinquat.

CAPVT IX.

Pergit docere Corinthios, quàm sint cauenda proximorum offendicula. Idque suo confirmat exemplo.

1. NON sum liber? Non sum Apostolus? Nónne Christum Ie-
sum Dominum nostrum vidi? Nónne opus meum vos estis in
Domino? 2. Et si aliis non sum Apostolus, sed tamen vo-
bis sum: nam signaculum Apostolatus mei vos estis in Do-
mino. 3. mea defensio apud eos, qui me interrogant hæc
est. 4. Numquid non habemus potestatem manducandi,
& bibendi? 5. Nunquid non habemus potestatem mulie-
rem sororem circumducendi, sicut & cæteri Apostoli, & fratres Domini, & Ce-
phas? 6. Aut ego solus, & Barnabas, non habemus potestatem hoc operandi?
7. Quis militat suis stipendiis vmquam? Quis plantat vineam, & de fructu eius
non edit? Quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat? 8. Numquid se-
cundum hominem hæc dico? An & lex hæc non dicit? 9. Scriptum est enim in
lege Moysi: Non alligabis os boui trituranti. Numquid de bobus cura est Deo?
10. An propter nos vtique hoc dicit? Nam propter nos scripta sunt. quoniam de-
bet in spe, qui arat, arare: & qui triturat, in spe fructus percipiendi. 11. Si nos
vobis spiritualia seminauimus. magnum est si nos carnalia vestra metamus?
12. Si alij potestatis vestræ participes sunt, quare non potiùs nos? sed non vsi su-
mus hac potestate: sed omnia sustinemus, ne quod offendiculum demus Euangelio
Christi. 13. Nescitis quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt,
edunt: & qui altari deseruiunt, cum altari participant? 14. Ita & Dominus ordi-
nauit iis, qui Euangelium annunciant, de Euangelio viuere. 15. Ego autem
nullo horum vsus sum. Non autem scripsi hæc vt ita fiant in me: bonum est enim
mihi magis mori, quàm vt gloriam meam quis euacuet. 16. Nam si euangeliza-
uero, non est mihi gloria: necessitas enim mihi incumbit: væ enim mihi est, si non
euangelizauero. 17. Si enim volens hoc ago, mercedem habeo: si autem in-
uitus, dispensatio mihi credita est. 18. Quæ est ergo merces mea? Vt Euangelium

prædicans, sine sumptu ponam Euangelium, vt non abutar potestate mea in Euangelio. 19. Nam cùm liber essem ex omnibus, omnium me seruum feci, vt plures lucrifacerem. 20. Et factus sum Iudæis tamquam Iudæus, vt Iudæos lucrarer. 21. iis qui sub lege sunt, quasi sub lege essem (cùm ipse non essem sub lege) vt eos, qui sub lege erant, lucrifacerem. iis qui sine lege erant, tanquam sine lege essem (cùm sine lege Dei non essem: sed in lege essem Christi) vt lucrifacerem eos, qui sine lege erant. 22. Factus sum infirmis infirmus, vt infirmos lucrifacerem. Omnibus omnia factus sum, vt omnes facerem saluos. 23. Omnia autem facio propter Euangelium: vt particeps eius efficiar. 24. Nescitis quòd ij qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed vnus accipit brauium; Sic currite vt comprehendatis. 25. Omnis autem, qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet: & illi quidem vt corruptibilem coronam accipiant; nos autem incorruptam. 26. Ego igitur sic curro, non quasi in incertum: sic pugno, non quasi aërem verberans: 27. sed castigo corpus meum, & in seruitutem redigo: ne fortè cum aliis prædicauerim, ipse reprobus efficiar.

COMMENTARII.

1\.
Pergit docere, cauenda esse proximorum offendicula.

VERS. 1.2.3.4.5.6. *Non sum liber? Non sum Apostolus, &c.*] Nonne o Corinthij fratres, mei iuris sum? aut prohibitum est mihi alimoniam necessariam à nobis accipere, imò etiam exigere? Non sum Apostolus, seu Euangelij præcò, cui iure debetur alimonia? Certè Apostolum me esse, & immediate ab ipso Christo missum ad Euangelizandum, patet, quia Christum corporaliter mihi apparentem aspexi, meque vocantem, & mittentem audiui. *Nonne opus meum vos estis in Domino?* id est, nonne prædicatione mea ad Christum regenerati estis? nonne vestra Ecclesia mea, ope Domini, mea est structura? *Etsi alijs*, Gentium regionibus Apostolus non haberer, apud vos certè maximè sum Apostolus: quippé vos estis quodammodo instar sigilli, quo meus Apostolatus obsignatur, & confirmatur diuina auctoritate subnixus. Tam prolixatam fructuosa apud vos prædicatio mea, tot miracula, tanti exantlati labores certum exhibent de meo Apostolatu testimonium. * Te esse operarium Euangelicum non ostendit nomen officij, sed ministerij fructus.] *Mea defensio*, seu responsio apud eos, qui me interrogant de meo Apostolatu, hæc est. Si quis enim vel dubitet, vel neget, me meo munere functum mox pro exemplo vos in medium produco, meo quidem studio & labore ad Christum adductos. *Numquid* igitur, si Apostolico munere fungimur, non habemus potestatem vescendi bibendique è publico Ecclesiæ sumptu? *Numquid* nobis non licet æque ac aliis Euangelij ministris fidelem & honestam fœminam circumducere, cuius sumptu alamur: quod gerunt cæteri Apostoli? & nominatim fratres Domini, imò ipse Petrus Præsul Ecclesiæ summus. An *ego solus*. & Barnabas socius meus alia lege cogimur Euangelium promulgare: neque fas est nobis sine manuum labore victum alieno sumptu quærere? Annon & Christo ministrabant omnia necessaria mulieres, quæ cum ipso de Galilæa ascenderant? Luc. 8. 3. * Æquom quidem est, Euangelij præconibus de necessariis prouideri: sed iniquum Dei verbum sic venale exponi, vt concionatores suggestum ascendere refugiant, nisi materialis spe retributionis. Quàm hi à Dei gloria & proximorum vtilitate procuranda abstracti.]

Ex fructu dignoscitur quisnam verus Euangelij minister existat.

Taxantur Concionatores, qui Dei verbum venale exponunt.

Vers. 7.8.9.10.11.12.13.14. *Quis militat suis stipendiis vnquam? &c.*] Quis, quæso, propriis sumptibus certaturus init militiam? Quis plantandæ vineæ laborē impendit, vt illius fructibus aut vescatur, aut bibat? Quis gregi pascendo, ac custodiendo laboret, qui ab eius saltèm lacte prorsus abstineat? *Numquid* hæc humana tantum consuetudine nixus communi more dissero? Annon ipsum diuina auctoritate sancitur? *Scriptum est* quidem in lege Mosis Deut. 25. 4. *Non alligabis os boui trituranti.* Cùm Deus hanc legem condidit, existimare debemus, illum non solùm ad boues, & bruta alia animália respexisset. *Annon* etiam *propter nos* præcipuè id fuit scriptū? Nam vt in sumpta metaphora persistam, qui arat, spe fructus percipiendi terram aratro findit: & qui triturat non sine magna vtilitatis expectatione laborat. *Si nos ergo* diuini verbi satores spiritualium rerum amplam vobis sementem fecimus, magnumne, & inauditum quidpiam videri debet, si quæ referuntur ad tuendam vitam nostro iure messuerimus? *Si alij* hoc ipso iure apud vos alieno sumptu victitant: cur non potius id nobis licebit? At qui nos hoc iure haud quaquam vsi sumus, sed extrema quæque potius æquo animo pertulimus, ne forte nostra causa Euangelicæ prædicationis cursus retardaretur. * Retardatur profectò non semel propter Oppidulorum inopiam. Vnde qui missionum ministerio vtilissimo quidem incumbunt, ne graues sint, curent potius ostiatim ductum victum emendicare, quam de exiguæ, ac inopis communitatis sumptu victitare.] *Nescitis*, eos, qui sacris operantur, iis vesci consueuisse, quæ Deo in Templo immolantur: & qui altari assiduo assident studio fieri participes eorum, quæ in altari offeruntur, quia victui aliunde comparando vacare non possunt? *Ita*, seu eadem ratione constituit Dominus, vt qui Euangelio promulgando dant operam, ex eo ipso munere vitæ subsidia necessaria sibi vendicent.

Qui missionum ministerio incumbunt, ne graues sint Oppidis citra victum.

Vers. 15.16.17.18.19. *Ego autem nullo horum vsus sum, &c.*] Ego quidem nulla ex his rationibus sum adductus, vt hac vterer potestate: neque hæc ideo scripsi quod eiusmodi mihi officia à quopiam expectam exhiberi. Præ- 2.

Suo id exemplo confirmat.

stat

stat enim vel fame potiùs emori, quam vt quis misera alimoniæ portiuncula oblata, *euacuet gloriam meam*, quam euangelizando sine sumptibus alienis mihi apud Deum, & homines acquisiui. * Verùm non dubito, quin magna ex parte egregij Concionatoris gloria euacuetur, dum norunt auditores, illum haud gratis gerere ministerium.] *Nam si euangelizo volens*, Græcè, *spontè mea*, seu citra Christi præceptum, id est, liberaliter, & gratis, mercedem mihi repositam habeo, non qualemcumque vt alij, qui non gratis euangelizant) sed copiosam, & excellentem. Si autem euangelizo *inuitus*, Græcè, *non mea sponte* sine spe terrenæ mercedis, carebo illa singulari gloria, & mercede excellenti. *Dispensatio* enim *mihi*, seu fidei meæ planè & plenè *credita est* à Domino meo, vt si velim, possim supremam mihi gloriam, & mercedem comparare, nec id ab alio, quam à me solo dependet. * Vndè qui gratis non prædicat, magnam sibiipsi infert iniuriam, cum mercedem illam ineffabilem planè operis admodùm laboriosi vult pro vili terrena mercede permutare, auditurus à Domino; Recepit *mercedem suam*.] *Quæ est* autem *hæc merces mea?* seu quæ est via hanc supremam mercedem obtinendi, si velim? Certè *vt euangelium sine sumptu ponam* seu si gratis euangelizem. Sic *non abutar potestate mea in Euangelio* proferendo, defraudans meipsum suprema illa mercede, quam si gratis profero, possum acquirere. *Nam cum liber essem ex*, seu *ab omnibus*, seu cum nemini essem obstrictus, vel subiectus, *omnium me seruum feci*, omnium necessitatibus me accommodans, vt plures lucrifacerem, seu Christo acquirerem. * Quod gerere non valet, qui gratis non prædicat. Merces enim accepta, vel recipienda os obturat, ne Concionator liberè proferat quod ad auditorum correptionem oporteret.]

Euacuatur Concionatoris gloria, qui gratis non prædicat.

Qui gratis non prædicat, magnam sibiipsi infert iniuriam.

Liberè non prædicat, qui ab auditoribus mercedem expectat.

Vers. 20. 21. 22. 23. Et factum sum Iudæis, &c.] Aliam recti Euangelij ministri Apostolus exprimit. Me quidem omnium genio, ac instituto in licitis accommodo. Cum Iudæis ita me gero, vt ab eis quasi Iudæus reputer, vt eos ad Christum adducam. Et qui iam sub lege non eram, ita agebam cum iis, qui legi Mosaicæ patebant, quasi adhuc subditus legi existerem, vt eos qui sub lege aderant, ab eius seruitute eriperem. *Iis autem, qui sine lege scripta erant*, seu Gentilibus *factus sum* quasi *sine lege* scripta essem, ac solam naturam ducem sequerer, vt faciebant Gentiles: cum tamen sine lege non essem, sed subditus legi Christi; vt ad ipsum adducere possem facilius eos; qui sine lege scripta operabantur. *Factus sum infirmis*, & ægris quasi infirmus, & æger, vt eos qui ægritudine, aut imbecillitate laborabant, ad veram fidem, ac salutarem disciplinam allicerem. Denique omnium quodammodo mores indui, & in omnium veluti me formas mutaui, vt *omnes*, quos possem, saluos efficerem. * Egregius sacri verbi minister omnium formas debet æmulari, omnibusque omnia existere, vt fructu vberrimo potiatur.] En D. Franciscum Xauerium Indorum Apostolum tot formas exponentem, quot erant sacri verbi auditorum ingenia. Iam medicum, iam Iaponium se efficit, vt Indos, & Iaponios ad fidem adducat. Iam induit aulæ stilum vt Reges conuertat. Iam tintinnabulum pulsat, vt pro animabus purgatorij suffragia colligat. Iam mesonautæ (*grumeta* sine sensu iacenti socius assidet, vt ad sensum redeunti Sacramentum pœnitentiæ ministret. Iam Nuncium Apostolicum agit, vt Magistratum durum emolliat, qui expeditionem eius ad Sinas impedire conatur. Iam puerum se gerit, vt pueros edoceat. Iam Æthyopum verba imperfecta imitatur, vt eorum animos gratiæ aptet albedini. Omnia omnibus factus est, vt omnes per eum salutem assequantur.] *Omnia* autem hæc propagandi Euangelij causa facio, vt cum aliis ministris Euangelicis, & cum iis, qui conuertuntur, ego particeps fiam præmiorum, qui in Euangelio promittuntur.

Egregius Euãgelij minister omnium formas debet æmulari.

D. F. [illegible] X [illegible] omnia [illegible] est, vt omnes ad fidem adduceret.

Vers. 24. 25. 26. 27. Nescitis, quod ij, qui in stadio currunt, &c.] An ignoratis, quod ex plurimis, qui in stadio ad metas, præmiumque contendunt, cum currant illi omnes, vnus dumtaxat præmium assequatur? *Sic* vos existimate in huius vitæ stadio ad futuræ gloriæ beatitudinem festinate. Satagite igitur, vt ex tot currentibus segniter, vos celebres palmam assequamini. *Omnis autem qui in agone contendit*, se expediunt ab omnibus his, quæ ipsum in agone possunt remorari. Alludit ad Græcorum. Olimpica Isthmia certamina, quæ Corinthij celebrabant in Neptuni, & Melicertæ honorem: in quibus omnis generis agonistæ vt ad certamina expeditiores essent, à superfluis cibis, à Venere, abstinebant. Id vero illi gerebant, vt humanæ laudis præconium inane, & perituram coronam perciperent: nos verò pro immortali cælesti decertamus. * Pudeat Sacerdotes & Religiosos à sæcularibus superari, dum illi propter bona mox peritura tot subeunt labores, & propter felicitatem æternam assequendam hi vix digitum amouere curant.] *Ego igitur* ô fratres, sic curro ambiens brauium cæleste, vt non in incertum videar cursum instituisse. Sic pugilem, & agonistam ago, vt non inanibus planè ictibus aërem, aut vmbras cædam. *Sed castigo corpus meum*, & reluctantes cupiditates, quantum in me est, frangere studeo, vt rationi pareant. Ne scilicet dum alios præceptis Christianæ vitæ instituere curo, ipse inter reprobos annumeret. *In seruitutem* redigere spiritus corpus, vt valeas; castigare id oportet. Bestiales enim eius mores calces nunquam non iaculantis necessum est verbere & ieiunio comprimere.]

Taxantur Sacerdotes, ac Religiosi tepidè viuentes.

Necessaria est corporis castigatio.

CAPVT X.

Edocet, puniendos, qui vel idolorum cultu vel ſcandaloſo idolothytorum eſu ſeſe contaminarint. Sicut olim Hebræi.

1. NOLO enim vos ignorare, fratres, quoniam patres noſtri omnes
ſub nube fuerunt, & omnes mare tranſierunt; 2. & omnes in
Moyſe baptizati ſunt, in nube, & in mari: 3. & omnes eandem
eſcam ſpiritalem manducauerunt, 4. & omnes eundem
potum ſpiritalem biberunt: (bibebant autem de ſpiritali, conſequente
eos, petra: petra autem erat Chriſtus) 5. Sed non in pluribus eorum
beneplacitum eſt Deo: nam proſtrati ſunt in deſerto. 6. Hæc autem in figura
facta ſunt noſtri, vt non ſimus concupiſcentes malorum, ſicut & illi concupierunt.
7. Neque idololatræ efficiamini, ſicut quidam ex ipſis: quemadmodum ſcriptum
eſt: Sedit populus manducare & bibere, & ſurrexerunt ludere. 8. Neque fornicemur,
ſicut ex ipſis fornicati ſunt, & ceciderunt vna die vigintitria millia.
9. Neque tentemus Chriſtum: ſicut quidam eorum tentauerunt, & à ſerpentibus
perierunt. 10. Neque murmuraueritis, ſicut quidam eorum murmurauerunt,
& perierunt ab exterminatore. 11. Hæc autem omnia in figura contingebant
illis: ſcripta ſunt autem ad correptionem noſtram, in quos fines ſæculorum
deuenerunt. 12. Itaque qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat. 13. Tentatio
vos non apprehendat niſi humana: fidelis autem Deus eſt, qui non patietur vos
tentari ſupra id quod poteſtis, ſed faciet etiam cum tentatione prouentum vt poſſitis
ſuſtinere. 14. Propter quod chariſſimi mihi, fugite ab idolorum cultura: 15. Vt
prudentibus loquor, vos ipſi iudicate quod dico. 16. Calix benedictionis, cui benedicimus,
nonnè communicatio ſanguinis Chriſti eſt? & panis, quem frangimus,
nonne participatio corporis Domini eſt? 17. Quoniam vnus panis, vnum corpus
multi ſumus, omnes qui de vno pane participamus. 18. Videte Iſraël ſecundùm
carnem: nónne qui edunt hoſtias, participes ſunt altaris? 19. Quid ergo?
dico quòd idolis immolatum ſit, aliquid: aut quòd idolum, ſit aliquid? 20. Sed
quæ immolant Gentes, dæmoniis immolant, & non Deo. Nolo autem vos
ſocios fieri dæmoniorum: non poteſtis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum:
21. Non poteſtis menſæ Domini participes eſſe, & menſæ dæmoniorum.
22. An æmulamur Dominum? Numquid fortiores illo ſumus?
Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt. 23. Omnia mihi licent, ſed
non omnia ædificant. 24. Nemo quod ſuum eſt quærat, ſed quod alterius.
25. Omne, quod in macello venit, manducate, nihil interrogantes propter
conſcientiam. 26. Domini eſt terra, & plenitudo eius. 27. Si quis vocat vos
infidelium, & vultis ire: omne, quod vobis apponitur, manducate, nihil interrogantes
propter conſcientiam. 28. Si quis autem dixerit: Hoc immolatum
eſt idolis: nolite manducare, propter illum qui indicauit, & propter conſcientiam:
29. Conſcientiam autem dico non tuam, ſed alterius. Vt quid enim
libertas mea iudicatur ab aliena conſcientia? 30. Si ego cum gratia participo,
quid Blaſphemor pro eo quod gratias ago? 31. Siue ergo manducatis ſiue
bibitis, ſiue aliud quid facitis: omnia in gloriam Dei facite. 32. Sine offenſione
eſtote Iudæis, & Gentibus, & Eccleſiæ Dei: 33. Sicut & ego per omnia
omnibus placeo, non quærens quod mihi vtile eſt, ſed quod multis, vt ſalui fiant.

COMMENTARII.

1. *Puniendos docet eos, qui scādalosè idolothytorū esu sese infecerint, sicut olim Hebræi.*

VERS. 1.2.3.4.5. *Nolo enim vos ignorare fratres, &c.*] Conor, ô fratres veterum Hebræorum idololatrarum exemplo, vos omninò ab idololatriæ affectu retrahere, dum in memoriam affero supplicia, quibus illi olim affecti fuerint. Patres itaque nostri post egressum ex Ægypti seruitute omnes fuerunt sub columna nubis, quæ Angelo ductore per diem instar densæ nubis, Hebræos protegebat ab æstu: per noctem, instar ignis, omnia castra totis quadraginta annis illuminabat. Omnes mare Rubrum siccis gressibus transmearunt; *& omnes in Moyse*, seu per Moysem, *baptizati sunt in nube, & in mari*, typicè quidem. * Nam subire nubem & mare inire, quod Ægyptios demersit, typus erat futuri Baptismatis Christi, quo peccata demerguntur, nos Christi sanguine rubricamur, & cælesti Spiritus sancti gratiæ rore perfundimur. Et omnes tam boni, quam mali eandem *spiritualem escam*. Manna scilicet comederunt: & omnes eundem *potum spiritualem biberunt*, ex petra Oreb aqua vbertim profluente. Exo. 17. 6. Cur verò Manna & aqua Oreb esca spiritualis & spiritualis potus vocitantur? Certè quia spirituum, seu Angelorum ministerio parabantur: & quia typus & figura erant nostræ Eucharistici cibi ac potus. * Ergo si spiritualis cibus, & potus est spiritum nutriens & viuificans, oportet ab omni carnis affectu alienos esse, qui ad Eucharisticam mensam accedunt.] *Bibebant autem de spirituali consequente eos petra*, id est, de petra eorum votis obsecundante, & sitim extinguente. Petra *autem* hæc erat Christus Symbolo quidem sanguinis seruatoris virgæ crucis percussione profluentis. *Sed* tamen licet hæc ita sunt, non omnes Deo æque placuerunt: sed potius eorum plerosque, qui sese idololatriæ scelere polluerunt, quique seditiones & schismata excitarunt, non modo Deus non approbauit, sed vltor ac vindex non vno mortis genere in vasta illa solitudine prostrauit, exceptis solùm Iosue, & Caleb, qui terram promissam attigerunt ex tot millibus, qui ex Ægypto prodiere.

Baptismi typus Nubis columna & mare Rubrum.

Ab omni carnis affectu immunes fiat, qui ad Eucharistiam accedunt.

Vers. 6.7.8.9.10.11.12. Hæc autem in figura facta sunt, &c.] Hæc quidem quasi quædam exemplaria fuerunt, in quibus Deus delineauit nobis, quid fugere debeamus: præcipueque monuit, ne prauis cupiditatibus succumbamus, sicut illi obstricti miserandum in modum perierunt. * Haud dubium, quin obiectio supplicij aliis illati efficiat, vt alij se à simili delicto contineant. Pœnæ enim in vno peccatore executio, in omnibus planè est comminatio. Liceat vulgariter exprimere: *La execucion del castigo en vn peccador, en todos los demas es amenaza.*] Igitur in alieno capite periculum facientes, *Neque idololatræ efficiamini*, vt plurimi illorum gesserunt. Scriptum enim accepimus. Num. 20. 11. *Sedit populus manducare, & bibere, & surrexerunt ludere*, seu ludos more gentium idolis litare. *Neque fornicemur*, quemadmodum quidam Hebræorum hac fuere infecti turpitudine, & Deo vltore, vna die viginti tria millia hominum periere. Quod ad fornicarios cum filiabus Moab referendum existimo & quia Num. 25. 9. dicitur numerum eorum, qui ceciderunt, viginti quatuor millium fuisse, respondeo, numerum viginti tria millium in maiori numero vigintiquatuor millium comprehendi. *Neque tentemus Christum*, quasi de eius promissis diffidentes, vt aliqui Corinthiorum de resurrectione dubitabant vt patet hîc, cap. 15. 12. quemadmodum olim quidam Hebræorum Deum tentarunt, & morsibus serpentum interiere Num. 21. 6. *Neque murmuraueritis*, vel cōtra Deū, vel contra homines vobis Præfectos, quēadmodum quidā Hebræorum ausi sunt obmurmurare; quare ab exterminatore Angelo periere; id est, Angeli ministerio fuere exterminati, siue interempti. Num. 11. 1. & 14. 1. *Hæc autem omnia, &c.*] Deus quidem tot Hebræorum suppliciis dedit operam, *in figura nostri*, hoc est, ad nostrum exemplum vt eorum pœna eruditi sapiamus: ne similia patrantes crimina, simili pœnæ subiacere contingat nobis, qui hac extrema mundi ætate viuimus. *Itaque* qui vana & arroganti securitate sibi videtur stare, & firmitatem in bono sibi pollicetur: alieno exemplo discat se à casu continere. * Aliorum casus nos debet monere, vt gressibus firmitatem implorata cælesti ope, adiicere studeamus nostra ex fragilitate grauiori casui obnoxij.]

Obiectio supplicij aliis peccatoribus illati alios reprimit à delicto.

Aliorum casus nos monet, vt implorata cælesti ope curemus firmitatem gressibus adiicere.

Vers. 13.14.15. Tentatio vos non apprehendat, nisi humana, &c.] Subrepentem tentationem ne ita foueatis, vt quasi insuperabilis fiat, nam vt humanas seu leues tentationes nunquam sentiatis, omninò est impossibile. Dæmoniacum quidem est maligna tentatione vinci, & ex malitia delinquere: Angelicum, nullam sentire tentationem: humanum sentire, & vincere. * Curat hîc Paulus nos omninò à superbiæ vitio remouere, dùm dicit: *Tentatio vos non apprehendat nisi humana.* Profectò superbiæ tentatio non est *humana* sed diabolica. Ita vult Paulus nos à superbiæ vitio alienos esse, vt neque eius tentamina ad nos vel rimulam possit inuenire.] *Fidelis autem Deus* amicus, qui non permittet vos supra vires tentati. Imo faciet cum tētatione *prouentum*, Græcè *euasionem* felicem & gloriosam: qualis miles è prælio victor euadit, fortior, & gloriosior. *Vt possitis* postmodum multo maiora tentamina vberiori fructu *sustinere.* * Resistendo namque tentationibus per contrarios virtutum actus augentur habitus earumdem virtutum: & sic homo magis roboratur ad alia etiam grauiora vincenda.] Propter quod, pro eâ qua vos beneuolentia prosequor, enixè deprecor, vt ab idolorum cultu quam longissimè recedatis, nec tentationi detis locum; tentatio enim hæc non est *humana*, sed prorsus dæmoniaca *Vt prudentibus loquor*, ideoque paucis indicasse visum est satis; vos quā decet diligentia mea verba ponderate. Profectò qui vos ab idolorum cultu omninò studet remouere, consequenter suadet, ne de idolothytis cum pusillorum scandalo edatis. Audite precor.

Adeo debemus à vitio superbiæ esse immunes, vt neque tentatio eius ad nos ingredi valeat.

Resistendo tentationi ad alias grauiores superandas, roboraberis.

Vers. 16.17.18.19.20.21. Calix benedictionis &c.] Calix benedictus, & consecratus à Christo, seu à Christianis sacerdotibus nonne communicat, & distribuit sumentibus ipsum Christi

sti

sti sanguinem ? & panis, quem in altari frangimus, seu Deo offerimus, & oblatum populo distribuimus, nonnè sumentes participes facit veri corporis Christi ? *Quoniam vero* vnus est panis, de quo omnes participamus, hinc per illius vnius sumptionem omnes, quantumcumque multi, efficimur, & sumus vnum corpus Christi, vnum inquàm, tum cum Christo (nam alimentum cum alito coalescit) tùm inter nos mutuò. Nam quæ sunt eadem vni tertio, etiam inter se eadem existunt. *Videte*, & considerate *Israel secundum carnem*, id est, Israëlitas carnales, seu Iudæos modernos, quando hostias in Templo oblatas edunt, nonne participes sunt sacrificij in altari oblati? Verum haud aliter & vos quando idolothytia in idolio comeditis, eo ipso participatis, & communicatis sacrificio idolis oblato suam absumptio victimæ est quasi consummatio sacrificij. Non quod velim dicere, *quod immolatum* idolis sit aliquid in se, seu sacrum, seu pollutum. Imò assero, idola nihil esse formaliter, materialiter solùm muta esse dæmonum simulacra. *Sed* quia *quæ immolant* Gentiles, dæmoniis sacrificant, ideo nolo vos de idolothytis in idolio manducare, nè participetis, & communicetis sacrificio idolis oblato. Qui enim de victimis comedit, de sacrificio participat: sicut cum de hostia Eucharistica comeditis sacrificij Eucharistici estis participes. At quam indignum est participantes mensæ Domini, seu Eucharistiæ oblatæ Deo in altari, participare etiam velle mensæ dæmoniorum, & iis tanquam dominis & diis suis sociari, ac subiici. Profectò *non potestis* Deo simul, & dæmoni sacrificare, vel seruire. * Ego quidem non incongrue vocitatim comœdias amorum idolothyta in idolio seu theatro profano exposita auditoribus satiandis. Asseruerim autem minime decere, eum qui in sacrificio Missæ Eucharistiam recepit, ea die mensæ profanæ hærescere, vt idolothytis vescatur, id est, vt comœdia amorum animus delectetur, & visus & auditus lasciuarum saltatioonum sagina impleantur.]

Die, in qua Eucharistiã recepisti, indecens valdè est, cõmœdiis interesse.

Vers. 22. 23. 24. 25. 26. 27. *An æmulamur Dominum, &c.*] Græcè, *An Deum ad zelum, & iram prouocare audemus*, vt relicto hero, patre, sponso nostro, dæmoni hosti nostro hæreamus? Quonammodo potestis mensæ Domini, & mensæ diaboli simul esse participes? *Omnia*, quæ idolis immolata sunt, mihi licet priuatim comedere: sed non mihi est licitum ea manducare, cum non *ædificat* eiusmodi esus, imo nimium destruit eo quod in publico pusillorum scandalo edantur. *Nemo, quod suum* solins *est*, quærat, sed quod ad alios pertinet, attendat. Vnde non ita captare debet proprium commodum, vt incommodum obiiciat. Careat ergò potius ex idolothyrorum esu colligi solita voluptate, quam hac actione alios offendat. Non autem ideò omninò omnem idolothytorum esum prohibeo. *Omne* genus carnium, quod in macello venit liberè manducate quamnis idolis antea immolatum fuerit, nulla præmissa interrogatione, num idolis immolatum sit, necne, propter conscientiæ scrupulum. *Domini* enim est terra, & quidquid in terra cernitur, & quæ ad victum pertinent, ad liberum hominum vsum sunt creata, dummodo aliundè non detur ansa crimini. *Si quis* igitur infidelium vos ad cœnam inuitet, & vobis libeat eius conuiuium inire, cibis queiscumque appositis libere vescimini, neque quærire, num fuerit aliquid illorum idolo oblatum. Nec quidem video aliquid ibi inesse, ex quo *conscientia* pungatur, si *propter conscientiam* id esset quærendum. Hinc edoceantur scrupulosi, bona fide operari, & ab inutilibus interrogationibus abstinere. *Nihil*, inquit, *interrogantes propter conscientiam.*]

Scrupulosi ab inutilibus interrogationibus abstineant circa conscientiæ punctiones.

Vers. 28. 29. 30. 31. 32. 33. *Si quis autem dixerit, &c.*] Quod si vobis quisquam è Sacerdotibus idolorũ, qui ad domum idolothita in vsum familiæ attulerunt, vel ex sæcularibus Gentilibus, qui in macello compararunt, quidquam ciborum, qui in mensa appositi sunt, fuisse prius idolo immolatum fuisse dixerit: eo casu nolite manducare: idque, ne conscientiam lædatis eius, qui id vobis indicauit, vel aliorum assidentium, qui cum nesciant, id vobis esse licitum, scandalizarentur, si vos edentes ex illo cibo aspicerent. Alioquin si omne scandalum absit, vesci licebit idolothytis etiam indicatis, & cognitis; sed cum scandalo non licebit. *Vt quid enim libertas mea iudicatur ab aliena conscientia?* id est, cur, & cui bono ego vtar iure ac libertate mea comedendi de idolothytis, cum alterius offensione: Vt *iudicer*, seu damner ab alterius infirma conscientia: Quare nullo modo id agendum. *Si ego* non nisi *cum gratia*, seu gratuito beneficio libertatis Euangelicæ & grata erga Deum animi recognitione *participo* (dum se dat occasio sine scandalo) vel participare possum de idolothytis: non debeo vlla ratione committere, vt pro eo blasphemer ab infirmis quasi idololatra fiam. Tunc enim abuterer concessa mihi à Deo libertate: nec gratias illi agerem, sed grauiter offenderem. * Stulta profectò iniquitas est ob rei aliàs licitæ haud opportunum vsum delinquere.] *Siue ergo manducatis, siue bibitis*, siue quid alius præstatis: omnia quæ geretis, ità gerite, vt non cedant in ignominiam, sed in Dei gloriam: neque in destructionẽ, sed in proximi ædificationem. *Sine offensione estote*, seu nolite causam exhibere offensionis seu Iudæis, seu Gentilibus necdum conuersis: seu *Ecclesiæ Dei*, id est, iis, qui iam ad fidem Christi fuere conuersi. *Sicut & ego per omnium omnibus placeo*, siue placere studeo, curans omnes ædificare, neminem iuste offendere, neminem scandalo pungere.

Stultum peccatum, quod ob rei aliàs licitæ nõ opportunum vsum, committitur.

CAPVT

CAPVT XI.

Edocet mulieres velari in Ecclesia oportere. Et quonammodo sacra Eucharistia dignè ac decenter sit sumenda.

1. IMITATORES mei estote, sicut & ego Christi. 2. Lau-
do autem vos, fratres, quòd per omnia mei memores estis:
& sicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis. 3. Volo au-
tem vos scire, quòd omnis viri caput Christus est: caput
autem mulieris, vir: caput verò Christi, Deus. 4. Omnis
vir orans aut prophetans velato capite, deturpat caput
suum. 5. Omnis autem mulier orans aut prophetans non
velato capite, deturpat caput suum: vnum enim est ac si decaluetur. 6. Nam si
non velatur mulier, tondeatur. Si verò turpe est mulieri tonderi, aut decaluari,
velet caput suum. 7. Vir quidem non debet velare caput suum: quoniam imago
& gloria Dei est, mulier autem gloria viri est. 8. Non enim vir ex muliere est, sed
mulier ex viro. 9. Etenim non est creatus vir propter mulierem, sed mulier
propter virum. 10. Ideò debet mulier potestatem habere supra caput propter
Angelos. 11. Verumtamen neque vir sine muliere, neque mulier sine viro, in
Domino. 12. Nam sicut mulier de viro, ita & vir per mulierem: omnia au-
tem ex Deo. 13. Vos ipsi iudicate: decet mulierem non velatam orare Deum?
14. Nec ipsa natura docet vos, quòd vir quidem si comam nutriat, ignomi-
nia est illi: 15. mulier verò si comam nutriat, gloria est illi: quoniam capilli
pro velamine ei dati sunt. 16. Si quis autem videtur contentiosus esse: nos ta-
lem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei. 17. Hoc autem præ-
cipio: non laudans, quòd non in melius, sed in deterius conuenitis. 18. Pri-
mùm quidem conuenientibus vobis in Ecclesiam, audio scissuras esse inter vos,
& ex parte credo. 19. Nam oportet & hæreses esse, vt & qui probati sunt, ma-
nifesti fiant in vobis. 20. Conuenientibus ergo vobis in vnum, iam non est
Dominicam cœnam manducare. 21. Vnusquisque enim suam cœnam præsu-
mit ad manducandum. Et alius quidem esurit, alius autem ebrius est. 22. Num-
quid domos non habetis ad manducandum & bibendum? aut Ecclesiam Dei
contemnitis, & confunditis eos, qui non habent? Quid dicam vobis? Laudo
vos? in hoc non laudo. 23. Ego enim accepi à Domino quod & tradidi vobis,
quoniam Dominus Iesus in qua nocte tradebatur, accepit panem, 24. & grà-
tias agens fregit, & dixit: Accipite, & manducate? hoc est corpus meum,
quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem. 25. Simi-
liter & calicem, postquam cœnauit, dicens: Hic calix nouum testamentum
est in meo sanguine. hoc facite quotiescumque biberis, in meam commemo-
rationem. 26. Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, & calicem
biberis: mortem Domini annuntiabitis donec veniat. 27. Itaque quicum-
que manducauerit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè: reus erit
corporis & sanguinis Domini. 28. Probet autem seipsum homo: & sic de
pane illo edat, & de calice bibat. 29. Qui enim manducat & bibit indignè,
iudicium sibi manducat & bibit: non diiudicans corpus Domini. 30. Ideò
inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi. 31. Quòd si nosme-
tipsos diiudicaremus, non vtique iudicaremur. 32. Dum iudicamur autem,
à Domino corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur. 33. Itaque fratres
mei, cùm conuenitis ad manducandum, inuicem expectate. 34. Si quis esurit,
domi manducet: vt non in iudicium conueniatis. Cætera autem, cùm venero,
disponam.

COMMENTARII.

I. *Obuelari fœminas oportere docet.*

VERS. 1.2.3.4.5.6. *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi, &c.*] Estote ô fratres mei imitatores: hoc enim audeo libere vobis dicere, quia ab initio immutationis meæ sic vitam instituì, curaui, vt omnes meæ actiones, ac consilia ad Christi Domini imitationem componerentur.

Præsul Christi æmuletur actiones, vt subditi probum habeant exemplar, quod æmulentur.

* Cum agnatum sit subditis Præsulum actiones imitari, oportet Præsules Christi Domini esse æmulatores: vt subditi probum actionum exemplar sibi valeant obiicere.] *Laudo autem vos fratres*, hoc potissimum nomine, quod omnia mea facta, dictaque firmiter memoriæ tradideritis: & quæ coram accepistis à me, dogmata retinetis & obseruatis.

Laudabilis, qui dogma vtile, quod in Concione audiuit, memoriæ retinet.

* Profectò hoc ex capite commendabilis admodum est fidelis auditor. Nihil enim facilius assolet obliuioni tradi, quam spirituale dogma, quod in concione auditur: cum firmiter memoriæ hærescat, si quid minus modestum, risum excitum ex Concionatoris ore excidit.] *Volo autem* vos esse monitos, quod omnis viri caput, Dominus, superior solus est Christus: mulieris autem caput est etiam vir. Cum ergo mulier sit viro vti capiti subiecta in huius subiectionis signum velari debet. (Velum namque est subiectionis signum.) Porrò viri ex antiquo ritu ab Ænea inducto (si Plutarcho credendum) velato capite diis suis sacrificabant: fœminæ verò vt amasios allicerent, detecto vultu, expansis capillis formam suam publicè ostentabant. Hunc autem patrium morem curabant etiam Christiani Corinthij quasi magis decentem etiam in publicis conuentibus conseruari. Reformare itaque Paulus hoc vitium intendit, quod quidem apud eos vtrumque sexum deturpabat. *Omnis vir orans* in publico seu dicens, aut *prophetans*, seu explicans prophetiam, val quiduis aliud de sacra Scriptura, si velato capite id gerat, dedecore caput suum afficit; qui præcellentiæ suæ dignitate se priuare videtur, & alteri se subiectum profiteri. Apostolus quidem iuxtà opinionem tunc in Ecclesia receptam nunc loquitur. Nam hodie contrario ritu esset subiectionis signum, si quis in publico verba faciens, aperto capite loqueretur. *Omnis autem mulier* in publico orans, aut *prophetans* (nam præeuntibus viris, fœminæ etiam sacros hymnos & Psalmos olim concinebant) si id faciat non velato capite, *deturpat* caput suum: quia agit contrà naturalem honestatem, & verecundiam ei à Deo indictam: & videri vult non subiecta, cum viro subiaceat. *Vnum enim*, seu perinde & æque turpe illi hoc est, ac si decaluetur.

Minus modestè in Templo adesse fœminas tā turpe eis est, ac si decaluarentur.

* Tanti momenti est fœminarum in Templo decentia, vt inibi minus decenter interesse perinde est illis, ac si caluitio defœdarentur, quo nihil assolet fœminis molestius, imo grauius accidere.] Nam *si non velatur mulier, tondeatur*, id est, si nolit caput obuelare, ob indecentiam publico conuentui fidelium illatam, tonderi, seu spoliari coma iubeatur. Quod si ei est turpe tonderi, eam certè omninò velari oportet.

Vers. 7.8.9.10.11.12.13.14.15. *Vir quidem non debet velare, &c.*] Profectò vir caput suum obuelare non debet, cum sit gloriæ & maiestatis Dei imago, inque eius elucet imperium, cum sit mulieris caput. Mulier autem à viro gloriam & dignitatem mendicat, cum illius sit quasi corpus, cuius virtus à capite deriuatur. *Non enim vir* ex muliere, sed è contra potius mulier efficta & condita est: *Etenim* vir haud conditus fuit propter mulierem, sed potius mulier propter virum. Ideò debet mulier suprà caput suum *habere potestatem*, id est, symbolum potestatis viri in mulierem, nempe velamen, quod testimonium & insigne est subiectionis mulierum. Et ab hoc velamine dicuntur nubere mulieres, id est, caput obnubere, seu velare, cum in viri transeunt potestatem. Contra in viro pileos liberæ potestatis insigne fuit Libio teste lib. 45. Vndè *ad pileum vocare*, est prouocare ad libertatem. Iubet autem Paulus velari mulieres in Ecclesia *propter Angelos* vbique assistentes pudoris, aut impudentiæ ipsarum testes, & accusatores.

In Templo nos oportet reuerēter adesse propter Angelos modestiæ obseruatores, & accusatores.

* Vt omnes moueamur quanta debeamus in Templo reuerentia interesse, qui nostrarum actiones obseruatores inuisibiles habemus, qui nec punctum præterire sinent.] * Preme illud: *Ideò debet mulier potestatem habere supra caput.* Potestati viri se esse subiectam indicat mulier, dum velo operit caput, præ se ferens modestiam.

Signum mulieris nuptæ est speciali modestia se gerere.

Signum enim perspicuum fœminæ nuptæ specialis debet esse modestia.

Sacerdotes Angelicā puritatem æmulentur.

* Nonnulli asserunt, particulam, *Propter Angelos* ad Sacerdotes in Ecclesia existentes referri, qui quidem Angelicam puritatem æmulari debent. Vnde quidquid subolet immodestiam inuisum est illis.] *Verumtamen* hæc, quæ dixi de subiectione mulieris erga virum, nolim charitati, & obseruantiæ, quam viri debent mulieribus, præiudicare. Nam sicut mulier non prodiit in mundum sinè viro: ita neque vir sinè muliere nascitur, *in Domino*, id est, sic Deo volente, ac disponente. *Nam sicut* mulier de viro: ita & vir per mulierem, seu à muliere nascitur. *Omnia* autem à Deo conditore procedunt. Quæ cum ita sint, *Vos ipsi iudicate*, num deceat mulierem non velatam in Ecclesia ad Deum fundere preces?

Vel habitus modestus necessarius est ad orandum vtiliter.

* Quomodò à Deo exaudietur quæ ipso orandi habitu illum irritat quem placare studet, & illius illigat manus, quas ad elargienda beneficia esse petit apertas?] *Nec ipsa natura docet vos*, quod præcedit, scilicet, decere mulierem non velatam orare: sed potius eius contrarium. Nam virum comam nutrire, & fouere, turpe est. Contra *Si mulier* comam nutriat, ei est gloriosum. Siquidem coma pro velamine data est ei. Igitur quasi dictante natura est mulieri velamen agnatum.

Taxantur fœminæ quæ comam nimium exornare student.

* Si coma ei data est ad operculum, cur comæ aliud velom indicitur? An quia mulier tam immodestè comæ natiuo operculo abutitur illud sericis fasciolis, floribus, ac gemmis exornando, vt ad modestiam altero velamine indigeat? Ita planè.]

Vers. 16.17.18.19. *Si quis autem videtur contentiosus esse. &c.*] Quod si quis his de rebus contentiosas disputationes instituat, nolim pugnarius cum eo contendere: nos quidem, ve & omnis Ecclesia Dei, à contraria consuetodine penitus abhorremus. *Hoc autem*, quod vobis denunciaui de velandis mulieribus, ita præcipio, vt interim non laudem vos in eo,

quod

quod sequitur: nempe quod cum in Ecclesia conuenitis, non in melius, sed in deterius, id est, non ad vtilitatem, & fructum spiritualem percipiendum *conuenitis*: sed ex vestris conuentibus detrimentum potius procreatur. *Primum*, seu imprimis quidem, audio, inter vos *scissuras* seu diuersam opinandi circa fidei dogmata rationem esse, cum *ad Ecclesiam*, seu publicum conuentum conuenitis. Et id ità accidere *ex parte credo*. * Cur non ex toto, sed ex parte? Quià multa dicuntur, quæ postmodùm falsa esse probantur.] * Quare ergo Apostolus non dixit se omninò non credere, & vt falsa reiicere: Sed fatetur se famam illam *ex parte* credidisse? Certè quia Præsul audiens subditorum excessus, non penitus debet famæ dare fidem, sed nec omnino se incredulum exhibere. Dubitet saltem, an fama sit vera, vt remedium prouidere maturè valeat.] * Profectò vt ea toto de proximo credas errata duos testes debes saltem ad examen vocare, nempe auditum, & visum. Dum autem solus auditus de facto deponit, non omninò credas, sed ea parte tantum, qua solùm inibi adest semiplena probatio: quę plena fiet, si visus accedat. * Hoc edíscimus à supremo cælesti Iudice, ac Præsule, qui Cælicolis dicit: *Clamor Sodomorum venit ad me*, seu famam iniquitatum illorum exaudio: sed quia docere intendo homines, ne facilè auditui singulariter testanti credant: *descendam, & videbo*, num quod clamor indicat, opera compleant. Gen. 18.20.] Ex parte, inquam, credo, *Nam oportet hæreses esse*, necessitate quidem non absoluta, sed ex hypothesi, spectata scilicet humana infirmitate, inconstantia, superbia, & in nouitates pronitate, quali Corinthij laborabant. *Vt qui sunt probati*, seu firmi, solidi in fide, reliquis cum laude *manifesti fiant*. * Valdè enim commendabile est, inter improbos probum existere.]

Multa dicuntur, quæ post falsa esse probantur.

Præsul non debet facilè credere dictis circà subditorum defectus.

Qui audit proximũ deliquisse, non credat, nisi simul id videat.

Iudices, & Præsules edíscũt à Deo non credere subditorum piacula nisi duo testes, auditus scilicet, & visus contestentur.

Laudabile admodum, inter improbos esse probum.

2\. *Vers.* 10. 21. 22. *Conuenientibus ergo vobis in vnum, &c.*] Absit autem, vt iudicem circa fidem inter vos esse *hæresis* veræ suspicionem. Hoc enim vocabulo intelligo schismata, & dissensiones animorum in moribus, vt scilicet estis in cœnæ Eucharisticæ sumptione. *Conuenientibus ergo vobis in vnum: Non est* vobis studium, Dominicam cœnam manducandi, vt decet: sed sic sacerrimæ hæreris mensæ, ac si Bacchicam vel Martialem cœnam iniretis. *Vnusquisque enim* ditiorum cœnam suam *præsumit*, seu sumit ante Synaxim, exclusis pauperibus, vel non expectatis. Porrò in primitiua Ecclesia ad imitationem cœnæ Dominicæ solebant ditiores, vel Præfecti Ecclesiæ antè S. Communionem epulum in Ecclesia instituere commune tam diuitibus, quam pauperibus, idque in mutuæ charitatis documentum: ideoque *Agape*, id est, *Dilectio vocabatur* Iam abusus irrepserat, vt diuites priuatim, & laute, & non rarò ad ebrietatem vsque cœnarent, inopesque excluderent, vel saltem non expectarent; quod hîc taxat Apostolus. Quia itaque vnusquisque vestrum priuatim vobis, amicisque mensam apponitis; *alius* quidem non vocatus esurie laborat, pauper scilicet: & *alius* satur cibis, mero vsque ad ebrietatem indulget. *Numquid domos non habetis*, vbi possitis mensam priuatam apponere, si nolitis illam esse communem; vbi sine contemptu pauperum solos diuites excipiatis? An vos non pudet, *Ecclesiam Dei*, seu cœtum fidelium, vel locum cœtui colligendò destinatum contemnere.] Hic quidem locus moderatæ refectioni, & Christianæ charitati fouendæ debet non crapulæ & ebrietati deseruire. * Equidem licet ob similes abusus concilium Laodicense can. 28. *Agapes* in Ecclesia vetuit institui: piissimum adhuc illum morem possumus imitari, si prius materiali alimento pauperem reficiamus, quam ad spirituale Eucharisticum moliamur accedere.] Ecclesiam, inquam, Dei eo profano conuiuio contemnitis: & isto vestro ciborum apparatu pudefacitis eos, qui neque tantos possunt facere sumptus, neque *habent fortasse*, quo se solos reficiant. Quid me vobis de hac re dicturum arbitramini? An à me nonnullam laudem expectatis, vt in aliis rebus piis quidem non semel accepistis? Equidem non committam, vt eius rei gratia quidquam vobis laudis impertiam, quæ acri potius eget reprehensione. Enim verò cum iam de cœnæ præmittendæ Eucharistiæ sumptioni decentia dixerim, iam de ipsa ad Synaxim digna præparatione, & receptione nonnulla subiiciam.

Docet, quomodo sit sacra Eucharistia recipienda.

Die, quo reficiendus sis Eucharistia, pauperẽ eleemosyna refice.

Vers. 23. 24. 25. 26 27. 28. 29. *Ego enim accepi à Domino, &c.*] Ego quidem à doctrinâ Apostolorum, qui cœnæ Dominicæ adfuerunt, accepi, quæ Dominus gessit, cum Eucharistiam instituit, sicut iam vobis tradidi. Eâ quidem nocte, quâ pro hominum salute proditus fuit à Iuda, panem accepit, & cum gratias egisset, sacramque impertiisset benedictionem, fregit, ac dixit: Accipite, & edite: *hoc est corpus meum*, quod pro vita vestra tradetur in mortem: hoc agite, vt mei memoriam perpetuo colatis. *Similiter* & poculum, vbi cœnasset, accepit, dicens: Hic calix, seu poculum nouum est testamentum sanguine meo sancitum: hoc agite quotiescumque hunc calicem hauseritis, vt mei memoriam ritu solemni celebretis. *Quotiescumque enim* panem hunc sacerrimum èderitis, & viuificum hoc libaueritis poculum, mortem Domini ac Magistri nostri in mentem reuocabitis, quoad ille in supremo mundi die ad nos iterum veniat. * Certè Apostolus cum ea vi verborũ Christi corpus exanime licet diuinitati vnitũ, apponatur, mortem Domini hîc annunciari affirmat. Vt scilicet Christi corporis ex vi verborum mortui obiectu ad mortis propriæ memoriam recurramus. Deberemus enim ad hanc mensam accedere, quasi mox post Communionem essemus morituri.] *Itaque* quisquis hunc panem ederit, & haud poculum Domini indignè hauserit, spreti Corporis, ac sanguinis Domini crimine tenebitur. *Probet autem seipsum homo*, seu ad examen se vocet vnusquisque, an ad tanta mysteria sit digne dispositus. Et si quid deprehenderit, quod impediat, puta peccatum aliquod lethale illud expellat non contritione sola, sed confessione Sacramentali cum contritione vel attritione. Porrò hanc ex Christi institutione (& consequenter iure diuino) Paulum hic pro peccatis mortalibus communicaturi requiri, Tridentinum sess. 13. can. 7. docet: *Qui enim manducat, & bibit indigne, iudicium*, seu condemnationem edit, & potat, *non diiudicans* seu discernens ab aliis cibis communibus *corpus Domini*.

Ad Eucharistiam accedere debes, ac si post Communionem mox esses moriturus.

*Vers.*30.31.32.33.34. *Ideò inter vos, &c.*] Ideo quia indigne sumitis, v.gr. ebrij, superbi, contemptores pauperum, &c. multi sunt infirmi inter vos, & præmature dormiunt, seu moriuntur multi. * Multis his & aliis pœnis ob id affectos variis exemplis Patres docent. Nominatim D. Anselmus addit, id à Paschate maximè deprehendi: cum ob indigne sumptum corpus Domini videmus varios variis morbis præter solitum affligi, & multos extingui.] In hoc autem elucet diuina in nos pietas. *Dum* enim in præsenti per morbos *indicamur,* seu punimur, hac via *corripimur à Domino,* sicut à Patre filij, vt eiusmodi supplicio resipiscamus, & pœniteamus de data ægritudini, aut morti causa vt *cum hoc mundo,* seu cum infidelibus & aliis huius mundi peccatoribus æternùm non damnemur. * Procul dubio magna Dei in nos misericordia est, laboribus affligi, dum delinquimus. A Deo hominem prosperitas distrahit, eundem ad Deum trahit aduersitas.] *Itaque fratres mei,* cum vestros conuentus celebratis, & cœnas, seu *Agapes* instituitis, memores huius vocabuli significationis, (sonat enim fraternam charitatem) non prandeatis soli, sed expectate pauperum aduentum. *Si quis* autem *esurit,* adeò, vt non possit in Ecclesia tamdiu ieiunus expectare, prius *domi manducet,* ne illi sit molestum, aut noxium in communi cœna socios, speciatim inopes segniter ob infirmitatem venientes excipere. *Cæterùm* verò, quæ ad alias virtutes promouendas, vel alios corrigendos excessus pertinent, cum ad vos rediero, disponam.

Corporeis pœnis multi puniuntur ob indignè acceptam Eucharistiam.

Magna Dei pietate hic peccator laboribus affligitur.

CAPVT XII.

Docet, gratias gratis datas variè variis à Spiritu sancto distribui. Et quemlibet in Ecclesia suo gradu & gratia debere esse contentum.

1. DE spiritualibus autem, nolo vos ignorare, fratres. 2. Scitis quoniam cum Gentes essetis, ad simulachra muta prout ducebamini euntes. 3. Ideo notum vobis facio, quod nemo, in Spiritu Dei loquens, dicit anathema Iesu. Et nemo potest dicere, Dominus Iesus, nisi in Spiritu sancto. 4. Diuisiones verò gratiarum sunt, idem autem spiritus? 5. Et diuisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus; 6. Et diuisiones operationum sunt, idem verò Deus, qui operatur omnia in omnibus. 7. Vnicuique autem datur manifestatio Spiritus ad vtilitatem. 8. Alij quidem per Spiritum datur sermo Sapientiæ: alij autem sermo scientiæ secundum eumdem Spiritum: 9. Alteri fides in eodem Spiritu: alij gratia sanitatum in vno Spiritu: 10. Alij operatio virtutum, alij prophetia, alij discretio spirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio sermonum. 11. Hæc autem omnia operatur vnus atque idem Spiritus, diuidens singulis prout vult. 12. Sicut enim corpus vnum est, & membra habet multa, omnia autem membra corporis cùm sint multa, vnum tamen corpus sunt: ita & Christus. 13. Etenim in vno Spiritu omnes nos in vnum corpus Baptizati sumus, siue Iudæi, siue Gentiles, siue serui, siue liberi: & omnes in vno Spiritu potati sumus. 14. Nam & corpus non est vnum membrum, sed multa. 15. Si dixerit pes: Quoniam non sum manus, non sum de corpore: num ideo non est de corpore? 16. Et si dixerit auris: Quoniam non sum oculus, non sum de corpore: num ideò non est de corpore? 17. Si totum corpus oculus: vbi auditus? Si totum auditus: vbi odoratus? 18. Nunc autem posuit Deus membra, vnumquodque eorum in corpore sicut voluit. 19. Quod si essent omnia vnum membrum, vbi corpus? 20. Nunc autem multa quidem membra, vnum autem corpus. 21. Non potest autem oculus dicere manui: Opera tua non indigeo; aut iterùm caput pedibus: Non estis mihi necessarij. 22. Sed multò magis quæ videntur membra corporis infirmiora esse, necessariora sunt: 23. & quæ putamus ignobiliora membra esse corporis, his honorem abundantiorem circumdamus: & quæ inhonesta sunt nostra, abundantiorem honestatem habent. 24. Honesta autem nostra nullius egent: sed Deus temperauit corpus, ei cui deerat, abundantiorem tribuendo honorem: 25. Vt non sit schisma in corpore, sed idipsum pro inuicem sollicita sint membra. 26. Et si quid patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra: siue gloriatur vnum membrum, congaudent omnia membra. 27. Vos autem estis corpus Christi, & membra de membro. 28. Et quosdam quidem posuit

fuit Deus in Ecclesia primùm Apostolos, secundò Prophetas, tertiò Doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, interpretationes sermonum. 29. Numquid omnes Apostoli? numquid omnes Prophetæ? numquid omnes Doctores? numquid omnes virtutes? numquid omnes gratiam habent curationum? numquid omnes linguis loquuntur? numquid omnes interpretantur? 30. Æmulamini autem charismata meliora. Et adhuc excellentiorem viam vobis demonstro.

COMMENTARII.

1\. *Gratiæ gratis datæ variè varijs à Spiritu sancto dividuntur.*

VERS. 1.2.3.4.5.6.7. *De spiritualibus autem, &c.*] Nolo autem vos, fratres ignorare doctrinam, *de spiritualibus*, nempe de donis, & gratiis Spiritus sancti tam gratis datis (de quibus hoc capite) quàm gratum facientibus (de quibus duobus sequentibus capitibus differet.) Hæc quidem ab idolis olim vestris minimè accipiebatis, cum ad illorum muta simulacra accedebatis. Hinc cum varijs linguis loquimini, vel alia dona gratuitò accepta profertis, certissimi iam *scitis*, illa non ab idolis mortis, sed à viuo ac verò spiritu Dei vobis obtigisse, *Ideò notum vobis facio*. quod nemo *in spiritu*, seu præditus spiritu Dei *dicit anathema Iesu*, seu maledicit, & execrat Iesum, vt faciunt Iudæi: en Gentiles increduli, & ad idem faciendum vos frequenter inuitant, & minis, ac tormentis compellunt. Item simul denuncio, neminem posse ex corde Iesum Dominum vocitare, nisi Spiritus sancti instinctu excitetur. Hoc autem præmisso, haud dubitandum est, *diuisiones gratiarum*, seu donorum multiplices esse: vnumque, atque eundem spiritum fontem esse, à quo diuina hæc charismata deriuantur. Addiderim *diuisiones*, seu discrimina ministeriorum multa etiam esse, quibus in Ecclesia Dei quisque laborat. Sed idem est vnus omnium Dominus, cuius imperio omnes Ecclesiæ ministri obsequuntur. Nec negarim, esse nonnulla etiam discrimina facultatum, atque actionum, quibus alij aliud præstant; sed idem earum auctor, atque effector est Deus, qui singulis illam vim ad operandum impertitur. Varia autem ac multiplex hæc diuini spiritus manifestatio *vnicuique* impenditur ad Ecclesiæ vtilitatem. * De quacumque enim dote quæ ad proximorum vtilitatem non exercitur, dubitare quis poterit, num à Spiritu sancto fuerit accepta.]

Dona, quæ à Spiritu sancto accipis, ad Ecclesiæ vtilitatē debes impendi.

Vers. 8 9.10.11. *Alij quidem per spiritum datur, &c.*] Vt autem in particulari loquamur, alij datur *sermo sapientiæ*, seu facultas explicandi Sapientiam, altissima scil. mysteria SS. Trinitatis, Incarnationis, Iustificationis, Prædestinationis, &c. Alij *sermo scientiæ*, seu facultas exponendi res naturales, & morales ad humanam ac ciuilem vitam rectè componendam. *Alteri fides* non præcisè Theologica (nam hanc iam inesse supponimus) sed excellens illa, quæ vocatur fides miraculorum. Alij *gratia sanitatum*, seu donum curandi corporeas ægritudines. Alij *operatio virtutum*, celebriorum & inexpectatorum miraculorum, nempe mortuos suscitandi, &c. Alij *prophetia*, seu donum futura prædicendi, & obscuras Prophetarum scripturas enodandi. Nonnullæ enim adeò sunt difficiles, vt prophetia quodammodo necessario sit, ad earum expositionem. Alij *discretio spirituum*, seu facultas discernendi cogitationes, affectiones, intentiones cordis, an à natura sint, an à spiritu diuino, Angelico, Diabolico. Alij *genera linguarum*, seu donum varijs linguis loquendi. Alij interpretatio sermonum, seu linguarum difficiliorum intellectu. * Profectò quæ alijs, ac alijs Spiritus sanctus dona diuidit, ausus fuerim asserere, in vno meo. D. Francisco Xauerio Indorum & Iaponiorum Apostolo vberrimè collocasse. Datus enim ei fuit sermo Sapientiæ, ad abditissima illa mysteria reseranda. Accepit scientiæ sermonem ad mores facilium Indorum firmiter ergà virtutem componendos. Donatus fuit fide miraculorum, qua dæmonia eiiciebat, serpentum venena obturabat, mortiferis sæpè poculis indemniter potatus: & diuinum cunctis ægritudinibus pharmocopolium se ostendens: cum namque omnia quæ excogitare velis signa sequebantur, gratia equidem sanitatum potentissimum. Fulxit virtutum seu celebriorum miraculorum operatione, siquidem plusquam triginta sex vita functos ad viuos reuocauit. Prophetia nituit, multos futuros maris ac terræ euentus prænuncians. Annon fuit spirituum discretione celebris, qui tot occultas piorum, & impiorum cogitationes reserauit? De generibus demum linguarum, & sermonum interpretatione ipse loquatur, qui non solùm à Spiritu sancto, vti Apostoli, cunctas linguas accepit, sed dum vnica lingua vteretur ab auditoribus diuersarum nationum & linguarum ita intelligebatur, ac si materna cuiusque lingua loqueretur.]

In vno Francisco Xauerio Spiritus sanctus collocauit omnes spiritus, qui in cunctis vitis Apostolicis diuisit.

Vers. 12.13.14.15.16.17.18.19.20. *Sicut enim corpus vnum est, &c.*] Quemadmodum autem nostrum naturale corpus, etsi vnum sit, multis tamèn membris ornatur: ita & Christus vnum est corpus cum membris suis, quæ valde multa, & varia existunt. *Etenim* in vnum corpus Christi mysticum, quod est Ecclesia, baptizati, seu per baptismum insiti sumus, & incorporati. Et omnes in vno spiritu *potati* sumus, cum è calice Eucharistico vnum omnes spiritū cum sanguine Dominico hausimus. Quotquot igitur baptismo Christi sumus diluti, siue Iudæi, siue Græci, siue serui, siue liberi Christo adiungimur & corpore ac sanguine eius recreati, vnius spiritus ipsius participes efficimur, qui per omnia membra permeans, singula vegetat, eáque suis functionibus reddit idonea. *Nam corpus* cum dico, non vnum tantùm membrum intelligo, sed vnum quidpiam ex pluribus necessariò compactum. Loquor enim de corpore hethereogeneo, & organico, quale est humanum, vndè hæc omnis

ducta est similitudo. Quod *si* in humano corpore, intestino veluti bello excitato, *dixerit pes:* Non sum manus, atque idcirco pars aut membrum non sum corporis; num propterea censendus est, ad corpus non pertinere? *Etsi dixerit auris:* Non sum oculus, & ideò nihil mihi cum corpore sit commune; num ob id membrum non erit corporis? *Si* vniuersa corporis membra suis facultatibus destituta, in oculo solum fouendo conspirarent, adeóque totum corpus oculus esset: *vbi*, quæso, *auditus?* Quòd si totum esset auditus, *vbi odoratus? Nunc autem* Deus admirabili quadam Sapientia singula per se membra suis muneribus, ac functionibus destinata in corpore collocauit, vti optimum factu, ipsique corpori consentaneum duxit. *Quod si* essent omnia vnum membrum vnicæ solummodò actioni opportunum, vbi, obsecro, esset corpus, aut qua ratione constaret. Cum necessum sit multa in illo, ac varia membra ad varias quidem actiones distingui. *Multa* itaque sunt membra, corpus autem vnum.

2. *Quilibet in Ecclesia suo gradu debet esse contentus.* *Vers.* 21.22.23.24.25.26. *Non potest autem, &c.* Haud potest quidem oculus dicere manui: Non est mihi tua opera necessaria, quasi ipse solus cunctas corporis functiones posset obire, & vitæ necessaria suppeditare. Neque caput ipsum potest pedibus dictitare: vsu vestro minimè indigeo, perinde quasi sibi sufficiat. *Sed* quidem *multò magis* necessaria sunt membra, quæ infirmiora, & viliora esse videntur. *Et quæ putamus* membra corporis ignobiliora esse, ea nos maiori cura tegimus, iisque ampliorem honorem circumponimus: & quæ inhonesta sunt nostra, decorem ex vestitu sortiuntur cópiosiorem. Ipsa enim natura membra, in quibus species esset honesta, posuit in promptu, quæ autem ad fragilis naturæ necessitatem datæ, aspectum essent habituræ deformem, prouida contexit, & abdidit. Quàm profectò naturæ tam diligentem fabricam imitata est hominum verecundia. *Honesta* enim *nostra* membra, seu quæ honestam speciem habent, externo, atque aliunde ascito non egent decore. Quæ verò minus honesta esse aspectu videntur, Deus ita honorauit, vt quibus species deesse videbatur, maiori virtute potirentur ad ipsius corporis beneficium. Testor stomachum, cunctaque præcordia. Hæc quidem Deus ita diposuit, *Vt non sit schisma in corpore*, seu dissidium intestinum, vnde ei oriatur interitus: sed potius naturæ quodam ductu alia pro aliis membris laborent, atque in vnum omnium in corpore commodum veluti conspirent. Tantaque est omnium membrorum consensio, vt si *vnum quid patitur*, vna simul reliqua membra quodammodo dolent: etsi vnum membrum commodo fruitur, reliqua omnia ei quasi gratulantur. * Nonnulla ex dictis moralia exprimo documenta. *Mysticum Reipublicæ corpus.* Rempublicam organico corpori signari quis dubitet? Varij hominum status & ministeria variis in membris figurantur. Princeps caput obtinet, manus & brachia exerunt Magistratus, collum capiti hærens, & humeri sunt Magnates, pectus equites, pedes duxerim esse populi vulgus: ventrem, & stomacum agricolæ & opifices humilioris notæ sortiuntur. * De quo Paulus: *Quæ videntur inferiora esse membra, necessariora sunt.* An sine ventris, & stomachi ministerio posset viuere corpus? Minime. Agricolæ venter sunt Reipublicæ, ei panem, vinum, & greges ministrantes. Ventrem, & consequenter vitam despicit, qui agricolis fouendis non studet.] *Agricolæ honorandi, & fouẽdi ob Reipublicæ necessitatem.* * Pergit Apostolus: *& quæ putamus, ignobiliora* imò *inhonesta*, ac verenda *esse*, *abundantiorem honestatem habent*, id est, multo honestius vestiuntur. Ita & in Republica qui infirmi, ac contẽptibiles videntur, v. gr. pauperes, ægri, indocti, maiori cura fouendi sunt, quia plus vsui communi prosunt. Artes omnes considera, & videbis, sine illis haud posse Reipublicæ subsistere corpus, vt vel necessitate adstrictus, eos cogaris honorare, eis egentibus subuenire.] *Ignobiliora Reipublicæ corporis mẽbra puta pauperes, plus ei sunt necessaria.* * *Honesta*, adiicit, *Nostra nullius egent: sed Deus temperauit corpus, ei, cui deerat, abundantiorem tribuendo honorem.* Caput, collum, manus, id est, Rex, Magistratus, equites nullo alieno egent ornatu splendorem à natali trahentes, & à munere. Vult autem Deus, vt membra infirmiora, queis desunt ornamenta fortunæ, æstimationis nostræ honore induantur. *Pauperes diuitiis vacui saltem diuitum æstimatione impleantur.* An caput pedem despicit? Minime quidem, quia eius indiget ministerio. Nullum igitur vel vilissimum ciuem despicias ad corporis constitutionem plane pertinentem, & cuius ope indigere te vides.]

Vers. 27.28.29.30 31. *Vos autem estis corpus Christi, &c.*] Vt autem ad huius discursus propositum veniamus, scitote ô fideles Corinthij, vos existere Christi corpus, *& membra de membro*, Græcè *ex parte*, id est, estis membra partialia, compartes, confratres in vno, magnoque corpore mystico Christi Domini, seu in Ecclesia, *Mysticum Christi corpus Ecclesia.* *Et quosdam posuit Deus in Ecclesia, &c.*] Deus in Ecclesia singula membra posuit eo ordine, quo ipsi libuit, primùm caput *Apostolos*, & Apostolorum successores Episcopos. Secundò *Prophetas*, qui sunt velut oculi futura præuidentes, & occulta reserantes. Tertiò *Doctores*, qui instar linguæ populos instruunt. Quartò *Virtutes*, seu miraculorum operatores, qui Ecclesiæ manuum officium exerunt. Quintò *Gratias curationum*, seu mortuorum curatores. Sextò, *Opitulationes*, seu qui per opera misericordiæ, seu spiritualia, seu corporalia proximis opitulantur. Septimò, *Gubernationes*, seu qui regimini præsunt. Octauò, *Genera linguarum*, seu variorum idiomatum peritos. Nonò, *Interpretationes sermonum*, seu obscuriorum scripturæ locorum interpretes. Passim videbis hîc per Hebraismum abstracta pro concretis apponi. * Brentius & alij in fide suspecti asseruerunt illam particulam: *Primum Apostolos*, posuit pro capite in Ecclesia sæculares Principes, & Gubernatores. *Taxantur sæculares Magistratus, qui Ecclesiastico rum Principum decreta despiciunt.* Quod quidem falsum esse, constat, nam septimo loco *Gubernationes* exponuntur. Attamen dum video alicubi sæculares Magistratus Ecclesiasticorum leges contemnere, & eorum decreta reuocare: doleo, quod abusus Gubernatores septimo loco à Paulo collocatos ad primum quodammodo transtulerit.] *Numquid omnes Apostoli?* Deforme esset corpus plura capita ostentans. Numquid omnes Prophetæ? Donum hoc, quia commune, despiceretur. Num omnes Doctores? Ad humiliora ministeria quis vellet è cathedra descendere? Numquid

omnes

omnes virtutem, seu potentiam ad miracola excitanda, & ægritudines abolendas à Domino accepere? Si omnes hoc dono pollerent. Ecclesiastici ministri solummodo ab ægris quærerentur. Num omnes pluribos loquuntur linguis? Si omnes variæ locutioni darent operam, qoomodo *idem* diceremus, vti iubet Apostolus? Nom deniquè omnes abdita atque obscura sacræ Scripturæ loca interpretantur? Si omnes essent ioterpretes, sacræ Scripturæ mysteria eo fulgore prioarentur, qood vulgaris non circumferatur. *Æmulamini autem charismata meliora, &c.*] Expetitis alij aliis excellere? Eo qua via, & ratione vobis liceat summa cum laude piæ huic ambitioni indulgere. Æmulamini charismata quæ vobis & Ecclesiæ vtiliora planè sunt, nempe fraternam charitatem. Hanc enim viam ad præcellentiam assequendam, *vobis demonstro.* * Verum qui maiori præfulget charitate in Deum, & proximom, hic procul dubio est maior.]

Qui maiori charitate fulget, hic procul dubio est maior.

CAPVT XIII.

Inter omnia Spiritus sancti dona charitatem excellere docet. Charitatis conditiones, & officia recenset.

1\. SI linguis hominum loquar, & angelorum, charitatem au-
tem non habeam, factus sum velut æs sonans, aur cymba-
lum tinniens. 2. Et si habuero prophetiam, & nouerim
mysteria omnia, & omnem scientiam: & si habuero om-
nem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non
habuero, nihil sum. 3. Et si distribuero in cibos paupe-
rum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum
ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. 4. Charitas
patiens est, benigna est: Charitas non æmulatur, non agit perperam, non infla-
tur, 5. non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non co-
gitat malum, 6. non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati:
7. omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. 8. Charitas
nunquam excidit; siue prophetiæ euacuabuntur, siue linguæ cessabunt, siue
scientia destruetur. 9. Ex parte enim cognoscimus, & ex parte propheta-
mus. 10. Cùm autem venerit quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte
est. 11. Cùm essem paruulus, loquebar vt paruulus, sapiebam vt paruulus,
cogitabam vt paruulus. Quando autem factus sum vir, euacuaui quæ erant par-
uuli. 12. Videmus nunc per speculum in ænigmate: tunc autem facie ad fa-
ciem. Nunc cognosco ex parte: tunc autem coggnoscam sicut & cognitus sum
13. Nunc autem manent, fides, spes, charitas, tria hæc: maior autem hotum est
charitas.

COMMENTARII.

1\. *Inter omnia Spiritus sancti dona charitatem excellere docet.*

VERS. 1.2.3. *Si linguis hominum loquar, &c.* Gratias gratis datas à Spiritu sancto variis Ecclesiæ ministris præ oculis vobis obieci. Iam ostendam eas omnes à charitate superari. Profectò si omnium hominum, imo Angelorum eloquentia adeò, vt admirationem eloquia mea conciliarent: charitate autem caruero: nihil aliud essem quam inanis quædam ac obstrepens loquacitas, qualis est æris sonantis obsurdè, aut tinnientis cymbali sonus valde confusus. * En concionatorius sermo queislibet Rhetorum præceptis ornatus, si ex charitatis affectu ad Dei gloriam, & proximi vtilitatem non dirigitur. Cordatis enim auditoribus grauiter & inconditè tinniens aures insonat.] *Et si habuero* protheticum spiritum illum, ad futura præuidenda: & coluero mysteria omnia quantumcumque occulta, omnemque penitus humanarum ac diuinarum rerum scientiã mente comprehenderim: & ita fide polleam, vt montes agnatis sedibus aoulsos aliò transferam: cotã verò charitate, nihil plaoè sum nullóque pretio dignus haberi. *Etsi distribuero* alendis egenis, eorumque subleuandæ omninò inopiæ omnia mea bona fortunæ expendero: vltróque corpus totum, & singulatim cuncta eios membra tortoribus crucianda tradidero: etiamsi flammis eis libeat absumenda committere: idque Religionis causa subire patienter intendero; charitate autem destituar: nullam, quoad Deum attinet, eiusque cælestia præmia ex iis capiam vtilitatem. Pro patria seruanda exarsit Mutius Scæuola: pro inani gloria ille Luciani Peregrious. Pono autem exaggeratius, vt quis pro Christi fide turanda patiatur, sed odio in proximom simul afficiatur, vel alio mortaliter peccandi desiderio, vel proposito teneatur: nihil illi proderit. Didici à nostro Suario 3.*p.q.*69.*d.*19.*sect.*2. * Cuiuslibet operis

Concio inutilis, licet Rhetorũ præceptis ornata; prudentum auditorum aures tinnit.

Quilibet specie perillustris effectus nihil valet, nisi pius cordis eum affectus comitetur.

ris effectus specie perillustris non proficit ad salutem, nisi eum cordis Deum & proximum amantis affectus comitetur.]

Vers. 4.5.6.7.8. *Charitas patiens est, &c.*] Vt autem dignoscatis, num veræ charitatis accendamini affectu: eius conditionis & officia ob oculos exponam: *charitas patiens est, & benigna.* Sexdecim enumero veræ charitatis proprietates. Est quidem patiens & benigna Græcè *Iucunda*, ob comitatem & suauitatem morum quæ asperitati, ac morositati opponitur.

2. Charitatis proprietates inditat.

* Qui verè diligit proximum, eius iniurias patienter tolerat, eum resipiscentem benigne excipit iniuriæ illatæ prorsus immemor.] *Charitas non æmulatur*, seu inuidia non laborat. *Qui verè diligit, cuncta amati incrementa propria esse reputat.] *Non agit perperam*, seu peruersè, procaciter, proteruè. Græcè est, *Non est procax*, aut *proterua* qualis amor carnalis procorum, ac meretricum. *Non inflatur* superbia, vt proximum vulgarem despiciat. *Non est ambitiosa*, vt affectet consequi officium, aut munus, quod potiori iure alteri debebatur. *Non quærit, quæ sua sunt*, nempè cum damno & incommodo proximi. * Vera enim charitas propriis dat nuncium commodis, vt studeat alienis.] *Non irritatur*, seu facilè concitatur ad iram. *Non cogitat malum* cuiquam vel inimico. * Adeò vera charitas à vindicta recedit, vt neque in cogitationem sinat immitti quicquam, quod in alterius iniuriam possit exundare.] *Non gaudet super iniquitate*, seu malo proximi, siue physicum illud sit, siue morale: sed *congaudet veritati*, æquitati, & bono proximi perinde ac suo. Qui videt proximum peccatis infici, & non dolet: vel fulgere virtutibus, & non gaudet: credat, se vera charitate minimè affici.] *Omnia* suffert, Græcè, *fulcit, tolerat, sustinet*, instar trabis, vel tigni. * *Omnia credit*, quæ credi oportet de proximi fama: fidem mox adhibet, si bona de proximo dictitantur: cum minimè mox credat, si quidquam de illo minus decens circumferatur.] *Omnia* speranda *sperat*: non repugnat, facilè quidquid boni de proximis dici, vel excogitari potest, credit, & infallibiliter verum esse sperat. *Omnia* quantumcumque molesta, puta prauos etiam aliorum mores, morositatem, aliosque defectus. *Charitas nunquam excidit*, scilicet, quantum est ex se: nam sponte sua nunquam hominem in hac vita deseret, nisi prius ab eo per peccatum mortale deseratur: in futura verò hominem per totam æternitatem comitabitur, cum ferè cuncta alia dona tùm sint abolenda. Nam *prophetiæ* euacuabuntur, nullius enim amplius vsus erunt, succedente pro obscura cognitione clara visione in Verbo. *Linguæ* item variæ, peregrinæ, & ignotæ istic *cessabunt*. Haud hìc agit Paulus de propriæ, ac consuetæ cælitus linguæ vsu, qui minimè in cælo conticescet. *Scientia destruetur* (ex Græco) seu cognitio, quæ in hac vita de Deo, ac rebus diuinis habetur obscura, & ænigmatica, id est, fides, & quidquid scientiæ fidei innititur: verbi gratia, scientia Theologica, quæ ex fidei principiis certis quidem, sed obscuris conclusiones obscuras deducit. In cælo namque erit alia specie Theologia, nempè ex clara visione, & principiis euidentissimis euidentissima. *Ex parte enim cognoscimus* tantum, id est, imperfectè *cognoscimus*, *& prophetamus*; neque enim nisi obscurè, & symbolorum integumento diuina mysteria etiam nobilioribus Prophetis in hac vita reuelantur. *Cum autem venerit* futuræ beatitudinis status, vbi nihil, quod non ex omni parte sit perfectum, poterit inueniri: tunc *euacuabitur, quod ex parte est*, seu abolebitur scientia imperfecta huius præsentis vitæ, quæ planè infantilis est respectu scientiæ cælestis. Ex me ipso argumentum assumam. *Cum* enim *essem paruulus* infantium more loquebar, cogitabam, sentiebam: at vbi maturam attigi ætatem, infantiles actiones ac vitam penitus exui. Iam verò *videmus nunc per speculum* veluti in infantia imperfectè diuina mysteria: tunc autem coram omnium bonorum fontem Deum intuebimur. Nunc tenui, atque obumbrata scientia contentos nos esse oportet: tunc vero perspicuè atque apertè omnia comprehendam non aliter atque ego sum à Deo cognitus. *Per speculum*, Græce *per inspectorium*: Ac si diceret, E longinquo, obscurè, indistinctè ea, quæ per tubum opticum videmus: Tunc autem videbimus facie ad faciem, id est, perfectè, clarè, distinctè, non per ænigmata, & similitudines, sed per suammet essentiam sicut ego iam à Deo cognitus sum scilicet, in meamet essentia, & provt à parte rei sum, nempe clarissimè, distinctissimè, perfectissimè. Ex quibus omnibus patet, quod Charitas, quæ nobiscum in futura etiam vita permanebit, longè maior & nobilior sit fide, & spe (omnibusque gratiis gratis datis, quæ fidem & spem consequuntur) nam hæc nobiscum nonnisi *nunc* in hac præsenti vita manent. Est ergo Charitas omnium maxima, eminentissima, & quasi Regina, vt Scholastici 2. 2. de charitate, fusè demonstrant.

CAPVT

CAPVT XIV.

Prophetiam dono linguarum præfert. Recte vtendi gratiis gratis à Deo datis normam tradit. Ordinem præſcribit in ſacris conuentibus aſſeruandum.

1. SECTAMINI charitatem, æmulamini ſpiritalia: magis autem
vt propheteris. 2. Qui enim loquitur lingua, non homini-
bus loquitur, ſed Deo: nemo enim audit. Spiritus autem lo-
quitur myſteria. 3. Nam qui prophetat, hominibus loqui-
tur ad ædificationem, & exhortationem, & conſolationem.
4. Qui loquitur lingua, ſemetipſum ædificat, qui autem
prophetat, Eccleſiam Dei ædificat. 5. Volo autem omnes
vos loqui linguis, magis autem prophetare. Nam maior eſt qui Prophetat, quàm
qui loquitur, linguis: niſi fortè interpretetur, vt Eccleſia ædificationem accipiat.
6. Nunc autem, fratres, ſi venero ad vos linguis loquens, quid vobis prodero, niſi vo-
bis loquar aut in reuelatione aut in ſcientia, aut in Prophetia, aut in doctrina? 7. Ta-
men quę ſine anima ſunt vocem dantia, ſiue tibia, ſiue cithara, niſi diſtinctionem ſoni-
tuum dederint, quomodo ſcietur id quod canitur, aut quod citharizatur? 8. Etenim
ſi incertam vocem det tuba, quis parabit ſe ad bellum? 9. Ita & vos per linguam
niſi manifeſtum ſermonem dederitis; quomodo ſcietur id quod dicitur? eritis enim
in aëra loquentes. 10. Tam multa, vt puta, genera linguarum ſunt in hoc mun-
do: & nihil ſine voce eſt. 11. Si ergo neſciero virtutem vocis, ero ei, cui lo-
quor, barbarus: & qui loquitur, mihi barbarus. 12. Sic & vos, quoniam æmu-
latores eſtis ſpirituum, ad ædificationem Eccleſiæ quærite vt abundetis. 13. Et
ideo qui loquitur lingua, oret vt interpretetur. 14. Nam ſi orem lingua, ſpiritus
meus orat, mens autem mea ſine fructu eſt. 16. Quid ergo eſt? Orabo ſpiritu,
orabo & mente: pſallam ſpiritu, pſallam & mente. 16. Cæterùm ſi benedixeris ſpi-
ritu: qui ſupplet locum idiotæ, quomodo dicet Amen, ſuper tuam benedictionem?
quoniam quid dicas, neſcit. 17. Nam tu quidem benè gratias agis: ſed alter non ædifi-
catur. 18. Gratias ago Deo meo, quòd omnium veſtrum lingua loquor. 19. Sed in
Eccleſia volo quinque verba ſenſu meo loqui, vt & alios inſtruam, quam decem
millia verborum in lingua. 20. Fratres, nolite pueri effici ſenſibus, ſed malitia
paruuli eſtote: ſenſibus autem perfecti eſtote. 21. In lege ſcriptum eſt: Quoniam
in aliis linguis & labiis aliis loquar populo huic: & nec ſic exaudient me, dicit Domi-
nus. 22. Itaque linguæ in ſignum ſunt non fidelibus, ſed infidelibus: Prophetiæ autem
non infidelibus, ſed fidelibus. 23. Si ergo conueniat vniuerſa Eccleſia in vnum,
& omnes linguis loquantur, intrent autem idiotæ, aut infideles: nónne dicent
quod inſanitis? 24. Si autem omnes Prophetent, intret autem quis infidelis, vel
idiota, conuincitur ab omnibus, diiudicatur ab omnibus: 25. Occulta cordis eius
manifeſta fiunt, & ita cadens in faciem adorabit Deum, pronuntians quod verè
Deus in vobis ſit. 26. Quid ergo eſt, fratres? cùm conuenitis, vnuſquiſque ve-
ſtrum pſalmum habet, doctrinam habet, apocalypſim habet, linguam habet, in-
terpretationem habet: omnia ad ædificationem fiant. 27. Siue lingua quis loqui-
tur, ſecundùm duos, aut vt multum tres, & per partes, & vnus interpretetur.
28. Si autem non fuerit interpres, taceat in Eccleſia, ſibi autem loquatur, & Deo.
29. Prophetæ autem duo, aut tres dicant, & cæteri diiudicent. 30. Quod ſi alij
reuelatum fuerit ſedenti, prior taceat. 31, Poteſtis enim omnes per ſingulos Pro-
phetare: vt omnes diſcant, & omnes exhortentur: 32. & ſpiritus Prophetarum
Prophetis ſubiecti ſunt. 33. Non enim eſt diſſenſionis Deus, ſed pacis: ſicut & in
omnibus Eccleſiis ſanctorum doceo. 34. Mulieres in Eccleſiis taceant, non enim
permittitur eis loqui, ſed ſubditas eſſe, ſicut & lex dicit. 35. Si quid autem vo-
lunt diſcere, domi viros ſuos interrogent. Turpe eſt enim mulieri loqui in Eccle-

ſiis taceant, non enim permittitur eis loqui, ſed ſubditas eſſe, ſicut & lex dicit.
35. Si quid autem volunt diſcere, domi viros ſuos interrogent. Turpe eſt enim
mulieri loqui in Eccleſia. 36. An à vobis verbum Dei proceſſit? aut in vos ſolos
peruenit? 37. Si quis videtur Propheta eſſe, aut ſpiritualis, cognoſcat quæ ſcri-
bo vobis, quia Domini ſunt mandata. 38. Si quis autem ignorat, ignorabitur.
39. Itaque fratres, æmulamini Prophetare: & loqui linguis nolite prohibere.
40. Omnia autem honeſte, & ſecundum ordinem fiant.

COMMENTARII.

Prophetiam dono linguarum profert.

1. VERS. 1.2.3.4.5. *Sectamini charitatem, &c.*] Græcè, *διώκετε*, id eſt, *perſequimini*, (vt aſſolent venatores) charitatem præ omnibus virtutibus. Spiritualia vero dona gratis dari ſolita *æmulamini*, ſeu aſſequi conamini, ſed charitate duce. Et inter omnia primo loco vobis commendo *prophetiam*, id eſt, donum explicandæ, docendæ, & applicandæ ſacræ Scripturæ, vel de diuinis rebus verba faciendi, hymnos, & pſalmos in Dei laudem componendi, & cantandi. Nam etiam priſcorum Prophetarum munus erat non tantum futura prædicere, ſed etiam docere populum, concionari, & laudes diuinas decantare. * Cur autem Paulus aſſeruit, idem eſſe prophetare atque concionari? Planè quia concionatores perfecti debent futuros peccatorum euentus annunciare nempe de nouiſſimis frequenter agere, gehennam peccatoribus præparatam, æternam gloriam expectantem virtute conſpicuos, concioni efficere materiam.] *Qui enim loquitur* lingua multiplici, peregrina, & ignota (quod quia nouum & peregrinum videtur vos affectatis) non multum conſulit auditorum vtilitati. Non enim hominibus inſtruendis vel excitandis loquitur, ſed ſoli Deo laudando. Nemo enim non præditus ſimili dono *audit*, id eſt, intelligit ſic loquentem, quia obſcuro & plebi ignoto idiomate myſteria *loquitur*, Spiritu ſancto ſuggerente quidem, ſed ad priuatum loquentis, non ad publicam audientium vtilitatem. * Pono Concionatores de occultis myſteriis loqui pie quidem & Dei laudandi affectu: ſi id fugit auditorum captum eo quod ignota lingua exprimatur: gratis do, huiuſmodi concionandi rationem vtilem eſſe dicenti, laudanti nempe Deum: ſed ex capite alio claudicat ſermo quod omninò ſit auditoribus inutile.] *Nam qui prophetat*, ſeu concionatur ſic, *ædificat* ſolùm *ſemetipſum*, & ſibi vni prodeſt, dum eleuatur ſpiritu, & ad Deum affectu rapitur, Sed non *ædificat*, ſeu inſtruit *Eccleſiam* Dei, ſicut is, qui lingua nota ac vulgari concionatur. *Volo* quidem, ſeu opto, vos omnes loqui, ſeu vti poſſe (quando ferat occaſio linguis variis, & peregrinis, ad id enim donum id à Spiritu ſancto accepiſtis: ſed multo magis optarim, omnes *prophetare*, ſeu verè docere, & interpretari dilucide ſacram Scripturam, vt ab auditoribus rudibus intelligatur. Nam maior, ſeu vtilior eſt Eccleſiæ, qui prophetat, quam qui linguis ignotis loquitur: *niſi fortè* quod ignotis linguis locutus eſt, nota mox lingua *interpretetur*, & populo exponat: & ſic prophetari incipiat. * Habes hinc, non dedecere Concionatorem, verbis limatis, & perpolitis vti ad Diui alicuius commendationem, vel myſterij occulti exprimendam maieſtatem: dummodò quæ doctioribus eleuatiori ſermone expreſſit, rudioribus vulgariter exprimat auditoribus.]

Cõcionator Prophetę inſtar, debet ſæpè de futuro præmio, & ſupplicio peccatoribus præparato agere.

Cõcionator verba affectas obſcura, inutilis eſt auditoribus.

Non prohibetur Cõcionator aliquoties ſtilo eleuatiori vti dummodo mox ad rudiores deſcendat.

Verſ. 6.7.8.9.10.11.12.13.14. *Nunc autem fratres, &c.*] Supponite, ô fratres, me nunc ad vos venire, dono linguarum (quod in die Pentecoſtes Apoſtoli ac Diſcipuli acceperunt, & ego poſtmodum etiam accepi) vtens; *quid vobis prodero*, ex cathedra vobiſcum loquens, niſi ſic loquar, vt vos inſtruam, ac doceã, ſeu per prophetiam reuelationẽ acceptam, ſeu per vulgarem doctrinam ſcientia & labore partam? * Nec Paulus concionatorum Magiſter confidit, ſe poſſe vtilem eſſe auditoribus, dum incognito ſermone, & difficilibus clauſulis vtitur. Et vtilitatem ſe ſperat laturum, qui ſine Pauli zelo totum ſtudium collocat in occultè dicendo?] *Tamen*, Græcè, *ὅμως*, id eſt, *ſimiliter, quin etiam*, res inanimatæ teſtantur, nihil prodeſſe hominibus, quod non intelligitur. Nemo enim qui neſcit, quid tibiis, cithara, vel tuba canatur, ad numerum ſaltare poteſt ſi incertam vocem militibus incognitam, tuba proferat, quis ſe ad certamen accinget? *Ita & vos* niſi linguæ ſonitu ſermonem edideritis, qui vim habeat veſtrum conceptum exprimendi, quis quæſo, quamuis disertè, ac ornatè loquentes intelliget? Fruſtra equidem inanem vocis ſonitum proferetis in ventum, ſurdis canetis. *Tam multa, &c.*] Nam (vt ex. gr. dicam) multiplices in hac rerum vniuerſitate audiuntur linguæ variarum ſcilicet nationum: & nulla earum *ſine voce* eſt intelligibili ei, qui linguam illam callet; ſed ei, qui non callet illam, vt fructum accipiat, non ſufficit vocem audiſſe, niſi norit etiam *virtutem*, ſiue energiam vocis. *Si ergo neſciero* vocis ſignificationem, ero ei, qui loquitur, velut ſurdus, & barbarus ignarus loquelæ: & qui verba facit, mihi erit barbarus & quaſi omninò eſſet lingnis, *Sic & vos*, quoniam profitemini æmulatores eſſe *ſpirituum*, ſeu ſpiritualia dona ſtudioſè affectare: quærite præ omnibus donum *prophetiæ*: vt eo abundetis, & excellatis ad communem Eccleſiæ ædificationem, & inſtructionem. * Donum prophetiæ vocito prædicationem ita intelligibilem, vt vtilis poſſit eſſe auditoribus. Vndè Concionator, qui intelligibili ſermone vtitur, certò credat, ſe concionandi donum minime à Deo accepiſſe, ſed ſibi ipſum paraſſe ſtylum, quem Deus minimè vt à ſe dictatum agnoſcit.] *Et ideò qui loquitur lingua*, dum in Eccleſia orat, nempe oratione publica, quæ fiebat in Eccleſia, vno alta voce cæteris præeunte, vt reliqui orare docerentur, & vtilia à Deo depoſcere. Qui, inquam, peregrina lingua aliis præorat, ſic oret, vt ſimul aliis inter

Nec Paulus confidit, ſe poſſe vtilem eſſe auditoribus dũ incognito ſermone vtitur.

Cõcionator, qui intelligibili ſermone vtitur, id donum à Spiritu ſancto nõ accepit, nec enim eſt donum Spiritus ſancti.

interpretetur, exponatque nota lingua quid oret. *Nam si orem*, publicè lingua solùm peregrina, non declarans, quid loquar, *spiritus orat*, id est, ego quidem oro Deum, & in animo meo fructum meæ orationis percipio: sed *mens*, seu intentio mea sine fructu est. Quia scopus, quem præcipue intendere debeo in his publicis orationibus, vel exhortationibus est, monere, aut solari populum.

2. *Rectè utendi dono linguarũ normam adijcit.*

Vers. 15.16.17.18.19. *Quid ergo est, &c.*] Quidnam igitur est mihi faciendum, cum in publicis conuentibus populo, vt me sequatur, præoro? Respondet: *Orabo spiritu*, id est, ita vt ego fructum orationis meo in animo percipiam; sed simul *orabo & mente*, id est, ita vt mentem, seu intentionem meam & scopum quoque assequar, scilicet, vt etiam præsentes reliqui intelligant, instruantur, & præeuntem subsequantur. Ac si diceret: Orabo lingua omnibus nota. *Cæterum* si benedixetis spiritu solo Deum, id est, eum lingua peregrina laudaueris, ex qua soli tuo spiritui, seu animo fructus apparatur: is, qui *supplet*, Græcè, *implet*, & occupat *locum idiotæ*, siue qui est ex idiotis, & rudioribus, id est, plebs indocta, *quomodo dicet, Amen*, & approbabit tuam orationem, si illam non intellexerit? *Nam tu quidem*, bene Deo in oratione, quam solus intelligis gratias agis pro acceptis beneficiis, quod est perspicuum & vtile admodùm orationis argumentum; *Sed alter*, seu reliqui audientes, & non intelligentes, minime *ædificantur*, seu nullùm fructum percipiunt. *Gratias* autem ego Deo meo egerim, quod omnium vestrum lingua vtor. *Sed in Ecclesia, &c.*] Imò dum in Ecclesia, seu publico conuentu versor, *volo*, seu malo *quinque*, seu pauca verba loqui sensu, vel idiomate meo, quo ab aliis sentiar, & intelligar, *quàm decem millia verborum*, seu innumera in lingua aliis ignota. * Magni ponderis profectò est, oratorem, seu Concionatorem intelligibilibus verbis vti, siquidem tot argumentis id Apostolus curat persuadere.]

Magni momẽti est, Cõcionatorẽ intelligibiliter loqui, si quidẽ tot argumẽtis studet Paulus id persuadere.

Vers. 20.21.22.23.24.25. *Fratres, nolite pueri effici sensibus, &c.*] Nolite, ô fratres, mente, iudicio, & ratione vos pueros exhibere, dum pueriliter donum vestrum multiplicium linguarum ostentatis. Sed perfecti estote similes viris adultis: ita vn animum exhibeatis ab omni malitia vacuum, & fructibus spiritualibus plenum. * Nam cum vtimini linguarum dono ad ostentationem eloquentiæ sine audientium vtilitate dum non capiunt, quæ dicitis, vos pueros ostentatis, qui orationem, quam nec ipsi intelligunt, recitant.] * Quod quidem in vobis ætate viris non potest sine *malitia* geri.] *In lege*, seu in Scriptura Isaiæ 28.11. Scriptum legimus. *Quoniam in alijs linguis & labiis alijs loquar populo huic: & nec sic audient me, dicit Dominus*, Quia scilicet, permittam, vt ministri verbi ita obscure loquantur, vt auditorum captum superent. * Vnde colligo supplicij diuini esse ministros sacri verbi præconis, qui hac tempestate, (quod verè est animorum tempestas) in concionibus difficilia verba inintelligibilia planè, proferunt.] *Itaque linguæ*, seu linguarum donum ad hoc cælitus collatum est nobis, vt pro signo, seu miraculo deseruiat ad infidelium conuersionem. Nam eos audiunt peregrinis linguis loquentes subito infusis

Cõcionator, qui inintelligibilibus verbis vtitur, se puerũ ostentat.

Quod haud sine malitia gerit.

Cõcionator qui inintelligibilia verba profert, minister est diuini supplicij.

(quod naturaliter est impossibile) in admirationem rapiuntur, & coguntur fateri religionem Christianam à Deo habere ortum. Vobis autem, qui iam fidem accepistis non debent esse vsui peregrinæ linguæ, sed *prophetiæ*, seu exhortationes, ac doctrina salutaris, audientium captui accommodata. *Si ergo*, dum conuenit vniuersa Ecclesia in vnum vt Dei verbum audiat, omnes ministri vestri sacri verbi præcones linguis peregrinis loquantur: si inibi sint, aut illuc accedant idiotæ, aut infideles, planè asserent, illos prorsus insania teneri. * Sanè hodie non iam idiotæ, sed potius sapientes *insanire* dicunt Concionatorem, qui difficilibus, planè inutiliter, phrasibus vtitur.] *Si autem omnes* vestri ministri verbi sacri *prophetent*, seu nota lingua exhortentur se mutuò ad virtutem, aut etiam diuinas laudes concinant: mox conuincitur infidelis, quia sentit, se iustè *iudicari*, & damnari. *Occulta* enim *cordis* sui iudicant manifesta iam esse vobis, dum Deus ita dirigit doctoris linguam, vt arguat occulta auditorum vitia: vnde videtur prophetico spiritu loqui. Itaque *cadens in faciem, adorabit Deum*, asserens, Deum verum vobiscum inesse, veramque esse fidem, quam prædicatis. * Ille quidem verbi Dei præco Dei maiestatem illustrat, cuius verba auditores ad compunctionem alliciunt.]

Insanire sapientium iudicio dicitur Concionator, qui inintelligibilibus phrasibus vtitur.

Concionator, qui peccatores ad compunctionem allicit Dei fidem honorat.

3. *Ordinem in sacris conuentibus seruandum præscribit.*

Vers. 26.27.28.29.30.31.32.33. *Quid ergo est, fratres, &c.*] Quid ergo faciendum vobis existimatis? Me auctore, sic ministerium vestrum exhibete: *Cum* ad publicos cœtus *conuenitis*, sic inter vos omnia partimini, vt vnusquisque vestrum vel *psalmum* proferat, si gratia psallendi pollet: vel *doctrinam*, seu institutionem populo accommodam: vel *apocalypsim*, seu reuelationem sibi peculiariter factam: vel *linguam* peregrinam, sed adiecta mox *interpretatione*; decenter quidem ordine omnia præstentur, & ad publicam *Ecclesiæ* aut cœtus illius ædificationem. Hoc in publicis Christianorum conuentibus tum fieri solere Tertullianus Apologet. c. 39. affirmat, *siue lingua quis loquitur, &c*] Quod si idiomatum varietate vtendum sit, id ita fiat, vt bini, vel ad summum terni, & quidem vicissim loquantur, & adsit aliquis, qui interpretis vices gerat. *Si autem* non adfuerit, qui interpretari valeat: is qui peregrinæ linguæ donum habet, seu facultatem, in Ecclesia, seu publico illo in conuentu taceat: & vni Deo sibique tantùm, vt libuerit, loqui potest. *Prophetæ autem duo, aut tres* suas exprimant prophetias, id est, quæ à Deo sibi fuerint inspirata, seu de rebus futuris, & absentibus, seu de reconditis sacræ Scripturæ misteriis: *& cæteri*, qui simili Prophetiæ dono præditi sunt, *diiudicent*, an id quod Propheta aut doctor dixit, sit sanæ ac vtilis doctrinæ, necne. * Hoc quidem Pauli monitum deberet in omnibus Regularium saltem communitatibus obseruari. Nempè vt assignarentur secretò Concionatorum obseruatores, qui diiudicarent, num decenter, & fructuosè Dei verbum proferatur: vt si sacer præco ex hoc capite reus inueniatur, valeat a Præsule paternè corripi.] *Quod si* assidentium cuipiam aliquid fuerit diuinitus reuelatum, qui prius loqui cœperat, sileat, vt locum det demum verba facienti. *Potestis enim* sigillatim omnes prophetare,

In communitatibus Regularium debent Concionum censores assignari.

& res diuinas exponere, vt omnes audientes *discant*, & omnes vicissim seipsos ad virtutem *exhortentur*. Vt impleantur vota illa: *Vtinam omnes prophetassent*; vel vt omnes *exhortentur*, (passiuè) id est, exhortationem accipiant. *Et* quidem *Spiritus Prophetarum* non est ille fanaticus idololatrarum, qui vates etiam inuitos eloqui cogat; sed subiectus est Prophetis, & in eorum inest potestate: vndè possunt commodè Prophetæ sibi inuicem cedere pacis, & ædificationis causa. *Non enim est Deus* dissensionis causa, sed pacis conciliator: quemadmodum in omnibus Ecclesiis Christianorum semper docere & ostendere studeo.

Vers. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. Mulieres in Ecclesiis taceant, &c.] Mulieres verò, quando in Ecclesiis adsunt, *taceant*. Debent enim non præesse, sed submissæ esse viris, sicut Moses scripsit Gen. 3, 16. *Sub viri potestate eris.* Si autem eis libuerit aliquid ediscere eorum, quæ à sacri verbi præconibus dicta, non dilucidè intellexerint: domi à viris interrogent. *Turpe est* enim mulieri in Ecclesia profari. O quanta hodie propter mulierum garrulitatem turpitudo in Ecclesiis permittitur Pastorum desidia! *An verbum Dei*, seu prædicatio Euangelica à vobis, ô Corinthij, primùm *processit*? Aut in vos solos peruenit? vt pro vestro libito sacra, & conuentus ordinare, & quasi me sapientiores meis velitis monitis contradicere. Profectò ante vos Ecclesiæ Palestinæ Samariæ, Cypri, Syriæ & tot aliæ credidere; illarum, si sapitis, ordinem, ac ritus inspicite, & obseruate. Non quod timeam, aut detrectem proborum, aut doctorum iudicia. Nam *si quis* inter vos videtur Propheta esse excellens, & indubitatus: aut saltem *spiritualis*, seu in rebus spiritualibus dignoscendis, diiudicandisque peritus, talis per me licet, cognoscat, quæ scribo vobis: certus enim scio, quod deprehendet, Christi esse mandata non per se immediatè, sed per me (cui hanc potestatem impertiit iubentis, vt dicta à me nunc in cœtibus vestris obseruetis. * Vndè, ad promptè & alacriter obediendum, haud aspectanda est persona Prælati, qui immediatè iubet: sed Dei ipsius, qui mediate in illo certum est imperare.] *Si quis autem* affectabit ignorare, me à Domino hanc potestatem accepisse: vicissim à Domino ignorabitur, vlturo quidem legato suo illatam iniuriam. *Itaque fratres*, primum vestrum studium sit, vt *prophetis*, seu vt verbum Dei ad vtilitatem audientium vulgari intelligibili lingua exponatis. Non tamen ideo prohibeatis eum, qui voluerit peregrina lingua loqui, dummodo exposuerit vulgari idiomate à populo capiendo quod dixerit. *Omnia* autem decenter, rectoque ordine præstare satagite.

Quàm turpe est, mulieres in Ecclesia loqui.

* Nō est aspectanda persona Præsulis iubentis, sed Deus in illo imperantis, vt sit prompta obedientia.

CAPVT XV.

Corporum resurrectionem multis confirmat argumentis. Corporisque gloriosi dotes describit.

1. NOTVM autem vobis facio, fratres, Euangelium, quod præ-
dicaui vobis, quod & accepistis, in quo & statis, 2. Per
quod & saluamini: qua ratione prædicauerim vobis, si tene-
tis, nisi frustra credidistis. 3. Tradidi enim vobis in primis,
quod & accepi: quoniam Christus mortuus est pro peccatis
nostris secundùm Scripturas: 4. & quia sepultus est, & quia
resurrexit tertia die secundùm Scripturas: 5. & quia visus
est Cephæ, & post hoc vndecim: 6. Deinde visus est plus quàm quingentis fra-
tribus simul: ex quibus multi manent vsque adhuc, quidam autem dormierunt:
7. Deinde visus est Iacobo, deinde Apostolis omnibus: 8. Nouissimè autem om-
nium tanquam abortiuo, visus est & mihi. 9. Ego enim sum minimis Apostolo-
rum, qui non sum dignus vocari Apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam
Dei. 10. Gratia autem Dei sum id quod sum, & gratia eius in me vacua non fuit,
sed abundantius illis omnibus laboraui: non ego autem, sed gratia Dei mecum:
11. Siue enim ego, siue illi: sic prædicamus, & sic credidistis. 12. Si autem Chri-
stus prædicatur quod resurrexit à mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis, quo-
niam resurrectio mortuorum non est? 13. Si autem resurrectio mortuorum non
est: neque Christus resurrexit. 14. Si autem Christus non resurrexit, inanis est
ergo prædicatio nostra, inanis est & fides vestra: 15. Inuenimur autem & falsi
testes Dei: quoniam testimonium diximus aduersus Deum, quod suscitauerit Chri-
stum; quem non suscitauit, si mortui non resurgunt. 16. Nam si mortui non re-
surgunt, neque Christus resurrexit. 17. Quòd si Christus non resurrexit, vana
est fides vestra, adhuc enim estis in peccatis vestris. 18. Ergo & qui dormierunt
in Christo, perierunt. 19. Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, mi-
serabiliores sumus omnibus hominibus. 20. Nunc autem Christus resurrexit à

mortuis primitiæ dormientium. 21. Quoniam quidem per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum. 22. Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur. 23. Vnusquisque autem in suo ordine, primitiæ Christus: deinde ij, qui sunt Christi, qui in aduentu eius crediderunt. 24. Deinde finis: cùm tradiderit regnum Deo & Patri, cùm euacuauerit omnem principatum, & potestatem, & virtutem. 25. Oportet autem illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus eius. 26. Nouissima autem inimica destruetur mors: Omnia enim subiecit sub pedibus eius. Cùm autem dicat: 27. Omnia subiecta sunt ei: sine dubio præter eum, qui subiecit ei omnia. 28. Cùm autem subiecta fuerint illi omnia: tunc & ipse Filius subiectus erit ei, qui subiecit sibi omnia, vt sit Deus omnia in omnibus. 29. Alioquin quid facient qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt? vt quid & baptizantur pro illis? 30. Vt quid & nos periclitamur omni hora? 31. Quotidie morior per vestram gloriam; fratres, quam habeo in Christo Iesu Domino nostro. 32. Si secundùm hominem) ad bestias pugnaui Ephesi, quid mihi prodest, si mortui non resurgunt? manducemus, & bibamus, cras enim moriemur. 33. Nolite seduci: Corrumpunt mores bonos colloquia mala. 34. Euigilate iusti, & nolite peccare: ignorantiam enim Dei quidam habent, ad reuerentiam vobis loquor. 35. Sed dicet aliquis: Quomodo resurgunt mortui? qualiue corpore venient? 36. Insipiens, tu quod seminas non viuificatur, nisi priùs moriatur. 37. Et quod seminas, non corpus, quod futurum est, seminas, sed nudum granum, vt puta tritici, aut alicuius cæterorum. 38. Deus autem dat illi corpus sicut vult: & vnicuique seminum proprium corpus. 39. Non omnis caro, eadem caro: sed alia quidem hominum, alia verò pecorum, alia volucrum, alia autem piscium. 40. Et corpora cælestia, & corpora terrestria: sed alia quidem cælestium gloria, alia autem terrestrium. 41. Alia claritas solis, alia claritas lunæ, & alia claritas stellarum. Stella enim à stella differt in claritate: 42. Sic & resurrectio mortuorum. Seminatur in corruptione, surget in incorruptione. 43. Seminatur in ignobilitate, surget in gloria. Seminatur in infirmitate, surget in virtute. 44. Seminatur corpus animale, surget corpus spirituale. Si est corpus animale, est & spiritale, sicut scriptum est: 45. Factus est primus homo Adam in animam viuentem, nouissimus Adam in spiritum viuificantem. 46. Sed non prius quod spiritale est, sed quod animale: deinde quod spiritale. 47. Primus homo de terra, terrenus: secundus homo de cælo, cælestis. 48. Qualis terrenus, tales & terreni: & qualis cælestis, tales & cælestes. 49. Igitur, sicut portauimus imaginem terreni, portemus & imaginem cælestis. 50. Hoc autem dico, fratres: quia caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt: neque corruptio incorruptelam possidebit. 51. Ecce mysterium vobis dico: Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. 52. In momento, in ictu oculi, in nouissima tuba: canet enim tuba, & mortui resurgent incorrupti: & nos immutabimur. 53. Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem: & mortale hoc induere immortalitatem. 54. Cùm autem mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo, qui scriptus est: Absorpta est mors in victoria. 55. Vbi est mors victoria tua? vbi est mors stimulus tuus? 56. Stimulus autem mortis peccatum est: virtus verò peccati lex. 57. Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum. 58. Itaque fratres mei dilecti, stabiles estote, & immobiles: abundantes in opere Domini semper, scientes quod labor vester non est inanis in Domino.

COMMENTARII.

VERS. 1.2.3.4.5.6.7.8. *Notum autem vobis facio, &c.*] Ne autem ô fratres, quod est præcipuum fidei nostræ, fundamentum apud vos claudicare videatur: in recentem notitiam, & memoriam vobis reuoco Euangelium, quod alias vobis proposui, quoque ita complexi estis, vt pro certo habeam, id vos constantissimè profiteri id, per quod & salutem assecuturi estis, si tenetis, quæ vobis prædicauerim. Nec enim frustra, sed ingenti hoc fruituri præmio, *credidistis. Tradidi vobis in primis*, seu inter præcipua Christianæ religionis capita, *quod* non alicubi legi, sed diuinitus *accepi*: Christum scilicet, pro sceleribus hominum cruci suffixum obiisse, & die tertia resurrexisse ex mortuis iuxta scripturarum prædictionem. Annon Ionas in Christi typo die tertia è ceti ventre educitur? Ionæ 2. Annon clarissimè ad litteram cap. 6.3. prædixit Oseas Christus sua, *post tres dies* resurrectione *viuificabit* etiam *nos*?

Profectò tertia die rediuiuus *visus est Cephe*, id est, Patro Luc. 24. 34. & eodem die vndecim Apostolis suis Luc. 24. 36. *Deinde* visus est plusquam quingentis *fratribus*, seu Christianis simul iu Galilææ monte. Mat. 28. 7. & 10. ex quibus multi adhuc sunt superstites, alij dormierunt. Visus est etiam à Iacobo, & ab Apostolis iterum omnibus, & pluribus aliis ascensionis die. Act. 1. 4. *Nouissimè autem omnium*, Apostolorum visus est & à me in proprio suo corpore conuersionis meæ die, *tanquam abortiuo quidem*, id est, extra tempus, extra numerum eatra ordinem in Apostorum collegium adscripto. Porrò Suetonius in Octauio c. 35. asserit, Senatores, qui Romæ eatra ordinem ex gratia in senatum adlegebantur, *abortiuos* vocitari.

Vers. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. *Ego enim sum minimus Apostolorum, &c.*] Cunctis ego Apostolis postponendus sum, quia vltimus à Domino electus ministerium Apostolicum accepi. * Annon ideo ô Paule, audebo asserere, te collegij Apostolici, & melioris Iacobi filiorum Beniamin fuisse filium quidem *doloris* Christi clamantis Saule *Saule, cur me persequeris?* Postmodum verò eiusdem prosequens in delicias?] *Qui* profectò dignus non sum Apostolus vocari, quoniam Christi Ecclesiam dirè fui persequutus. *Gratia autem* Dei, non vllo merito, ad Apostolicam dignitatem ascendi: & gratia hæc eiusdem pietate *in me vacua non fuit, sed abundantius*, siue amplius, quam omnes Apostoli (seorsim sumpti) io Euangelio promulgando, ac promouendo laboraui. Non autem ego solus, seu non tam ego, quam gratia Dei, quæ mecum laborauit. Non eacludit Paulus propriam liberi arbitrij cooperationem (vti fingunt hæretici) sed tantum gratiæ vt digniori, & principaliori operis causæ laudem operis adscribit. * Ita homines quidquid boni gesserint, Dei gratiæ ac pietati debent attribuere, à qua acceperunt vires ad operandum.] Laborauit Paulus post cunctos Apostolos electus plusquam singuli, nos edocens, eos qui serius ad Dei obsequium accedunt, debere intensius in via salutis operari, vt dies illos vacuos valeant impleta.] *Siue* autem *ego, siue illi* alij Apostoli spectentur, de Christo mortuo, & resurgente conformiter *prædicamus*: & vos eum mortuum fuisse, & mortuis resurrexisse, nobis annuncianribus, *credidistis*. *Si autem* prædicamus, Christum resurrexisse, & id firmiter creditis: *quomodo ergo quidam in vobis* (sicuti Cerinthus, Hymenæus, & Philetus) dicere audent, non esse mortuorum resurrectionem? En primum Pauli argumeotum: Christus resurrexit: ergo & nos resurgemus. * Tanta enim erga homines Christi charitas, vt non reputaret plenum se acquisiisse de de morte triumphum, si illam in seipso solo, & non etiam in nobis membris suis deuicisset.] *Si autem* mortuorum resurrectio non est: ergo nec Christus resurrexit. Prout verò tot testibus ocularis Christum resurrexisse tertia die post mortem. Ergo qui abnegant non esse resurrectionem, quia Christus non resurrexit: conuincuntur resurrectionem mortuorum esse, cum tot testibus comprobata fuerit resurrectio Christi. En argumentum secundum. *Si autem Christus* minime resurrexit; *ergo inanis est prædicatio nostra, & inanis est fides vestra.* En tertium ab absurdo argumentum. Falsa etenim prædicamus, & falsa creditis. *Inuenimur* consequenter qui hæc prædicamus falsi esse *Dei testes*, quia testimonium aduersus eum proferimus, dum docemus Christum à Deo fuisse à mortuis suscitatum; quem quidem minime suscitauit, *si mortui non resurgunt*. At qui tot miraculis, tot prodigiis probamus nos veros testes esse, & doctrinam solidam, ac syncetam: ergo testimonium nostrum circa resurrectionem verum existit. *Nam si* mortuos resurrecturos negatis, consequenter negabitis Christum resurreaisse: & inde pateret, nos, qui asserimus Christum vidisse rediuiuum, falsos esse testes. En quartum argumentum.

D Paulus Christi Beniamin eius doloris filius, sed patris mox deliciæ.

Quidquid boni gesseris, Dei gratiæ adscribe.

Qui serius ad Dei seruitium veniũt, intensius laborare debent.

Mirabilis Christi erga homines charitas, vel post mortem.

Vers. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. *Quod si Christus non resurrexit, &c.*] Si verò non resurrexit Christus, quod asseritis dum resurrectionem abnegatis: sequitur, vanam esse fidem vestram: & adhuc vos in peccatis vestris existere. Nam si Christus resurgere nou potuit, seu mortem deuincere, multo minus potuerit peccatum debellare. Ergo à peccato adhuc captiui detinemini. En argumeotum quintum. *Ergo & qui dormierunt*, seu mortui sunt *in Christo*, siue in gratia Christi *perierunt*, seu damnati sunt. Quia fides eorum fuit falsa, iustitia nulla. En seatum argumentum. *Si in hac vita tantum*, seu huius vitæ solùm bona *sperantes, sumus* sine spe resurrectionis, & futuræ gloriæ: profectò cunctis hominibus miserabiliores essemus, Nam illa spe firma reiicimus carnis, ac mundi voluptates, quibus saltem in præsenti sæculo alij potiuntur. En argumentom septimum. *Nunc autem* certum omuinò est (vt probatum relinquo) Christum Dominum resurrexisse, & quidem *primitias dormientium*, id est, primùm ex mortuis resurgentium ad vitam immortalem, surreait enim Christus primus nou tantum dignitatis ordine, sed & temporis. Nam qui *Matt.* 27. 51. dicũtur Christo moriente resurrexisse, non surrexerunt illa precisè die, sed tertia post Christum, vti Suarius 3. p. q. 53. a. 3. annotauit. *Quoniam quidem* sicut per hominem, qui deliquit, Adamum, mors initium duxit: ità per Christum hominem Deum mortuorum resurrectio, & de morte victoria principium haberet. *Et sicut* iu Adamo delinquente omnes mortui fuerunt, ità *in Christo*, seu merito Christi, qui mortem debellauit, merito viua membra semel mortua rursus viuificarentur, seu ad vitam gloriosam & immortalem eleuárentur. *Vnusquisque autem in suo ordine* tùm dignitatis, tùm temporis. Nempe *primitia*, id est, primo loco *Christus* caput scilicet omuium, deinde iusti membra quidem eius suum caput & Principem sequentur, completa demum & impiorum resurrectiooe. *Deinde finis* vniuersæ Christi dispensationis in terris fiet: & consequenter sæculum terminabitur. Cum scilicet Christus tradiderit Patri *Regnum suum*, seu electorum Ecclesiam, in quibus nunc per gratiam regnat: in futura vita per gloriam æternum regnaturus. Tunc autem Regnum ab omni hoste liberum Deo offeset, vt in eo plena gloria triumphet ac regnet æternum, cum iam *euacuauerit*, ac deleuerit *omnem principatum*, seu imperium dæmonum, qui nunc fideles oppugnat: qui quidem dæmones retinent

nent adhuc ſua nomina, vnde aliqui vocantur *Principatus*, alij *Poteſtates*, alij *Virtutes*.

Verſ. 25.26.27.28.29.30.31. *Oportet autem illum regnare, &c.*] Regnabit vero nunc in Eccleſia, donec Pater æternus dæmones, ac homines reprobos ſub eius pedibus collocet debellatos. *Nouiſſima* demùm inimica hominis mors in reſurrectione vniuerſali deſtruetur, & iam in homines ſuam haud exeret poteſtatem. *Omnia* enim, ſeu omnes hominum inimicos ſub Chriſti pedibus Pater ſubiecit, vt perfecta omninò victoria caneretur. *Cùm autem dicit*: *Omnia ſubiecta ſunt ei*, plane eſt intelligendum omnia eſſe Chriſto ſubiecta præter ipſum Chriſtum, qui Patri omnia illa à ſe victa ſubiecit. Cum autem Chriſtus ſubiecerit Patri cæleſti omnia quæ Pater ei ſubiecerit: *Tunc & ipſe Filius ſubiectus erit Patri*. Ac ſi diceret: Ne tùm quidem Filius deſinet eſſe Patri ſubiectus quatenus ſcilicet homo eſt. *Vt ſit Deus omnia in omnibus*, ſeu vt plenum imperium in omnia & in Filium ſuum vt homo eſt, exerat. *Alioquin, ſi mortui non reſurgunt omninò, quid facient*, ſeu quem fructum reportabunt, *qui baptizantur pro mortuis*, id eſt, qui purificantur ad ſacrificia, quæ pro mortuis offeruntur. Ac ſi diceret: ſi corpora omninò intereunt, ſine ſpe reſurrectionis, nec animæ ſuperſtites ſunt, vt de quorumdam impiorum opinione (verſ.n.18. dicebamus, fruſtrà pro mortuis preces & ſacrificia litantur. *Vt quid & nos periclitamur omni hora?* Certè ſtultè nos tot periculis obiicimus, tot perſecutiones ſuſtinemus, ſi non eſt reſurrectio, imò ſi animæ cum corporibus ſimul moriuntur. Vt autem de me loquar, *Quotidie morior per veſtram gloriam fratres*. In Græco præponitur particula νὴ quæ iuramentis ſeruit. Iuro per gloriam quam habeo de vobis *in Chriſto*, ſeu ad Chriſtum meo miniſterio conuerſis, me quotidie mori; ſeu dira ſubire pericula, & continuo morti me offerre libentiſſimè ob hanc ſolam reſurrectionis ſpem. * Miniſter Euangelij, qui voluerit à tribulationibus non ſuperari, imò alacriter eas ſubire, *quotidie* moriatur, id eſt, inſtantem mortem ſemper menti obiiciat.]

Qui vult pro Deo alacriter laborare, mortem continuo inſtantem memoriæ obiiciat.

Verſ. 32. 33. 34. *Si (ſecundum hominem) ad beſtias &c.*] Si humano ſolum ſtudio, & fine temporali cum beſtiis; hoc eſt, cum Demetrio eiuſque ſociis pro Diana dea ſua ferino modo pugnantibus decertaui tot exantlatis laboribus: quid mihi proderit, ſi mortui non reſurgunt immortales? Satius aliunde fuiſſet cum Epicuro eiuſque diſcipulis profari: *Manducemus, & bibamus; cras enim moriemur*: & poſt mortem nulla pœna; nec vlla voluptas. *Nolite ſeduci* praua cum eiuſmodi atheis & Epicureis conuerſatione. *Corrumpunt bonos mores colloquia*, & commercia praua. * Nihil quidem moribus magis eſt exitiale; quam cum impiis commercium habere: maximè ſi (quo non pauci) atheiſmo laborare videantur.] *Euigilate* ergo *iuſti*, & nolite delinquere: non enim eritis à peccato immunes, ſi impiorum conſortium non fugiatis. Scio namque quoſdam moribus apertè indicare ſe Deum non agnoſcere, & ſe atheos penitus exhibere. *Ad reuerentiam vobis loquor*. Græcè, *ad pudorem, ad confuſionem*. Vos etenim pudere debuiſſet eiuſmodi errorum; quibus veſtrum nonnulli implicantur. Tot præfatis argumentis Paulus perſuadere Corinthiis infirmis in fide curauit corporum reſurrectionem, & animarum immortalitatem.

Exitiale admodum cum impiis commercium habere.

Verſ. 35.36.37.38.39.40.41.42.43.44. *Sed dicet aliquis, &c.*] Si corpora reuiuiſcent, vt aſſeris, 2.
mortui vnde nam corpus reſument; quod iam pridem fuit putredini obnoxium, ferarum ac piſcium alimentum? *Inſipiens*, nonnè granum, quod tu ſeminas, prius moritur & putredini traditur, quam viuum exſurgat? Idem prorſus corporibus accidet. *Et quod ſeminas*, non eſt corpus, quod futurum eſt poſtea, ſed nudum granum vel frumenti, vel ſeminum aliorum. *Deus autem* dat illis ſeminibus pro libito corpus ſuæ ſpeciei congruum; triticeo triticeum &c. ſic in hominum reſurrectione dabit cuique Deus proprium ſuum corpus, & quale quemque decebit. *Non enim omnis caro eadem caro*, id eſt, ſicut ingens eſt differentia inter corpus hominum & corpus brutorum, & volucrum: ita magna admodum differentia erit inter naturam & meritum. Vndè ſicut natura talis, verbi gratia hominis tale exigit corpus humanum; ita tale meritum tale corpus glorioſum exigat: vt qui minor meritis eſt, minus; & qui maior meritis eſt, magis glorioſum corpus recipiat. *Et corpora cæleſtia & corpora terreſtria* idem confirmant. Nam alia eſt cæleſtium *gloria*, ſeu pulchritudo, & alia terreſtrium. In corporibus item cæleſtibus etiam magnam ſplendoris noſcimus differentiam. *Alia* enim claritas ſolis, alia Lunæ, alia ſtellarum claritas. Imo & in ſtellis plures ſtellæ alias claritate ſuperant. Teſtor Luciferum Venerem, Triones. *Sic & reſurrectio mortuorum*. alia erit, atque alia in beatis: vnus enim alteri vt in gratia & meritis, ita præmio quoque tùm corporis, tum animæ longè præcellet. Vnicuique corpori commune erit: Primò quod ſeminatur in terra (grani inſtar) ſeu ſepelitur *in corruptione*, vel vt corrumpatur: in reſurrectione verò ſurget incorruptibile; & impaſſibile. Secundò quod ſeminatur in *ignobilitate*, id eſt, ignobile, vile, ſpurcum: & cum maxima gloria, ſplendore, & claritate reſurget. Tertiò, *Seminatur in infirmitate*, ſeu infirmum; inualidum, nec ſe mouere potens: ſurget verò *in virtute*, ſeu cum potentia & robore celerrimum, & agilitatis dote donatum. Demùm *ſeminatur corpus animale*, ſeu quale habent omnia animalia craſſum, impenetrabile cibo, & potu indigens: ſurget *ſpirituale*, ſeu ſpiritui ſimile, id eſt, non egens cibo & potu ſubtile; penetrabile. Ex his autem Apoſtoli verbis Patres colligunt quatuor eſſe corporis glorioſi dotes Impaſſibilitatem, Claritatem, Agilitatem; & Subtilitatem.

Corporis glorioſi dotes dicſcibit.

Verſ. 45.46.47.48.49.50. *Factus eſt primus homo, &c.*] *Scriptum* quidem *eſt* Gen. 27. *Factus eſt primus homo Adam in animam viuentem*, vita tantum animali multis miſeriis obnoxia, quem filij imitamur; ſed *nouiſſimus Adam*, & parens noſter Chriſtus ſicut factus eſt in *ſpiritum viuificantem*, ſeu talis, qui ſuo merito & potentia valeat quæuis mortua viuificare: ita etiam de facto ſubminiſtrabit nobis corpus reſurrectione glorioſa viuificatum, ſpiritibus ſimile ob Impaſſibilitatis, claritatis, agilitatis; & ſubtilitatis dotes. *Sed non prius*, quod ſpirituale eſt

confeſet;

conferet, quã conferat quod eſt animale, id eſt, dotes illæ reſurrectionem corporis ſequentur. *Primus homo* Adam quia de terra factus non niſi *terrenus* fuit, nec niſi terrenum corpus potuit nobis communicare. Sed *ſecundus* homo Chriſtus, quia *de cælo*, ſeu de Patris ſinu Deus de Deo eſt homo planè *cæleſtis*, (vnde ei debebatur à primo conceſſionis inſtanti corpus glorioſum cum omnibus ei dotibus annexis, ſed noluit eas niſi in reſurrectione admittere.) Poteſt igitur virtute ſua efficere, vt corpus, quod ex ſe eſt animale, fiat cæleſte ſpirituale, ſeu ſpiritibus ſimile: & de facto tale fecit corpus ſuum, quando illud à mortuis ſuſcitauit: & faciet etiam noſtra corpora, quando illa eſt ſuſcitaturus. Qualis igitur terrenus pater Adam, tales naſcimur, & morimur terreni, & fragiles: & qualis Chriſtus ſecundus Pater cæleſtis quidem, tales & *cæleſtes* Angelis ſimiles reſurgemus. *Igitur*, ſicut ante conuerſionem portauimus terreni Adami imaginem, id eſt, aſſimilati illi fuimus in peccatis: ita iam conuerſi portemus imaginem cæleſtis Adami, id eſt, conformemur Chriſto per vitam ſpiritualem, per virtutes cæleſtes. En Apoſtolus ex allegoria ad tropologiam tranſiens. * Et quidem dotum illarum, queis in reſurrectione corpus noſtrum erit donandum, memoria nos allicit ad ipſius corporis mortificationem exerendam] *Hoc autem dico fratres*; vt edoceamini, carnis & ſanguinis delicias, ſeu corpus deliciis affluens Dei Regnum poſſidere non poſſe, ſeu illarum dotum gloria potiri: neque incorruptelam, ſeu immortalitatem, conſequi poſſe corpus corruptis motibus infectum.

Dotes, quibus in reſurrectione corpus donandũ eſt, nos ad ipſius mortificationẽ alliciunt.

Verſ. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. *Ecce myſterium vobis dico, &c.*] En ô fratres, reſurrectionis myſterium. *Omnes reſurgemus, ſed non omnes immutabimur* ad gloriam, non omnes pro animali corpore accipiemus ſpirituale & cæleſte. Solis enim electis hæc gloria præparatur. *In momento*, in puncto temporis, in ictu oculi, cum nouiſſima tuba clangorem ediderit, mortui omnes reſurgent *incorrupti*, ſeu immortales. Nam etiam reprobi incorrupti ſurgent menbrorum integritate, ſed tamen dolore pœnarum æternum corrumpendi. * Horribile ſupplicium impiis, incorruptos ſeu immortales reſurgere ad interminabilis mortis ſine morte corruptionem. Nos tantum electi ad interminabilem gloriam & vitam *immutabimur. Oportet enim* hoc corpus corruptibile in corruptionem induere, & mortale immortalitate donari. *Cum* autem mortale hoc corpus immortalitate donatum fuerit, tunc implebitur illud Oſee. 13. 14. *Abſorpta eſt mors in victoria*, ſeu per victoriam Chriſti mors omninò deperiit electis, *Vbi eſt*, ſeu erit tunc ô *mors victoria*, quam de tot hominibus reportabas? Vbi eſt ſtimulus tuus, ſeu peccatum, quo tanquam venenato aculeo, ſcorpij in morem, configere ſolebas homines, & interimere? *Stimulus*, inquam, *mortis peccatum eſt: virtus vero peccati lex.* Id eſt, id per quod peccatum vires ſuas maxime in nos exeruit, lex Moſaica fuit. Occaſione enim legis multa vetantis, multa imperantis, ſed gratiam ad ea haud ſic vberem impertientis, vt nunc poſt Chriſtum præſtat, magis peccatum in humano infirmo genere inualuit. *Deo autem gratias.* offeramus, qui dedit nobis de peccato & morte victoriam reportare per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, cuius meritis vberrimam gratiam accepimus ad *virtutem* ſeu fortitudinem peccati facilè debellandam. *Itaque fratres mei* dilectiſſimi, *ſtabiles* eſtote in fide ſuſcepta, nec vos perſequutiones faciant mobiles oſtentari. *Abundantes* in opere Domini, ſeu multa feruenter in Dei obſequium opera exercentes, Scientes vtique, veſtrum laborem non futurum inanem, ſed ineffabili præmio eſſe donandum.

Horribile impiis ſupplicium immortales reſurgere.

CAPVT XVI.

Collectas fieri eleemoſynarum, ad pauperibus Solymitanis ſuccurrendum iubet. Salutat amicos.

1. DE collectis autem, quæ fiunt in ſanctos, ſicut ordinaui
Eccleſiis Galatiæ, ita & vos facite. 2. Per vnam ſabba-
ti vnuſquiſque veſtrûm apud ſe ſeponat, recondens quod ei
benè placuerit, vt non, cùm venero, tunc collectæ fiant.
3. Cùm autem præſens fuero, quos probaueritis per epi-
ſtolas, hos mittam perferre gratiam veſtram in Ieruſa-
lem. 4. Quòd ſi dignum fuerit vt & ego eam, mecum
ibunt. 5. Veniam autem ad vos, cùm Macedoniam pertranſiero: nam Mace-
doniam pertranſibo. 6. Apud vos autem forſitan manebo, vel etiam hyemabo:
vt vos me deducatis quocumque iero. 7. Nolo enim vos modò in tranſitu vi-
dere, ſpero enim me aliquantulum temporis manere apud vos, ſi Dominus per-
miſerit. 8. Permanebo autem Epheſi vſque ad Pentecoſten. 9. Oſtium enim
mihi apertum eſt magnum, & euidens: & aduerſarij multi. 10. Si autem ve-
nerit Timotheus, videte vt ſine timore ſit apud vos: opus enim Domini opera-
tur, ſicut & ego. 11. Ne quis ergo illum ſpernat: deducite autem illum in pa-
ce, vt veniat ad me, expecto enim illum cum fratribus. 12. De Apollo autem

fratre

fratre vobis notum facio, quoniam multum rogaui eum vt veniret ad vos cum fra-
tribus: & vtique non fuit voluntas vt nunc veniret: veniet autem, cùm ei vacuum
fuerit. 13. Vigilate, state in fide, viriliter agite, & confortamini. 14. omnia
vestra in charitate fiant. 15. Obsecro autem vos, fratres, nostis domum Ste-
phanæ, & Fortunati, & Achaici: quoniam sunt primitiæ Achaiæ, & in ministe-
sterium sanctorum ordinauerunt seipsos: 16. vt & vos subditi sitis eiusmodi, &
omni cooperanti, & laboranti. 17. Gaudeo autem in præsentia Stephanæ, & For-
tunati, & Achaici: quoniam id, quod vobis deerat, ipsi suppleuerunt: 18. re-
fecerunt enim & meum spiritum, & vestrum. Cognoscite ergo qui huiusmodi
sunt. 19. Salutant vos Ecclesiæ Asiæ. Salutant vos in Domino multùm, Aquila
& Priscilla, cum domestica sua Ecclesia: apud quos & hospitor. 20. Salutant vos &
omnes fratres. Salutate inuicem in osculo sancto. 21. Salutatio, mea manu
Pauli. 22. Si quis non amat Dominum nostrum Iesum Christum, sit anathema,
Maran Atha. 23. Gratia Domini nostri Iesu Christi vobiscum. 24. Charitas mea
cum omnibus vobis in Christo Iesu. Amen.

COMMENTARII.

1. *Iubet eleemosynas colligi, ad egenis Solymitanis succurrendum.*

VERS. 1.2.3.4.5.6.7. *De collectis autem, quæ fiunt in sanctos, &c.*] Cæteri Apostoli in Concilio Ierosolymitano D. Paulo commiserant, ita Gentium curam suscipere, vt tamen pauperum Iudæorum, qui à Iudæis contribulibus suis Ierosolymæ nuper bonis suis ob Christi fidem exuti erant, memor esset, quod Apostolus diligenter executioni mandauit. Vnde sic Corinthios submonet: Circà collectas autem, quæ fiunt *in sanctos*, seu ad Christianos pauperes iuuandos sicut in Ecclesiis Galatiæ fieri iussi, ita & vos in congregationibus Corinthiarum Vrbium agite. * Christianos *sanctos* appellat, vt innuat, omnes qui hoc præcelso nomine insigniuntur, debere splendescere sanctitate: quasi Christianus, & sanctus idem omnino existant. Hæc quidem deberet vera esse in fidelibus propositio: Christianus est, ergo sanctus.] Per vnam sabbati, id est, Dominica prima hebdomadæ die (iam enim Apostoli Sabbatum in Dominicam transtulerant) vnusquisque vestrum secum afferat aliquid, quod in Ecclesiam veniens offerat ad collectam eleemosynarum, quæ ad Solimitanorum subsidium erogantur. Vt cum venero ad vos non tunc fiant collectæ, iam sint paratæ, & summa ex iis conflata statim possit Ierusolymam immitti. * Profectò nullus deberet (si fieri posset) Ecclesiam inire nisi prius *apud sese ponens*, quod pauperibus pro foribus sedentibus valeat offerre: sic enim preces vberem ad assequendum, sortientur efficaciam.] *Cum autem præsens fuero, quos probaueritis per epistolas, hoc mittam, &c.* τὸ *Per epistolas* non est, auctore Theophylacto, iungendum cum *Probaueritis*, sed cum sequenti *Mittam* hoc sensu: Quos vos ipsi delegeritis ad hoc aptos ministerium: hos ego mittam cum epistolis, quibus vestra in pauperes pietas, ac liberalitas commendetur. * *Hos*, inquam *mittam, perferre gratiam vestram*, seu eleemosynam *in Ierusalem*. Quod si mystica placeat expositio, appositè eleemosyna *gratia* vocatur. Per eam enim peccatores ad gratiam alliciuntur, eleemosyna peccatum extinguente: compunctione scilicet peccatoris, quæ ex Dei liberali pietate sequi assolet eleemosynam.] *Quod si dignum fuerit, vt*

Hæc propositio deberet vera esse inter fideles: Christianus est: ergo sanctus.

Ad Templum accessurus loculo repone, aliquid, quod pauperibus ingrediens exhibeas.

Eleemosyna gratia vocatur, quia per eã Deus allicitur ad gratiam conferendam.

& ego eam, mecum ibunt. Hoc est, si tam liberalem collectam feceritis, vt digna censeatur, cui præferendæ Ierosolymam meummet ministerium impendam: mecumque collectores proficiscentur. Tacitè Corinthios plusculum tenaciores stimulat his verbis Apostolus, vt largius, ac liberalius erogent. * Fideles tunc respectu ad Paulum plus ex mera pietate largirentur, & hoc intendebat Apostolus. At nunc, temporum malignitate, liberalior quidem est vanitas, aut adulatio quam pietas in Eleemosynis erogandis.] Vndè petentis qualitatem aspectat.] *Veniam*, Deo fauente, ad vos, cum Macedoniam iniero. In votis enim haben eam agere expeditionem. *Apud vos* autem forsitan diutius, quam transitus postulat, manebo: imò totam hyemem apud vos peragam: vt vos me deducatis, quocumque perrexero. * Fideles tunc honorificum admodum sibi ducebant, vt suum Apostolum à se discedentem deducerent, illum comitantes & ad viam subsidium conferentes. Iam fidelium tanta est tepiditas, vt Apostolicos viros ad Oppida missos vti ignaros instruant, & ad viam salutis peccatores alliciant, magno equidem fructu: vix dignentur incolæ recipere.] *Nolo enim vos*, ô fratres, per transennam videre: sed Deo volente, spero me aliquantulum temporis apud vos mansurum.

Liberalior solet esse vanitas quam pietas in eleemosynis erogandis.

Taxantur qui Apostolicos viros missos ad prædicandũ oppidatim, haud libenter recipiunt.

Vers. 8.9.10.11.12.13.14. *Permanebo autem Ephesi. &c.*] Vsque ad Pentecostem verò Ephesi remanebo, *Ostium enim mihi apertum est magnum*, seu magna occasio, & aditus Euangelij prædicandi, & aduersariorum multorum persecutionem sustinendi. * Qui ministerio Apostolico prædicandi veritatem dat operam, sibi persuadeat: simul ei ostium ad prædicandum & ad patiendum aperiri. Contrà veritatem enim hostes vbique insurgunt.] *Si autem* interea *Timotheus* ad vos accesserit, videte, *vt sine timore sit apud vos*, seu securè agat, nemo illi sit molestus. Domino enim, sicut in propagatione Euangelij famulatur. Timebat Apostolus, (auctore Chrysostomo) ne quis aut generis nobilitate elatus, aut opibus, aut externa Sapientia tumens Timothei adolescentiam contemneret, & eius consilia flocci faceret. * Non sunt Euangelij prædicatores ob canorum defectum despiciendi. *Cum*, enim *sunt sensus hominis.*] *Ne quis ergo illum spernat* adolescentiæ causa. *Deducite autem illum in pace, vt veniat ad me* Ephesum,

Prædicanti veritatem simul aperitur ostium concionandi, & patiendi.

Non despiciendus est Concionator ob canorum defectum.

ſum; vbi nunc agere oportet. Expecto enim illum *cum fratribus*, id eſt, fratres & ego eius aduentum expectamus. Vel iuxta aliorum expoſitionem, Timotheum expecto cum fratribus, qui eum in via deducent Moris enim erat, vt vidimus, vt fideles primarij præconem Euangelicum, ſi quando aliò demigraret, honorifice deducerent. *De Apollo autem* fratre vos facio certiores, enixè me rogaſſe eum vt veniret ad vos cum fratribus eius itineris (vti dixi) comitibus, ſeu deductoribus. Fruſtra tamen eum hortatus fui, vt eam iniret expeditionem; nam certas ob cauſas non fuit illi animus nunc pergendi: cum autem ei *vacuum fuerit*, ſeu opportunitas, ad vos veniet. *Vigilate*, ſalutis veſtræ curam gerite ab inſidiis iniqua ſuadentium fugientes: in fide conſtanter perſiſtite: *viriliter agite, & confortamini*; viribus enim indigetis. * Nam inſtituentibus ſalutis viam dira certamina præparantur.] *Omnia veſtra* opera fieri ſtudete non cum ambitione, & contentionibus; ſed cum Chriſtiana charitate.

Inſtituenti ſalutis viam dira tentamina præparantur.

2. *Verſ.15.16.17.18.19.20.21.22.23.24. Obſecro autem vos fratres, &c. Noſtis* iam domum Stephanæ, Fortunati & Achaici, eorum ſcilicet familias quales & quanti meriti eſſe. *Primitiæ* quidem *ſunt Achaiæ*, ſeu primi, qui ex Achæis in Chriſtum credidere, & *in miniſterium ſanctorum ſeipſos ordinauerunt*, ſeu addixerunt, exercentes ſcilicet hoſpitalitatem in Chriſtianos egentes, & peregrinos, & maximè in Euangelij præcones. *Obſecro igitur vos, vt & vos ſubditi*, ſeu obtemperantes ſitis eiuſmodi patronis, & capitibus Eccleſiæ, debito honore reuerentia illos proſequentes: *& omni cooperanti, & laboranti* circa proximorum ſalutem vos vrbanos, & gratos oſtendite, eis in omnibus obedientes, quia profecto veſtram cauſam agunt. *Gaudeo autem in præſentia Stephanæ, Fortunati, & Achaici*, id eſt, mihi magno eſt ſolatio, quod tales ac tanti viri vobis præſentes adſint, me abſente. (Fortunati quidem nunquam mihi hoc capite fit mentio.) Meritò Paulus gaudet, tres hoſce viros apud fideles Corinthios commorari.* Vel vnus enim vir fide ac virtute egregius totius magnæ communitatis eſt fermentum non corrumpens maſſam, ſed condiens.] Gaudeo, inquam vobis adeſſe hoſce viros illuſtres fide, & ſanctitate: quoniam *quod vobis deerat* nempe præſentia, & miniſterium meum apud vos, ipſi *ſuppleuerunt*: *Refecerunt enim & meum ſpiritum, & veſtrum*: veſtrum quidem dùm vobis laborant inſtruendis: meum verò ſimul; veſtra enim ſpiritualis refectio mea eſt recreatio. Sancti etenim reputant eſſe proprium officium & obſequium, quod aliis impenditur, ob eam quam fraterna dilectio identitatem conſtituunt.] *Eos ergo, qui huiuſmodi ſunt*, ſeu erga vos tam beneficos oſtendunt, *cognoſcite*, id eſt, gratos vos erga eos oſtendite, eiſque reuerenter ſubmittite. *Salutant vos Eccleſiæ*, ſeu fidelium congregationes *Aſiæ*. *Salutant* item ſpeciali affectu in Domino vos nominatim Aquila, & Priſcilla cum domeſticis ſuis fidelibus, apud quos ego etiam hoſpitio recipior. *Salutant vos*, ſeu ſaluere iubent omnes fratres. Eos autem qui apud vos hoc ſunt nomine digni precor vt meo nomine in oſculo ſancto ac fraterno ſalutetis, *Salutatio mea in manu Pauli.* Hæc verba vſque ad Epiſtolæ finem Paulus ait, ſe ſua manu ſcripſiſſe loco ſalutationis, qua epiſtola claudi aſſolet. Reliquum verò Apoſtolo dictante, ab Amanuenſe fuit exaratum. Mea itaque manu hæc ſcribens, vos ô fratres, ſaluere iubeo. Profecto priuſquam verba ſalutationis adſcribat per hyperbathon interponit execrationem quandam in eos qui ſalute ſunt indigni. *Si quis non amat Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, ſit anathema*, ſeu eum execratione ab electorum cœtu ſeparetur, abiiciatur, &, ſi non reſipuerit, deſtinetur exitio. Addit, *Maran Atha*, vocem Hebræo-Syriacam ſignificantem *Dominus noſter venit*, Supple, Iudex, & vindex, vt talem puniat. Hebræi enim dum aliquem condemnarent, ſolebant id præſtare ſub inſtantis iudicij diuini conteſtatione Dani.13.55. & 59. Pſal.9.20. * Huiuſmodi quidem iudicij diuini recordatio ipſos Iudices continebat, nè auderent ſententiam ſcribere iniquam. Vnde id deberent Chriſtiani Magiſtratus æmulari.] *Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti vobiſcum* (En Pauli ſalutatio.) *Charitas mea cum omnibus vobis in Chriſto Ieſu. Amen.* Id eſt, Charitas, qua vos affectuoſe diligo vobiſcum ſit, vt viciſſim me, & vos inuicem pari affectu, & ſynceritate diligatis.

Salutari inbet amicos.

Vel vnus vir egregius magnam communitatem ſtabilit in virtute.

Sancti reputant eſſe proprium officium, quod fratribus impenditur.

Ne Iudices ſententiã ſcrībãt iniquam, diuini iudicij recordentur.

EPISTOLA
BEATI PAVLI APOSTOLI ad Corinthios secunda.

PRÆLVSIO.

QVæstio vertitur inter expositores, vbinam Epistola hæc fuerit scripta? Multi asserunt, scriptam fuisse Philippis in Macedonia, Missam autem per Titum, & Lucam. Ego autem cum Baronio crediderim scriptam Nicopoli in Græcia anno à Christo Domino passo vigesimo sexto.

CAPVT I.

Multarum tribulationum, queis affectus fuit in Asia, occasione ostendit, Deum esse verum consolatorem. Causam reddit dilati sui ad Corinthum aduentus.

1. PAVLVS Apostolus Iesu Christi per voluntatem Dei, & Timotheus frater, Ecclesiæ Dei, quæ est Corinthi, cum omnibus sanctis, qui sunt in vniuersa Achaia. 2. Gratia vobis & pax à Deo Patre nostro, & Domino Iesu Christo. 3. Benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis. 4. Qui consolatur nos in omni tribulatione nostra: vt possimus & ipsi consolari eos, qui in omni pressura sunt, per exhortationem, qua exhortamur & ipsi à Deo. 5. Quoniam sicut abundant passiones Christi in nobis: ita & per Christum abundat consolatio nostra. 6. Siue autem tribulamur pro vestra exhortatione & salute, siue consolamur pro vestra consolatione, siue exhortamur pro vestra exhortatione & salute, quæ operatur tolerantiam earumdem passionum, quas & nos patimur: vt spes nostra firma sit pro vobis: scientes quod sicut socij passionum estis, sic eritis & consolationis. 8. Non enim volumus ignorare vos, fratres, de tribulatione nostra, quæ facta est in Asia, quoniam supra modum grauati sumus supra virtutem, ita vt tæderet nos etiam viuere. 9. Sed ipsi in nobismetipsis responsum mortis habuimus, vt non simus fidentes in nobis, sed in Deo, qui suscitat mortuos: 10. Qui de tantis periculis nos eripuit, & eruit, in quem speramus quoniam & adhuc eripiet, 11. Adiuuantibus & vobis in oratione pro nobis: vt ex multorum personis, eius quæ in nobis est donationis, per multos gratiæ agantur pro nobis. 12. Nam gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ, quod in simplicitate cordis & sinceritate Dei, & non in Sapientia carnali, sed in gratia Dei, conuersati sumus in hoc mundo, abundantius autem ad vos. 13. Non enim alia scribimus vobis, quam quæ legistis, & cognouistis, Spero autem quod vsque in finem cognosceris, 14. Sicut & cognouistis nos ex parte, quòd gloria vestra sumus, sicut & vos nostra, in die Domini nostri Iesu Christi. 15. Et hac confidentia volui prius venire ad vos, vt secundum gratiam haberetis: 16. & per vos transire in

Macedoniam, & iterum à Macedonia venire ad vos, & à vobis deduci in Iudæam.
17. Cùm ergo hoc voluissem, numquid leuitate vsus sum? Aut quæ cogito, secun-
dùm carnem cogito, vt sit apud me EST & NON? Fidelis autem Deus, quia
sermo noster, qui fuit apud vos, non est in illo EST & NON. 19. Dei enim filius
Iesus Christus, qui in vobis per nos prædicatus est, per me, & Siluanum, & Ti-
motheum, non fuit EST & NON, sed EST in illo fuit. 20. Quotquot enim
promissiones Dei sunt, in illo EST: ideò & per ipsum Amen Deo ad gloriam no-
stram. 21. Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo, & qui vnxit nos Deus:
Qui & signauit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris. 23. Ego autem
testem Deum inuoco in animam meam quod parcens vobis, non veni vltra Corin-
thum: non quia dominamur fidei vestræ, sed adiutores sumus gaudij vestri: nam
fide statis.

COMMENTARII.

1\. *Ostendit, Deum verum esse in tribulatione consolationem.*

VERS. 1. 2. 3. 4. *Paulus Apostolus, &c.*] Paulus Iesu Christi Apostolus per voluntatem & decretum Dei ad eam dignitatem euectus, & Timotheus confrater Pauli in Apostolico munere salutem dicunt, & epistolam hanc destinant sanctis, seu Christianis, qui sunt in vniuersa Achaia, cuius Metropolis est Corinthus. *Gratia*, ô fratres, *vobis, & pax à Deo Patre nostro, & Domino Iesu Christo* multiplicetur *Benedictus sit*, & à nobis laudetur *Deus, Pater Domini nostri Iesu Christi* propter suæ benignitatis opera nobis exhibita: quibus plane ostendit se esse Patrem miserationum, & omnimodæ consolationis. * Opportunè iunxit duo illa verba: *Pater Domini nostri, & Pater misericordiarum.* Vt innuat, continuum & interminabilem esse miserationum Dei partum. Nam quemadmodum nunquam non gignit Filium suum Verbum nempe diuinum: haud aliter quodammodo videtur nunquam non misericordias gignere.] * *Et Deus* (addit) *totius consolationis*: *totius* inquam, quia nisi à Deo procedat, nulla vera esse potest consolatio. Vndè impiorum consolatio falsa equidem est.] *Qui* profectò consolationis Pater *consolatur nos in omni tribulatione nostra.* Vt possimus & *ipsi consolari eos, qui in omni pressura sunt.* * Nam qui rebus aduersis sunt flagellati, efficacius valent aliis consolationem adhibere. Sic illa Æneid 1.

Interminabiliter Deus Pater est misericordiarum.

Nulla vera consolatio esse potest, nisi à Deo.

Malorum gnari, aliis consolationem meliùs adhibent.

Non ignara mali, miseris succurre disco.]

Vt possimus, inquam consolari tribulatione affectos *per exhortationem, qua exhortamur & ipsi à Deo* Græcè, *per consolationem, qua consolamur, & ipsi à Deo.* Nos quidem diuinas experti consolationes, aptiores sumus ad illas aliis exhibendas. * Vides consolationem idem esse ac exhortationem; quia consolatio diuina, exhortatio quædam est, ad vberius Deo præstandum obsequium lege gratitudinis.]

Diuina consolatio idem est, ac exhortatio ad gratitudinem.

Vers. 5. 6. 7. Quoniam sicut abundant passiones, &c.] Quemadmodum enim labores & tribulationes pro Christo toleratæ in nobis abundant, ipsius Christi beneficio consolationes plane redundant * Illud etenim ipsum pro Domino pati ineffabilis consolatio est. Vndè quomodo possent non abundare consolationes, si abundant labores, qui quidem ipsi sunt consolatio?] *Siue autem tribulamur*, libenter tribulationem sustinemus, vt vobis salutem, & solamen afferamus. *Siue consolationis*, aliquid concipimus, propterea quod vos alacres aspiciamus diuinæ scilicet consolationis participes: id totum ad bonum vestrum referimus, cuius gratia gaudio perfundimur. *Siue exhortamur, pro vestra exhortatione & salute.* Est repetitio proximæ clausulæ, *siue consolamur, &c.*] *Exhortatio* enim semper pro *consolatione* ponitur. Vndè crediderim, alterum ex his membris ex alia versione in textum irrepsisse, cum hanc repetitionem in Græco non inueniam. *Quæ* quidem (addit) salus (in genere finalis) *operatur in* vobis similium passionum, & tribulationum tolerantiam. * Et quid durum hîc possit apparere, quod non alacriter subeatur, ob salutis interminabilis assecutionem.] *Quas* quidem passiones & tribulationes & nos alacriter ob salutem subimus. *Vt* iam non valde anxij simus *pro vobis*, in fide, pietate, ac constantia detinendis: sed firma sit *spes nostra*, quam de vobis concepimus. Cum enim video vos laborum meorum socios esse: & æternæ consolationis futuros esse spero consortes. * Laborum namque sustinentia in iustis est perspicuum prædestinationis indicamentum.]

Ipsum id pro Deo pati, ineffabilis consolatio est.

Memor salutis æternæ alacriter hîc omnia dura suffert.

Laborum sustinentia in iustis est prædestinationis signum.

Vers. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. Non enim volumus ignorare vos, &c.] Non enim permittam, ô fratres vos ignorare tribulationes, quas in *Asia* subiimus, dum Ephesi commota fuit in nos seditio Demetrij argentarij Dianæ; & cum hominibus bestiis dirioribus decertauimus. *Suprà modum* equidem *grauati* fuimus *suprà virtutem*, seu vires naturæ vel corporis: itá vt nos etiam tæderet esse superstites. Non tamen grauati fuimus suprà vires gratiæ, vel animi: nam gratiæ ope animo inuicto hasce tribulationes superaui. *Sed ipsi in nobis metipsis responsum mortis habuimus.* Fateor naturæ debilitatem nihil aliud, quam mortem præsagire tunc. Vt tantis erepti periculis discamus non in nostris viribus, sed in Deo solo fidere: qui cum *mortuos* potens est suscitare, haud ei difficile erit viuos à mortalibus tueri periculis. Ille equidem nos *de tantis periculis eripuit tunc*, & adhuc ex aliis *eruit* tribulationibus: in quem speramus, quoniam *& adhuc eripiet*, si in posterum sese patiendi similia occasio dederit *Adiuuantibus* tamen *& vobis* precibus pro nobis oblatis, & simul gratiis profusis. *Vt ex multorum personis, &c.*] Ac si diceret. Velim omnes vos pro me Deo agere Deo: vt pro tot, tantisque benefi-

ciis

ciis non ego solus; sed multi mecum debitas bonorum largitori gratias referant. * Qui beneficium aliquod singulare à Deo accepisti, edisce è D. Paulo requirere iustos, qui tecum possint Domino gratias exhibere. Vt suppleant illi, quod tuæ fortasse gratitudini defuit affectus.] *Nam gloria nostra hæc est, &c.* Illud, de quo glorior in Domino, & in quo confido *testimonium est conscientiæ* meæ. Ac si diceret; Ideo spero, me a Deo liberandum à calamitatibus, ac laboribus, quæ mihi adhuc instant, quia benè mihi conscius sum, & de eo gloriari apud vos possum. Mea quidem conscientia testatur, quod simplici, recto, & syncero animo me in cunctis apud vos gesserim, dum prædicarem, dum docerem: *non in Sapientia carnali*, seu humana philosophia, & eloquentia fretus, sed gratia, zelo, & spiritu diuino instructus. *Non enim alia scribimus vobis*, seu non sunt mendacia, quæ scribo vobis de recta, & syncera mea apud vos conuersatione: vos hæc legitis, mihi testes oculati fuistis. *Spero autem*, me eundem vitæ, & doctrinæ tenorem ad extremum vsque vitæ spiritum seruaturum: vosque nulla alia de nobis audituros, vel noscituros. *Sicut* de facto iam *cognouistis*, seu persuasum habetis, saltem *ex parte* nos tales esse, quales dixi: eo quod *gloria vestra sumus*, id est, quia gloriamini de nobis, nempe quod talem Apostolum nacti estis: sicut vicissim vos nostra estis gloria, seu nos gloriamur, quod sortiti fuerimus tam fidos, tam doctos, tam pios discipulos, vt manifestabitur *in die Domini*, quando Iudex sedebit.

Cū aliquod à Deo speciale acceperis beneficium quære iustos, qui tecū gratias reddant.

2. *Vers. 15. 16. 17. 18. 19. 20. Et hac confidentia, &c.*] Hac confidentia nixus, vos prius inuisere constitueram, vt haberetis dilectionis meæ ergà vos nonnullum documentum, dum vos iterum atque iterum salutassem. Statueram namque *& per vos*, seu per Corinthum *transire in Macedoniam, & iterum* è Macedonia ad vos redire, & à vobis in Iudæam (de vestræ humanitatis & comitatis more) deduci. *Cum ergo* hoc statuissem apud me, numquid inconstantis animi leuitate consilium mutaui, aut hominum inconstantium more delibero, qui temerè solent quidlibet polliceri, & leuissima quaque de causa mutata voluntate promissa reuocant? An sic vobiscum me gessi, *vt sit apud me Est, & Non?* seu *Modò* affirmem, *Modò* negem? *Fidelis autem Deus*, seu Deum testor, de cuius fide, ac promissorum constantia nefas est dubitare, quod in *sermone*, seu promissione nostra vobis facta haud *Est*, & *Non* inuenietur: sicut in prædicationis meæ doctrina *Est*, & *Non* nunquam apparuit: sed constanter vos semper fidei mysteria docui. Dei enim Filij Iesu Christi, fides & Euangelium per me, Syluanum, & Timotheum vobis annunciatum *Est*, & *Non* est non admittit, constans enim affirmatio, & vniformis est doctrina. Quotquot item promissiones Dei in veteri Testamento de Christo factæ *sunt*, hæ omnes *sunt in illo Est*, seu omnes fuere constantes, ratæ, impletæque in Christo. Ideò & *per ipsum* Christum dicimus, seu triumus *Deo, Amen*, id est, fidelitatem, veritatem, & constantiam; nam omnia, quæ Deus de Christo promisit, dicimus esse verissima, verissiméque completa. Qui ergo in doctrina Catholica proferenda constans fui, quique in Euangelij decursu video omnes Dei promissiones fuisse impletas: debui discere, in meis promissionibus varium non esse, vt instar puerorum, modo promittam, mox reuocem. Profectò Euangelicos ministros, qui circa doctrinam summæ veritatis semper versantur, dedecet esse varios in dictis, & minus veritatis studiosos.]

Se excusat, ob dilatū suum ad Corinthū promissū aduentum.

Ministrum Euāgelij dedecet admodum, varium esse, & minus veratem.

Vers. 21. 22. 23. Qui autem confirmat nos vobiscum, &c.] Verum qui confirmat nos tam in promissis nostris fideliter complendis, quam in doctrina Euangelij fideliter propugnanda, est *Deus, qui & vnxit nos* vna vobiscum *in Christo* per Confirmationis Sacramentum, vnctione charitatis simul nos colligans. *Signauit*; quidem nos signo crucis in fronte per Episcopi manum, in anima caractere impresso, & accepto Spiritu sancto, quem qui recipiunt, vitæ æternæ pignore donantur. *Ego autem testem Deum inuoco*, siue per Deum iuro *in animam meam*. Quasi dicat: Perdat me Deus, si mentior: *quod parcens vobis non veni vltra Corinthum*, seu me idcircò Corinthum non venisse, vt vobis parcerent; venissem enim tanquam vltor ac vindex eorum criminum, quibus nonnulli inter vos tenebantur adstricti. * Oportet aliquando Præsulem affectare, subditorum piacula non videre, nè (haud opportunè fortè) punire eos cogatur] *Non* autem dixi: *Parcens vobis*, quod dominer *fidei vestræ*, seu vobis, ob fidem, quam magisterio meo didicistis: quasi propter id ius aliquod, aut potestatem, (qualis est dominorum) ego, & socij mei in vos vsurpare velimus. *Sed* quòd *adiutores* esse studeamus *gaudij vestri*, id est, quod procurare velimus solidum vobis gaudium, & consolationem, corrigendo eos, qui sua malitia vos offendunt, & contristant. * Nec enim potest non esse iustis molestissima, & incommoda admodum impiorum societas.] *Nam fide statis*, & in ea sufficienter estis instructi; nec habeo quod circà illam reprehendere debeam. Solùm mores paucorum corrigendi: & tunc vestrum gaudium erit plenum. * Non excidat sinè pondere illa particula: *Non quia dominamur fidei vestræ*. Prælatus quidem haud se debet gerere vt Dominum subditorum, sed patrem, sed socium, affectantem potius rogare vrbanè, quam elatè iubere.]

Oportet aliquando Præsulē affectare subditorum piacula, non videre.

Iustis molestissima est impiorum societas.

Prælati non se subditorū dominos, sed socios exhibeant.

CAPVT II.

Absoluit Paulus incestuosum pœnitentem, quem contumacem excommunicarat. (1.Cor.5.4.)

1. STATVI autem hoc ipsum apud me, ne iterùm in tristitia ve-
nirem ad vos, 2. Si enim ego contristo vos : & quis est,
qui me lætificet, nisi qui contristatur ex me? 3. Et hoc ip-
sum scripsi vobis, vt non cùm venero, tristitiam super tri-
stitiam habeam, de quibus oportuerat me gaudere : con-
fidens in omnibus vobis, quia meum gaudium, omnium
vestrûm est. 4. Nam ex multa tribulatione & angustia cor-
dis scripsi vobis per multas lacrymas : non vt contristemini : sed vt sciatis, quam
charitatem habeam abundantiùs in vobis. 5. Si quis autem contristauit, non me
contristauit : sed ex parte, vt non onerem omnes vos. 6. Sufficit illi, qui eius-
modi est, obiurgatio hæc, quæ fit à pluribus: 7. ita vt è contrariò magis done-
tis, & consolemini, ne fortè abundantiori tristitia absorbeatur qui eiusmodi
est. 8. Propter quod obsecro vos, vt confirmetis in illum charitatem. 9. Ideò
enim & scripsi, vt cognoscam experimentum vestrum, an in omnibus obedientes
sitis. 10. Cui autem aliquid donastis, & ego: nam & ego quod donaui, si quid
donaui, propter vos in persona Christi, 11. vt non circumueniamur à satana
non : enim ignoramus cogitationes eius. 12. Cùm venissem autem Troadam
propter Euangelium Christi, & ostium mihi apertum esset in Domino, 13. non
habui requiem spiritui meo, eò quòd non inuenerim Titum fratrem meum : sed
vale faciens eis, profectus sum in Macedoniam. 14. Deo autem gratias, qui
semper triumphat nos in Christo Iesu, & odorem notitiæ suæ manifestat per nos
in omni loco : 15. quia Christi bonus odor sumus Deo, in iis qui salui fiunt, &
in iis qui pereunt : 16. aliis quidem odor mortis in mortem : aliis autem odor vi-
tæ in vitam. Et ad hæc quis tam idoneus? 17. Non enim sumus sicut plurimi,
adulterantes verbum Dei, sed ex sinceritate, sed sicut ex Deo, coram Deo, in Chri-
sto loquimur.

COMMENTARII.

1.
Incestuosum excommunicatum iam pœnitentem absoluit.

VERS. 1. 2. 3. 4. 5. *Statui autem hoc ipsum apud me, &c.*] Apud mè quidem decreui hoc *ipsum*, scilicet, non iterum vos inuisere in *tristitia*, seu contristare vos, & me, nouis inflictis castigationibus. *Ne iterum in tristitia* ait, *venirem ad vos*. Præsul enim, qui non dominum, sed patrem se gerit subditorum, tristitia afficitur, cum eos cogitur reprehendere, aut pœnam infligere.] *Si enim ego contristo vos*, etiam me ipsum contristo. *Et quis est, qui me lætificet?* Sane nemo : nisi qui correptus à me, *contristatur ex me*, ad reprehensionem meam dolens, pœnitens, resipiscens. * Gaudeat mulier pecunia reperta. Exultet pastor, erronea inuenta ouicula. Lætetur parens, fugaci filio ad domum redeunte. Et minister Euangelicus omnium horum gaudium, exultationem, lætitiam capiat, dum viderit peccatorem ad frugem meliorem reductum. Cum vel Angelis sit gaudium *super peccatore pœnitentiam agente*. Luc. 15. 7. *Et* certè ob *hoc ipsum scripsi vobis*. priorem meam Epistolam, & per illam vos corripui; ne cum ad vos *venero*, si cogerer vos castigare, *tristitiam super tristitiam*, seu geminatum dolorem haurirem, ex iis, de quibus oportuisset *me gaudere*, nempe occasione vestri, quos vti filios charissimos diligo. *Confidens in omnibus*, quod quodcumque mihi displicere, sciretis, tolleretis statim. *Quia* mea gaudia meosque dolores existimaris vobis esse communia. * Concipientes enim subditi hunc in eos dilectionis affectum prosperis illius collætantur, contristantur aduersis. Friget planè Præsulis erga subditos charitas, cum subditi ridēt, dum ipse mœret: vel cum hic exultat, illi contristantur.] *Nam ex multa tribulatione*, oppressione, & animi angore lacrymas vberes profundens vobis scripsi, non vt tritia vos afficiam; sed vt dignoscatis charitatem, qua vos arctissime amplector : *si quis autem* aliquid perpetrauit, quod mœrorem mihi posset afferre : is quidem non mihi soli tristitiam attulit, sed *ex parte*, mecum enim multos contristauit. Nec enim onerare, seu pungere vos omnes volui, cum prima Epistola (cap.5.2.) dixi. Et vos *inflati estis, & non magis luctum habuistis* de fratris incestu. Non enim mihi venit in mentem suspicari, non fuisse multos, qui de illius peccato dolerent. * Si non omnes erant inflati, vt de piaculo illo non dolerent,

Præsul qui se patrē subditorum profitetur, tristatur, cum eos cogitur corripere.

Gaudeat minister Euangelij, cum viderit peccatorem cōuerti.

Cum sciunt subditi, se à Rectore diligi, illius prosperis lætantur, mœrent aduersis.

Sanctæ communitatis fama consput-

ror, si in ea, vel pauci irreligiosi permittuntur.

lerent, cur Paulus omnes videtur comprehendisse, dum ait: *& vos inflati estis, & non magis luctum habuistis?* Profectò quia sanctæ communitatis fama conspurcatur, si in ea vel pauci irreligiosi permittuntur.]

Vers. 6.7.8.9.10.11. sufficit illi, qui eiusmodi est, &c.] Incestuoso illi, qui Ecclesiam contristauit; sufficiat *obiurgatio* hæc, quæ fit à pluribus (nempe illa separatio ab Ecclesia, ex qua à pluribus, id est à vobis omnibus cum detestatione sceleris illius exturbatus fuit) pro satisfactione delicti; si quidem iam ille resipuit. * Tantum enim malum est excommunicatio, vt nullum corporis supplicium adiici potest, quod aliquid excommunicato addere incommodi videatur; quia lethale est animi vulnus.] *Ita vt è contrario, &c.*] Adeò excommunicationis pœnam ei pro satisfactione sufficere reor, vt *è contrario* magis debeatis pœnitenti & remittere omnino aliam pœnam, quam propter scelus admissum ab eo exigere iure poteratis: & lenitate, & indulgentia consolari mœrentem. *Ne forte* immodica tristitia obruatur, & desperet, qui Ecclesiæ censura pœnas luit, & iam se à scandaloso scelere abstraxit. * Edoceantur Præsules, subditos qui à peccato resipiscunt, benigniter esse recipiendos.] *Propter quod obsecro vos, vt confirmetis in illum charitatem.* Græcè *ratum faciatis*, & decernatis quasi publicis Ecclesiæ comitiis illius restitutionem; & communi consensu declaretis, vos denuo illum pro fratre complecti. *Ideo enim scripsi* hæc, vt de vestro obediendi studio sumā experimentum. *Cui autem aliquid donastis*, Græcè, *donatis*, seu donari, ac remitti à me petitis per Titum vt infrà cap. 7.7.) etiam *ego* condono. Nam sicut congregatis vobis, & meo spiritu, iussi illum excommunicari: ita nunc me vobis adiungo, vt quod vos in persona mea illi condonatis, ego condonem absoluendo illum ab omni vinculo excommunicationis, omnique reliqua pœna, quam adhuc subire iuste deberet pro tam graui scelere. Quod vero illi condono si aliquid est, condono *in persona Christi*, seu vice & auctoritate Christi cuius personam gero, qui dixit: *Quæcumque solueritis super terram, erunt soluta & in cælo.* Mat. 18.18. Idque *propter vos*, seu in gratiam vestri pro pœnitente rogantium, & veniam, indulgentiámque petentium. *Vt non circumueniamur*, seu decipiamur *à satana*, qui prętextu iustæ indignationis aduersus hunc incestuosum, vellet nos in eius causa summo rigore vti, & inexorabiles nos exhibere. Sed *non ignoramus* diaboli machinationes studentis, pœnitentem omni solatio, ac spe destitutum, animum despondere, & fide abiecta, totum se delictis immergere. * Edisćat Euangelij minister pœnitenti obuiam ire, & indulgentiam toto affectu impertiri: æmulans quidem Euangelici patrisfamilias affectum, qui pœnitenti filio processit obuiam, & veniam donatum pristinam gratiæ ad stolam reduxit. Luc. 15.]

Grauissimum animi supplicium excommunicatio est.

Præsul subditum, qui resipiscit benigniter recipiat.

Minister Euāgelij benignissimè pœnitentes excipiat.

Vers. 12.13.14.15.16.17. Cum venissem autem Troadem, &c.] Enimvero cum prædicandi Euangelij causa Troadem peruenerim, & *ostium* seu aditus patens mihi obiiceretur *in Domino*, seu vt Domini fidem possem vtiliter admodum prædicare: *non habui requiem spiritui meo*, seu vehementer dolui, *eò quod non inuenerim* ibi *Titum* fratrem meum socium in Euangelio proferendo, qui quidem diuinorum sensuum meorum maiestatem Græci eloquij digno sermone expediret. Vnde vale dicens eis Christianis, qui Troade aderant, profectus fui in Macedoniam Titum illic expectaturus: Vt ex eo de vobis certi aliquid dignoscere queam. *Deo autem gratias*, qui per Christi merita nos facit semper triumphum agere in quocumque pro fide & religione suscepto certamine: & odorem notitiæ suæ, seu Famam Euangelij per nos vbique terrarum spargit. *Quia Christi bonus odor sumus Deo* seu bonam famam Christi, eiusque Euangelij quasi suauissimam fragrantiam tum verbo, tum exemplo spargimus in Dei gloriam: sicut res odorifera spargit quaquauersum suam fragrantiam. Verùm sicut vnguenti fragrantia columbam vegetat, scarabeam enecat: sic fama sparsa de Christo *iis qui salui fiunt*, seu electis spiritualem vitam impertit: *iis* verò, *qui pereunt*, seu reprobis odor lethalis est mortem illis causans, occasionaliter quidem nec suo, sed illorum vitio. *Et ad hæc quis tam idoneus.* Sed ô quam pauci per orbem reperientur Euangelij ministri adeo idonei, vt vbique sint bonus odor Deo. * Ideò clamabat Dominus: *Messis multa, operarij autem pauci.* Qui enim verè operarij Euangelij sint Dei odorem halantes rarò reperiuntur.] *Non* quidem nos, Dei gratia, sumus *sicut plurimi* sunt, *adulterantes* Dei *verbum* veris falsa immiscentes. Græcè pro *adulterantes* est, *καπηλεύοντες*, seu *cauponantes*. Ac si diceret: Non sumus vt caupones vinorum adulteratores, vt quæstum maiorem faciant. Sed sincere sicut à Deo accepimus coram ipso, qui corda scrutatur, & ad Christi gloriam eiusque fidei dilatationem loquimur.

Rarò inueniuntur ministri Euangelij Dei odorem spirantes.

CAPVT

CAPVT III.

Maiori honore ac gloria à Deo esse ornatos Euangelij ministros, quàm illos, qui veteri Testamento ministrarunt, Paulus edocet.

1. INcipimvs iterùm nosmetipsos commendare? aut numquid
egemus (sicut quidam) commendatitiis epistolis ad vos, aut
ex vobis? 2. Epistola nostra vos estis, scripta in cordibus
nostris, quæ scitur & legitur ob omnibus hominibus: 3. ma-
nifestati quòd epistola estis Christi, ministrata à nobis, &
scripta non atramento, sed spiritu Dei viui: non in tabu-
lis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus. 4. Fiduciam
autem talem habemus per Christum ad Deum: 5. Non quòd sufficientes simus
cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est. 8. Qui
& idoneos nos facit ministros noui testamenti, non littera, sed Spiritu: littera enim
occidit, Spiritus autem viuificat. 7. Quòd si ministratio mortis, litteris de-
formata in lapidibus, fuit in gloria; ita vt non possent intendere filij Israël
in faciem Moysi, propter gloriam vultus eius, quæ euacuatur: 8. Quomo-
do non magis ministratio Spiritus erit in gloria? 9. Nam si ministratio dam-
nationis gloria est: multò magis abundat ministerium iustitiæ in gloria. 10. Nam
nec glorificatum est, quod claruit in hac parte, propter excellentem glo-
riam. 11. Si enim quod euacuatur, per gloriam est: multò magis quod ma-
net, in gloria est. 12. Habentes igitur talem spem, multa fiducia vtimur.
13. & non sicut Moyses ponebat velamen super faciem suam, vt non intende-
rent filij Israël in faciem eius, quod euacuatur, 14. Sed obtusi sunt sensus eo-
rum. Vsque in hodiernum enim diem idipsum velamen in lectione veteris testa-
menti manet non reuelatum, (quoniam in Christo euacuatur) 15. Sed vsque in
hodiernum diem, cùm legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum.
16. Cùm autem conuersus fuerit ad Dominum, auferetur velamen. 17. Do-
minus autem Spiritus est. Vbi autem Spiritus Domini, ibi libertas. 18. Nos
verò omnes, reuelata facie gloriam Domini speculantes, in eamdem ima-
ginem transformamur à claritate in claritatem, tamquam à Domini Spi-
ritu.

COMMENTARII.

1. *Ministros noui Testamenti præfert veteris ministris.*

VERS. 1.2.3.4.5.6. *Incipimus iterùm, &c.*] Num sicut in primæ Epistolæ aliquibus periodis gessimus, *iterum incipimus nos ipsos commendare,* vt vestram gratiam aucupemur? Aut numquid egemus (sicut quidam Pseudo-Apostoli) epistolis commendaritiis apud vos amicorum, vel vestris apud alios? *Epistola nostra vos* quidem estis, qua & ipsi vobis, & per vos cunctis commendemur: scripta quidem in nostro corde, ob eximiam charitatem, qua vos complectimur: quæ legitur ab omnibus hominibus, pectore eis syncerè reserato. Vnde eis non potest hæc veritas occultari.

Qualis discipulus est, talem arguitur esse magistrum.

* Commendatitia itaque Epistola mihi vos estis, quia virtute & iustitia discipulorum iustitia & virtus magistri commendatur. Qualis enim discipulus est, talem arguitur esse magistrum.] Parum vobis esset, nostram esse Epistolam ad nostri commendationem; nam ex operibus probis *commendati estis*, seu commendamini vos esse & Christi Epistolam ministerio nostro conscripta *spiritu Dei.* seu Spiritus sancti afflatu *in tabulis non lapideis*, vti olim lex Mosis, *sed carnalibus*, hoc est, mollibus, viuis, sentientibus: seu in cordibus vestris docilibus, & ad pia cuncta pronis. Quæ quidem epistola Christi gloriam commendat, & eius Euangelij excellentiam illustrat.

Ministri sanctitas Euangelicam doctrinam facit affectu recipi, instar commendatitiæ Epistolæ.

* Sanctitas enim ministri Euangelij, Epistolæ commendatitiæ instar, efficit, vt doctrina, & fides Christi speciali affectu ab auditoribus recipiatur.] Profectò quod vos talis nobis Epistola commendatitia sitis, *fiduciam talem*, (qualem exposuimus) *habemus* beneficio, & merito Christi apud Deum. *Non à nobis, quasi ex nobis,* seu quasi ex nostræ naturæ viribus profectam; nam sic nec *sufficientes* sumus cogitare aliquid eo conducens, seu quod vere sit bonum, quodque de condigno, vel de congruo iuuet ad fidem, gratiam, vel salutem; sed liberi arbitrij

nostri

nostri *sufficientia*, seu potentia, ac vires ad opus supernaturale producendum, non est ex libero arbitrio, sed *ex Deo*. Itaque agit hîc Paulus de iis, quæ necessaria sunt, vt quis sit noui Testamenti minister idoneus. Non autem negat (vti Caluinus fingit) nostrum liberum arbitrium gratiæ Dei cooperari: sed solùm ex se esse insufficiens ad bona & supernaturalia opera seu exercenda, seu tentanda, vt explicat concilium Arausicanum can. 7. Hincque (contra Semipelagianos) asserunt Patres, omne fidei salutisque initium, ac desiderium non esse ex libero arbitrio, sed ex gratia præueniente, qua excitatum, roboratum, & adiutum liberum arbitrium cooperatur, si vult, eidem gratiæ, eiusque supernaturali influxui in opus supernaturale concursum suum præbet sibi suæque naturæ viribus commensuratum. Nostra igitur sufficientia est plane *ex Deo, qui* inter alia bona, etiam hoc nobis contulit, vt idonei simus noui testamenti ministri, ad prædicandum Euangelium, fundandas Ecclesias, sacramenta ministranda. Ministri, inquam, non *littera* sola vobis communicanda, *Sed & spiritu* impertiendo. Non enim eo modo ministri sumus, quo in lege Moysis, vt nudam litteram legis vobis proponamus, sed insuper etiam spiritum, id est, Dei gratiam, afferamus; Deus enim ad verba nostra immittit vobis copiosam gratiam, sanctasque inspirationes, & impulsus. *Littera* namque, seu lex sola, si gratiæ præsidio destituatur (vt in veteri Testamento nocet potius, quam prosit; nam *occidit* animam (licet occasionaliter, dum multitudine, & difficultate præceptorum vrget, ac premit: nec tamen copiosas vires ad omnia ea complenda, vt oportet, subministrat. Solus enim *spiritus*, seu spiritualis gratia *viuificat* animam, vitam ei supernaturalem afferens, qua potens admodum redditur ad opera æternæ saluti parandæ necessaria. * Vereor quidem, nè hodiè plures Concionatores suggestum ascendant, qui vel *littera* vix loquantur cùm contrà litteram plura Scripturæ testimonia sine vllo spiritu recitent. Annon huiusmodi litteræ prolatio animas audientium occidet?]

Taxantur Côcionatores, qui contra litteram, & sine spiritu loca sacræ Scripturæ recitant.

Vers. 7.8.9.10.11. *Quod si ministratio mortis, &c.*] Quod si ministratio seu promulgatio legis Mosaicæ, quæ mortem animæ plerisque casualiter afferebat, & *deformata*, seu (Græcè) impressa erat in tabulis lapideis fuit *in gloria*, seu valde gloriose facta, cum tonitru, tuba cælesti, terræ motu, splendore vultus Mosis, qui tamen citò *euacuatus*, & ablatus fuit: quomodo non magis ministratio spiritus, & iustitiæ, seu promulgatio legis Euangelicæ (quæ copiosam gratiam, & iustitiam affert) gloriosa esse debuit? Fuit equidem gloriosissima tum in Pentecoste: tùm deinceps per miracula longè plura ac præstantiora Mosaicis solidiora, ac diuturniora. *Nam nec glorificatum*, aut gloriosum dicendum *est, quod claruit* in legis Mosaicæ promulgatione. Splendor enim Mosis non est appellanda gloria *in hac parte*, id est, si cum splendore muneris Apostolici comparentur, *propter excellentem* huius gloriam præ illa Mosaica: quæ quidem *euacuatur*, seu citò sublata, & extincta fuit: nam & radij, & splendor Moysem deseruerunt, vt significarent, legem Mosaicam desituram, eiusque *gloriam*, aduentante noua lege Christi emorituram: cùm lex Christi *maneat* vsque ad mundi terminum duratura. * Ediscant hinc, qui mundi honores ambiunt, qui ad præcelsos & gloriosos fastus anhelant, omne id, quod finem est habiturum, esse non posse gloriam: vnde tenus nomine rutilat.]

Omne quod habiturū hîc est finem, nō potest nominari gloria.

Vers. 12.13.14.15.16.17.18. *Habentes igitur talem spem, &c.*] Sperantes igitur, seu confidentes, Deum per nos noui Testamenti ministros spiritum gratiæ diffusurum in auditorum animos, atque ita nos deinceps glorificaturum præ Moyse, vti hactenus gessit: *multa fiducia vtimur*, seu admodum confidenter, liberè, & apertè euangelizamus; & non sicut Moyses *velata facie*: sed nuda ac detecta, sine vmbrarum, vel figurarum velamine, sine timore, aut terrore; sed ingenuè, liberè, clarè, & apertè veritatem proferimus. * Nam qui præco est veritatis faciei velamine minimè indiget, etsi liceat vulgariter exponere: *Puede predicar la cara descubierta.*] Hanc verò tam apertam, tam claram Euangelij lucem Iudæi (qui non audebant intendere in splendentem Mosis faciem olim) nunc audentes intendere Christi ministrorum faciem gloriosiorem. Minime capiunt: Sed obtusi, & occlusi sunt oculi, aures, & reliqui *sensus eorum*. Nam id ipsum *velamen* vmbrarum, & figurarum veteris testamenti *manet in ipsis non reuelatum*. Certè *vsque in hodiernum diem*, cum lex à Mose scripta legitur halans Christi aduentum, symbolis, & enigmatibus eius magnalia referans. *Velamen positum est super cor eorum*. Cum autē populus hic ad Dominum conuersus fuerit credens in Christum, & eius suscipiens Euangelium, velamen omnino à cordis oculis auferetur. *Dominus autem Spiritus est*, & Spiritum sanctum nobis impertit, cuius dono possumus legem intelligere, & complete non secundum nudam litteram, seu corticem verborum; sed secundū spiritualem, genuinum, & verum sensum à spiritu sancto intentum. *Vbi autem spiritus* sanctus est, puta in lege Euangelica, quam indiuulsè comitatur: *ibi* est etiam *libertas* à velamine, ab vmbris, à seruili timore, &c. vt scilicet ablato legis Mosaicæ velamine, clara luce, & vltronea voluntate secundum nouam legem Dei in antiqua figuratam ambulemus. *Nos verò omnes* Christiani reuelata facie sine velamine, aut tenebris Iudaicis *gloriam Domini* seu excellentia beneficia diuinitus humano generi exhibita, in quibus maxime lucet Dei gloria, nempe opus incarnationis Filij Dei, redemptionis, &c. *Speculantes*, Græcè, quasi in *speculo* Verbi incarnati aspicientes: *transformamur in eandem imaginem*, seu participes reddimur eiusdem claritatis; quia per reflexionem radiorum ab hoc lucidissimo speculo in nos, nos etiam lucidi efficimur fulgore fidei, & gratiæ Christi: imò efficimur quasi specula iubar diuinum in alios quoque emittentes, & quasi soles mundum illuminantes: idque *à claritate in claritatem*, seu clarius in dies, & clarius, *tanquam à Domini spiritu* sic transformati, cui id proprium est, ac solemne. * Veri Concionatores Christum speculum lucidissimum imitantur facti specula, & soles ad alios illuminandos.]

Prædicator veritatis velamine non vtitur, nec eo indiget.

Veri Concionator Christum speculum lucidissimum æmulatur.

CAPVT IV.

Omnia nos docet aduersa placide tolerare debere melioris vitæ, ac resurrectionis spe.

1. IDEO habentes administrationem, iuxta quod misericordiam consecuti sumus, non deficimus, 2. sed abdicamus occulta dedecoris, non ambulantes in astutia, neque adulterantes verbum Dei, sed in manifestatione veritatis commendantes nosmetipsos ad omnem conscientiam hominum coram Deo. 3. Quòd si etiam opertum est Euangelium nostrum: in iis, qui pereunt, est opertum: 4. in quibus deus huius sæculi excæcauit mentes infidelium, vt non fulgeat illis illuminatio Euangelij gloriæ Christi, qui est imago Dei. 5. Non enim nosmetipsos prædicamus, sed Iesum Christum Dominum nostrum, nos autem seruos vestros per Iesum; 6. quoniam Deus, qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris, ad illuminationem scientiæ charitatis Dei, in facie Christi Iesu. 7. Habemus autem thesaurum istum in vasis fictilibus: vt sublimitas sit virtutis Dei, & non ex nobis. 8. In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur: aporiamur, sed non destituimur: 9. persecutionem patimur, sed non delinquimur: deiicimur, sed non perimus: 10. semper mortificationem Iesu in corpore nostro circumferentes, vt & vita Iesu manifestetur in corporibus nostris. 11. Semper enim nos, qui viuimus, in mortem tradimur propter Iesum: vt & vita Iesu manifestetur in carne nostra mortali. 12. Ergo mors in nobis operatur, vita autem in vobis. 13. Habentes autem eumdem spiritum fidei, sicut scriptum est: Credidi, propter quod locutus sum: & nos credimus, propter quod & loquimur: 14. scientes quoniam qui suscitauit Iesum, & nos cum Iesu suscitabit, & constituet vobiscum. 15. Omnia enim propter vos: vt gratia abundans, per multos in gratiarum actione, abundet in gloriam Dei. 16. Propter quod non deficimus: sed licèt is, qui foris est, noster homo corrumpatur, tamen is, qui intus est, renouatur de die in diem. 17. Id enim, quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, 18. non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia sunt: quæ autem non videntur, æterna sunt.

COMMENTARII.

1. *Nos docet labores tolerare debere, melioris vitæ, ac resurrectionis spe.*

VERS. 1.2.3.4. *Ideo habentes administrationem, &c.*] Ideo, id est, supposita tanta muneris Apostolici excellentia, nobis misericorditer, ac gratiosè collata (vt vidimus) *non deficimus* in illo excolendo socordiæ morem gerentes; non cessamus illud exequi laboribus fracti, illud volentibus impedire non cedimus. * Constanter prædicanda est veritas, quamuis idcirco labores subeundi excitentur] *Sed* planè, liberè fungimur munere nostro, & *abdicamus*, Græcè *abnegamus*, reiicimus à nobis etiam *occulta dedecoris*, seu peccata, nihil admittentes, ne occultè quidem, quod meritò culpari possit, fraudes scilicet, & clancularias artes, quibus assolent Pseudoapostoli sua flagitia obtegere. * Quam aptè peccata hæc *occulta dedecoris*, vocitantur! Quodcumque enim peccatum dedecus perpetrantis est.]

Constanter veritas prædicanda, licet ideò labores excitentur subeundi.

Dedecus hominis est peccatum.

* Quomodò autem est *dedecus*, si *occultum*, id est, si occultè patratur? Certè agnata peccati est proprietas quantumcumque occulti illicò manifestari.] Nos certè operam damus, vt clara & aperta *manifestatione veritatis* tum doctrinæ, tum morum omnibus probemur etiam infidelibus, si secundum conscientiam, & prout recta ratio dictat coram Deo voluerint iudicare. *Quod si* post tam claram prędicationem nostram quibusdam *etiamnum* opertum, seu obuiolatum est *Euangelium nostrum*; id non nobis, sed illorum vitio imputari debet: nullis enim *opertum* manet nisi iis, *qui pereunt* sponte sua, scilicet, qui audire, credere, saluari nolunt. *In quibus Deus huius sæculi*, siuè diabolus, qui passim ab infidelibus pro deo colitur, vnde ab ipsomet Christo Principis huius mundi vocatur, *mentes excæcauit* tenebris infidelitatis, & vitiorum adeò vt clarissima lux & gloriosus splendor *Euangelij Christi*, (*qui est imago Dei*) illis noctuis scilicet lucem fugientibus non effulgeat. Christus Dei *imago* esse dicitur, quia Filius à Patre

Agnatum est peccato, vel occulto manifestari.

ab

ab æterno procedit vt imago ipsi simillima, ac perfectissimè ipsum repræsentans, etiam in identitate cum ipso naturæ eiusdem, & consequenter Deus verus de Deo vero progenitus.

Vers. 5.6.7.8.9.10.11.12. *Non enim nosmetipsos prædicamus, &c.*] Vt autem pateat, incredulos sua culpa perire & non ministrorum incuria, certum est nos non nosmetipsos prædicare inanis gloriæ cupidos: *sed Iesum Christum Dominum nostrum:* nos verò id vnum præ nobis ferre, esse veluti *seruos vestros:* vt hunc ipsum Iesum vobis colendum prædicamus. * Ex sacri præconis humilitate & demissione doctrinæ maiestas magis elucescit.] *Quoniam Deus*, qui solo verbo, nutúve fecit, vt *è tenebris* siue carentia lucis lux ipsa splendesceret: is etiam miro quodam modo cordibus nostris illuxit *ad illuminationem scientiæ claritatis Dei*, id est, vt illuminemur, & vicissim alios illuminemus certa cognitione sublimiorum mysteriorum, & perfectionum veri, vnius, & solius Dei *in facie Christi*, id est, per certam, solidamque cognitionem Christi, eiusque conuersationis, vitæ, ac doctrinæ. Quod enim in *facie* cognoscitur, certò, clare, solideque cognoscitur. Vita autem ac doctrina Christi nos in solidam Dei notitiam, ac attributorum nos deducit. Profectò *Habemus thesaurum* hunc cælestis scientiæ *in vasis fictilibus*, seu in anima immortali quidem, sed circumdata corpore luteo, fragili, caduco: vt toti orbi constet, quod *sublimitas*, seu excellentia quæcumque in nobis est, non nobis sit adscribenda, *Sed virtuti Dei*. Cui etiam adscribendum, quod *In omnibus* huius scientiæ, seu prædicationis ministeriis, *tribulationem patimur:* Sed non sic tamen coarctamur, vt elabi non possimus. *Aporiamur* Græcè, *premimur inopia* tum rerum externarum, tum animi, & consilij: caremus scilicet omni humano consilio, ac solatio, sed diuino non destituimur. *Persequutionem inquam patimur, sed non* derelinquimus à protectore Deo, qui per gratiam, ac prouidentiam suam viam operit, qua euadamus incolumes. *Deiicimur* ex edito loco vasa fictilia; *sed* Deo manum subiiciente, non conterimur, non desilimus in frusta, *non perimus. Semper mortificationem Iesu*, Græcè, τὴν νέκρωσιν, passionem mortemque Domini *circumferentes in corpore nostro*, id est, imitantes Christum in laboribus passionis & mortis eius. * At eadem ipsa Christi laborum memoria corpora ipsa tot affecta doloribus obarmat, vt valeant ictus sustinere, iuxta illud: *Christo igitur passo in carne, & vos eadem cogitatione armati.* 1. Pet. 4.1.] *Vt & vita Iesu manifestetur in corporibus nostris.* id est, vt dum semper tribulationibus agitamur, dum fame premimur, dum cædimur flagellis nostro in corpore Christi vitam quasi penicillo transcribamus. *Semper enim nos, qui viuimus* perpetuo illam

Concionatoris humilitate magis facit elucescere doctrinæ maiestatem.

Memoria passionis Christi armamur contra laborum impugnationem.

Christi vitam quasi penicillo transcribamus. *Semper enim nos, qui viuimus* perpetuò illam Christi vitam, seu qui vitam ducimus vitæ Domini similem propter Iesum penè quotidiè morti adiudicamur, seu addicimur, vt vita Iesu in nostro mortali & infirmo corpore manifestetur, *Mors* itaque *in nobis operatur*, & per continuas ærumnas nos depascitur; sed in bonum vestrum; nam hac via vobis vita spiritualis, seu animorum salus procuratur. Sanguis enim Martyrum semen est Christianorum.]

Mors Martyrum vita Christianorum.

Vers. 13.14.15.16.17.18. *Habentes autem eundem spiritum, &c.*] *Habentes* cum Dauide *eundem spiritum fidei*, seu eandem fidem ex eiusdem spiritus afflatu, voce hilari profetimus, ipse tribulationibus immersus cecinit Psal. 115.1. *Credidi, propter quod locutus sum.* Credidi, inquam, semper, & adhuc credere pergo, quod Deus iuxta promissa sua me ex omnibus malis liberabit. Vndè & illud ipsum audacter vbique proloquor. Ità *& nos credimus*, speramus, confidimus: ideóque animosè, atque intrepidè profitemur liberationis, ac resurrectionis nostræ spem. *Scientes, quoniam*, qui Iesum à mortuis suscitauit, & nos faciet aliquando resurgere, & nos vobiscum in cælesti gloria *constituet. Omnia enim* vestra causa constanti ac hilari animo à me perferuntur; vt ereptus aliquando à periculis vobis restituar, ac ingens illud beneficium, quod mihi ad salutem vestram procurandam mihi diuinitus fuit concessum, à me & vobis iugiter ad Dei gloriam referatur. * Accepta est admodum Deo gratiarum actio à pluribus expressa. *Per multos* enim oblata *in gloriam Dei abundat.*] *Propter quod non deficimus*, aut segnescimus, sed etsi externus homo noster, seu corpus ad interitum vergit; internus tamen, seu animus nouas quotidie vires acquirit, ne recentibus malis ingruentibus externus frangatur, qui interni viribus stat, & robur acquirit. Quod quidem velim vos ad gratiarum actionis materiam vberem obseruare. Sed quidem tot afflicti calamitatibus, illas hilariter sustinemus integro animo corpore imminuto. *Id enim, quod in præsentia est momentaneum & leue tribulationis nostræ* instar plumæ fit respectu immensi ponderis gloriæ, quod supra modum in sublimitate *operatur in nobis*, non ad vnum, alterúmve sæculum sed in *æternum.* * Cunctæ hîc tribulationes plumæ in morem leuissimæ apparent, si cum immenso gloriæ cælestis pondere componantur.] *Æternum* inquam, duratura præmia nobis adiicientur. *Non contemplantibus*, seu spectantibus, aut curantibus bona, aut mala huius vitæ, *quæ videntur*, & nonnisi breuissimo durant tempore: *Sed* animum attollentibus ad ea, quæ nec dum *videntur*, sed certò obuentura sunt, & æternum nobiscum mansura.

Accepta à Deo gratiarum actio à pluribus expressa.

Cunctæ tribulationes instar plumæ si cum immenso præmis pondere componantur.

CAPVT V.

Futuræ gloriæ præstantiam commendare pergit. Alios vt eò contendant pluribus curat allicere.

1. SCIMVS enim, quoniam si terrestris domus nostra huius ha-
bitationis dissoluatur, quod ædificationem ex Deo habemus,
domum non manu factam, æternam in cælis. 2. Nam & in
hoc ingemiscimus, habitationem nostram, quæ de cælo est,
superindui cupientes: 3. Si tamen vestiti, non nudi inue-
niamur. 4. Nam qui sumus in hoc tabernaculo, ingemisci-
mus grauati: eò quòd nolumus expoliati, sed superuestiri;
vt absorbeatur quod mortale est, à vita. 5. Qui autem efficit nos in hoc ipsum,
Deus, qui dedit nobis pignus spiritus. 6. Audentes igitur semper, scientes quo-
niam dum sumus in corpore, peregrinamur à Domino: (7. Per fidem enim am-
bulamus, & non per speciem) 8. Audemus autem, & bonam voluntatem habe-
mus magis peregrinari à corpore, & præsentes esse ad Dominum. 9. Et ideò con-
tendimus siue absentes, siue præsentes, placere illi. 10. Omnes enim nos mani-
festari oportet ante Tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, pro-
ut gessit, siue bonum, siue malum. 11. Scientes ergo timorem Domini, homi-
nibus suademus, Deo autem manifesti sumus. Spero autem & in conscientiis ve-
stris manifestos nos esse. 12. Non iterùm commendamus nos vobis, sed occasio-
nem damus vobis gloriandi pro nobis: vt habeatis ad eos, qui in facie gloriantur,
& non in corde. 13. Siue enim mente excedimus, Deo: siue sobrij sumus, vo-
bis. 14. Charitas enim Christi vrget nos: æstimantes hoc, quoniam si vnus pro
omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt: 15. & pro omnibus mortuus
est Christus: vt, & qui viuunt, iam non sibi viuant, sed ei, qui pro ipsis mortuus
est & resurrexit. 16. Itaque nos ex hoc neminem nouimus secundum carnem. Et
si cognouimus secundùm carnem Christum: sed nunc iam non nouimus. 17. Si
qua ergo in Christo noua creatura, vetera transierunt: ecce facta sunt omnia noua.
18. Omnia autem ex Deo, qui nos reconciliauit sibi per Christum: & dedit nobis
ministerium reconciliationis. 19. Quoniam quidem Deus erat in Christo mun-
dum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum, & posuit in nobis ver-
bum reconciliationis. 20. Pro Christo ergo legatione fungimur, tanquam Deo ex-
hortante per nos. Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo. 21. Eum, qui
non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit, vt nos efficeremur iustitia Dei
in ipso.

COMMENTARII.

1\. *Futuræ gloriæ præstantiam commendare pergit.*

VERS. 1.2.3.4. *Scimus enim, quoniam si terrestris domus nostra, &c.*] Scimus profectò quòd quandò mortale corpus nostrum *domus* plane terrestris morte *dissoluitur*, habemus *in Deo aliam ædificationem*, seu domum animæ nostræ præparatam *non manu* humana, sed diuina; non dissoluendam, sed æternum duraturam *in cælis*, gloriam scilicet cælestem, qua statim à morte donabimus, si nihil purgandum supersit. * Fideli enim seruo, qui vel *in pauca* fidelis fuit, à venialibus abstinens, dicitur: *Intra in gaudium Domini tui*. Mat 25.21. Nec enim purgatoria flamma habet quo foueatur.] *Nam & in hoc* mortali corpore veluti in carcere inclusi *ingemiscimus*, cupientes in illud cæleste domicilium *nostrum*, seu nobis preparatú, inuehi, & quasi immortalitatis gloriosæ mox stola exornari. *Si tamen*, seu dummodo gratiæ stola induti inueniamur ab omni vel leuissima macula immuni, quæ debeat illo igne purgari. *Nam & qui sumus, &c.*] Sane quidem qui in hoc corporis tabernaculo transferendo ad tumulum degimus, graui miseriarum pondere degrauati *ingemiscimus*. Attamen adhuc viuendi agnato affectui hærentes, non tam cupimus corporis exui amictu, quam immortali superindui, vt à mortali vita mortalitas siue corporis morte aboleretur: quod est impossibile. * O quàm difficilè est, animú ab amore agnato corporis separari!] * Vt autem non tam difficilè separemur, semper memoriæ habendum, domum hanc terream, non quidem verè domum,

Seruo fideli, vel in pauca, seu qui à venialibus abstinuit, cœlú illicò referatur.

Difficilè est, ab amore corporis agnata animum separari.

Corpus non tam est animæ domus, quàm tabernaculú transferendum.

mum, sed *tabernaculum* esse vtique necessario transferendum.]

Vers. 5.6.7.8.9.10. Qui autem efficit, &c.] Græcè, *qui effecit*. Qui verò destinauit nos dum condidit *in hoc ipsum*; vt aliquando simus immortales, & gloriosi est *Deus*. Ergo voluntati Dei nolentis nos gloria immortali frui, nisi corporis morte intercedente, debemus conformari. *Sed dedit nobis* interim *pignus spiritus*, seu in iustificatione impertiit Spiritum sanctum, qui est pignus gloriæ nobis & immortalitatis obuenturæ. Quod pignus si ad finem vsque vitæ tueamur, procul dubio illis perfruemur. Vnde *Audentes sumus*, seu audacter confidimus, fruituros aliquando gloria, immortali illa: ideo *semper* æquo animo tribulationes huius vitæ subimus. Neque enim sumus in patria, sed in exilio, & instar peregrinorum, longè à *Domino*, seu procul ab illa æterna felicitate absumus. Solùm namque *ambulamus* in præsenti *per fidem*, & non *per speciem*, seu ipsiusmet Dei intuitionem. *Audemus autem*, seu audacter inhiamus, & *bonam voluntatem habemus*, Græcè, *pro accepto habemus*, si ex corpore migremus in patriam, & præsentes ibi *Domino* sistamur. * Preme hoc: *Bonam voluntatem habemus, peregrinari à corpore, & præsentes esse ad Dominum*. Roborati futuræ gloriæ fide non solùm non expetimus diutius in carne manere, imò potius cupimus à corpore mox exire, vt in superis Domino præsentemur.] *Ideò contendimus placere*, Domino non solùm quando illi præsentes erimus, *& cæli incolæ*, (vti est in Syro.) Sed etiam nunc quando *absentes*, adhuc sumus; seu peregrini. *Omnes enim nos manifestari oportet* ante Christi Iudicis tribunal: *vt referat vnusquisque propria corporis*, seu mercedem eorum, quæ quisque in corpore mortali gessit siue probum, siue iniquum. * Itaque vt Paulus nos alliciat ad Deo placendi studium, ad memoriam reuocat nobis futuri iudicij sententiam. Iudicij enim memoria stimulus est, qui nos efficit sine obstaculo vitiorum, in via salutis properare.]

Fides gloriæ futuræ facit, nos mortem expetere, vt gloria illicò potiamur.

Iudicij nouissimi memoria nos facit in virtutis itinere præperare.

2. *Vers. 11.12.13.14.15. Scientes ergo timorem Domini, &c.*] Scientes ergo infallibiliter aduenturum formidabilem illum iudicij diem, sedulam operam damus; vt cuncti homines ad Christi fidem adducantur. *Deo autem manifesti sumus*, seu Deus, quem nihil potest latere scit me syncere ac candidè agere, etsi me commendare videar. *Spero* autem vestro etiam iudicio, ac sententiâ me approbatum censeri. *Non iterum commendamus nos vobis, &c.*] Porrò hæc à nobis non idcircò fusius commemorantur, vt denuò apud vos nostras videamur laudes celebrare; sed vt *occasionem* demus *vobis*, *pro nobis*; seu de nobis *gloriandi* apud pseudo apostolos, aliosque hypocritas, qui solùm *in facie*, seu exterius, quædam laudanda gerunt; & inde gloriantur: cum *in corde*; seu in conscientia sua nihil habeant, vnde possint gloriari. * Adeò studet Paulus Corinthios à suspicione remouere; quod ipse affectarit proprias laudes proferre; quia nihil sacro præconi indecentius; quam suam vel dicendi peritiam; vel conceptuum acumen proprio ore laudare.] *Siue enim mente excedimus*. Græcè, *quasi extatici*, & mente alienati abripimur, nempe multum laudando nos ipsos, & nostra iactando: *Deo*, seu ad Dei honorem id facimus. *Siue sobrij sumus* in sermone, & laudibus propriis, *vobis*, seu in vestri quoque gratiam id facimus; vt vos modestiam, & humilitatem doceamus. * Illud preme: *siue mente excedimus*, seu à mente alienati videmur; dum nos commendamus. Se enim hominem laudare tam absonum est, vt insaniæ exprimat speciem.] *Charitas enim Christi vrget nos*, vt omnia in eius honorem, & vestrum commodum faciamus *æstimantes*. Græcè, *statuentes* enim; & pro certò ponentes, Christum pro omnibus mortuum fuisse, quia omnes morti æternæ propter peccatum erant obnoxij. *Vt qui viuunt*; non sibi *viuant*. Consequens est; vt qui vitam à Christo hauserunt, illam illi acceptam referant, & iam *non sibi*, non suæ gloriæ viuant, sed eius, qui pro ipsis *mortuus est*; *& resurrexit*. Vnde colligere potestis, me, qui hoc statuò, hoc suppono; si aliquando me ipsum commendare videor, hanc laudem necessariò à me in Christum refundi, cui tam debitorem me profiteor. * Et quidem à Christo accepisse iustificationem, & resurrectionis gloriosæ spem; dona scilicet mortis eius merito comparatam, nos facit elingues ad quamcumque laudem exprimendam, nisi ad ipsum gratitudinis ergò sit referenda.]

Alios vt contendant ad gloriam curat adsciscere.

Indecens Concionatori seipsũ laudare.

Insani hæc in nus est, seipsum laudare.

Quod Christo moriendo debem⁹, nos facit elingues ad nos laudandos, nisi ad ipsum laus referatur.

Vers. 16.17.18.19.20.21. Itaque nos ex hoc neminem nouimus, &c.] In Græco est pro particula *ex hoc*, particula *ex inceps*. Nos itaque adeo ab hominum captanda æstimatione (dum meipsum commendare videor) sumus alieni, vt exinceps (seu ex quo tempore vocati à Domino fuimus) *neminem nouimus secundum carnem*, seu nihili æstimantes omnes mortales, & quidquid mortalem hanc vitam spectant famam, honores, laudes, fauores, &c. Quin & ipsum *Christum* licet aliquando viderimus, & æstimauerimus *secundum carnem*, seu nobis similem, & cognatum: iam vero augustius de Christo sentimus, nec nouimus, nec æstimamur illum nisi *secundum spiritum*, id est, vt hominem spiritu Dei plenum, auctorem omnis gratiæ & salutis: atque vt tali viuimus, seruimus, & toto orbe prædicamus. Quomodo igitur hominum laudibus delectabitur, qui gentilis, & cognatus Christi sic de ipsa nobilitate sentit? *Si qua ergò noua creatura*, seu si quis ergò mecum *in Christo* nouiter recreatus, seu regeneratus, atque in nouum hominem transformatus est: is nosse debet, quod *vetera transierunt*, id est, quæ veteris & corrupti hominis sunt; carnales affectus: Haud hi amplius in animo dominari possunt; sed *noua* debent esse omnia; non autem nostris viribus: sed *Omnia ex Deo*, sex ex Dei gratia, & beneficio; qui per Christi merita nos sibi *reconciliauit*: & *nobis* Apostolis *dedit ministerium*, seu commisit officium reconciliandi homines cum Deo: reconciliationem hanc verbo promulgando; & Sacramentorum impertione procurando; vt suum effectum sortiretur. *Quoniam quidem Deus erat in Christo* sibi homines *reconcilians*, *non reputans*, seu imputans illis *delicta ipsorum*; sed gratis; & plenè omnia remittens *in Christo*, seu per Christum seu per. & propter Christi merita, siue per infusionem gratiæ iustificantis; quam nobis promeritus est Christus Dominus, *Pro Christo ergò*, seu Christi nomine legatione fungimur; quasi

image
not
available

quam *offensionem* exhibeamus, ne obtrectatorum calumniis nostrum ministerium vituperari possit. *Sed in omnibus* potius nostras actiones, ac mores ità componere studemus; vt constet, nos solùm expetere, veros Dei ministros exhiberi: idque potissimum, dum in rebus aduersis, summa egestate, & rerum angustiis Christianam tolerantiam exponimus. * *In multa*, ait, *patientia* quasi exigua non sufficiat ad munus prædicationis exerendum.] *Plagis*, seu verberibus vulneramur, sustinemus *seditionum* effectus, dum populi aduersum nos concitantantur, in laboribus aliis Euangelij causa toleratis; *castitate*, seu puritate morum, nitere studemus: hic labor, hoc opus. * Interminabilis enim pugna indicitur ei, qui vult castitatis tueri fulgorem.] Vnde Paulus inter labores à se exantlatos castitatis curam apposuit. *In castitate.*] Sustinui item laborem *in scientia*, seu studio & applicatione scientiæ infusæ mihi ad imperitos edocendos. * Non sufficit Concionatorem scire; laboret oportet in eligendo doctrinam auditorum captui accommodatã.] Vnde ad munus concionandi (vt par est) exercendum, nõ solum scientia, sed etiam prudentia est necessaria.] Laborem addidi *in longanimitate*, seu tolerantia, & lenitate animi vt illorum, quos aliquando corripere necessum est, querelis respondeam. *In suauitate*, quæ supercilio, & asperitati opponitur. *In Spiritu sancto*, ita scilicet agendo, vt appareat, nos spiritu diuino Regi, & charitatis igne erga proximos succendi. *In verbo veritatis*, affectans nude veritatem exprimere, nullum adulationis verbum immiscendo. *In virtute Dei*, qua impios, & refractarios coërcemus. *Per arma iustitiæ à dextris, & a sinistris*, seu tam in prosperis, quam in aduersis vbique iustitiæ, aliarumque virtutum actionibus tanquam armis vtimur: vnde nec prosperis eleuamur, nec turbamur aduersis. * Ait se vti armis iustitiæ *à dextris*, seu in prosperis. Aduersa quidem, ne noceant, armari nos oportet: quis verò ad prospera armis induitur? Profectò magis necessaria sunt arma iustitiæ seu sanctitatis ad prospera comprimenda, ne demulcendo noceant: quàm aduersa quæque debellanda:] *Arma*, inquit, *iustitiæ*, seu sanctitatis. Qui enim iuste viuit, validissimis tegitur armis, queis & in prosperis, & in aduersis tutus existat.] *Per gloriam, & ignobilitatem*, seu inter laudes & conuitia nobis est incedendum. Si quidem hominum iudicio quasi seductores exponimur, cum tamen veram & synceram doctrinam vbique auditoribus proponamus. *Sicut qui ignoti & cogniti.* Quasi alieni, & peregrini contemnimur, qui tamen cunctis noti sumus. *Quasi morientes, & ecce viuimus.* Pene iam inter mortuos annumeramur; cum tamen adhuc vitali potiamur aura. *Vt castigati, & non mortificati.* Crudelibus Magistratuum tùm Iudæorum, tum Gentilium edictis quotidiè capitali sententia morti tradimur, sed Dei pietate præpediente, necdum sumus necisi. *Quasi tristes, semper autem gaudentes.* Ob aduersa, quibus premimur tristes nos esse iudicamur: sed reuera semper gaudemus, quod digni habeamur; *pro nomine Iesu contumeliam pati.* Act. 5. 41. *sicut egentes, multos autem locupletantes.* Egemus victu, amictu, aliisque corpori necessariis: sed interim multos cælestibus bonis exundantes efficimus. *Nihil proprij habentes* Euangelicæ paupertatis amore: tamen *omnia* interim *possidentes*. Perindè enim contenti sumus, ac si omnia mundi bona vt propria possideremus. * En Euangelicæ paupertatis mysterium. Vt omnia Religiosus possideat, *nihil* proprij debet habere: si aliquid proprij habet, omnium possessionem amittet. Stultum plane est *omnia* pro particula minima commutare.] * Annota quæso particulas: *Sicut ignoti, Quasi morientes, Quasi tristes, sicut egentes.* Non erat Paulus ignotus, moriens, tristis, & egens, sed *sicut*, sed *quasi*. Quia labores, quibus iusti premuntur non sunt labores veri, sed quasi labores ab illis videntur reputari, ob diuini amoris affectum.]

Ad munus prædicationis exerendum, patiẽtia multa est necessaria.

Magnus est labor castitatem tueri

Concionatori scientia non sufficit, requiritur etiam habere prudentiã ad doctrinã capui auditorum eligendam

Validioribus armis eget ad prospera continenda, quàm ad aduersa debellanda.

Validissima arma hominis sunt, iusta vita.

Euangelicæ paupertatis hoc mysterium: nihil habere, vt omnia possideas

Labores iustorum veri quodammodò labores non sunt, sed *quasi* labores.

Vers. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. *Os nostrum patet ad vos, &c.* O Corinthij, liberè, & apertè vobis loquimur: neque loquendò exsatior, quià *cor dilatatum est nostrum* per charitatem vehementissimam, qua ergà vos afficior. *Non enim angustiamini in nobis*, seu in corde nostro angustum locum obtinetis, sed admodum spatiosum: *angustiamini autem in visceribus vestris*: id est; angustam, & exiguam charitatem vos nobis rependitis: ità vt nos non possimus in cordibus vestris spatiosè habitare. Quare adhortor vos tanquam filios meos, vt *Dilatemini* & vos, atque ità *eamdem* seu parem amoris *remunerationem* nobis vicissim rependatis. *Nolite iugum ducere*, seu matrimonio iungi *cum infidelibus*: id est nolite commercium in his, quæ ad religionem spectant habere cum hæreticis. *Quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate? Aut quæ societas luci ad tenebras? Quæ autem conuentio Christi ad Belial? Aut quæ pars fideli cum infideli?* Ac si diceret: sicut vna in sede morari non possunt iustitia & iniquitas: lux & tenebræ: Christus & diabolus: ita impossibile deberet esse fideli Christicolæ cum hæretico conuersari. * Hinc iustus ediscat à prauis sociis studiosè separari.] *Qui autem consensus Templo Dei cum idolis?* Christiani sunt *Templum Dei viui*, sicut ipse dixit Leui. 26. 12. *Quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo inter eos, & ero illorum Deus: & ipsi erunt mihi populus.* Quænam igitur conuentio vobis Dei Templo cum idolis, & idololatris. *Propter quod exite de medio eorum*, vt Deus suadet apud Isaiam (cap. 52. 11.) *ne immundo*, seu immunditiis eorum, puta luxuria, crapula, fastu, idololatria aliisque sceleribus, & pestilenti doctrina inquinemini. *Et ego recipiam vos, & erò vobis in patrem & vos viri eritis mihi in filios; & vos fœminæ eritis mihi in filias: ait Dominus omnipotens.*

2.
Ab infidelium commercio separari Corinthios monet.

A prauis sociis speciatim hæreticis fugiendum.

CAPVT

CAPVT VII.

Corinthios pœnitudine affectos solatur. Solideque pœnitentiæ signa profert.

1. HAs ergo habentes promissiones, charissimi, mundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei. 2. Capite nos. Neminem læsimus, neminem corrupimus, neminem circumuenimus. 3. Non ad condemnationem vestram dico. Prædiximus enim quòd in cordibus nostris estis, ad commoriendum, & ad conuiuendum. 4. Multa mihi fiducia est apud vos, multa mihi gloriatio pro vobis: repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra. 5. Nam & cùm venissemus in Macedoniam, nullam requiem habuit caro nostra, sed omnem tribulationem passi sumus, foris pugnæ, intus timores. 6. Sed qui consolatur humiles, consolatus est nos Deus in aduentu Titi. 7. Non solùm autem in aduentu eius, sed etiam in consolatione, qua consolatus est in vobis, referens nobis vestrum desiderium, vestrum fletum, vestram æmulationem pro me, ita vt magis gauderem. 8. Quoniam etsi contristaui vos in epistola, non me pœnitet, etsi pœniteret, videns quòd epistola illa (etsi ad horam) vos contristauit; 9. Nunc gaudio: non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad pœnitentiam. Contristati enim estis secundùm Deum, vt in nullo detrimentum patiamini ex nobis. 10. Quæ enim secundùm Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur, sæculi autem tristitia mortem operatur. 11. Ecce enim hoc ipsum, secundùm Deum contristari vos, quantam in vobis operatur sollicitudinem: sed defensionem, sed indignationem, sed timorem, sed desiderium, sed æmulationem, sed vindictam, in omnibus exhibuistis vos, incontaminatos esse negotio. 12. Igitur, etsi scripsi vobis, non propter eum qui fecit iniuriam, nec propter eum qui passus est: sed ad manifestandam sollicitudinem nostram, quam habemus pro vobis. 13. Coram Deo: ideò consolati sumus. In consolatione autem nostra, abundantiùs magis gauisi sumus super gaudio Titi, quia refectus est spiritus eius ab omnibus vobis. 14. & si quid apud illum de vobis gloriatus sum, non sum confusus: sed sicut omnia vobis in veritate locuti sumus, ita & gloriatio nostra, quæ fuit ad Titum, veritas facta est, 15. & viscera eius abundantius in vobis sunt: reminiscentes omnium vestrum obedientiam, quomodo cum timore & tremore excepistis illum. 16. Gaudeo quod in omnibus confido in vobis.

COMMENTARII.

1. *Corinthios pœnitudine affectos solatur.*

VERS. 1.2.3.4. *Has ergo habentes promissiones, &c.*] Cum igitur has promissiones habeamus, nos fore Dei filios, per seriam pœnitentiam ô *charissimi, mundemus nos ab omni inquinamento* seu *carnis*, seu *spiritus*, seu ab omni sorde siue carnali, qualis est luxuria, gula, ebrietas: siue spirituali, qualis est superbia, ira, ambitio, inuidia: *perficientes sanctificationem in timore Dei*, seu proficientes continuò in sanctitate per Dei timorem. * Timor enim Dei filialis non solum inchoatio, sed & veræ sanctitatis est plenè perfectio.] *Capite nos*. Græcè, *locate* nos, seu concedite nobis locum apud vos non arctum, sed amplum, vt sinu charitatis vestræ lato excipiamur. Nec enim existimamus nos vllam causam dedisse, cur vestræ dilectionis sinus arctaretur nobis latè excipiendis: si quidem *Neminem læsimus, neminem corrupimus, neminem circumuenimus*, id est, nemini in fama læsioné attulimus, neminem aut prauo exemplo, aut falsa doctrina decipere curauimus, neminem *circumuenimus*; Græcè *decepimus*, fraudauimus, vt plus emungeremus, quam par esset, nos habere. *Non* autem hæc *dico ad vestram condemnationem*, quasi velim hac in parte culpam vobis inurere. Iam enim *prædiximus*, seu supra diximus, quod in cordibus nostris estis *ad commoriendum, & conuiuendum*, seu adeò nobis dilecti, vt vna vobiscum viuere, & mori parati simus. * Profectò ideo Apostolos certus, quod intimo amore erga Corinthios flagrabat, cupiebat ab illis etiam affectuosè diligi, vt eis vtilior esse

Timor Dei initiũ & perfectio est sanctitatis.

Quod à Præsule à subditis amato præcipitur, efficacius ab eis executioni mandatur.

esse posset. Nam quod à Præsule à subditis dilecto dicitur, libentius ab eis excipitur, & efficacius executioni mandatur.] *Multa mihi fiducia est apud vos*, seu dicendi libertas, & multa occasio mihi de vobis *gloriandi*, incredibili solario sum plenus, gaudio in ipsismet ærumnis exundo. Causam mox aperiam.

Vers. 5.6.7.8.9. *Nam & cum venissemus in Macedoniam, &c.*] Primùm ærumnas recensebo: Cum in Macedoniam accessi, nullam quietis particulam capere potui: sed ita omni ex parte perturbationi affectus fui, & in me omnium fere laborum facta fuit collectio. Nam *foris* crebræ me & horribiles infidelium pugnæ premebant: *interius* autem multorum fidelium imbecillitas perpetuo eorum constantiæ metu, ac solicitudine mediscruciabat. Iam mei inter tribulationes gaudij causam expono: *Qui consolatur humiles.* Deus consolatus est & me *in aduentu Titi*, eo quod è Corintho reuersus, læta de vobis mihi renunciauit. *Non solum autem in aduentu eius: sed etiam in consolatione*, qua refert mihi, affectum fuisse apud vos ex vestro profectu Refert enim seriæ emendationis desiderium vestrum: *fletum* etiam & luctum pro peccatis, demum & *æmulationem pro me*, seu zelum me, meúmque honorem tuendi contra obtrectatores: *ita* vt his auditis, *magis gauderem* nunc, quàm antea ob vestra schismata, & alia delicta fueram contristatus: & hæc notitia in tot tribulationibus maximum fuit mihi solarium. * Operarius Euangelicus, qui de proximi pœnitudine exultat, Angelos æmulatur. Gaudium enim est *in cælo*, vel de vno *peccatore* pœnitentiam agente.] Profectò & si contristaui vos per primam Epistolam, dum vestra schismata reprehendi, incestuosum puniui, aliaque vitia taxaui, *non me pœnitet*, non est, quod doleam: & si pœniteret, eo quod vos saltem *ad horam* contristarem, ideoque dolerem ex amoris affectu: *Nunc* tamen *gaudeo*, non quod *contristati* fueritis, sed quia contristatio, & dolor vester, pœnitentiam extorsit: vnde tristitia vberem fructũ attulit. *Contristati enim estis secundum Deum*, seu secundum Dei desiderium adeò, vt in nullo protsus *detrimentum patiamini ex nobis*, siue ob epistolam nostram, qua acerbius vos reprehendi. * Edificat hinc Euangelij præco, nihil dicendum, ex quo auditores aliquo possint affici incommodo, v. gr. in fama, & similibus. Solum enim in crimina generatim debet insurgere.] * Hinc etiam elicio, illa scripta esse admodum commendanda, è quibus lector ad compunctionem allicitur. Hic enim fuit epistolæ D. Pauli effectus.]

Qui exultat de proximi pœnitudine Angelos æmulatur.

Nihil Concionator dicat, ex quo aliquod incommodum auditori vlli sequi possit.

Illa scripta maximè cõmẽdanda, ex quibus lector ad compunctionem allicitur.

2.

Vera pœnitentia signa.

Vers. 10.11.12.13.14.15.16. *Quæ enim secundum Deum, &c.*] Profectò tristitia, lacrymæ, suspiria, mœror *secundum Deum*, seu Deo placens est, quæ propter Deum offensum concipitur: non propter opes amissas, honores, voluptates, aut mortem vxoris, mariti, filiorum. * Cordis enim tristitia, ex qua assolent profluere lacrymæ pretiosissima est, & prodigè admodum impenditur, nisi propter Deum amissum concipiatur.] *Tristitia* autem mundi est ob bona terrena amissa, aut non acquisita: & hæc sæpe tum corporis, tùm animæ *mortem operatur.* Secundum igitur Deum contristati estis: *Ecce* iam *hoc ipsum* quot & quàm vberes in vobis fuit operatum. * *Operatur solicitudinem* placandi Deum. Operatur *defensionem* mei, seu efficit, vt me defendatis contra murmuratores, qui me subtaxant, quod acrius vos in illa prima epistola reprehenderim, & me ergà incestuosum illum seuerum egerim Iudicem. Operatur demum in vobis *desiderium* Deo satisfaciendi, & mores emendandi. Operatur *indignationem* contra ipsam culpam: *timorem* iterum recedendi: *æmulationem* ad opera virtutis sectanda: *vindictam* spiritualem aduersus corpus id asperitatibus contudendo. *In omnibus exhibuistis*, seu *ostendistis* (Syrus sic) *vos incontaminatos esse negotio*, seu omninò alienos, & immunes esse à peccato isto incestuosi. *Igitur etsi scripsi vobis*, haud id præstiti tantum propter eum qui alteri fecit iniuriam, seu non id egi ob solius adulteri salutem, nec solum vt persequerer iniuriam marito illatam, cuius vxorem concubinam sibi incestuosus fecit: sed etiam vt ostenderem *solitudinem*, quam pro communi Ecclesiæ vestræ bono, ac salute exero, nempè vt pestiferum scandalum publicum ab ea depellerem. * Pestiferum, apte scandalum publicum vocitaui. Quia peccatum publicum vel vnius multorum assolet corrumpere mores.] *Ideò consolati sumus.* Ex consolatione autem nostra magna pars mihi obtigit ex gaudio, quo Titus frater noster afficitur: eo quod spiritus eius vberem ex sanctis vestris moribus concepit notitiam; qua in Domino refectus fuit admodum. *Etsi* dum illum audio de vobis tam affectuosè loquentem, *gloriatus sum*, non confundor: sed (vt vobis aperte de more loquar) *gloriatio nostra quæ fuit ad Titum*, seu quæ de Tito illa relatione processit, *veritas facta est.* Comperi enim postea ex aliis oculatis testibus, me veritatem asseruisse, quando de vestra probitate sum gloriatus. Et quidem post hanc meam de vestro spirituali profectu gloriationem *viscera* Titi *abundantius in vobis sunt*, seu *eius* affectus magis in vos quam anteà propendet. Dum ex mutuo colloquio nostro fit memoria promptæ *omnium vestrum* obedientiæ: & *quomodo* eum *cum timore, & tremore excepistis* seu cum reuerentia, timentes, ne quid in vobis annotaret, quod ipsi posset displicere. *Gaudeo, quod in omnibus confido in vobis*, seu possum confidere. Id est, quòd absque offensionis periculo possim libere vobiscum agere, monendo, corripiendo, poscendo, præscribendo. * Cum subditus certus est de Rectoris erga eum dilectionis affectu, promptè vel difficilia exequitur imperia.] * Annotarim hinc verò D. Pauli prudentiam, se enim optimum gerit medicum, qui iam penè sanata vulnera lenissimis medicamentis consolationis, & laudis curat, vt ptioris obiurgationis vstura sanetur. Vt Rector edificat, post acrem correptionem blande alloqui subditum.]

Prodigæ impẽduntur lacrymæ nisi ob Deum amissum.

Fructus tristitiæ cordis Deo gratæ fructus vberrimi.

Peccatũ publicũ pestis est multos corrũpens.

Cum subditus certus est de Rectoris erga eum dilectione, promptè vel difficilia exequitur imperia.

Rector prudens post acrem correptionẽ subditum blandè alloquitur.

CAPVT VIII.

Ad eleemoſynam impendendam Solymitanis pauperibus, Corinthios hortatur.

1. NOTAM autem facimus vobis, fratres, gratiam Dei, quæ
data eſt in Eccleſiis Macedoniæ: 2. quòd in multo expe-
rimento tribulationis, abundantia gaudij ipſorum fuit;
& altiſſima paupertas eorum, abundauit in diuitias ſim-
plicitatis eorum: 3. quia ſecundùm virtutem teſtimo-
nium illis reddo, & ſupra virtutem voluntarij fuerunt,
4. cum multa exhortatione obſecrantes nos gratiam, &
communicationem miniſterij, quod fit in Sanctos. 5. Et non ſicut ſperauimus,
ſed ſemetipſos dederunt primum Domino, deinde nobis per voluntatem Dei;
6. ita vt rogaremus Titum, vt quemadmodum cœpit, ita & perficiat in vobis
etiam gratiam iſtam. 7. Sed ſicut in omnibus abundatis fide, & ſermone, &
ſcientia, & omni ſollicitudine, inſuper & charitate veſtra in nos, vt & in
hac gratia abundetis. 8. Non quaſi imperans dico: ſed per aliorum ſollicitu-
dinem, etiam veſtræ charitatis ingenium bonum comprobans. 9. Scitis enim
gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti, quoniam propter vos egenus factus eſt, cùm
eſſet diues, vt illius inopia vos diuites eſſetis. 10. Et conſilium in hoc do: hoc
enim vobis vtile eſt, qui non ſolùm facere, ſed & velle cœpiſtis ab anno priore:
11. nunc verò & facto perficite: vt quemadmodum promptus eſt animus vo-
luntatis, ita ſit & perficiendi ex eo quod habetis. 12. Si enim voluntas prom-
pta eſt; ſecundùm id quod habet, accepta eſt, non ſecundùm id quod non ha-
bet. 13. Non enim vt aliis ſit remiſſio, vobis autem tribulatio, ſed ex æquali-
tate. 14. In præſenti tempore veſtra abundantia illorum inopiam ſuppleat: vt
& illorum abundantia veſtræ inopiæ ſit ſupplementum, vt fiat æqualitas, ſicut
ſcriptum eſt: 15. Qui multum, non abundauit: & qui modicum, non mi-
norauit. 16. Gratias autem Deo, qui dedit eamdem ſollicitudinem pro vo-
bis in corde Titi, 17. quoniam exhortationem quidem ſuſcepit: ſed cùm
ſollicitior eſſet, ſua voluntate profectus eſt ad vos. 18. Miſimus etiam cum
illo fratrem, cuius laus eſt in Euangelio per omnes Eccleſias: 19. non ſolùm
autem, ſed & ordinatus eſt ab Eccleſiis comes peregrinationis noſtræ, in hanc
gratiam, quæ miniſtratur à nobis ad Domini gloriam, & deſtinatam volunta-
tem noſtram: 20. deuitantes hoc, ne quis nos vituperet in hac plenitudine, quæ
miniſtratur à nobis. 21. Prouidemus enim bona non ſolùm coram Deo, ſed
etiam coram hominibus. 22. Miſimus autem cum illis & fratrem noſtrum, quem
probauimus in multis ſæpè ſollicitum eſſe: nunc autem multò ſollicitiorem, con-
fidens multa in vos, 23. ſiue pro Tito, qui eſt ſocius meus, & in vos adiutor,
ſiue fratres noſtri, Apoſtoli Eccleſiarum, gloria Chriſti. 24. Oſtenſionem ergo,
quæ eſt charitatis veſtræ, & noſtræ gloriæ pro vobis, in illos oſtendite in faciem Ec-
cleſiarum.

COMMENTARII.

Hortatur, vt Solymitanis pauperibus eleemoſyna impendantur.

1. VERS. 1. 2. 3. 4. 5. 6. *Notam autem facimus vobis fratres, &c.*] Volumus autem ô fratres, *gratiam Dei, quæ data eſt in Eccleſiis Macedoniæ*, ſeu Macedonum in pauperes eleemoſynarum collationem. * Aptè eleemoſynam Dei *gratiam appellat*, liberalitas enim & munificentia in pauperes & Dei gratiam largitori conciliat, & acceptam tuetur.] Quod in multo, & moleſto *experimento tribulationis*, maior fuit gaudij abundantia; & *altiſſima*, ſeu maxima *paupertas eorum abundauit*, & redundauit ad largiendum *diuitias*, ſeu eleemoſynas copioſas *ſimplicitatis*, ſiue promptæ benignitatis, & candidæ liberalitatis ſuæ. * Si altiſſima, ſeu maxima erat eorum Macedonum paupertas, quomodo dicitur, *Paupertas eorum abundauit?* Profectò quia vberrimi ſunt redditus eleemoſynæ: vnum exhibes pauperi, centum recipis.] * Largiuntur, inquit,

Eleemoſyna gratia Dei vocatur, quia eam largitori conciliat, & conſeruat.

Qui expetit diues fieri, eleemosynas gerat.

quit, *diuitias*. Quid diuitiis cum altissima inopia? Multum planè. Tanti enim sunt eleemosynæ prouentus, vt qui inopia pressus expetat esse diues, id assequetur, si nonnihil ex vacuo suo penu alij inopi tribuat.] Macedones itaque etsi planè exhausti, & extremè pauperes, liberalissimè tamen de suo pauperibus aliis succurrendis obtulere. * Vnde patet, vel pauperibus, si velint, non deficere modicum quid, quo aliis succurrant.] *Quia secundum virtutem testimonium illis reddo*, seu iuxta illorum meritum charitatis illorum, nihil exaggerans, narrationem expono. Nam illi *suprà virtutem*, seu supra vires non prouocati, non rogati, sed *voluntary*, vltronei sua pauperibus porrexerunt.

Vel pauperi, si velit, non deficit, quo alij pauperi succurrat.

* Illa quidem est commendabilis admodum eleemosyna, quæ non petita egenti irrogatur. Id enim Dauidis carmine prædicatur: *Beatus, qui intelligit super egenum*, seu qui non rogatus intelligit proximi egestatem, illi succurrit.] *Cum multa exhortatione obsecrantes nos*, vt admitteremus gratiam, seu gratuita dona, *& communicationem ministery*, seu vt & ipsi permitterentur conferre aliquid in Christianorum pauperum subsidium. *Et non sicut sperauimus*, suos tantum facultates in eum vsum obtulere: sed & semetipsos *primum Domino*, seu diuino cultui deseruituros: *Deinde & nobis per voluntatem Dei*, seu vt iussui, & nutui nostro, qui per Dei beneplacitum Dei ipsius vicarium agimus in omnibus obsequerentur. Quæ quidem insperata ipsorum liberalitas causa fuit, *Vt* rogaremus Titum, vt sicut nos in Macedonia, ità & ipse Corinthi hanc bene cœptam eleemosynarum collectionem promouere satagat. Vt *sicut in* omnibus virtutibus abundatis, scilicet in fide, in piis colloquiis, & in *omni solicitudine*, ad promouendam Euangelij gloriam: ità charitas, seu amor in me vester sic abundans ostentetur, vt meo monito meo huic grato animo obtemperantes, *in hac gratia abundetis*, seu vt in virtute liberalitatis erga pauperes fulgeatis, sicut in aliis virtutibus coruscare videmini.

Illa est commendabilis eleemosyna, quæ pauperi non petenti irrogatur.

Vers. 8.9.10.11.12.13.14. *Non quasi imperans dico, &c.*] Non hæc quasi iubens præscribo. Sed solùm intendo, præ oculis obiecta aliorum *solicitudine* cordis, quam inopiæ extremæ labor excitat: *vestræ Charitatis ingenium*, seu liberalem indolem *comprobare*, siue explorare. * Preme particulam: *Vestra charitatis ingenium*. Profectò ingeniosa est admodum charitas: mille modos inuenit; queis valeat vel in summa egestate temporis pauperibus subuenire.] Iam Christi exemplo eos excitare pergit. *Scitis enim*, seu exploratam habetis eximiam *gratiam Christi*, seu beneficium gratuitò nobis ab ipso collatum. *Quoniam cum diues esset* cæli, & terræ Dominus, tamen propter vos factus est *egenus*, Græcè, *mendicus*: *vt illius* temporalis *inopia* merito vos euaderetis *diuites* in spiritualibus, scilicet, in cælesti doctrina, in gratia, in iustitia, in gloria. Quid ergò multum præstabitis, si Christo in pauperibus indigenti; seu mendico effecto, vt diuites vos efficeret, subuenire studeatis? Itaque fratres, me hoc non imperare dixi, *sed consilium in hoc do. Hoc enim vobis* valdè *vtile est*, qui non solum *facere* eleemosynam *cœpistis*, sed *& velle*, id est, primi auctores fuistis, primi dixistis,

Valde ingeniosa est charitas ad pauperi succurrendum.

Christo pro te inopi facto debes in pauperibus subuenire gratitudinis iure.

vos velle Ierosolymitanos pauperes iuuare, & sic ad idem gerendum alios prouocastis. * Maximè gratus est Deo, qui auctor, seu promotor est alicuius probæ actionis gerendæ.] *Si voluntas* benefaciendi Solymitanis egenis *prompta est*, *secundum id quod* quis *habet*, seu iuxta facultates suas, *accepta est Deo* huiusmodi voluntas, & præmio digna: *non verò secundum id, quod non habet* accepta est, aut mensuratur eius meritum: quasi mereri non possit, si non habet, quod de facto donet. * Nam potest, etiamsi non multum det, tamen multum mereri, dummodo quod dare potest, det prompte, & magno charitatis affectu.] Non itaque vrgeo, vt tantam pecuniæ vim conferatis, vt Solymitanis inde *sit* omnimoda *remissio*, Græcè, *relaxatio* ab omni indigentia: vobis autem suboriatur indè indigentiæ *tribulatio*. Sed velim, ex *æqualitate*, vos agere vt nimirum vos vestra superflua detis, pauperibus autem non desint necessaria: & sic vtrique ab extremitate recedatis. *Vt illorum abundantia, in* bonis spiritualibus *supplementum sit vestræ* spiritualis *inopiæ*: Sicut vestra abundantia in bonis temporalibus illorum temporalem supplet inopiam: *vt fiat æqualitas* dum vtrique datis id, quo abundatis, & recipitis id quo caretis. * Non cuncteris temporale subsidium pauperi impendere: quia plusquam das plane percipies: dum enim temporale parui momenti donum pauperi impendis, à paupere donum recipis spirituale ineffabilis omnino æstimationis.]

Valde est gratus Deo, qui alicuius boni operis est auctor, seu inuentor.

Eleemosynæ meritum nō pensatur ex quātitate doni, sed ex pietatis affectu.

Qui dat pauperi, plus à paupere recipit.

Vers. 15.16.17. Vobis quidem accidet *sicut*, seu quod *scriptum est*. Exo. 16. 18. (iuxtà LXX) de antiquis Israëlitis in deserto: *Qui multum* manna collegerat, *non* ideò *abundauit*, aut plus cæteris habuit (nam domum reuersus non plus, quam Gomor vnum reperiebat: *& qui modicum* manna collegerat, *non minorauit*, seu non minus quam mensuram Gomor plenam reperiebat: Angelo inuisibiliter hìc quod deerat, supplente: illic detrahente, quod supererat. Ità par est, vt & vos Christiani æqualitatem aliquam rerum necessariarum curetis, sicut Deum fecisse in subministratione mannæ fecisse videtis. Si quis paupere fame presso sibi vltra necessaria, superflua reseruat, ex quibus pauper subleuari debuerat, id planè disperdetur. Si verò, vt pauperi donet, ex mensura necessarij victus aliquid detraxerit, cælitus supplebitur ita vt non minus, quam mensuram plenam reperiat.] *Gratias autem Deo, qui dedit eandem solicitudinem pro vobis in corde Titi*, qui quidem vt ego scripto adhortor, coram verbis fuit adhortatus. *Quoniam exhortationem quidem*, seu adhortandi vos ad eleemosynam à nobis Titus munus *suscepit. Sed* meis non egebat stimulis, cum ex se *solicitior esset* ad hoc negotium promouendum. Vnde sua voluntate, & sponte, me non multum rogante, profectus est, eum in finem *ad vos*.

Deperditur, quod pauperi negas: crescit, quod à te detrahis, vt pauperi donec.

Vers. 18.19.20.21.22.23.24. *Misimus etiam cum illo, &c.*] Cum illo mittere libuit *fratrem, cuius* laus eximia est in Euangelia Lucam scilicet, meum indiuiduum comitem. Laus inquam eius eximia est in Euangelio non tantum prædicando, sed etiam scribendo. * Laudabiles enim sunt, qui piè ad aliorum eruditionem libros scribunt.] Laus inquam est eximia Lucæ *per*

Laudabiles, qui piè ad aliorum eruditionem libros scribunt.

omnes Ecclesias ob prædicationé,& scripta. Qui quidem præterea manuum impositione additus est nobis ab Ecclesiis comes peregrinationis nostræ vt vna exerceremus hoc *gratia*, seu neficentiæ genus ad egentium calamitatem subleuandam: idque ad Domini gloriam, & vestram hilarem, ac promptam voluntatem largiendi declarandam. Dum autem hos viros tanti ponderis misimus, id maximè spectauimus, vt *deuitaremus hoc*, nempè, *ne quis nos vituperet in hac plenitudine*, id est, nè occasione tam largæ collectæ quis suspicetur, vel spargat, nobis nos illas in proprios vsus abrogare. Ideò voluimus rem totam aliis, & quidem probatissimis viris committi. * Magna cautela sacris ministris est adhibenda, si quando opus fuerit ad alicuius inopiam subleuandam fidelium subsidia colligere: ne largitoribus detur similis obmurmurationis occasio.] *Prouidemus* enim, etiam cum *bona* agimus, vt sic appareant, vt veraciter sunt, *non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus. Misimus autem* cum Tito & Luca etiam fratem alium nostrum (Silam fuisse crediderim) qui Paulo tunc aderat) quem probauimus in multis negotiis circa fidei promotionem, *sollicitum esse*: nunc autem *multò sollicitiorem* futurum. *Confidentia multa in vos* illos misimus, seu omninò confidentes, quod ipsos quo par est honore, & charitate excipietis. *Siue pro Tito*, seu ob venerationem Titi: siue ob reuerentiam aliis duobus debitam qui *confratres nostri sunt*, & *Apostoli Ecclesiarum*, ab Ecclesiis ad hoc munus speciatim delegati, nempe *ad gloriam Christi*, quam procurant vnicè, & promouent. *In illos ergo ostendite* palam, & *in faciem*, seu in conspectu omnium *Ecclesiarum ostensionem*, & realem exhibitionem charitatis eximiæ, quæ & vobis honori sit, & mihi iusto argumento de *vobis* apud alios gloriandi.

Magna cautela adhibenda est sacro ministro petenti egenis eleemosynam, ne murmurationis detur occasio.

CAPVT IX.

Ad liberalem eleemosynam Corinthios adhortari pergit.

1. NAM de ministerio, quod fit in sanctos, ex abundanti est mihi
scribere vobis. 2. Scio enim promptum animum vestrum:
pro quo de vobis glorior apud Macedones. Quoniam &
Achaia parata est ab anno præterito, & vestra æmulatio prouocauit plurimos. 3. Misi autem fratres: vt ne quod glo-
riamur de vobis, euacuetur in hac parte, vt (quemadmodum
dixi) parati sitis: 4. Ne cùm venerint Macedones me-
cum, & inuenerint vos imparatos, erubescamus nos (vt non dicamus vos) in hac
substantia. 5. Necessarium ergo existimaui rogare fratres, vt præueniant ad vos,
& præparent repromissam benedictionem hanc paratam esse, sic quasi benedictio-
nem, non tanquam auaritiam. 6. Hoc autem dico: Qui parcè seminat, parcè &
metet: & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet. 7. Vnus-
quisque prout destinauit in corde suo, non ex tristitia, aut ex necessitate: hilarem
enim datorem diligit Deus. 8. Potens est autem Deus omnem gratiam abundare
facere in vobis: vt in omnibus semper omnem sufficientiam habentes, abundetis
in omne opus bonum. 9. Sicut scriptum est: 9. Dispersit, dedit pauperibus:
iustitia eius manet in sæculum sæculi. 10. Qui autem administrat semen semi-
nanti: & panem ad manducandum præstabit, & multiplicabit semen vestrum,
& augebit incrementa frugum iustitiæ vestræ: 11. Vt in omnibus locupletati
abundantis in omnem simplicitatem, quæ operatur per nos gratiarū actionem Deo.
12. Quoniam ministerium huius officij, non solum supplet ea quæ desunt sanctis,
sed etiam abundat per multas gratiarum actiones in Domino. 13. Per probatio-
nem ministerij huius, glorificantes Deum in obedientia confessionis vestræ, in
Euangelium Christi, & simplicitate communicationis in illos, & in omnes, 14. &
in ipsorum obsecratione pro vobis, desiderantium vos propter eminentem gratiam
Dei in vobis. 15. Gratias Deo super inenarrabili dono eius.

COMMENTARII.

1. Ad liberalem eleemosynam Corinthios adhortari pergit.

VERS. 1. 2. 3. 4. 5. *Nam de ministerio, quod fit in sanctos, &c.*] Non est mihi animus, vobis scribere ô Corinthij, vt de necessariis vsui vestro detrahatis, vt Christianis Ierosolymæ egentibus subueniatis: sed solum *de abundanti*, seu de abundantia, de iis, quæ superfluunt. *Scio enim promptitudinem animorum vestrorum*, qui magis fræno, quam calcari indigeant. De qua promptitudine *glorior* apud Macedones. Profectò Achaia ab anno præterito *parata est*, ad erogandum: & *vestra æmulatio*, seu zelus alios *plurimos* populos prouocauit. * Tam difficilè est eleemosynam exhibere, vt necessarium sit exem

Qui munificus est in pauperes alios ad eandem virtutem allicit.

exemplum eorum, qui ex necessariis detrahunt; vt inopi succurrant, vt alij è superfluis impendere alliciantur.] *Nisi autem* confratres meos: Titum, Lucam, & Silam, vt designatam collectam promouere possint, & ad felicem finem deducant. * Difficilius est actu dare, quam verbis promittere. Vnde Corinthios reor, ad Pauli insinuationem promisisse se munificos fore: sed vt id actu exequerentur tres illi Euangelici viri immittuntur.] Id gessimus; *ne quod gloriamur, euacuetur*, seu ne falsa vel inanis deprehendatur gloriatio nostra, qua vbique liberalitatem vestram deprædicamus. Vnde hortor vos, vt (quemadmodum *dixi*) *parati sitis*: *Ne cum venerint Macedones mecum* ad vos, (vt solent suos magistros de loco ad locum pergentes comitari) *vosque imparatos* offenderint, nos rubore offundamus (ne dicam & vos) ob præsidentem hanc nostram de vestra liberalitate, ac munificentia gloriationem. *Necessarium ergo existimaui rogare* confratres, vt nostrum ad vos aduentum præuertant, priusque absoluant iam pridem indictam vestram beneficentiam, vt parata, ac in promptu sit *quasi benedictio, non sicut auaritia*, seu vt palam appareat, quod sit spontanea beneficentia, non verò parca contributio auaris, & inuitis extorta. * Profectò qui expectat, pauperem bis vel ter petere stipem: illam inops non à liberali accipit, sed ab auaro extorquet.]

Difficilius est actu dare pauperibus, quàm promittere.

Eleemosynam, quàm à te pauper bis aut ter postulat non à liberali accipit, sed ab auaro extorquet.

Verf. 6. 7. 8. 9. 10. 11. *Hoc autem dico. Qui parce seminat, &c.*] Hoc pro comperto vobis affirmo: Qui parce seminat, seu qui illiberali animo pauperi largitur: *parce & metet*, seu exiguum referet de eleemosyna fructum. *Qui verò seminat in*, seu cum *benedictionibus*. seu valde copiosè, & liberaliter, etiam *de*, seu in *benedictionibus metet*, seu vberem fructum consequetur. * Liberalis enim in pauperes bonorum spiritualium, ac temporalium benedictionibus oppletur. Testor Iacobum esurienti & sitienti Isaaco cibum & potum ministrantem: quem Deus cælestibus ac terrenis benedictionibus donauit: Det tibi Deus *de rore cæli, & de pinguedine terræ abundantiam*. Gen. 27. 28.] *Vnusquisque* tribuat tantum; quantum vltroneus *destinauit*, seu decreuit *in animo suo* pauperibus impendere: *non ex tristitia*, quam auaritia parit: *aut ex necessitate*, quasi ex pudore, aut maiorum reuerentia coacti: sed lubenti, ac hilari animo. *Hilarem* enim *datorem diligit Deus*. * Taxantur hinc, qui cum petenti, & instanti pauperi dant stipem, ex tetrico vultu indicant se eam inuoluntariè conferre.] *Potens est autem Deus* pro liberali eleemosyna vicissim *facere*, vt in vobis omnis *gratia*, seu omne genus bonorum tum spiritualium tùm temporalium exundet; vt *habentes semper omnem sufficientiam*, seu omnia, quæ ad honestè familiæ vestræ statum tuendum requiruntur, insuper *abundetis in omne opus bonum*, seu abundè habeatis, quo in pauperes plus liberales esse possitis; *Sicut* de munifico eleemosynario cecinit Dauid Psal. 111. *Dispersit, dedit pauperibus: iustitia eius manet in sæculum sæculi*. Id est, Eleemosynarius more seminantis eleemosynas in pauperes liberalissimè dispersit. Nec tamen perdidit vel minimum granum: sed iustitia, seu eleemosynacius manet æternum in Dei memoria, quasi in segete & messe. Sed neque in hac vita quicquam vobis Deus deesse patietur. Nam *Qui seminanti administrat, semen*, seu vobis facultatem iam tribuit, & voluntatem sublevandi aliorum inopiam: idem etiam vobis *præstabit panem ad manducandum*, seu omnia ad statum vestrum tuendum necessaria: & insuper *multiplicabit semen vestrum*, seu bona temporalia, quæ continuò in pauperes seminetis: *&* simul *augebit incrementa frugum* seu spirituales prouentus huius & probi operis vestri. *Vt omni genere opum locupletati, abundetis in omnem simplicitatem*, seu candidam liberalitatem, & promptè, ac munifice egentibus succurratis. Quæ vestra munificentia efficit, vt *per nos*, aliosque, quibus innotescit; gratiæ Deo agantur, qui tàm pulchram suæ munificentiæ expressit imaginem. * A piis quidem agendæ Deo sunt gratiæ; quod adsint in Republica, qui pauperibus studeant subuenire.]

Liberalis in pauperes spiritualibus, & terrenis bonis oppletur.

Cum das pauperi stipē, eam confer hilariter.

Deo agendæ gratiæ, quod adsint in Republica, qui studeat pauperibus subuenire.

Verf. 12. 13. 14. 15. *Quoniam ministerium huius officij, &c.*] Efficit, inquam, vestra munificentia, vt gratiæ Deo agantur, *Quoniam ministerium huius officij*, seu hæc Eleemosynarum collectio *non solum* subuenit Solymitanorum inopiæ: *Sed etiam abundat*, seu abundanter succurrit aliis adeò, vt ex hoc capite multi sint gratias acturi, ac laudaturi Deum, *Per probationem*, seu experimentalem cognitionem *huius* nostri *ministerij*. *Glorificantes Deum in obedientia confessionis vestræ*, seu propter vestram egregiam promptitudinem obediendi præceptis & monitis Euangelicæ legis, quam profitemini. Hæc enim liberalitatem in egenos suadet. Glorificabunt item Deum *in simplicitate communicationis*, seu ob vestram ergà miseros promptam candidamque liberalitatis huius vestræ executionem ergà egenos; qua participes illos facitis vestrorum bonorum temporalium: & ipsi vicissim obsecrant *pro vobis*, cupientes vos bonis spiritualibus ditari; *propter eminentem gratiam Dei*; seu donum beneficentiæ à Deo vobis collatum, & elucens *in vobis*. Quod sane *inenarrabile donum* est: tùm ob innumeros fructus, quos producit: tum ob æterna præmia, quæ promeretur. * Habes hinc, *eminentem* gratiam, & *inenarrabile* donum Dei esse collatum ei, qui munificum se erga inopes ostendit.] * Preme particulam, *In simplicitate communicationis*. Qui enim pauperi succurrit, cum illo communicat: Largitor dat, & recipit: pauper recipit, & dat: recipit temporale subsidium inops, vt largitori spiritualia, cælestiaque bona munificentior quidem impendat.] *Gratias* igitur *Deo* reddite *super inenarrabili dono eius*, seu quia munificus admodum erga vos, hoc vos ergà subsidium inopum donauit pietatis affectu.

Donū inenarrabile Dei est, in inopes esse te liberalem.

Qui eleemosynam agit cum paupere communicat dans ei, & ab eo recipiens.

CAPVT X.

Paulus pro se contra pseudo-Apostolos Corinthum, Ebionem, & alios Ecclesiæ hostes subtexit apologiam.

1. IPSE autem ego Paulus obsecro vos, per mansuetudi-
nem & modestiam Christi, qui in facie quidem humilis
sum inter vos, absens autem confido in vobis. 2. Rogo
autem vos ne præsens audeam, per eam confidentiam
qua existimor audere in quosdam, qui arbitrantur nos
tanquam secundùm carnem ambulemus. 3. In carne
enim ambulantes, non secundùm carnem militamus.
4. Nam arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructio-
nem munitionum, consilia destruentes, 5. & omnem altitudinem extollen-
tem se aduersus scientiam Dei, & in captiuitatem redigentes omnem intellectum
in obsequium Christi, 6. & in promptu habentes, vlcisci omnem inobedientiam,
cùm impleta fuerit vestra obedientia. 7. Quæ secundùm faciem sunt, videte. Si
quis confidit sibi Christi se esse, hoc cogitet iterùm apud se: quia sicut ipse Christi
est, ita & nos. 8. Nam, & si amplius aliquid gloriatus fuero de potestate no-
stra, quam dedit nobis Dominus in ædificationem, & non in destructionem
vestram: non erubescam. 9. Vt autem non existimer tamquam terrere vos per
epistolas: 10. quoniam quidem epistolæ, inquiunt, graues sunt & fortes: præ-
sentia autem corporis infirma, & sermo contemptibilis: 11. hoc cogitet qui
eiusmodi est: quia quales sumus verbo per epistolas absentes, tales & præsentes in
facto. 12. Non enim audemus inserere, aut comparare nos quibusdam, qui
seipsos commendant: sed ipsi in nobis nosmetipsos metientes, & comparan-
tes nosmetipsos nobis. 13. Nos autem non in immensum gloriabimur, sed se-
cundùm mensuram regulæ, qua mensus est nobis Deus, mensuram pertingendi
vsque ad vos. 14. Non enim quasi non pertingentes ad vos, superextendimus
nos vsque: ad vos enim peruenimus in Euangelio Christi. 15. non in immensum
gloriantes in alienis laboribus: spem autem habentes crescentis fidei vestræ, in vo-
bis magnificari secundum regulam nostram in abundantiam, 16. etiam in illa,
quæ vltra vos sunt, euangelizare, non in aliena regula in iis quæ præparata sunt glo-
riari. 17. Qui autem gloriatur, in Domino glorietur. 18. Non enim qui seipsum
commendat, ille probatus est: sed quem Deus commendat.

COMMENTARII.

1. *Apologia Pauli contra hostes nonnullos Ecclesiæ.*

VERS. 1.2.3.4.5.6. *Ipse autem ego Paulus, &c.*] Ego Paulus frater vester non iam fratribus, quos ad vos immisi, internunciis, sed *ipse obsecro vos* per *mansuetudinem, & modestiam Christi*, seu per lenitatem, clementiam, humilitatem Saluatoris (sic ex Græco) vt me pro me dicturum patienter audiatis aduersus obtrectatores, quorum vna calumnia est, quòd *in facie*, seu specie externa, cum præsens vobis aderam *humilis* essem, seu placidus & mansuetus inter vos; *absens autẽ confido in vobis*, seu libere, & audacter me contra vos ostendo, plus æquo mihi abrogans, & minaces scribens Epistolas: cum quidem curaui semper Christi mansuetudinem imitari. *Rogo autem vos*, vt compescatis huiusmodi calumniatores, *ne* cum *præsens* adero, *audeam*, seu potestate mea audacter vti cogar *per confidentiam*, vel libertatem, quam putant, me insolentius in quosdam exeruisse: *tanquam secundum carnem ambulemus*, indulgentes humanis affectibus, ac passionibus, & vtentes non zelo veritatis, sed prudentia politica. Profectò *in carne ambulantes* reliquis hominibus similes, curamus haud *secundum carnem* militare, carnalibusque affectibus minimè obsequi, nec humana astutia more politicorum vti, *Nam arma militiæ nostræ carnalia non sunt, sed potentia Deo*, seu valida, fortia per Deum, scilicet gratia, & vis verbi, miracula, charitas, reliquęque virtutes. His armis vtimur, *ad destructionem munitionum* aduersarum. *destruentes* scilicet, Pseudo-apostolorum iniqua consilia, & *omnem altitudinem*, seu supercilium & superbiam eorum *extollentem se aduersus scientiam Dei: & in captiuitatem redigentes omnem intellectum*, seu ingenium humanum quantumcumque arte instructum *in obsequium* non nostri, sed Christi. His iisdem armis, ac pręsertim potestate

excom

excommunicandi *in promptu* nobis est, *vlcisci omnem* obtrectatorum istorum inobedientiam, rebellionem, contumaciam: Tunc Demum hac potestate vtemur, *cum impleta fuerit vestra obedientia*, seu postquam iuxta præscriptum meum alia minora medicamina adhibueritis. * Porrò Præsules non debent vti rigido medicamine, nisi quando blanda adhibita non profecerint.]

Præsul non vtatur rigido medicamine, nisi quando mitiora non profecerint.

Vers. 7.8.9.10.11.12.13. *Quæ secundum faciem sunt, videte, &c.*] Ite nunc, & secundum faciem iudicate habentes me contemptibilem. Faxo vt omnes intelligant me, qualis sum, non minorem esse, quam sint alij Christi ministri. *Si quis confidit sibi*, seu de seipso, Christi se ministrum esse: *hoc cogitet iterum apud se*, hoc sciat, hoc intelligat, *quia sicut ipse Christi est* minister, *ita & nos*, qui propterea ex hoc capite inferiores non sumus. Non autem *erubescam* quod aliquis mihi obiecerit, quod *amplius aliquid gloriatus* fuerim *de potestate mea* Apostolica, quam *dedit* mihi *Dominus ipse*, non homo quispiam, qua non tantum prædicare Euangelium, sed etiam corripere, & punire delinquentes possum. Glorior enim, quod huiusmodi potestate semper vsus fuerim *in ædificationem, non in destructionem*, seu vt salutem vestram promouerem, non vt destruerem. *Non* inquam, *erubescam* tanquam atrogans de hac potestate gloriatus fuerim. *Vt autem non existimer*, seu ne videar, *terrere vos per epistolas* velle, quasi præsens nihil audeam. Quoniam quidem Epistolæ *(inquiunt* mei obtrectatores) quas ad vos Paulus scribit, ô Corinthij, *graues sunt, & fortes*, seu duræ, acres, seueræ, minaces: *præsentia autem infirma, & sermo contemptibilis.* Nicephorus asserit, lib. 2. c. 37. Paulum paruo, & abiecto corpore fuisse. Ipse autem Paulus 1. Cor. 2. 4. profitetur, apud Corinthios fuisse suam prædicationem non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis. Hoc enim ex capite à Sophistis, qui aderant Corinthi lubens Paulus superari videbatur. *In hoc verò cogitet, qui huiusmodi est*, opinionis, nos semper similem esse nobis ipsis tam cum adsumus, quam cum absumus. *Non enim audemus inserere*, seu annumerare nos istis blateronibus, supra cœli verticem sese, suaque extollentibus: sed *metimur nosmetipsos in nobis*, seu nostro nos pede, nostris dotibus, ac gratiis reuera à Deo acceptis. Vnde *Nos non in immensum gloriabimur; sed secundum mensuram regulæ, qua mensus est nobis Deus*, seu iuxta eas dotes, quas à Deo accepimus, *mensuram pertingendi vsque ad vos*, seu euangelizandi à Iudæa Corinthum vsque, sic vt reuera facimus. Itaque non iactamus quæ non habemus, aut quæ non facimus, vt illi de se iactitant.

Vers. 14. 15. 16. 17. 18. *Non enim quasi non pertingentes ad vos, &c.*] Non enim cum hoc de nobis prædicamus vllo modo mentimur: aut quasi non primi Euangelium Christi vobis promulgauerimus, nos, supra quam res ferat, extollimus. Nam reuera ita Euangelio promulgando operam dedimus vt præter alias multas Gentes *ad vos* etiam peruenerimus, & vos Christo aggregauimus. Qua quidem ratione perspicuum vobis putamus esse, nihil nos *in immensum*, seu vltra modum *gloriari* aut laudes nobis arrogare *in*, seu de *alienum laboribus*. *Spem autem habentes*, quod augmentum tum in dies fide vestra accipientes, nos in vobis fore magnificandum *secundum regulam nostram*, id est, amplificandam nobis esse sortem nostram, seu mensuram regionum, quam Deus singulis nostrum admensus est, vt in eis euangelizemus Cum enim vos opera nostra non amplius egebitis, ad alias atque alias prouincias continuò progradiemur *in abundantiam*, seu exuberantiam iniuncti ministerij nostri ad Gentium salutem. Hoc est, amplius semper & vlterius anhelabimus *regulam*, seu terminos euangelizationis nostræ proferre. * Qui verè est Euangelij operarius; nunquam, dum est superstes, dicit: sufficit: sed iniunctum ministerium magis ac magis studet perficere.] Nunquam ministerium absoluit.] Non verò *in aliena regula* laborabo, seu in limitibus aut prouinciis aliorum opera præparatis & excultis falcem non mittam. * Imprudens est, qui in alienum munus non vocatus sese ingerit.] *Qui autem gloriatur*, Deo totam gloriam attribuat, nullam sibi particulam auarus, imò raptor asseruet, dum sibi de probe gestis placeat *Non enim qui seipsum commendat*, seu sibi applaudit, solida ac vera laude dignus est censendus. * Imò eo ipso quod se commendat, planè ostendit vel falsam, vel suspectam illam esse laudem.] Illius solùm merita verè sunt commendabilia, quæ Deus scrutator cordis approbat. * Ergo licet recta opera, seu quæ specie recta videntur, laudari poterunt. Operans autem ipse non semper poterit verè commendari ab hominibus, quia operi externo sæpè cordis non respondet intentio.] Cæterùm toto ex capite habes vel spiritualibus viris licitum esse de se oblatrantibus respondere, ad famam tuendam.] Imo publicis Ecclesiæ ministris id necessarium, & obligatorium esse, nè Euangelica doctrina propter detractores nota quodammodò inuratur.]

Verus Euangelij operator nunquam ministerium absoluit.

Imprudens est, qui in officium alienũ non vocatus se ingerit.

Eo ipso, quod sese quis laudat, dicet laudem illã falsam esse, aut suspectam.

Sæpè operans rectè specie externa, haud est laude dignus

Vel spiritualis vir potest oblatrãtibus respondere.

Minister Euangelicus debet detractores cõuincere de calũnia.

CAPVT

CAPVT XI.

Se contrà Pseudo-Apostolos tueri pergit. Apostolatus sui vera insignia pergit. nempè labores, quos pro Euangelij prædicatione subiit.

1. VTINAM sustineretis modicum quid insipientiæ meæ, sed &
supportate me. 2. Æmulor enim vos Dei æmulatione. Des-
pondi enim vos vni viro virginem castam exhibere Christo.
3. Timeo autem, ne sicut serpens Heuam seduxit astutia
sua, ita corrumpantur sensus vestri, & excidant à simplici-
tate, quæ est in Christo. 4. Nam si is qui venit, alium Chri-
stum prædicat, quem non prædicauimus; aut alium spiritum
accipitis, quem non accepistis; aut aliud Euangelium, quod non recepistis: rectè
pateremini. 5. Existimo enim nihil me minus fecisse à magnis Apostolis. 6. Nam
etsi imperitus sermone, sed non scientia: in omnibus autem manifestati sumus
vobis. 7. Aut numquid peccatum feci, me ipsum humilians, vt vos exaltemini?
quoniam gratis Euangelium Dei euangelizaui vobis? 8. Alias Ecclesias expolia-
ui, accipiens stipendium ad ministerium vestrum. 9. Et cùm essem apud vos, &
& egerem; nulli onerosus fui: nam quod mihi deerat, suppleuerunt fratres, qui
venerunt à Macedonia: & in omnibus sine onere me vobis seruaui, & seruabo.
10. Est veritas Christi in me, quoniam hæc gloriatio non infringetur in me in
regionibus Achaiæ. 11. Quare? Quia non diligo vos? Deus scit. 12. Quod au-
tem facio, & faciam: vt amputem occasionem eorum, qui volunt occasionem vt
in quo glorientur, inueniantur sicut & nos. 13. Nam eiusmodi Pseudoapostoli,
sunt operarij subdoli, transfigurantes se in Apostolos Christi. 14. Et non mirum:
ipse enim satanas transfigurat se in Angelum lucis. 15. Non est ergo magnum, si
ministri eius transfigurentur velut ministri iustitiæ quorum finis erit secundùm ope-
ra ipsorum. 16 Iterùm dico, (ne quis me putet insipientem esse, alioquin velut
insipientem accipite me, vt & ego modicum quid glorier) 17. Quod loquor, non
loquor secundùm Deum, sed quasi in insipientia, in hac substantia gloriæ. 18. Quo-
niam multi gloriantur secundùm carnem: & ego gloriabor. 19. Libenter enim
suffertis insipientes: cùm sitis ipsi Sapientes. 20. Sustinetis enim si quis vos in ser-
uitutem redigit, si quis deuorat, si quis accipit, si quis extollitur, si quis in faciem
vos cædit. 21. Secundùm ignobilitatem dico, quasi nos infirmi fuerimus in hac
parte. In quo quis audet (in insipientia dico) audeo & ego. 22. Hebræi sunt, &
ego: Israëlitæ sunt, & ego: Semen Abrahæ sunt, & ego: 23. Ministri Christi
sunt, (vt minus sapiens dico) plus ego: in laboribus plurimis, in carceribus abun-
dantius, in plagis supra modum in mortibus frequenter. 24. A Iudæis quinquies,
quadragenas, vna minus, accepi. 25. Ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum,
ter naufragium feci, nocte & die in profundo maris fui. 26. In itineribus sæpè, pe-
riculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex Gentibus,
periculis in ciuitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fra-
tribus. 27. In labore & ærumna, in vigiliis multis, in fame & siti, in ieiuniis
multis, in frigore & nuditate: 28. Præter illa quæ extrinsecus sunt, instan-
tia mea quotidiana, sollicitudo omnium Ecclesiarum. 29. Quis infirmatur, &
ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non vror? 30. Si gloriari opor-
tet: quæ infirmitatis meæ sunt, gloriabor. 31. Deus & Pater Domini nostri Ie-
su Christi, qui est benedictus in sæcula scit quòd non mentior. 32. Damasci præ-
positus Gentis Aretæ regis, custodiebat ciuitatem Damascenorum, vt me com-
prehenderet. 33. & per fenestram in sporta dimissus sum per murum, & sic effu-
gi manus eius.

COMMENTARII.

I. *Perget se contra Pseudo-apostolos tueri.*

VERS. 1.2.3.4.5. *Vtinam sustineretis modicum insipientiæ meæ, &c.*] Vtinam ô fratres, liceret mihi per vos, nonnihil de ministerio meo ad Dei gloriam, & pseodo-apostolorum confusionem memorare: sustinete quæso hanc *insipientiam meam.* * Vocitat insipientiam laudem propriam ob rea præclare à se gestas. Hoc enim est insipientium, nisi subsit grauis causa vti hîc in causa Pauli suberat.] Quæso, inquam, me supporteris. Vulgariter expono: *Ruegoos que me sufrais.* * Nihil enim tam molestum quam audire eum, qui seipsum laudibus effert.] Æmulor enim vos Dei æmulatione, Syriace, *Zelotypus sum ergà vos,* nec patiar hos riuales Pseudo-apostolos: idque æmulatione, ac zelo Dei sponsi animatum, mei minimè. Nec enim ambio mihi hanc sponsam, sed Deo, & Christo, cui ego iampridem per fidem, & baptismum *vos despondi:* & nunc studeo, vt quemque vestrum suo tempore exhibeam Christo, eiusque sponsali thalamo *virginem* incorruptam, *castam*, fide, spe, & charitate integram. * Quomodo Babylonia Gentilica post tot libidines infamis meretrix vni viro Christo virgo exhibebitur? Hæc quidem est vis pœnitentiæ veram animæ adiiciens integritatem Christi thalamo dignam.] *Timeo autem* ne vt olim *serpens* ille tartareus *Euam* sua calliditate seduxit: ita corruptæ ab illo mentes vestræ *à simplicitate* degenerent, *quæ est in Christo*, seu quæ decet eos, qui Christi Virginis electi sunt, virginem in sponsam, & eius doctrinam, viuendique rationem profitentur. *Nam si is*, qui ex grege pseudo-apostolorum ad vos sicut procus *venit*, vobis *alium Christum* sponsum affert, & alium spiritum, seu alia Spiritus sancti dona prædicare contendit: *rectè pateremini*, seu toleraretis. Ast ego scio, nihil illos noui, quod verum, aut vtile sit, posse proferre. *Existimo enim me nihil minus fecisse à magnis Apostolis*, seu me nihilominus perfecta vobis annunciasse quamquam veri ac primarij Apostoli Petrus, Iacobus, Ioannes; qui quidem eundem ac ego Christum vnicum animarum sponsum prædicant, nec alium agnoscunt.

Insipientis est, seipsum laudare.

Molestum valde, audire laudantem seipsum.

Pœnitentia meretrices animo Virgines efficit.

Vers. 6.7.8.9.10.11. Nam etsi imperitus sermone, &c.] Etsi enim imperitus sermone à pseudo-apostolis dicor, & quidem si de verbosa ac fastuosa eloquentia (quam loquentiam vocitarim) sermo sit sic me libens agnosco; sed non rerum diuinarum scientia quæ Apostolicum decet verbi Dei præconem. Profectò neruosam Pauli eloquentiam, & cum vellet, dicendi artificium quo etiam Præsides prouinciarum (Act. 24.25.) & Reges percelleret (Act. 26.28.) D. Augustinus meritò celebrat. * Cur igitur in concionibus ea non semper est vsus? Certè quia auditorum plures sunt huiusmodi verborum artificij incapaces, vndè prædicationis fructus euanesceret.] Sed quid attinet ad me hæc commemorare, cum in his omnibus *manifestati*, plenéque perspecti simus vobis, vt alio testimonio non indigeatis. *Aut numquid peccatum feci*, & hoc mihi vitio, seu crimini vertitur, quod me præter morem humiliarim vile scenofactoriæ opificium exercens, *vt vos exaltemini?* seu ad altiorem eueheminì perfectionem discentes exemplo meo gratis proximo in spiritualibus deseruire. * Magna quidem est indecentia, sacrum prædicandi ministerium venale exponere, siquidem Paulus concionatorum magister, vt illam vitaret ad vile se ministerium abiecit.] *Alias* planè *Ecclesias* etsi vobis pauperiores excitaui ad sumptus necessarios mihi subministrandos, quo visus sum quibusdam illas *expoliasse*, seu denudasse: idque vt *vobis gratis* ministrare possem. *Et cum essem apud vos, & absumpto stipendio,* quod ab illis Ecclesiis acceperam, *egerem:* nulli onerosus fui; nam quod mihi deerat ad necessarium victum, exhibuerunt fratres, qui à *Macedonia* venerant: & *in omnibus* tam ad victum, quam ad vestitum attinentibus, sine onere me vobis seruaui, & Deo dante, seruare studebo. * Equidem, si res ferat, magnæ esset vtilitatis ad Euangelij fructum, si operarij sacri qui Oppidatim ad concionandum mittuntur, aliunde sibi de victu prouiderent, ne dùm graues sunt oppido, cum vacui accedunt, minus acceptabilis sit prædicatio.] *Est veritas Christi in me*, seu testor Christum, qui est ipsa veritas, me nihil pro sumptu meo in *Achaia* (cuius Metropolis est Corinthus) acceptu-rum. *Quare?* cogitatis: Respondebo: *Quia non diligo vos?* seu quia erga vos minus sum affectus, nolo à vobis accipere, quo me deuinctum fatear? *Deus scit* me id è contrario gerere, quia vos affectuosè diligens, studiosius procuro vos nec in minimo grauare, à vobis aliquid temporale accipiendo. * Verus enim amor spoliis non indiget: æreus ad dandum, ferreus ad accipiendum.]

Abstineat Concionator à verborum artificio.

Magna indecentia est prædicandi ministerium venale exponere.

Si res ferat, Concionatores, qui oppidatim mittuntur, sibi ad victũ necessaria ferant, ne graues sint oppidis.

Verus amor in amati obsequio quæstum non intendit.

Vers. 12.13.14.15.16. Quod autem facio, &c.] Quod facio, & me facturum offero, ad id quidem dirigo, vt Pseudo-apostolis vestris *amputem occasionem* taxandi me, quasi nulla in re ipsis dissimilem. *Inueniantur* itaque etiam in hoc negotio gratis euangelizandi *sicut & nos*, seu fiant nobis pares: ac tunc sentient nos illis nulla in re præcellere. Nolite seduci fratres. *Nam eiusmodi pseudo-apostoli sunt* reuera dolosi ministri, mentientes se Christi esse Apostolos, diabolica quidem externa simulatione. Et non mirum, id gerere eos, qui diaboli sunt æmulatores: nam & ipse *Satanas* mentitur Angeli *lucis* formam, vt specie pietatis obiecta, vt facilius vos in fraudem impellat. Difficile admodum à lupo seu à vitio recedes, qui sub ouina, seu pietatis pelle tibi apparuerit.] *Non est ergo magnum* seu Insolitum si diaboli ministri in Christi ministros *transfigurentur*, vt appareant assertores esse *iustitiæ*: quorum demum finis operibus respondens, subdolas artes reserabit. *Iterum dico, &c.*] Rursum moneo, vt verba mea boni consulatis (*ne quis me putet insipientem esse*, dum meas laudes recenseo: *Alioquin*, si lubeat, *velut insipientem accipite me*, mihi tamen hanc veniam date, vt paululum quiddam ego, *glorier.*) *Quod loquor*, seu loqui propono *in hac substantia gloriæ*, seu materia gloriationis, *non erit secundum Deum*, seu diuino more dictum, si nude in se, & vt sonat spectare velitis. *Sed quasi in insipientia* prolatum Erit tamen secundum. si spectetur, vt procedit ex

Difficile vitatur vitium quod virtutis specie exponitur.

charitate, & necessitate, quæ me sic loqui compellunt, nempè ne vos me velut vili homuncione contempto, seductoribus hæreatis. * Edisce, non semper ex verbis, aut externis actionibus hominem esse iudicandum. Pia verba volitare solent è mente impia procedentia: alia verò insonant, quæ vanitatem sapiunt, & ex piissimo ortum habent affectu.]

Non semper homo aut probus aut improbus ex verbis iudicandus.

Vers. 17.18.19.20. *Quoniam multi gloriantur &c.*] *Multi* æmuli mei *secundum carnem*, seu in rebus carnem sapientibus, nobilitate scilicet, sapientia, diuitiis gloriantur. Et ego gloriabor de nonnullis dotibus à Deo acceptis. At licet in huiusmodi gloriatione videar, secundum carnem memetipsum commendare: si attentè id perpendatis, videbitis planè, me solummodò secundum spiritum esse loquutum. Quidquid autem hoc sit: *Cum sapientes sitis,* tamen *libenter suffertis insipientes.* Hactenus enim patientia maxima sustinuistis loquaces istos stultè, & cum damno vestro toties se iactantes. Sustinebitis ergò (vt spero) etiam me saltem hac vice neque insipienter nec inutiliter gloriantem. *Sustinetis* inquam, imo & *extollitis* (sic Græcè) *si quis vos* imperioso dominatu suo *in seruitutem vos redigit*, dum vobis tanquam seruis abutitur: vestra bona *deuorat* nimium auarus: & *vos in faciem cædit*, si non alapis, certè contumeliis, exprobrando, quod idololatræ & immundi fueritis. Alapæ vices contumelia gerit.] Non ergo vobis tot à Pseudo-Apostolis incommoda sustinentibus, me Apostolum vestrum quæque vobis commoda procurantem patientes audire.

2. Labores quos pro Christo tolerauit, enarrat.

Vers. 21.22.23.24.25.26.27.28. *Secundum ignobilitatem dico, &c.*] Græcè, κατ' ἀτιμίαν, seu *ad ignominiam* vestram hæc vobis *dico*, & exprobro, vt vos illorum, quæ propter illos seu ab illis passi estis pudeat. Nos autem non siluimus aliquandò, dum videremus nonnulla à vobis minus rectè geri, *Quasi infirmi fuerimus in hac parte*, nec sat fortes ad imperiosius vobiscum agendum. Cum tamen in quacumque re quis illorum aliquid *audet*, *audeam & ego*, vtpote nihilo ipsis inferior. Sed nolui meo vti iure semper, sed ei sæpe ex modestia, & charitate erga vos lubentissimè cessi. * Aliquandò Rector debet se circà subditorum defectus cæcum, ac mutum ostentare.] *Hebræi sunt*, & ego. *Israelitæ* sunt? nihilo minus ego. *Semen Abrahæ* sunt? eundem ego progenitorem agnosco. Ministri Christi sunt, vel potius ministros se esse iactitant? (*vt minus sapiens dico.*) *plus ego*, seu in hoc me excellere affirmo. Annon ex laboribus pro Christo toleratis, ministri præstantia dignoscitur? Ego quidem ministrum Euangelij gessi *in laboribus plurimis*, *in carceribus frequentius*, *in mortis periculis* sæpissime. *A Iudæis* flagris quinquies cæsus, plagas quadragenas *vna minus* accepi. Ex legis diuinæ præscripto Deut. 25.3. non poterat plagarum numerus quadragenarium excedere. Id vt Iudæi seruarent, vnum ictum à præscripto numero detrahebant, & non nisi triginta nouem ictus iubebant infligi. * V. perfectè à rebus in lege prohibitis abstineas, operæ pretium erit, in hisce ipsis rebus ab aliquo non prohibito abstinere, vt longè absis vltra licita, ad prohibita prosilire] *Ter virgis cæsus sum.* (Philippis semel, vbinam secundò & tertiò? non legi in sacris annotatum.) *Semel lapidatus sum* Lystris) *Ter naufragium feci.* (Vbi, aut quando non inuenio.) Nam illud Melitense, de quo Lucas cap. 27. post hanc epistolam conscriptam contigisse à Chronologicis accepi. *In profundo maris fui.* Syrus, *sine nauigio in mari*, id est, naufragio facto die vna integra, ac nocte in alto mari iactatus, & natare coactus fui. Asserit Baronius anno Christi 28. hic per *profundum maris* intelligi Cyzicenum carcerem. Sed tanti viri venia die ac nocte vna carcere concludi haud est tantum incommodum quod debeat naufragio comparari. * At si lubeat Baronij expositioni hærescere, adiiciam, tantam esse aliquorum carceris custodum ergà vinctos feritatem, vt facilius quis eligat pelagi diris immitti fluctibus, quam carcere eiusmodi recludi.] *In itineribus sæpe:* (O quantus labor itineris:) *periculis* iam *fluminum* iam *latronum* obiectus. *Periculis ex genere* seu à gente mea, à Iudæis structis; *periculis ex Gentibus*, qui vlturi idola sua, mihi insidias moliuntur. *Periculis in ciuitate* Damascena, Solymitana, Ephesina, &c. *Periculis in solitudine*, seu desertis locis, vbi insidiæ etiam collocabantur. *Periculis in mari* non à piratis solùm, sed & ab hostibus Iudæis, vbique mihi insidiantibus, Act. 20.3. *Periculis in falsis fratribus*, qui fraternitatis specie sese mihi hostes horribiles exhibuere. * Hæc quidem pericula ex falsis amicis post alia pericula augens orationem apposuit. Quià falsi amici occulta impugnatio superat omnium aliorum periculorum diritatem.] *In labore, & ærumna*, seu in ærumnoso labore: *in vigiliis multis*, *in fame & siti, in ieiuniis multis: in frigore & nuditate.* *Præter illa, quæ* omnia sunt *extrinsecus* mihi illata, accedunt alia, quæ interius animum excruciant, nempe *instantia mea quotidiana*, seu moles negotiorum mihi quotidiè instantium ex sollicitudine profectus, & commodi omnium Ecclesiarum. * Probum enim Rectorem magis pungit spiritualis cura subditorum, quam cunctarum corporis calamitatum colligatio.]

Aliquandò Rector circa subditorũ defectus se debet, cæcum, & mutum ostentare.

Ne in rebus à lege prohibitis ad illicita prosilias, à licitis oportet abstinere.

Tanti aliqui custodes carceris erga vinctos nimium rigide agentes.

Falsi amici impugnatio vincit omnium periculorum diritatem.

Probus Rector plus pũgitur ex spirituali cura subditorum, quam ex cũctis corporis ærumnis.

Vers. 29.30.31.32.33. *Quis infirmatur, & ego non infirmor? &c.*] Quisnam precor fidelium infirmatur animo, seu ad lapsum propendet, qui non me cogat infirmari per commiserationis affectum? *Quisnam scandalizatur* aut offenditur: *& ego non vror* partim dolore, partim zelo curandi & arcendi incommodi affectu. *Si gloriari oportet, quæ infirmitatis meæ sunt*, afflictiones scilicet, & persecutiones pro Christo toleratas (ob quas videor infirmus, & abiectus) in medium exponam, & de iis gloriabor. *Deus & Pater* Domini nostri Iesu Christi scit, quod minime à veritate recedo in casu, quem iam narro. *Præpositus* seu satrapa. *Aretæ Regis* genti & Vrbi Damascenæ præerat, *custodiebat Ciuitatem*, seu custodias militares tota Vrbe constituerat, nè elabi possem, volebat enim me comprehendere, & aduersariis meis Iudæis tradere. At per fenestram amicorum piorum ministerio in sporta per murum fui demissus, & sic manus eius effugere potui. Act. 9.24. refertur.

CAPVT

CAPVT XII.

Enarrat suum in cælum raptum, & carnis stimulum.

1. SI gloriari oportet (non expedit quidem:) veniam autem
ad visiones & reuelationes Domini. 2. Scio hominem in
Christo ante annos quatuordecim, (siue in corpore nescio:
siue extra corpus nescio, Deus scit) raptum huiusmodi vs-
que ad tertium cælum. 3. Et scio huiusmodi hominem,
(siue in corpore, siue extra corpus, nescio, Deus scit)
4. quoniam raptus est in paradisum: & audiuit arcana ver-
ba, quæ non licet homini loqui. 5. Pro huiusmodi gloriabor: pro me autem ni-
hil gloriabor, nisi in infirmitatibus meis. 6. Nam, & si voluero gloriari, non ero
insipiens: veritatem enim dicam, parco autem, ne quis me existimet supra
id quod videt in me, aut aliquid audit ex me. 7. Et ne magnitudo reuelatio-
num extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ angelus satanæ, qui me co-
laphizet. 8. Propter quod ter Dominum rogaui vt discederet à me: 9. & dixit
mihi: Sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur. Libenter igitur
gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi. 10. Propter
quod placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis, in necessitatibus, in per-
secutionibus, in angustiis pro Christo: Cùm enim infirmor, tunc potens sum,
11. Factus sum insipiens, vos me coëgistis. Ego enim à vobis debui commenda-
ri: nihil enim minus fui ab iis, qui sunt supra modum Apostoli: tametsi nihil sum:
12. signa tamen Apostolatus mei facta sunt super vos, in omni patientia, in sig-
nis, & prodigiis, & virtutibus. 13. Quid est enim, quòd minus habuistis præ
cæteris Ecclesiis, nisi quòd ego ipse non grauaui vos? Donate mihi hanc iniu-
riam. 14. Ecce, tertio hoc paratus sum venire ad vos: & non ero grauis vobis.
Non enim quæro quæ vestra sunt, sed vos. Non enim debent filij parentibus the-
saurizare, sed parentes filiis. 15. Ego autem libentissimè impendam, & super-
impendar ipse pro animabus vestris, licèt plus vos diligens, minùs diligar. 16. Sed
esto: ego vos non grauaui: sed cùm essem astutus, dolo vos cepi. 17. Numquid
per aliquem eorum, quos misi ad vos, circumueni vos? 18. Rogaui Titum, &
misi cum illo fratrem. Numquid Titus vos circumuenit; nónne eodem spiritu am-
bulauimus? nónne iisdem vestigiis? 19. Olim putatis quòd excusemus nos apud
vos? Coram Deo in Christo loquimur: omnia autem, charissimi, propter ædifi-
cationem vestram. 20. Timeo enim, ne fortè cùm venero, non quales volo,
inueniam vos: & ego inueniar à vobis, qualem non vultis: ne fortè contentio-
nes, æmulationes, animositates, dissensiones, detractiones, susurrationes, in-
flationes, seditiones sint inter vos: 21. ne iterùm cùm venero, humiliet me
Deus apud vos: & lugeam multos ex iis qui antè peccauerunt, & non ege-
runt pœnitentiam super immunditia, & fornicatione, & impudicitia, quam ge-
sserunt.

COMMENTARII.

1. *Narrat suum in cælum raptum.*

VERS. 1. 2. 3. 4. 5. *Si gloriari oportet (non expedit quidem) &c.* Græcè, *Gloriari sanè non expedit mihi.* Gloriari in aliis, quam in iis, quæ infirmitatis meæ sunt, mihi non expedit. Et sanè nollem propter vestram salutem, etiam quod non vellem, facere cogor. *Veniam autem ad visiones & reuelationes commemorandas.* Inter visiones & reuelationes haud exiguum discrimen. Aliquibus enim diuinitus visio immittitur, quibus tamen visi significatio non reuelatur: vt Pharaoni *Gen.* 41. 17. & Nabuchodonosori *Dani.* 2. 31. accidit. Paulus ergo ait non solùm visiones, sed etiam eorum, quæ vidit, reuelationes, seu explicationes fuisse factas. *Scio*, seu noui, *hominem in Christo*, seu Christianum (Modestiæ causa de se, tanquam de alio loquitur.) Dei ope, non dæmonis, (vti Simoni Mago contigit) raptum fuisse ad tertium cælum, Primum, seu infimum est aëreum. Secundum sidereum, & constat vndecim cælestibus orbibus. Tertium est Empy-

reum, quem inferius paradisum vocat, locum scilicet voluptatis, vbi sedes est beatorum. At, inquit, num in corpore, an extra corpus Christianus ille homo raptus fuerit, *nescio*. Nam alienatus à phantasmatibus, & sensibus, non satis intellexit, neque attendit, quæ circa se gererentur, totus iis intentus, quæ ei aspectanda offerebantur. Existimo Pauli animam à corpore non fuisse diuulsam; alioqui enim non fuisset vel extasis, sed occisio, & mors. Raptus quidem fit cum abstractione animæ à sensibus, sed non à corpore, cuius est forma. Hoc autem Paulo accidit ante annos quatuordecim, seu anno nono ab eius conuersione, & à morte Christi duodecimo, nempe eodem anno, quo ordinatus est Gentium Apostolus Act. 13. 2. Hæc enim Epistola scripta fuit anno à morte Dominica vigesimo sexto, à quo si tollas annos quatuordecim, habebis annum à morte Christi duodecimum. *Et scio, huiusmodi hominem (siue in corpore, siue extra corpus nescio, Deus scit)* raptum fuisse in cælum Empireum, *paradisum* cælestem beatorum. Et audiisse *arcana*, Græcè, ἄῤῥητα seu *ineffabilia*, *verba*, quæ ab homine vllo, fando, non possunt explicari. Quid igitur fatu impossibile audiuit? Certè gloriam beatorum ordinem, modum, secretum diuinæ prædestinationis, vocationis, & conuersionis Gentium, Ecclesiæ œconomiam, eiusque mirabiles successus. * Sunt qui contemplentur, arcana hæc, quæ non licet hominem aperire, fuisse Dei ineffabilem erga peccatores misericordiam. Quæ quidem à cunctis hominum linguis (addiderim, & Angelorum) haud potest dignè exponi.] * Addunt illi: & licet verbis posset explicari arcanum hoc verbum, non licet, seu non expedit, vt id omninò referemus. Ne scilicet peccatores ansam hinc arriperent ad liberius delinquendum. Vndè edocentur Concionatores exaggeratios debere de ineffabili Dei iustitia, quàm de ineffabili misericordia è suggesto loqui.] *Pro huiusmodi gloriabor*, pro tali homine (Græcè, sic) ita ad cælum rapto gloriabor: *pro me autem* non *nisi in infirmitatibus meis*, id est, afflictionibus, & passionibus.

Dei misericordia erga peccatores est ineffabilis.

Concionatores nō nimiū debent semper de Dei misericordia (infinita planè) loqui: sed de iustitia sæpiùs.

2. *Vers. 6. 7. 8. 9. 10. 11. Nam etsi voluero gloriari, &c.*] Nam si indè nonnullam gloriam velim aucupari, non quidem desipiam; vera enim narrabo. Sed mihi tamen modum impono, nequis existimet me veræ laudationis fines excedere: aut suspicetur, de me, meisque rebus supra id, quod vel oculis cernit, vel fama cognouit, me verè esse. Neque enim sum, qualem stulti illi Lycaonij crediderant, nempe Numen è cælo delapsum, cui sacrificia offerre voluerunt. Profectò *Ne magnitudo reuelationum*, me extolleret, & me hominem esse apertè constaret: datus est mihi stimulus carnis meæ, Græcè *palus praacutus carni*, Syrus vertit, *in carne mea*, infixus: nempe concupiscentiæ motus *in* & à carne mea, sed magis accensæ *ab Angelo satana*, seu à dæmone, qui phantasiæ meæ turpia obiicit, & humores ad talia inflammat, & quasi impactis colaphis me continuò cædit. Hic quidem stimulus à Deo datus est mihi muneris loco, vt hac ignominiâ affectus mihi ipse vilescam. * Nihil enim vilius humanitati, quam hisce motibus agitari: quid si tentamini motem gereret?] * *Ne*, inquit; *magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis*, quasi egregium munus. Tentamina enim fortiter superata vitam spiritualem tuentur immunem, & præcelsam acquirunt in superis coronam.] * *Ne extollas me*. Vndenam extolli potest, qui se videt huic carnis vilitati subiectum? *Propter quod ter Dominum rogaui, vt discederet à me. Ter*, inquam, seu frequenter vt me liberaret probro precatus sum Deum: Sed *mihi respondit: sufficit tibi*, O Paole *gratia mea*, & auxilium cæleste, quod nunquam tibi ad ista tentamina vincenda denegabo. Quin potius *virtus in infirmitate perficitur*. Græcè, *Potentia mea* plenius se exerit, & illustrius manifestatur infirmitate. Nam quo maior erit infirmitas, & ad malum pronitas tua, eò maior vis, & robur à me tibi suggeretur, & victoria illustrior obtinget. * Itaque nullus in hoc certamine de victoria desperet, quia iuxta tentaminis magnitudinem Dei auxiliom exeritur.] *Libenter igitur gloriabor infirmitatibus* mihi à Deo, seu relictis, seu immissis, *vt virtus Christi* pleniùs in me inhabitet, & sedem *in me* figat stabilem. *Propter quòd* non solum æquo animo illas infirmitates fero, & alias ærumnas, ac tribulationes sustineo: sed & in illis *mihi placeo*. *Cum enim infirmor* secundum naturam *tunc potens* per gratiam existo: & per consequens, quo magis infirmor, eò gratia, ac potentia Dei in me, (si fidelem me ostendero elucescet.

Refert, suæ carnis stimulis dare pungi.

Nihil vilius homini, quā ad vitia carnis inclinatio.

Tentationes vitam spiritualē tuentur immunem.

Tentamina carnis validum contra superbiā medicamen.

Iuxta tentaminis magnitudinē Dei auxiliū exeritur.

Vers. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. Factus sum insipiens, &c.] Me ipsum laudando fortè vobis parum sanus visus sum: Sed *vos me ad id coegistis*, vt hac via auctoritatem meam, & opinionem, quam de me habere debetis, stabilire possem. *Ego enim* à vobis debui contra obtrectatorum calumnias *commendari*; sed cum vos hoc ex capite officium vestrum prætereritis, coactus sum egomet vel inuitus id præstare. *Nihil enim minus fui ab iis*, seu nulla re inferior fui iis, *qui sunt supra modum*, seu admodùm excellunt, vel primi sunt *Apostoli*. * *Ego*, inquit, *à vobis debui commendari*. O quam pauci huic debito satisfaciunt! Agnatum enim est homini expetere, vt à cunctis laudetur: ipse verò ad alios serio laudandos hæret elinguis.] Addit tamen humillimus Paulus: *Tametsi nihil sum*, seu me nihil esse libens profiteor. Si te ò Paule agnoscis egregio cuique Apostolo inferiorem non esse, quomodo asserere potes te nihil esse? * Hæc est pia veræ humilitatis implicatio, scire hominem se nihil esse, dum scit magnis non esse inæqualem.] * Sciebat Deipara se Christi Dei filij in matrem electam ex Angeli promissione: vocatur *Maria*, id est, omnium creaturarum *Domina*, & tunc cum sciret se Dominam esse veræ humilitatis pia contradictione, se cognouit ancillam, *Ecce ancilla Domini*.] Signa tamen Apostolatus mei apud vos perspicua extant: nempè magna mea in rebus aduersis tolerantia: *signa, & prodigia*, aliæque *virtutes*, seu res suprà naturam diuinitus effectæ. *Quid est enim*, in quo cæteris Ecclesiis inferiores vos esse conqueri possitis, nisi fortè quod ego non fui negligens in victu meis manibus mihi comparando *ne grauarem vos*, seu nè vos essem oneri? Vestra enim charitas id loco iniuriæ accepit. *Donate mihi hanc iniuriam* non solùm præteritam iam, sed & futuram. *Ecce*

Homo cupit à cunctis laudari, ipse verò ad alios laudandos hæret elinguis.

Verè humilis potest scire se esse magnum & nihil se esse profiteri.

Deipara cognouit se Dominam esse, & se ancillam agnouit.

enim *tertiò paratus sum venire ad vos*, & idem circa parandum cibum agere, *ne grauis* sim sumptui vestro, licet vestræ charitati ergà me grauis minimè essem futurus. Cupio namque, vt omnibus constet, me non quærere, *quæ vestra sunt, sed vos. Nec enim debent filij parenti thesaurizare, sed parens filiis.* id est, filiorum studium non impenditur ad acquirenda parentibus necessaria, sed potiùs parentes filiis de victu ac vestitu prouidere tenentur. *Ego autem libentissime impendam*, quæ necessaria mihi fuerint ad sacrum ministerium apud vos exercendum, ne grauis sim vobis: imò *superimpendar ipse pro animabus vestris*, seu meipsum omninò impendam ad aras vsque ob vestri spiritus commoda: licet longè maiori vos beneuolentia diligens, non parem vestrum in me amorem experiar.

Verus amãs non requirit ex dilecto vel amoris retributionem.

* Verus enim amator in dilecto non requirit amicam officiorum vicissitudinem. Vulgariter exponam: *Es verdadero amante no echa menos el no ser correspondido.*] *Sed esto, vos non grauaui, &c.*] Obiiciunt aduersarij: Esto Paulus per se non grauarit vos: tamen per Titum, & alios, quos immittit, vos, vestráque emungit: & sic vt est *astutus dolo vos cepit. Nunquid per aliquem eorum, quos misi ad vos*, fraudaui, occupaui, extorsi?

Vers. 18. 19. 20. 21. *Rogaui Titum*, vt ad vos accederet, Lucam, & Silam cum illo immisi. *Circumuenitne vos Titus*, aut Lucas, aut Silas? An aliquid pro se, vel pro me vnquam a vobis extorserunt? Aonon *eodem* spiritu ambulauimus? Nónne eisdem *vestigiis* illi, & ego processimus? *Olim*, seu iam dudum, ab antiquo. Græcè, πάλιν, seu *rursum putatis quod* dum hæc tam molestè inculco, non vestri, sed mei solius gratia id agam, nempè vt *excusemus nos* prætextu euangelizationis *apud vos* gratis factæ, & laboris ingentis pro vobis tolerati: quo possimus iam tanto liberius vestras opes deposcere, atque exhaurire ad aliarum Vrbium Christianis pauperibus subueniendum. Sed iuro *coram Deo in Christo Iesu*, id est, synceritate, & veritate qua par est iurare eum, qui Christi membra esse profitentur: quod nihil aliud nos his omnibus spectare, quam *ædificationem vestram*, & salutem. *Timeo* quidem, *ne fortè cum venero, non quales* cupio, vos inueniam: & ego à vobis inueniar, qualem non vultis. Id enim mihi & vobis accidet, si *fortè contentiones, æmulationes, animositates*, seu iras dissensiones, detractiones, susurrationes, *inflationes*, seu tumores, ac seditiones in vobis vigere deprehendam. *Timeo* inquam, ne iterùm cum iam tertiò ad vos aduenero *humiliet*, contristet, affligat *me Deus*, dum cogat videre, lugere, imò & seuerius castigare multos vestrum in pristinis sordibus, immunditia scilicet, fornicatione, & impudicitia hærentes: quales erunt illi, qui iam *antè peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam.* * Nam qui delinquit, & non mox curat pœnitentia delictum alluere, aliis & aliis delictis sine fræno implicatur.]

Qui delinquens, mox pœnitẽtiam non agit, pluribus aliis peccatis implicatur.

CAPVT XIII.

Redarguit obstinatos in peccatis. Probos ad perfectionem allicere curat.

1. ECCE tertiò hoc venio ad vos: In ore duorum vel trium te-
stium stabit omne verbum. 2. Prædixi, & prædico, vt præ-
sens, & nunc absens, iis qui ante peccauerunt, & cæteris omni-
bus, quoniam si venero iterùm, non parcam 3. An experi-
mentum quæritis eius, qui in me loquitur Christus, qui in vo-
bis non infirmatur, sed potens est in vobis? 4. Nam etsi
crucifixus est ex infirmitate: sed viuit ex virtute Dei. Nam
& nos infirmi sumus in illo: sed viuemus cum eo ex virtute Dei in vobis. 5. Vos-
metipsos tentate si estis in fide: ipsi vos probate. Annon cognoscitis vosmetipsos,
quia Christus Iesus in vobis est? nisi fortè reprobi estis. 6. Spero autem quod cog-
noscetis, quia nos non sumus reprobi. 7. Oramus autem Deum vt nihil mali fa-
ciatis, non vt nos probati appareamus, sed vt vos quod bonum est faciatis: nos
autem vt reprobi simus. 8. Non enim possumus aliquid aduersus veritatem, sed
pro veritate. 9. Gaudemus enim, quoniam nos infirmi sumus, vos autem poten-
tes estis. Hoc & oramus vestram consummationem. 10. Ideo hæc absens scribo,
vt non præsens duriùs agam, secundùm potestatem, quam Dominus dedit mihi
in ædificationem, & non in destructionem. 11. De cætero, fratres, gaudete, per-
fecti estote, exhortamini, idem sapite, pacem habete, & Deus pacis & dilectionis
erit vobiscum: 12. Salutate inuicem in osculo sancto. Salutant vos omnes sancti.
13. Gratia Domini nostri Iesu Christi, & charitas Dei, & communicatio sancti Spiri-
tus sit cum omnibus vobis. Amen.

COMMENTARII.

3. *Obstinatos in malo redarguit.*

VERS. 1.2.3.4 5. *Ecce tertio hoc venio ad vos, &c.*] Tertia en vice ad vos venio, seu venire propono; vt potestate mihi à Domino concessa, eos puniam, qui per duos, vel tres testes deliquisse grauiter conuincentur. *In ore enim duorum*, vel trium testium, Domino etiam præscribente Deut. 19. 15. *Stabit omne verbum*, seu duorum vel trium (non autem ex vnius) testimonio reus quisque vel in iudicio condemnabitur, vel absoluetur. * Hinc taxabiles obiiciuntur, qui in proprij iudicij temerarij planè tribunali proximum infirmi vnius testis assertione damnare audent, & addicere ad pœnam infamiæ, quæ quidem capitalem superat sæpè sententiam.] *Prædixi* quidem, *& iterum prædico:* & vt olim præsens locutus sum, sic etiam nunc absens scribo: iisque, *qui ante* deliquerunt, & reliquis omnibus apertè denuncio, me (si denuo ad vos venero) non fore ad lenitatem irâ propensum, vtque patrata fuerint crimina pariar impune *iterum* insolescere. * *Iterùm*, ait, *non parcam.* Semel pepercit, iterum non parcet. Laudabiliter Præsul subdito parcit erranti, nec punit, si se pœnitere indicauerit. At si iterum crimina repetit, taxabilis omninò erit, nimia Præsulis mansuetudo.] *An fortè* præscripta mea despiciendo facere vultis *experimentum*, an etiam *in me*, seu per me *Christus* loquatur, sicuti & per alios Apostolos? siue num præscripta mea sint ab humano, an à spiritu diuino profecta? Sed sine causa dubitatis, cum iam pridem de his omnibns experimentum ceperitis. Christus enim *in vobis* huc vsque *non infirmatur* per me, *sed potens est*, seu ostendit non esse imbellem (seu in se, seu in ministris suis) sed potentem admodum: cum tot tantaque suæ potentiæ signa per me inter vos ediderit. *Nam etsi* semel *ex infirmitate* humanæ naturæ vltro assumpta *crucifixus est*, ac morte affectus; sed *ex virtute Dei*, seu diuinitatis suæ potentia, surrexit, & viuit. Haud aliter *& nos infirmi* planè sumus *in*, seu cum *illo*, vel ad instar illius; *sed viuemus cum eo ex* eadem *virtute*, seu potentia ipsius. Idque de facto experiemini, cum in vobis, seu contra vos virgam meam expediero, me non mortuum, neque infirmum, sed fortem esse criminum vindicatorem. Si igitur adhuc Christus mortuus non esset, cum illo impiorum Iudicum tribunali moribundi sisteremur. Sed iam Christus Iudex resurrexit, nosque cum illo sumus noua vita donati. Vnde iam eius vicarij non tribunali iudicandi sistimur, sed iudicaturi, & punituri improbos in tribunali sedemus. *Vndè* iam *vosmetipsos tentate*, seu periculum de vobis facite, an Christus inter vos per me non probarit se fortem ac potentem esse, tot signis & prodigiis excitatis. *Nisi fortè reprobi* sitis à fide, seu fide, gratia, lumine Christi priuati, ac pristinis infidelitatis tenebris inuoluti. Nam si fidem habetis, facile ex miraculis apud vos exercitatis dignoscetis, *Quia Christus in vobis est* potenter, ac fortiter operans.

Taxātur, qui proximū temerariè iudicant.

Præsul laudabiliter semel parcit erranti: iterū delinquētem laudabilius punit.

Vers. 6.7.8.9. *Spero autem, &c.*] *Spero quod*, cum ad vos accesserimus, & improbos obstinatos corripuerimus, ipso facto cognoscetis, quia *nos non sumus reprobi*, seu reprobati, vel reiecti à Christo, eiusque potestate priuati. Videbitis enim Christum per me tam potenter operantem vt nullatenus dein dubitare queatis. Preme illud: *Quia nos non sumus reprobi*. Rector autem qui delinquenter non corripit subditos, sed eis iniqua patrantes indulget, videtur inter reprobos computari. Vnde idem est Paulo non castigare obstinatos in crimine, ac inter reprobos annumerari.] *Oramus autem Deum, vt nihil mali faciatis* castigatione nostra dignum: atque ita subtrahatis nobis occasionem exercendæ potestatis. Id, inquam, oramus, *non vt nos probati appareamus*, eo quod discipulos tam bene institutos sortiamur: *Sed vt vos* per omnia probi sitis. Tum enim nil morabimur, si *nos vt* Græcè, ὡς, (id est, *Sicut*) *reprobi simus*, & quasi imbelles: & consequenter viles ac ignobiles habeamur. *Non enim possumus*, sed neque volumus aliquid facere *aduersus veritatem*, seu contrà iustitiam. Id est, punire non possumus eos, qui pœnam non merentur: *Sed pro veritate*, & iustitia tuenda, armis nostris spiritualibus sumus instructi. *Gaudemus enim*, nobisque gratulamur, si sic nos *infirmi sumus*, nec possimus defectu materiæ potentiam nostram in vobis castigandis exercere. Quia scilicet vos culpa vacatis: & gratia & virtutibus potentes estis. *Et* in hoc *oramus vestram consummationem*, seu perfectionem, vt videlicet consummati, ac perfecti reddamini. *Et* in *hoc oramus*, inquit, *vestram consummationem*. Edocet Paulus Præsules pro subditorum spirituali profectu exorare debere: accepta enim Domino admodum est huiusmodi deprecatio.]

Rector qui delinquentes non corripit subditos, inter reprobos computatur.

Rector Deū pro subditorum spirituali profectu debet precari.

Vers. 10.11.12.13. *Ideò hæc absens scribo, &c.*] Vt moniti prius à me, possitis quæcumque errata (si adsint fortè) corrigere, hæc absens vos scribere decreui: ne cogar præsens *durius agere* iuxta potestatem, quàm à Domino accepi, *in ædificationem* quidem, *non in destructionem*. *De cætero* autem, *fratres gaudete*, & iuxta monita, ac preces meas, quas pro vobis anxiè profundo, *perfecti estote: exhortamini*, seu mutuâ consolatione fruimini: sitque vna omnium sententia: pacem tueamini: *& Deus pacis* auctor erit vobiscum. * Illud annota: *Idem sapite, & pacem habete*. Si enim non est in communitate vna omnium sententia, pax minimè poterit conseruari.] *Salutate* alij alios *in osculo sancto*. *Salutant vos omnes sancti*, seu Christiani, qui apud nos adsunt. *Gratia Domini* nostri Iesu Christi, & *charitas* Dei Patris, qui nos dilexit adeò, vt Filium suum nobis daret Redemptorem: *communicatio*, largaque donorum spiritus sancti effusio *sit cum*, seu in *omnibus vobis*. *Amen.* 2.

Probos ad perfectionem hortatur.

Si in cōmunitate sit sententiarum diuersitas, pax non poterit conseruari.

LIBER TERTIVS.

D. Pauli Epiſtolæ ad Galatas, ad Epheſios, ad Philippenſes, ad Coloſenſes.

PROLVSIO.

FEliciter ſpero harum D. Pauli Epiſtolarum inire expoſitionem, dum in prima illa clauſula occurrit: *Chriſtus nos nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum* cap. 3. 13. In lege ſcriptum erat: *Maledictus, qui pendet in ligno*, & Chriſtus, vt nos benedictionibus oppleret, cruci ſuffigi voluit, & ſpecie externa vocari maledictus, imò fieri *maledictum*. Æmulatrix Maria elegit Virginitatis voto ſubiici illi legis maledictioni (externa quidem ſpecie) non pariendi. An ſine fructu? Audi Richardum Laurent. lib. 3. de laud. Virg. *Non culpanda eſt Virgo Maria de contemptu legis, in qua ſterilitas maledicitur, imò ſola ſingulariter laudanda, quæ prima, legis verba non carnaliter ſapienda conſiderans, elegit abiectio plebis in terra fieri, vt per munditiem integritatis in cœlo fieret ſocia Angelorum. Et pulchrè prima pro amore caſtitatis maledictum legis in carne ſua ſuſtinuit, quæ illum ex carne ſua paritura erat, qui ipſe in carne ſua maledictum legis pro nobis ſuſcipiens nos à maledicto legis liberauit, factus pro nobis maledictum.* Hactenus ille.

Maria maledictū legis de ſterilitate, per Virginitatis votum abolet.

EPISTOLA
B. PAVLI APOSTOLI AD GALATAS.

SCripta fuit Nicopoli à paſſo Domino anno vigeſimo ſexto paulò ante Epiſtolam ad Romanos. Habet Galatia ab Oriente Capadociam, ab Occidente Bythiniam, à Meridie Pamphyliam, à Septentrione Pontum Euxinum. Incolæ Galo-græci, ſeu Galatæ dicti ſunt, quod & Galiis in Græciam demigrarint. D. Hieronymo, ac Iuſtino teſtibus.

CAPVT I.

Pſeudo-apoſtoli negabant, cum magnis Apoſtolis Petro, Ioanne, & Iacobo conferendum Paulum quaſi ipſe ab hominibus, illi à Domino Euangelij doctrinam accepiſſent. Hanc Paulus calumniam depellit.

1. PAVLVS Apoſtolus non ab hominibus, neque per hominem, ſed per Ieſum Chriſtum, & Deum Patrem, qui ſuſcitauit eum à mortuis: 2. & qui mecum ſunt omnes fratres, Eccleſiis Galatiæ. 3. Gratia vobis & pax à Deo Patre, & Domino noſtro Ieſu Chriſto, 4. qui dedit ſemetipſum pro peccatis noſtris, vt eriperet nos de præſenti ſæculo nequam, ſecundùm voluntatem Dei & patris noſtri, 5. cui eſt gloria in ſæcula ſæculorum. Amen. 6. Miror quòd ſic tam citò

transferimini; ab eo qui vos vocauit in gratiam Christi, in aliud Euangelium:
7. quod non est aliud, nisi sunt aliqui, qui vos conturbant, & volunt conuer-
tere Euangelium Christi. 8. Sed licèt nos, aut Angelus de cælo euangelizet vo-
bis præterquam quod euangelizauimus vobis, anathema sit. 9. Sicut prædixi-
mus, & nunc iterùm dico: Si quis vobis euangelizauerit præter id quod accepistis,
anathema sit. 10. Modò enim hominibus suadeo, an Deo? An quæro homini-
bus placere? Si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem. 11. No-
tum enim vobis facio, fratres, Euangelium, quod euangelizatum est à me,
quia non est secundùm hominem: 12. neque enim ego ab homine accepi illud,
neque didici, sed per reuelationem Iesu Christi. 13. Audistis enim conuersa-
tionem meam aliquando in Iudaismo: quoniam supra modum persequebar
Ecclesiam Dei & expugnabam illam, 14. & proficiebam in Iudaismo su-
pra multos coætaneos meos in genere meo abundantiùs æmulator existens pa-
ternarum mearum traditionum. 15. Cùm autem placuit ei, qui me segrega-
uit ex vtero matris meæ, & vocauit per gratiam suam, 16. vt reuelaret Fi-
lium suum in me, vt euangelizarem illum in Gentibus: continuò non acquieui car-
ni & sanguini, 17. neque veni Ierosolymam ad antecessores meos Apostolos:
sed abij in Arabiam: & iterùm reuersus sum Damascum. 18. deinde post an-
nos tres veni Ierosolymam videre Petrum, & mansi apud eum diebus quindecim:
19. alium autem Apostolorum vidi neminem, nisi Iacobum fratrem Domi-
ni. 20. Quæ autem scribo vobis; ecce coram Deo, quia non mentior. 21. Dein-
de veni in partes Syriæ, & Ciliciæ. 22. Eram autem ignotus facie Ecclesiis Iu-
dææ, quæ erant in Christo: 23. tantùm autem auditum habebant: Quoniam qui
persequebatur nos aliquando, nunc euangelizat fidem, quam aliquando expugna-
bat: 24. & in me clarificabant Deum.

COMMENTARII.

1. *Pseudo-apostolorum calumniam depellit.*

VERS. 1. 2. 3. 4. 5. *Paulus Apostolus, &c.*] Paulus Apostolus creatus, non à puris hominibus, ad prædicandum Euangelium, sed ipsius Domini nostri Iesu Christi Dei & hominis, Deique Patris imperio, qui Filium a mortuis excitauit: Et qui mecum sunt quam plurimi fratres, Ecclesiis Galatiæ salutem iubent. *Gratia vobis, & pax* à Deo Patre, & Domino nostro Iesu Christo vberrime profluat. Nec abdubitetis profluxuram à Christo: *Qui dedit semetipsum* pro peccatis nostris, nosque adeò diuina quadam vi, ac potestate eripuit, vt possimus a vitiis abstinere, & *ab seculo* nequissimo sceleribus contaminato seduci non patiamur, quæ quidem Dei Patris nostri primaria voluntas. * Qui pro hominibus dignatus est mori, nihil hominibus denegabit. Nam qui suipsus se prodigum gessi, quomodo rerum suarum se ostendet auarum?] Cui Patri, cui Filio gloria sit in seculorum secula. Amen.

Qui pro nobis dignatus est mori lesus, nihil rerum suarum nobis denegabit.

Vers. 6. 7. 8. 9. 10. Miror quod sic tam cito, &c.] Profectò mirari satis non possum, cur tam citò eo deserto, qui vos in gratiam Christi vocarat, patiamini, vos transferri ad aliud longè diuersum *Euangelium* ab illo, quod à me non ità pridem accepistis. *Quod non est aliud*, seu cum aliud reuera Euangelium nullum sit præter id, quod ego vobis proposui. *Nisi sunt aliqui, &c.*] Mirari tamen desino, cum sciam fuisse nuper apud vos, ac fortasse etiamnum esse quosdam Pseudo-Apostolos, *qui vos conturbant*, curantes *conuertere*, vel inuertere *Euangelium Christi*, aliud docendo, quam ille docuit, & per Aopostolos docendum tradidit. *Sed licet aut nos*, mutata mente, aut dementia capta, *aut Angelus de cælo* (si id posset fieri) euangelizet vobis quid repugnans eis, quæ vobis prædicauimus, *anathema sit*. Et ne quis existimet, hoc mihi vel per iracundiam, aut impetu sermonis excidisse, *sicut prædiximus* iam antea, iterum atque iterum inculcare lubet. Si quis vobis euangelizauerit contrà vel *præter* id, quod à me accepistis circa dogmata fidei tenendum, *anathema sit. Modo enim hominibus suadeo*, seu causam meam probare studeo, an *Deo* soli, cuius vi audacter ac libere loquor. Nam si adhuc vt olim, quando Saulus persequebatur Ecclesiam, hominibus placere, ostenderem, quæ illis grata essent profari curarem. *& Christi seruus non essem.* Quia impossibile est Deo simul & mundo placere. * Igitur Concionator, qui expetens auditorum gratiam aucupare quæ eis sunt grata proloquitur. Sibi persuadeat, se non Deo, sed mundo seruire.]

Concionator, qui proloqui curat quæ auditoribus sunt grata, non Deo, sed mundo seruit.

Vers. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. Notum enim vobis facio, &c.] Fratres, velim vobis innotescere, *Euangelium* meum non esse *secundum hominem*, seu humanum inuentum: *neque* me ab hominibus accepisse, sed à Deo & Christo mihi immediatè fuisse traditum partim primo meæ conuersionis triduo, partim in raptu ad tertium cælum. *Audistis* iã pristinæ meæ consuetudinis & instituti mei Iudaici professionem, cum summo conatu Christi insectabar Ecclesiam, illamque expugnari, & penitus euerti curabam. *Et quidem proficiebam in Iudaismo* adeò vt *multos coætaneos meos* eiusdem sanguinis superarem: eo quòd præ illis ardentiori studio eratem auitis hærescere traditionibus. *Cum autem placuit ei, qui me ex vtero matris meæ*, seu priusquam natus, aut quidquam promeritus essem, *segregauit me*, seu gratuito me (actu mentali) sibi delegit in

suum

seruum, & in Euangelij præconem: & suo deinceps definito tempore *per suam gratiam* vocauit, reuelans scilicet, & agnoscere faciens *Filium suum*, eiusque fidem meo inserens pectori, vt eius Euangelium ad cunctas Gentes deferrem: *continuo non acquieui carni, & sanguini*, seu consanguineorum suggestiones, & consilia errata contempsi. *Neque redij Ierosolymam ad antecessores meos*, siue ad eos, qui ante me fuerant ad Apostolatum vocati: sed in Arabiã sum profectus, & iterùm petij Damascum. * Post conuersionem Paulus noluit in Ierosolymam remeare tam cito, sed prius noua in fide proficere. Vt nos edoceret, eis, qui spiritui studere incipiunt, periculosam esse propinquorum & amicorum secularium consuetudinem, quæ animo, (ne noceat) iam requirit adultos.] *Deinde post annos tres* profectus fui *Ierosolymam*, non vt consanguineos & amicos inuiserem; sed *vt viderem Petrum* totius Ecclesiæ verticem, eique debitam submissionem agerem. *Mansique apud eum diebus quindecim*: non quidem otiosè; didici enim ab illo, quo feruentius & vtilius Euangelium euulgarem. * Egregiorum virorum est circa ministerium, quod exerunt, sibi non fidere, sed aliorum exquirere placitum.] *Alium autem Apostolorum neminem vidi, nisi Iacobum fratrem Domini*, à quo eruditi amplius institui que possem. Fuit hic Iacobus Alphæi, filius Mariæ vxoris Clophæ, vnus è duodecim Apostolis, Christi propinquus, & primus Ierosolymorum Antistes.

Recens conuerso è sæculo ad Religionem nõ decet cito ad patriam reuerti.

Egregiorum virorum est ad res gerẽdas aliorum exquirere placitum.

Vers. 20.21.22.23.24. Quæ autem scribo vobis, &c.] Quæ autem hæc mea ad vos hæc mea Epistola continet, *coram Deo*, quem vt præsentem, omniáque videntem, testem adduco omninò esse vera. Postquàm verò quindecim illis diebus apud Ierosolymam mansi. Deinde *veni in partes Syriæ*, & Ciliciæ. Quandò scilicet, (vt Lucas narrat Act. 9. 30.) è Ierosolyma dimissus fuit Tarsum, quæ est Ciliciæ Metropolis. *Eram autem ignotus facie* Ecclesiis Iudæorum, *quæ erant in Christo*, seu quæ in Christum credebant conuersæ ex Iudaismo. *tantum autem auditum habebant*, seu tantum ex fama cognouerant. Ad eorum enim peruenerat aures, eum, qui Saulus aliquando fideles diuexabat, iam Paulum, mutato consilio, eiusdem fidei strenuum agere præconem. *Et in me clarificabant Deum*, seu mea causa Deo bonorum omnium largitori gratias agebant. *Deum*, ait, *clarificabant*, seu (vt alij) Dei potentiam clarificari, siuè claram fieri ac notam omnibus meæ conuersionis commemoratione faciebant.* Hominem namque ex impio pium efficere, perspicuum est diuinæ potentiæ documentum.]

Peccatorem conuerti, diuinæ est potentiæ documentum.

CAPVT II.

Edocet, Euangelium suum ab omnibus fuisse approbatum. Petrum palam à se reprehensum, quod Iudaismum simularet. Hominem per Christi fidem iustificari, non ex legis Mosis operibus.

1. DEINDE post annos quatuordecim, iterùm ascendi Ierosolymam cum Barnaba, assumpto & Tito. 2. Ascendi autem secundùm reuelationem: & contuli cum illis Euangelium, quod prædico in Gentibus, seorsum autem iis, qui videbantur aliquid esse: ne fortè in vacuum currerem, aut cucurrissem. 3. Sed neque Titus, qui mecum erat, cum esset Gentilis, compulsus est circumcidi: 4. Sed propter subintroductos falsos fratres, qui subintroierunt explorare libertatem nostram, quam habemus in Christo Iesu, vt nos in seruitutem redigerent. 5. Quibus neque ad horam cessimus subiectione, vt veritas Euangelij permaneat apud vos: 6. Ab iis autem, qui videbantur esse aliquid, (quales aliquando fuerint, nihil mea interest. Deus personam hominis non accipit) mihi enim qui videbantur esse aliquid, nihil contulerunt. 7. Sed è contrà cùm vidissent quod creditum est mihi Euangelium præputij, sicut & Petro circumcisionis: (8. qui enim operatus est Petro in Apostolatum circumcisionis, operatus est & mihi inter Gentes) 9. & cùm cognouissent gratiam, quæ data est mihi Iacobus, & Cephas, & Ioannes, qui videbantur columnæ esse, dexteras dederunt mihi & Barnabæ Societatis: vt nos in Gentes, ipsi autem in circumcisionem: 10. Tantum vt pauperum memores essemus: quod etiam sollicitus fui hoc ipsum facere. 11. Cùm autem venisset Cephas Antiochiam, in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat. 12. Prius enim quam venirent quidem à Iacobo, cum Gentibus edebat: cum autem venissent, subtrahebat & segregabat se, timens eos qui ex circumcisione erant. 13. Et simulationi eius consenserunt cæteri Iudæi, ita vt & Barnabas duceretur ab eis in illam simulationem. 14. Sed cum vi-

dissem quod rectè ambularent ad veritatem Euangelij, dixi Cephæ coram omnibus: Si tu, cum Iudæus sis gentiliter viuis, & non Iudaicè: quomodo Gentes cogis Iudaizare? 15. Nos natura Iudæi, & non ex Gentibus peccatores 16. Scientes autem quod non iustificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Iesu Christi: & nos in Christo Iesu credimus, vt iustificemur ex fide Christi, & non ex operibus legis: propter quod ex operibus legis non iustificabitur omnis caro. 17. Quod si quærentes iustificari in Christo, inuenti sumus & ipsi peccatores, numquid Christus peccati minister est? Absit. 18. Si enim quæ destruxi, iterum hæc ædifico: præuaricatorem me constituo. 19. Ego enim per legem legi mortuus sum, vt Deo viuam: Christo confixus sum cruci. 20. Viuo autem iam non ego: viuit verò in me Christus. Quòd autem nunc viuo in carne: in fide viuo filij Dei, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me. 21. Non abiicio gratiam Dei. Si enim per legem iustitia, ergo gratis Christus mortuus est.

COMMENTARII.

1\. VERS. 1.2.3.4.5.6. *Deinde post annos quatuordecim, &c.*] Post quatuordecim annos nempe à prima mea excursione Ierosolymam (de qua cap. præcedenti) rursum eò *ascendi* anno nono Claudij Imperatoris, quando primum Concilium Ierosolymæ anno à morte Dominica decimo nono fuit celebratum. Ascendi, inquam, Barnabam, & Titum mecum assumens. Equidem non humano, sed diuino instinctu, diuino oraculo admonitus id iter institui vt legationem pro Antiochenis ad Apostolos assumerem. Et hac occasione *contuli Euangelium meum* cum iis, qui in Ecclesia *videbantur aliquid esse*, seu qui non solum erant in pretio coram Deo; sed etiam publicè apud omnes columnæ Ecclesiæ habebantur. *Ne forte in vacuum currerem, aut cucurrissem:* seu ne frustra laborarim anteà, & deinceps laborarem; iactantibus nempe Pseudo-apostolis, meam doctrinam non esse Vicario Christi Petro, reliquisque Ecclesiæ Principibus conformem. * Quantumcumque sis sapiens, & scias doctrinam, & placitum tuum esse instar Euangelij, te prudentem ostendes, si aliorum id censuræ exponas, vt illorum approbatione sine contradictione curras.] * Quod quidem Religiosæ Communitatis Rectores æmulari deberent, cum aliquid speciale agere intendunt, quod quamuis sit admodum conueniens, consultorum iudicio est exponendum, vt sine murmuratione, vel contradictione detur executioni illis id approbantibus, qui alioqui de more reprobarent.] * Habes hinc etiam, omnes verbi diuini præcones, priusquam pro talibus habeantur, debere ab Ecclesiæ Prælatis approbari.] Tum quidem approbantibus Petro, & aliis fratribus plura contrà Pseudo-Apostolorum perfidiam perfecta fuere. Vndè *neque Titus, qui mecum erat, cum esset* vtroque parente *Gentilis compulsus* est circumcidi, idque Apostolorum iussu, qui quidem eum ad circumcisionem compulissent, si id ad salutem necessarium esse iudicarent. Certè ad id compulsus non fuit, etsi fortiter id vrgerent falsi illi *fratres*, qui insidiose *subintrauerunt in* Ecclesiam, vt explorarent *libertatem nostram* ab obseruatione legis Mosaicæ, vt nobis illam auferrent, & nos in pristinam *seruitutē redigerent*. Erant hi falsi fratres Cerinthus, eiusque complices. * Quorum nomina Paulus subticuit, edocens sacri verbi præcones ita peccata subtaxare, vt peccator non diffametur.] *Quibus* profectò falsis fratribus *neque ad horam* (Græcè, *neque ad momentum*) *cessimus subiectione*, seu vt nos illis, prodita Euangelij veritate, & libertate, subiiceremus: *vt veritas Euangelij* apud vos, ô Galatæ, maneat immunis, ea audientes, quæ Ierosolymæ acciderunt. * Neq; in iota, vel apice, neque ad momentum cedendum hæreticis.] *Ab iis autem, qui videbantur aliquid esse*, & in magno pretio à cunctis habebantur, à Petro scilicet, Iacobo, & Ioanne nihil doctrinæ mihi collatum fuit? *nihil enim mihi* de nouo *contulerunt*, *Quales* verò *aliquando fuerint, nihil mea interest*. Tametsi illi olim fuerant homines piscatores, & indocti, cum ego ciues Romanus scientia legis excellerem: non cunctatus fui, cum illis meum conferre Euangelium: *Deus* enim *personam hominis non accipit*. Vnde quia illi iam per Dei gratiam constituti erant columnæ, & capita Ecclesiæ, volui, vt eorum auctoritate doctrina mea comprobaretur. * Verò obediens non meminit, quid superior fuerit aliquando, an insipiens? an ex attrito sanguine, seu abiecta conditione: sed videns sibi à Deo esse præpositum, ei tanquam Deo obtemperari curat, suasque actiones ipsius placito moderari.]

Vers. 7. 8. 9. 10. Sed è contra, &c.] Sed è contrario, *cum vidissent, creditum* fuisse mihi *Euangelium præputij*, seu iniunctum à Domino, vt Gentilibus incircumcisis prædicarem: *Sicut & Petro circumcisionis*, seu vti Petro iniunctum fuit, vt Iudæis prædicaret *Qui operatus* est Petro, seu in Petro suam energiam, vim, efficaciam ad Iudæos conuertendus ostendit: idem in me quoque Deus eandem exeruit, ad Gentium conuersionem speciali studio procurandam, felicissimo quidem euentu. Petrus enim Iudæos plurimos, Paulus plurimos Gentiles ad fidem adduxit. * Hoc enim refert gratia vocationis. Nec enim Petrus ad Iudæos edocendos vocatus, inter Gentiles tunc tot colligeret fructus: nec Paulus vocatus ad Gentiles instruendos, apud Iudæos tam vberem messem horreis Ecclesiæ præparasset] *Et cum cognouissent* gratiam vocationis meæ à Christo *datam*, esse ad Gentiles Petrus, Iacobus, & Ioannes, qui *columnæ Ecclesiæ* merito esse videbantur, *dexteras dederunt mihi & Barnabæ* societatis Siuè illo manuum Symbolo nos socios in Apostolatu, atque in Euangelij doctrina rectè secum consentientes agnouerunt, & vt tales

Doret, Euangelium suum ab omnibus fuisse approbatum.

Quantumcunque sapiens sis, nihil graue sine consultatione geras.

Rector Regularis si nolit gesta sua proba quidē à communitate reprobari, non geras ea in consultis senioribus.

Côcionator suum munus nō exerceat, nisi prius à Prælato approbetur.

Sic Concionator peccata reprehendat, vt peccator nō diffametur.

Verus obediens nō respicit quis aliquādo fuerit Prælatus, sed quisnam est, nempe à Deo illi prępositus.

Quisq; Euangelij operatur iuxta gratiam vocationis se exerat, & non aliter.

les recipiendos esse adiudicarunt. Vt nos in Gentes, illi autem *in circumcisionem*, siue in Iudæos laboraturi persisteremus. Tantum monuere nos, *vt pauperum memores essemus*, seu vt curaremus Solymitanos, inopes eleemosynis Christianorum ex Gentibus succurri. Quod equidem summo studui constu perficere.

2. *Asserit, Petrum à se reprehensum, quod Iudaismum simularet.*

Vers. 11. 12. 13. 14. 15. *Cum autem venisset Cephas* Antiochiam, &c.] Cum verò penè eodem tempore me & Barnabam subsecutus, Petrus Antiochiam *peruenisset*, & metu Iudæos offendendi, à conuictu Gentilium, ab esu suillæ, & similium ciborum lege Mosis prohibitorum se substraheret, *in faciem*, seu apertè *illi restiti*, & coram omnibus illi me opposui Superiori quidem inferior. * Nam quando bonum publicum sic postulat, licet inferiori etiam in publico, sed adhibita cautela, & honore, superiori debito, eum reprehendere ex charitate. Can. *Si quis* Can. *Laior* dist. 2. qu. 7. Reprehendi, inquam eum, *quià reprehensibilis erat*, seu reprehensione dignus. *Prius enim* quàm *à Iacobo*, seu a Ierosolyma, in qua Iacobus minor agebat Episcopum, venirent Antiochiam quidam è Iudæis ad Christum conuersis. Petrus cum Gentilbus edebat cibos vetitos lege Mosaica, hoc facto edocèns horum delectum, totiusque legis obseruationem non esse necessariam. *Cum autem* illi venissent: *segregabat* seu subducebat se à Gentilium conuictu, & à cibis abstinebat, quos lex vetus vetabat, *timens* offendere eos, *qui ex circumcisione*, seu è Iudaismo in Christum crediderant. *Et simulationi eius cæteri Iudæi*, seu Christiani ex Iudæis consenserunt, ita vt & Barnabas meus socius ab eis ad eandem simulationem duceretur. Itaque Petrus reprehensibilis erat ob incautam simulationem Iudaismi; quia scandalum dabat Gentibus, quas suo exemplo docebat iudaizare. Quod tamen piaculum lethale non fuit, cum non ex errore in fide procederet, sed parùm cautè putarit, debere se illa simulatione cauere scandalum eorum, qui ex Iudaismo fuerant conuersi: & quià cæremoniæ veteris legis licet eo tempore mortuæ iam essent, sed non erant mortiferæ. *Sed cum vidissem, quod non rectè ambularent* Petrus & illius æmulatores ad Euangelij *veritatem: dixi Petro coram omnibus*, quasi illius deuiationis duci: *si tu*, ô Petre, *cum Iudæus sis, gentiliter viuis*, id est, communi cibo, & mensa indifferenter cum Gentilibus degisti, nec more Iudaico vsus es circa ciborum delectum: quomodo Gentes tuo exemplo *cogis iudaizare*. * Exemplum enim Præsulis, non iam allicit, subditos, sed quasi cogit, vt actiones illius satagant imitari.] *Nos natura*, seu origine, prosapia Iudæi sumus: non *ex Gentibus*

Licet aliquando superiorè à subdito publico reprehendi.

Prælati exemplum subditos quasi cogit ad imitationem.

progeniti sumus Gentiles *peccatores*. Iudæi Gentiles vocabant peccatores; quia idololatræ erant. At debemus fiteri Mosis legem iam ad salutem non proficere, imò maximè lædere.

3. *Ostendit, hominem non per Mosis legem iam, sed per Christum iustificari.*

Vers. 16. 17. 18. 19. 20. 21. *Scientes autem, &c.*] Quamuis, inquam, Iudæi legis Mosaicæ fuimus olim obseruatores, *Scientes iam, quod non iustificatur homo ex operibus* illius *legis, sed ex fide Christi & nos* ideo in Christo credimus, vt in eius fide iustificemur, & nos ex legis operibus: *propter quod ex operibus legis non iustificabitur omnis caro*, seu quia iam nec Iudæis nec Gentilibus ob Mosaicæ legis opera iustificatio datur. Vt quid ergò vrgebimur Gentiles iam in Christum credentes, vt Iudaicas cæremonias obseruent? *Quod si quærentes iustificari in Christo*, seu per illius fidem, non iustificamur, sed manemus, & *sumus* adhuc *peccatores*, quià (vti Pseudo-apostoli dictitant) legem Mosis non obseruamus: nonne hinc sequitur Christum esse ministrum, seu causam *peccati Absit* omnino. *Si quæ semel destruxi*, vim iustificandi legi Mosaicæ detrahens, *iterum hæc ædifico*, rursus eam vim legi illi affigens: *prævaricatorem me constituo*, imò impostorem. Quod ergo destruxi semel, volo æternùm esse destructum. *Ego enim per legem* Mosaicam ostendentem nobis Christum quasi scopum suum, & nos manuducentem ad illum; & in eo desinentem, *mortuus* quoque *legi sum*, seu desij obnoxius esse illius legis obseruationi, *Vt Deo* ob nouæ legis obseruationem *viuam*. Rursus per Baptismum, & Pœnitentiam *Christo confixus sum cruci*, seu cum Christo mortuus sum peccato, veteri homini, & veteri legi: & nouam vitam gratiæ ex Crucifixo exsugo, veluti arbori illi ramus insertus. Vnde non tam ego viuo vita pristina veteris hominis & legis, quam *Christus in me*, per gratiam suam, & Euangelicam legem mouens me quò, & quomodo ei libuerit. Quod autem sic spiritualiter in Christo *viuo* iustus, & à peccatis veteris hominis expeditus, idque *in carne* hac mortali tot imperfectionibus, tot miseriis obnoxia acceptum fero non Mosaicæ legi, sed fidei, quam habeo in Christum Dei Filium, qui me diligens, pro me semetipsum morti tradidit. *Hanc Dei gratiam non abiicio*, non aspernor, quærens aliunde iustificationem, nempe ex legis Mosaicæ cæremoniis, quasi Christus nobis iustificandis non sufficiat, quæ intolerabilis esset ingratitudo, & in Christum iniuria. Nam *si iustitia* nobis *per legem* obuenit: Ergo *gratis* seu frustra & absque vlla necessitate *Christus mortuus est*, cum non in alium finem mortem subierit, quam vt nos sua morte redimerat, ac iustificarat.

CAPVT III.

Nos iustificari non per opera legis Mosaicæ, sed per fidem in Christum, pluribus rationibus Paulus ostendit.

1. O INSENSATI Galatæ, quis vos fascinauit non obedire veritati, ante quorum oculos Iesus Christus præscriptus est, in vobis crucifixus: 2. Hoc solum à vobis volo discere: ex operibus legis Spiritum accepistis, an ex auditu fidei? 3. Sic stulti estis, vt cùm spiritu cœperitis, nunc carne consummemini: 4. Tanta passi estis sine causa? si tamen sine causa. 5. Qui ergo tribuit vobis Spiritum, & operatur virtutes in vobis: ex operibus legis, an ex auditu fidei? 6. Sicut scriptum est: Abraham credidit Deo, & reputatum est illi ad iustitiam. 7. Cognoscite ergo, quia qui ex fide sunt, ij sunt filij Abrahæ. 8. Prouidens autem Scriptura, quia ex fide iustificat Gentes Deus, prænuntiauit Abrahæ: Quia benedicentur in te omnes Gentes. 9. Igitur qui ex fide sunt, benedicentur cum fideli Abraham. 10. Quicumque enim ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt. Scriptum est enim Maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in Libro legis, vt faciat ea. 11. Quoniam autem in lege nemo iustificatur apud Deum, manifestum est: quia iustus ex fide viuit. 12. Lex autem non est ex fide sed, Qui fecerit ea, viuet in illis. 13. Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum: quia scriptum est: Maledictus omnis qui pendet in ligno: 14. vt in Gentibus benedictio Abrahæ fieret in Christo Iesu, vt pollicitationem Spiritus accipiamus per fidem. 15. Fratres (secundùm hominem dico) tamen hominis confirmatum testamentum nemo spernit, aut superordinat. 16. Abrahæ dictæ sunt promissiones, & semini eius. Non dicit: Et seminibus, quasi in multis: sed quasi in vno: Et semini tuo, qui est Christus. 17. Hoc autem dico, testamentum confirmatum à Deo: quæ post quadringentos & triginta annos facta est Lex, non irritum facit ad euacuandam promissionem. 18. Nam si ex lege hereditas, iam non ex promissione. Abrahæ autem per repromissionem donauit Deus. 19. Quid igitur lex? Propter transgressiones posita est, donec veniret semen, cui promiserat, ordinata per angelos in manu mediatoris. 20. Mediator autem vnius non est: Deus autem vnus est. 21. Lex ergo aduersus promissa Dei? Absit. Si enim data esset lex, quæ posset viuificare, verè ex lege esset iustitia. 22. Sed conclusit Scriptura omnia sub peccato, vt promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus. 23. Prius autem quàm veniret fides, sub lege custodiebamur conclusi, in eam fidem quæ reuelanda erat. 24. Itaque lex pædagogus noster fuit in Christo, vt ex fide iustificemur. 25. At vbi venit fides, iam non sumus sub pædagogo. 26. Omnes enim filij Dei estis per fidem, quæ est in Christo Iesu. 27. Quicumque enim in Christo baptisati estis, Christum induistis. 28. Non est Iudæus, neque Græcus: non est seruus, neque liber: non est masculus, neque femina. Omnes enim vos vnum estis in Christo Iesu. 29. Si autem vos Christi: ergo semen Abrahæ estis, secundùm promissionem heredes.

COMMENTARII.

1. *Ostendit, nos iustificari nó per opera legis Mosaica, sed per fidem in Christum.*

VERS. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. *O insensati Galatæ, &c.*] O sine sensu, seu intellectu Galatæ, fieri ne potest, vestros sic oculos fascinari, vt Christum seruatorem vestrum penè adhuc ante vestros oculos è cruce pendentem non intueamini *præscriptum*, seu (vt Græcus ait) *descriptum* in lege? Profectò si rectis oculis fontem illum iustitiæ, & salutis intueremini, facile à Mosaicæ legis siccis iam omninò cisternis diuelli sineretis: maximè cum *in vobis*, seu in regione vicina vobis, vestra ætate, & quibusdam etiam vestrum aspectantibus, fuerit *crucifixus*. Iam verò vt omittam subtiles argumentorum formas,

mas, quibus circumcisionis, & legalium vsus potest refutari: *Hoc solùm à vobis* cupio discere: num ex legis Mosaicæ operibus spiritus sancti charismata receperitis: an *ex auditu fidei* Christi Domini? Vt quid ergo *sic stulti estis*, vt *cum spiritu* & spirituali vita per spiritus sancti charismata nobilitata *cœperitis* Deo seruire, & Christo Filio eius vnigenito, *nunc* quasi cœpti commendabilis planè pœnitentes *carne consummemini*, seu consummari, ac perfici velitis carnis circumcisione, & aliis carnalibus

Taxantur, qui post carnis spretas delicias, ad eas recurrunt.

cæremoniis Mosaicæ legis? * Hæc Pauli sententia carpit eos, qui cum cœperint spirituales fieri, & perfectionis inierint viam, spretis mundi deliciis, carnisque illecebris, ad carnalia recurrunt.] *Tanta* propter Christi fidem tuendam à Iudæis, & Gentilibus *passi estis sine causa*, seu frustrà? Videmini ea inaniter tolerasse, cum ad Moysen vos recurrere aspicio. *Si tamen sine causa*, seu frustra passi estis. Nam spero, quod non frustrà: si errati (fortasse admissi) pœnitentes Christo Domino adhæseritis con-

Pro Christo pati roborat animum ad tentamina vincenda.

stantes, cuius causa tam multa passi estis. Imò credam vos minime errasse, sed fideliter perstitisse. Nam pro Christo labores sustinere animum roborat ad quæque dira tentamina repellenda, vel superanda.] *Qui ergo tribuit vobis Spiritum sanctum Deus* eiusdemque charismatibus vos donauit, ac per vos miracula edidit, ex operibusne legis, an ex fide in Christum vos his præclaris muneribus ornauit? Certè ex fide. *Sicut* enim *scriptum est: Abraham credidit Deo, & reputatus est illi ad iustitiam.* Gen. 15.6. diu ante legem Mosaicam, imò & ante circumcisionem, ex ea fide in Deum iustificatus fuit: Iustificatio igitur, non est ex legis Mosaicæ operibus, sed ex fide. *Cognoscite ergo*, imò & iam cognoscitis, eos, qui Abrahæ fidem sectantur, ad ipsius posteritatem pertinere.

Vers. 8. 9. 10. 11. *Prouidens autem scriptura, &c.*] Longè ante prospiciens Deus Gentes iustificatum iri *ex fide*, prænunciauit id ipsum Abrahæ, Græcè, præeuangelizauit, seu ei lætissimum hoc nuncium tulit, cum ait: *Quia benedicentur omnes* (*Gentes.* Gen. 12. 3.) *in te*, seu in semine tuo, in Christo, siue per Christum, & per fidem in Christum. *Igitur ex fide* in Christum qui fuerint, *benedicentur* iuxta Dei promissionem cum Abrahamo *benedicentur fideli* quidem, & fidelium parente. *Quicunque enim ex operibus legis sunt*, seu legis cæremonias, & opera sectantur antiquæ, & ex iis iustitiam student acquirere, tam longè absunt ab hereditate benedictionis, Abrahæ promissæ: vt potius *sub maledicto sint*, seu maledictioni, & pœnæ sint obnoxij. *Scriptum* est enim Deut. 27. 26. *Maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis, vt faciat ea.* Id est, maledictus homo, qui legem violat. At omnes, qui sub lege sunt, si ab eis fidem Christi secluseris, legem violant; ergo omnes hi maledictionem incurrunt. *Quoniam autem*, id est, quod nemo per legem iam apud Deum iustificetur, *manifestum est*; siquidem apud Abacuc cap. 2. 4. legimus: *Quia iustus ex fide viuit*, seu per fidem in Christum & recta opera iustificabitur.

Vers. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. *Lex autem non est ex fide, &c.*] Lex quidem non est ex classe, vel societate fidei: seu non comitatur, non adducit, non donat fidem, vel gratiam, vel benedictionem Christi, qua iustificemur, & saluemur. Sed legi solùm tribuitur, quod *qui fecerit ea*, quæ lex præscribit, *viuet in illis*, vita & prosperitate temporali, quam solam lex promittit: non verò vita spirituali, quæ non nisi ex fide in Christum hauritur. *Christus* profectò *nos redemit de maledicto legis*, quod ipsa transgressoribus minatur, *factus pro nobis maledictum*, Græcè, *maledictio* execratio, Syriacè, *maledictus*, execrabilis hominibus propter crucis supplicium: sicut scriptum est Deut. 21. 23. *Maledictus omnis, qui pendet in ligno.* Id autem fecit Christus, *vt benedictio Abrahæ* promissa, *& pollicitatio spiritus*, seu donorum Spiritus sancti facta Abrahami posteris *fieret*, seu obueniret Gentibus per Iesum Christum, & per fidem in ipsum, quæ vnica via est illius assequendæ. *Fratres*, (*secundum hominem dico*, seu secundum hominum morem loquor) vtor scilicet vulgari testamenti exemplo, *tamen*, seu tametsi *hominis*. Nam tale instrumentum semel *confirmatum*, seu publica auctoritate roboratum per solemnes formulas, scribam, & testes *nemo spernit*, aut super ordinat, seu contra ordinat, addendo, detrahendo, mutando: voluntatem enim testatoris ius tuetur indemnem. Multo minus potest lex Mosaica irritare, vel euacuare testamentum diuinum. *Abrahæ dictæ sunt promissiones, & semini eius.* Semini inquam factas esse legimus, *non seminibus* vt de multis, sed vt de vno. *Et semini tuo*, inquit, *qui est Christus. Hoc autem testamentum dico confirmatum* à Deo fuisse. Quæ verò lex, totis quadringentis & triginta annis posterior fuit hac Dei promissione facta Abrahæ anno vitæ eius septuagesimo quinto, non facit irritum Dei testamentum tam solemniter promulgatum, & confirmatum, *ad euacuandam*, vim promissionis illius Abrahæ factæ de benedictionis vnico Filio suo donandis, & nobis per fidem in ipsum. *Nam si hereditas* testamento Dei posteris Abrahæ legata *ex lege* veniret, seu per legem Mosis donaretur: Ergo lata semel lege, non amplius opus fuisset *promissione*, seu semine illo Abrahæ promisso, id est, Christo; sed lex ipsa suffecisset. At qui Abrahæ prædictum, nonnisi per Christum obuenturam posteris eius promissam hereditatem: ergo.

Vers. 19. 20. 21. 22. 23. 24. *Quid igitur lex, &c.*] Vt quid igitur, seu quare lex fuit scripta? Certè *propter transgressiones*, seu ad declarandas, & coercendas multiplices transgressiones legis diuinæ tam naturalis, quam positiuæ: docendosque homines in Christum respicere, in quo promissiones illæ Abrahamo factæ complerentur, & absque cuius gratia non possent legem implere, nec à peccatis suis expediri, aut salutem Abrahamo promissam adipisci. Id quidem operata est lex ad illud vsque tempus, quo venisset ad nos *semen* illud, cui promissio facta est, qua per Christum, eiusque fidem omnes gentes comprehenduntur. Profectò de lege illa Mosis præambula loquor, quæ Angelorum opera imperata, per Moysem veluti internuncium populo fuit proposita. *Mediator autem vnius non est*, sed inter duos medius intercedit. Sic Moyses mediator fuit inter Deum & Hebræos: Christus inter

 eundem

eundem Deum & Chriſtianos officio fungitur mediatoris. *Deus autem vnus eſt.* Nec enim ſunt Dij duo, quorum vnus ſit Deus legis & Iudæorum, alter verò Chriſti & Chriſtianorum Deus, ſed vnus eſt Deus vtrorumque, idem legis Moſaicæ & Euangelij auctor. Vnus ergo idemque Deus fecit Moſem mediatorem inter ſe & populum Iudæorum: & modò eo reuocato, alium, id eſt, Chriſtum mediatorem fecit inter ſe & Chriſtianos omnium gentium, & per Chriſtum benedixit, & iuſtificauit omnes, vti Abrahæ promiſerat. *Lex ergo aduerſus promiſſa Dei? Abſit.* Ex quo eodem principio ſequitur, quod *lex* non potuerit *viuificare*, ſeu iuſtificare. Si enim iuſtificaret, iam eſſet *aduerſus promiſſa Dei* Abrahæ facta, quibus Deus addixit gentes omnes benedicendas, viuificandas, iuſtificandas: ſed nonniſi in *ſemine eius*, id eſt, per Chriſtum ex ipſo oriturum, & per fidem in eum. At cum Deus ſemper maneat ſui ſimilis, non poteſt abolere, quod ſemel abſolutè promiſit. Ergò lex non iuſtificauit, *ſed* tantum ſua peccata hominibus patefecit, vti ſuprà vidimus. *Scriptura* ſcilicet declarante *concluſa eſſe omnia*; ſeu omnes homines concludi ſub peccato, ſeu ei eſſe obnoxio, *Vt promiſſio*, ſeu benedictio Abrahæ promiſſa, iuſtitia ſcilicet, & ſalus æterna *ex fide*, ſeu per fidem in Chriſtum expeteretur, & credentibus, & *credentibus daretur.* *Prius autem quam veniret fides*, ſeu Chriſtus fide credendus aduentaret ad terram, ſub cuſtodia legis tanquam *pædagogi concluſi* tenebamur, & ab illa quaſi manu-ducebamur *in Chriſto*, Græcè, *ad Chriſtum* ſuo tempore reuelandum, cuius fide iuſtificaremur.

Verſ. 25. 26. 27. 28. 29. At vbi venit fides, &c.] *Vbi* ſeu poſtquam autem *fides*, ſeu Chriſtus fidei noſtræ obiectum, *aduenit: non ſumus* amplius ſub tutela, ſeu ſeruitute illius *pædagogi*. Sed iam ſoluti legis compedibus, liberi, & emancipati degimus. Quomodo ſub ſeruitute adhuc degeretis pædagogi ſi omnes filij Dei eſtis per fidem, quæ eſt *in Chriſto*, ſeu in Chriſtum Ieſum? *Quicumque enim in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis*, & cum ipſo ſtola libertatis, & prætextam iuſtitiæ & gratiæ ſanctificantis. Hoc autem intelligo non de ſolis carnalibus Abrahæ poſteris, ſed & de omnibus totius orbis mortalibus. *Non eſt ſolus Iudæus, neque Græcus*, ſiue Gentilis: *non* ſolus *ſeruus, neque liber: non* ſolus maſculus, *neque* vltra maſculum, ſola *fœmina*, hac gratia donantur. Sed *Omnes vos*, qui per fidem Chriſto inſerti eſtis, ſeu fueritis nulla differentia generis, conditionis, aut ſexus *vnum eſtis* corpus Chriſti myſticum. *Si autem vos* Chriſti membra eſtis: ergo *ſemen*, ſeu ſpirituales filij *eſtis Abrahæ*: omnes promiſſionum ipſi factorum hæredes pari prorſus iure quo carnales ſunt eius filij Iudæi. * Hinc habes quanto ſtudio debeas totum in Chriſto affectum collocare, à quo & per quem totum habes, quod es, & quod fieri æternum ſperas.] Quam ſimus Chriſto debitores!

CAPVT IV.

Nos à tutela ac ſeruitute legis veteris liberos eſſe docet.

1. DIco autem: Quanto tempore hæres paruulus eſt, nihil differt à ſeruo, cùm ſit dominus omnium. 2. Sed ſub tutoribus & actoribus eſt, vſque ad præfinitum tempus à patre: 3. Ita & nos cùm eſſemus paruuli, ſub elementis mundi eramus ſeruientes. 4. At vbi venit plenitudo temporis, miſit Deus Filium ſuum, factum ex muliere, factum ſub lege. 5. Vt eos, qui ſub lege erant, redimeret, vt adoptionem filiorum reciperemus. 6. Quoniam autem eſtis filij, miſit Deus Spiritum filij ſui in corda veſtra, clamantem: Abba Pater. 7. Itaque iam non eſt ſeruus, ſed filius. Quòd ſi filius: & hæres per Deum. 8. Sed tunc quidem ignorantes Deum, iis, qui natura, non ſunt dij, ſeruiebatis. 9. Nunc autem cùm cognoueritis Deum, immo cogniti ſitis à Deo: quomodo conuertimini iterùm ad infirma & egena elementa, quibus denuò ſeruire vultis? 10. Dies obſeruatis, & menſes, & tempora, & annos. 10. Timeo vos, nè forte ſine cauſa laborauerim in vobis. 11. Eſtote ſicut ego, quia & ego ſicut vos: fratres obſecro vos: Nihil me læſiſtis. 13. Scitis autem quia per infirmitatem carnis euangelizaui vobis iampridem: & tentationem veſtram in carne mea. 14. Non ſpreuiſtis, neque reſpuiſtis; ſed ſicut Angelum Dei excepiſtis me, ſicut Chriſtum Ieſum. 15. Vbi eſt ergo beatitudo veſtra? Teſtimonium enim perhibeo vobis, quia, ſi fieri poſſet, oculos veſtros eruiſſetis, & dediſſetis mihi. 16. Ergo inimicus vobis factus ſum, verum dicens vobis? 17. Æmulantur vos non benè: ſed excludere vos volunt, vt illos æmulemini. 18. Bonum autem æmulamini in bono ſemper: & non tantùm cùm præſens ſum apud vos. 19. Filioli mei, quos iterùm parturio, donec formetur Chriſtus in vobis. 20. Vellem autem eſſe apud vos modo, & mutare vocem meam: quoniam confundor in vobis.

21. Dicite

21. Dicite mihi qui sub lege vultis esse, legem non legistis? 22. Scriptum est enim:
Quoniam Abraham duos filios habuit: vnum de ancilla, & vnum de libera. 23. Sed
qui de ancilla, secundùm carnem natus est: qui autem de libera, per promissio-
nem: 24. Quæ sunt per allegoriam dicta. Hæc enim sunt duo testamenta. Vnum
quidem in monte Sina, in seruitutem generans: quæ est Agar: 25. Sina enim mons
est in Arabia, qui coniunctus est ei, quæ nunc est Ierusalem, & seruit cum filijs suis.
26. Illa autem, quæ sursum est Ierusalem, libera est, quæ est mater nostra. 27. Scri-
ptum est enim: Lætare sterilis, quæ non paris: erumpe, & clama, quæ non partu-
ris: quia multi filij desertæ, magis quam eius quæ habet virum. 28. Nos autem
fratres, secundum Isaac promissionis filiis sumus. 29. Sed quomodo tunc is, qui
secundum carnem natus fuerat, persequebatur eum, qui secundùm spiritum: ita
& nunc. 30. Sed quid dicit Scriptura? Eiice ancillam, & filium eius: non enim hæ-
res erit filius ancillæ cum filio liberæ. 31. Itaque, fratres, non sumus ancillæ filij,
sed liberæ: qua libertate Christus nos liberauit.

COMMENTARII.

1. *Nos à seruitute legis antiquæ liberos esse decet.*

VERS. 1.2.3.4.5.6.7. *Dico autem: Quanto tempore, &c.*] Profectò, vt eò reuertamur, vnde oratio deflexerat circa legis pædagogiam, hæc addiderim: Hæres quamdiu *infans est*, licet ad eum vniuersæ hæreditatis dominium spectat, nihil tamen vivendi ratione *differt à seruo. Sed sub* tutorum ac curatorum patrocinio subest, eorumque voluntati paret vsque ad id tempus, quod à patre est definitum. *Ita & nos cum essemus paruuli*, hæredes quidem Abrahæ, sed rudes, & imperfecti ante Christi aduentum, seruiebamus *sub elementis mundi*, siue sub lege Mosaica veteri, quæ mundo data fuit à Deo quasi prima rudimenta veræ fidei, ac pietatis, imperfecta quidem ad vestram iustitiam & salutem. *At vbi venit plenitudo temporis*, seu postquam impletum fuit tempus præfixum à Deo Patre, vt hæreditatem promissam Abrahæ reciperemus: *Misit Deus* in terram *Filium suum* factum (absque virili complexu) *ex Muliere*, seu formatum ex sola feminæ Virginis substantia. Qui cum nulla lege teneretur omnium Dominus, sponte sua factus est *sub lege* Mosaica: vt nos, *qui sub lege* eramus, à seruitute, & obligatione illius legis *redimeret*, & ex legis mancipiis liberos faceret, & in Dei filios adoptaret * Quisnam quæso poterit à legis quantumcumque difficilis obseruatione eximi, postquam Christus Dei filius vltro se circumcisioni, & aliis legis cæremoniis ac ritibus se subiecit?] *Quoniam autem estis* adoptione *filij*, *misit Deus spiritum Filij sui*, seu Spiritum sanctum à Filio & à Patre procedentem, vt eodem cum Christo spiritu instructi, & impulsi, clametis: *Abba*, seu *Pater*: & reentrere ad Deum possitis non tanquam serui ad Dominum, sed tanquam filij filiali affectu ad charissimum Parentem. * Vt peccatores pudeat, qui cum sint Dei filij; se gratis, seu ob vilissimam mercedem diaboli in mancipia vendunt.] *Itaque* per Christi redemptionem, *iam non est seruus* legis, *sed* Dei filius: si autem est filius, ad eum planè spectat hereditas à Patre Abrahæ promissa, & per Filium Iesum nobis adlata.

Nulla nobis lex debet esse difficilis postquã Filius Dei sub lege est factus.

Pudeat peccatorem, qui erat Dei filius, & gratis se diabolo in mancipium tradit.

Vers. 8.9.10.11.12.13.14.15.16. *Sed tunc quidem ignorantes Deum, &c.*] Olim quidem verum Deum non cognoscentes, *iis* simulachris, *qui natura non sunt dij*, sed æs, lignum, aut lapis *seruiebatis* stulti. *Nunc autem* cum Deum verum cognoueritis, & agniti fueritis à Deo pro charissimis filiis: *quomodo*, seu qua fronte *iterum conuertimini ad infirma & egena elementa*, seu materiales cæremonias, & sacra Iudaica, quæ prorsus egena sunt gratiæ, & infirma, atque impotentia ad iustificandum: nec sunt pro filiis, sed pro seruis instituta. * Particula illa *Quomodo conuertimini &c.*] indicat Pauli admirationem: Deum habentes patrem per gratiam dum à peccato recessistis, quomodo potuistis iterum ad peccata conuerti? Mirum quidem est, è felicissimo gratiæ statu, velle hominem ad infelicissimum statum peccati remeare.] *Dies* seu sabbata Iudaica superstitione, *& menses* seu Neomenias: & *tempora*, seu opportunitatem (sic Græce,) ad festa & sacra Iudaica suis quæque temporibus celebranda Paschatis in vere, Pentecostes in æstate; Tabernaculorum in autumno, encæniorum in hieme: *& annos*, septimum remissionis, quinquagesimum iubilæi *obseruatis*. Et cum tam addictos vos video Iudaicarum cæremoniarum, & rituum obseruationi: *Timeo vos, ne fortè sine causa*, seu frustra in vobis reducendis ad Christi sacra *laborauerim*. * Difficillimum est Iudæos ad Christum ex corde reduci, hærentes quidem legi, quæ aliquando sancta fuit. Vnde facilius conuerti Mauros & Gentiles semper vidi.] *Estote* obsecro Iudaicarum cæremoniarum, & rituum contemptores, *sicut ego: quia & ego* aliquando Iudaicè vixi, sicut *vos*, & à Deo illuminatus omninò Christo Domino adhæsi, contemnens Iudæorum ritus. Non hæc iratus dico; *nihil* enim *me*, sed vos ipsos *læsistis*. Vestri enim miserans vrgeo, quæ dixerim. * Tam miserabilis est peccatoris status, vt qui se Dei ministrum agnoscit, debeat ex miseratione saltem eius reductioni studere.] *Scitis autem, quia per infirmitatem carnis*, seu multis cum doloribus ac persecutionibus *Euangelizaui vobis*: & tamen *tentationem* hanc *vestram* scilicet me propter vos afflictionibus agi conspicere tunc *non spreuistis*, sed simul mecum ex compassione affligebamini. Cur ergò nunc spernitis? Tunc *non respuistis* doctrinam meam, *Sed sicut Angelum Dei excepistis me*, imò *& sicut Christum Iesum*, cuius ego Vicarium agebam. *Vbi est ergo beatitudo* nunc illa *vestra*, Græcè, *beatificatio* vestra,

Mirum est è felicissimo gratiæ statu velle hominem ad infelicissimum peccati statum redire.

Difficillime Iudæi ex corde ad Christum conuertuntur.

Tam miserabilis est peccatoris status, vt debeamus ex miseratione saltem eius reductioni studere.

vestra, qua, propter meam præsentiam, & prædicationem, beatos vos iudicabatis, & beati ab aliis censebamini? De beneuolentia autem vestra erga me, affirmare me posse credebam, vos ita tunc fuisse animo comparatos, vt (si fieri posset) oculos vestros *eruisſetis* vltro mihi eos daturi. *Ergo inimicus vobis* effectus sum repente, dum vobis prædico veritatem? * Tibi id mirum, ô Paule prædicator egregie? Quando prædicator, qui veritatem amaram quidem nude aperit, non fit haud piis auditoribus inimicus?]

Qui prædicat veritatē, sibi inimicos acquirit.

Verſ. 17. 18. 19. *Æmulantur vos, &c.*] Profectò isti iudaizantes *æmulantur*, seu ambiunt vos sibi, suæque legi Mosaicæ subiicere: sed *non bene*, seu zelo non bono, neque in bonum vestrum. Nam *excludere* vos *volunt* à me, & à Christo, & eius syncera doctrina, *vt* vos vicissim *illos æmulemini*, seu illis, eorumque erroribus hæreatis. At vobis *Bonum* & vtile est vestros æmulari magistros non in malo, (quale est iudaizare) sed *in bono*. seu in virtutibus Christiano dignis: & non ad oculum, cum *præsens* vobis adsum, sed *semper*, animi constantia. Ita vobis quanto possum affectu suadeo, *Filioli mei* nuper à me Christo geniti per Euangelium. Quos in Iudaismum delapsos, iam *iterum parturio*, seu omnem do operam, vt à Iudaismo ad Christum reducam: & sic iterum Christo pariam, *donec formetur Christus in vobis*, seu ad Christi similitudinem renascatis. * Porrò *parturire* est, cum doloribus partui agnatis producere fœtum. *Quos iterum* (ait Paulus) parturio, diris doloribus affectus. Si filios spirituales expetis (de probi more ministri) tibi persuade, te non posse hac frui fœcunditate nisi pluribus exantlatis laboribus.]

Non sine doloribus potest Euangelii operarius filios spirituales habere.

Verſ. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. *Vellem autem esse apud vos, &c.*] Vellem profectò, ô Galatæ, *modo* apud vos esse, & *mutare vocem*, seu orationem *meam*. Nutricum enim more si hîc blandior, & obsecro: ibi gemerem & obiurgarem vos. *Quoniam confundor*, Græcè, *anxius hæreo*, haud satis sciens, quibus vos rationibus ad viam salutis resumendam valeam persuadere. *Dicite mihi, qui sub lege* adhuc esse vultis, legistisne illud Geneseos 16. 15. & 21. 2. nempe Abrahamum duos filios genuisse, *vnum de ancilla, & vnum de libera? Sed* quidem *qui de ancilla* Agar *natus est* Ismaël, secundum *carnem*, seu virtute carnali, ac naturali prodiit. *Qui autem de libera* Sara Isaac *per repromissionem*, & (vt infra vers. 29.) secundum spiritum est natus, seu ex singulari Dei promissione, & supernaturali Spiritus sancti virtute. *Quæ* quidem natiuitates *sunt per allegoriam* dictæ. Hæc enim Agar, & Sara *sunt*, seu significant *duo Testamenta* vetus, & nouum. Illud in monte Sina traditum in seruitutem generans Israelitas, solis vmbris & figuris seruientes. Quod Testamentum per *Agar* seruam significatur; *Sina enim mons est* horridus in Arabia situs procul à terræ promissæ finibus: Sed mystica significatione *coniunctus est* & similis terrenæ *Ierusalem, quæ* & qualis *nunc est* similitudinem habet. Quemadmodum enim ibi, ita & hîc lex merè ceremonialis, carnalis, & seruilis traditur: vtrobique generantur filij non liberi, sed serui. Hoc autem nouum Testamentum per Saram figuratum, & per terrenam Ierosolymam *sursum* est à terra, & terrenis eleuatum, propriè dictum *Ierusalem*, seu visio pacis. Est *liberum* à diaboli seruitute peccati, & Mosaicæ legis, ac mortis æternæ. Est fœcundissimum, quia ex populo Gentili antea sterili (quia non Deo, sed diabolo filios pariebat) Ecclesia Christi innumeros Deo filios procreauit. Isai. 54. 1. Vndè & *Mater nostra* iure vocatur.

Verſ. 27. 28. 29. 30. 31. *Scriptum enim: Lætare sterilis* Gentilitas, *quæ non paris*, seu non peperisti adhuc Deo filios *clama: & quæ non parturis*, in voces lætitiæ, & exultationis *erumpe:* Quia multi iam sunt filij desertæ & cælibis Gentilitatis: imo *magis* fœcunda est, quàm illa Iudæa, quæ à multis iam sæculis virum habebat nempe legem Mosaicam: seu Mosem legislatorem. *Nos autem* ô *fratres*, Christiani quidem *secundum*, seu instar *Isaac sumus filij promissionis*, semen scilicet spirituale, seu filij legitimi, ad quos promissio Abrahæ facta pertinet, *Sed* eo prorsus *modo, quo* tunc Ismael Isaaccum *persequebatur, ita &* nunc carnales Abrahæ filij Iudæi spirituales eiusdem filios Christum & Christianos dirè persequuntur. * Dirior enim assolet esse fratrum, ac propinquorum, cum afficiuntur ira, quam hostium persecutio.] *Sed quid dicit scriptura*, Gen. 21. 10? *Eiice ancillam, & filium eius: non enim heres erit filius ancillæ cum filio liberæ:* Qua quidem eiectione Agar & Ismaelis à Deo imperata allegoricè significabatur repudiatio synagoge, seu eiectio è filia Dei & Christi: siue ex vera Ecclesia. *Itaque fratres*, huius nostræ dissertionis clausula hæc sit, non esse nos *ancillæ* filios, qui legi veteri simus obstricti, sed *liberæ*, & ingenuæ ad Euangelicam libertatem singulari Christi Domini munere vocati, & asserti.

Dirior fratrum, quàm hostium persecutio.

CAPVT

CAPVT V.

Christianam libertatem astruere pergit. Ad charitatem hortatur. Opera carnis, & fructus spiritus recenset.

1. STATE, & nolite iterùm iugo seruitutis contineri. 2. Ec-
ce ego Paulus dico vobis: quoniam si circumcidamini, Chri-
stus vobis nihil proderit. 3. Testificor autem rursus omni
homini circumcidenti se, quoniam debitor est vniuersæ le-
gis faciendæ. 4. Euacuati estis à Christo, qui in lege iu-
stificabimini: à gratia excidistis. 5. Nos enim spiritu ex fide,
spem iustitiæ expectamus. 6. Nam in Christo Iesu, ne-
que circumcisio aliquid valet, neque præputium: sed fides, quæ per charitatem
operatur. 7. Currebatis benè: quis vos impediuit veritati non obedire? 8. Per-
suasio hæc non est ex eo, quis vocat vos. 9. Modicum fermentum totam massam
corrumpit. 10. Ego confido in vobis in Domino, quòd nihil aliud sapietis: qui
autem conturbat vos, portabit iudicium, quicumque est ille. 11. Ego autem,
fratres, si circumcisionem adhuc prædico: quid adhuc persecutionem patior? Ergo
euacuatum est scandalum crucis. 12. Vtinam & abscindantur qui vos contur-
bant. 13. Vos enim in libertatem vocati estis, fratres: tantùm ne liberta-
tem in occasionem detis carnis, sed per charitatem Spiritus seruite inuicem.
14. Omnis enim lex in vno sermone impletur: Diliges proximum tuum sicut
teipsum. 15. Quòd si inuicem mordetis, & comeditis: videte ne ab inuicem
consumamini. 16. Dico autem: Spiritu ambulate, & desideria carnis non per-
ficietis. 17. Caro enim concupiscit aduersus spiritum: spiritus autem aduersus
carnem: hæc enim sibi inuicem aduersantur: vt non quæcumque vultis, illa fa-
ciatis. 18. Quòd si spiritu ducimini, non estis sub lege. 19. Manifesta sunt
autem opera carnis: quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria,
20. idolorum seruitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, ri-
xæ, dissensiones, sectæ, 21. inuidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes, &
his similia: quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei
non consequentur. 22. Fructus autem Spiritus est: charitas, gaudium, pax, patien-
tia, benignitas, bonitas, longanimitas, 23. mansuetudo, fides, modestia, conti-
nentia, castitas. Aduersus huiusmodi non est lex. 24. Qui autem sunt Christi,
carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis. 25. Si spiritu viuimus,
spiritu & ambulemus. 26. Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, inuicem prouo-
cantes, inuicem inuidentes.

COMMENTARII.

1. *Christianam libertatē pergit astruere. Et ad charitatem hortatur.*

VERS. 1.2.3.4.5.6.7. *State, & nolite iterum iugo seruitutis contineri. &c.*] si Christus ô Galatæ, est vestræ libertatis vindex, & assertor, vos quæso illam retinete, & nolite pati (quod huic libertati apertè repugnat) *iterum iugo* Mosaicæ *seruitutis contineri. Ecce ego Paulus*, quem tam beneuole complexi estis, palam vobis denuncio, *Si circumcidamini* credentes, id esse necessarium ad iustificationem & salutem, Christum vobis nihil profuturum? licet præ vobis feratis velle vos nihilominus etiam Christum colere, eique obsequium litare. Quid id erit error in fide, quæ solis Sacramentis nouæ legis, non vero Mosaicæ vim iustificandi adsciscit. *Testificor autem rursus omni homini*, qui se circumcidit, debitorem se facere *vniuersæ legis* Mosaicæ *faciendæ*; quia eo ipso se obligat ad omnes eius cæremonias, & præcepta complenda. Annon Baptismus est publica fidei Christianæ professio, & subiectio ad nouæ legis præcepta seruanda, (quod vobis prædicamus?) Ita equidem circumcisio veteris legis respectu. *Euacuati estis à Christo*, seu nihil cum Christo vobis, *qui in lege iustificamini*, seu qui iustitiam inaniter quæritis ex circumcisione, aliisque legis Mosaicæ ritibus. Etsi igitur externa specie Christo adhæreatis, *à gratia* eius *excidistis*, nihil ab eo vtilitatis sperantes. *Non enim qui* nouā legem profitemur, *spiritu*, seu spirituali vita, & vera iustitia, quæ *ex fide* procedunt,

fruimur: vos autem fide vestra hisce bonis vltrò priuari vultis. Credite, quia in Christo Iesu, seu in Christiana religione nihil ad iustitiam consequendam valet seu *circumcisio*, seu *praeputium*, seu esse vel non esse circumcisum: *Sed fides* in Christum. Attamen fides hæc non debet esse otiosa, sed quæ *per charitatem* in pia opera sese exerit. * Fides sine operibus Christianum sed non iustum, nec cælestis hæreditatis participem.] Vestræ conueruersionis initio *currebatis benè* feliciter ad coronam properantes. *Quis vobis* apposuit obstaculum, vt impingeretis & à veritatis obsequio recederetis? * Quod quidem dixerim eis, qui viam perfectionis feruenter ineuntes, in feruore deficiunt: *Currebatis benè, quis vos impedinit?*] Vndè si respondere Pauli interrogationi vultis, (quod vrbanitas postulat) debetis exprimere, quisnam, vel quidnam sit, quod vos à feruore deficere effecit, vt correctioni studere valeatis.]

Fides sine operibus ad iustitiā ac salutem nō sufficit.

Taxantur qui perfectionis viam feruenter ineūtes deficiunt.

Vers. 8.9.10.11.12.13.14.15 *Persuasio hæc non est ex eo, &c.*] *Hæc* quidem *persuasio* quod legis Mosaicæ obseruatio ad salutem necessaria sit Christiano, *non est ex eo, qui vocat vos*, non à Deo, à quo ad salutem vocati estis, procedit: sed ex diabolo, eiusque ministris exoritur, qui vestræ æternæ felicitati curant insidias collocare. Aduertite, precor, quod *Modicum fermentum totam massam corrumpit.* Abstrahimini ergò ab hisce prauis sociis. * Vnus enim, qui esse modicum fermentum videtur, sufficit totam Ecclesiā vestram deprauare.] *Ego confido in* seu *de vobis in Dño*, seu per Dei pietatem, quod nihil aliud nisi quod à me Doctore vestro didicistis, *Sapietis*, aut credetis. *Qui autem vos* circa fidem hāc *conturbat, portabit iudicium*, seu damnationis æternæ sententiā.* Admodū namq; est ingratū Deo, eos, qui ad ipsum pergunt à via salutis abstrahere.] * Non dixit, *Portabit* pœnam, sed *Portabit iudicium.* Vt innuatur, quam horribile sit Dei iudicium improbis, vt illius pondus sustinere quodammodo pro pœna sufficeret.] *Ego autem, fratres*, si (vt Pseudo-Apostoli dictitant) *adhuc* clam vobis, sed publicè inter Iudæos, *prædico circumcisionem*, seu doceo legis Mosaicæ obseruationem esse ad iustitiam, ac salutem necessariam: vt *quid adhuc* ab illis *persecutionem patior?* Sic enim *euacuatum est*, seu omnino cessat *scandalum crucis*; seu offendiculum, quod illis parit Christus cruci suffixus. Certè Iudæos non tam Christi crucifixi prædicatio irritat, quam legis per crucem abolitio. Parati enim essent Christum vna cum Mosaica lege colere. *Vtinam & abscindantur, qui vos conturbant.* seu & à Christiana congregatione omnino separentur. * Dixerim verbum *Abscindere* Hispanè significare, *Partir por medio.* In Ecclesiæ illius Galatarum perturbatoribus contemplor vnum ex natura & malitia compositum Quod quidem Paulus cupit abscindi, ita vt natura humana à malitia, à criminibus diuidatur: vitium exturbetur, natura incolumis persistat. Docet sacros ministros piam plane gerere præcisionem contundendo crimina, humanæque indulgendo naturæ. Apertius dixerim: odio habendo, & damnando peccatum; amando, & seruando peccatorem.] *Vos* quidem *vocati estis* per Christum *in libertatem* ab onerosa legis Mosaicæ seruitute.

Vel vnus prauus socius sufficit totam uistorum cōgregationem corrumpere.

Quàm horribile Dei iudicium improbis.

Præscinde peccatorem hominem à peccato: corripe peccatū, hominē dilige.

Ne, quæso, *libertatem* huiusmodi detis *in libertatem carnis*, seu ea non abutamini ad seruiendum carnis desideriis. *Sed per charitatem spiritus seruite inuicem*, proximo succurrite indigenti. *Omnis enim lex*, quæ proximum spectat *in vno*, seu breui hoc *sermone*, seu præcepto seruato *impletur*: *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* *Quod si inuicem mordetis*, seu laceratis, *& comeditis*, deuoratis iracundia ferina mutuis scilicet odiis, detractionibus, calumniis (fortè ex horum de legalibus dissidiorum occasione, *videte, ne ab inuicem consumamini.* * Nam contentio interitum affert non modo iis, qui læduntur, sed ipsis etiam obtrectationis auctoribus.]

Contentio affert mortē ei, qui læditur, & ei, qui lædit.

Vers. 16.17 18.19.20.21.22.23.24.25.26. *Dico autem, &c.*] Dixerim præterea ô fratres, *spiritu ambulate*, seu vos gerite iuxta instinctum non carnis, non mundi, non diaboli; sed Spiritus sancti. Origo enim totius mali vestri est, quod Spiritus sancti monitis non obsequamini, à vita carnali, & à lege Mosaica vos curantis amouere, & ad spiritus vitam allicere. Vtriusque vitæ differentiam annotate? *Caro*, seu carnalis appetitus *concupiscit aduersus spiritum: spiritus autem aduersus carnem*: & veluti perpetua pugna confligunt Sunt autem hæc dico vsque adeo inter sese opposita, vt non quæcumque secundum rectam rationem volueritis, eadem continuo faciatis: sed vel inuiti diros libidinis motus excitari in vobis sentiatis. *Quod si spiritu ducimini, non estis sub lege.* Si autem iuxta spiritum ambulatis, à lege carnis in membris vestris repugnante legi spiritus, crudelis planæ dominæ liberabimini. *Manifesta sunt autem opera carnis*: quæ sunt *fornicatio, immunditia*, Græcè, *mollities*, qua quis contra naturam se contaminat, *impudicitia*, Græcè, lasciuia per gestus, oscula, tactus impudicos, *luxuria*, seu luxus cibi & vestitus immoderatus; *idolorum seruitus, beneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes*, cum quis conatur alium diuertere, vel præpedire ab eo, quod ipsemet ambit. *Iræ, rixæ, dissensiones, secta.* seu hæreses. *Inuidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes, & his similia.* De his autem vitiis iam iterum vobis prænuncio, quod qui huiusmodi piaculis inficiuntur, *Regnum Dei non consequentur. Fructus autem spiritus* Opponit carnis operibus iam opera spiritus. Hæc quidem sunt, *Charitas.* * A charitate sumit exordium, quæ omnium reliquorum fructuum radix est, & origo.] *Gaudium*, quod oritur ex conscientiæ securitate, purgatæ à vitiis. *Pax*. qua tranquilla mens nullis passionibus perturbatur: & amicabilis cum proximis conuersatio, quæ inimicitiis opponitur. *Patientia*, quæ est animi lenitas, qua quis grauia, ac diuturna mala fortiter ac constanter perfert. *Benignitas*, seu morum facilitas, qua se aliis libenter accommodat. *Bonitas*, qua quis à nocumentis inferendis abstinet: & prodesse, ac benefacere est paratus. *Longanimitas*, idem est quod patientia ad dira quæque sustinenda. *Mansuetudo.* Mansuetum dixeris quasi manu assuetum, scilicet, tractabilem, duci qui nescit irasci. *Fides*, seu fidelitas, ac veracitas in promissis, quæ fraudi, ac mendacio opponitur. *Modestia*, quæ modum ponit, & omnes externas actiones moderatur. *Continentia* generalis est virtus, aut potius virtutum complexio,

2\. *Opera carnis, & spiritus fructus recensēt.*

Charitas est omnium Spiritus sancti fructuum radix.

xio, qua homo omnium vitiorum illecebras continet, & cohibet. *Castitas* à continentia ità distinguitur. Continentia in luctamine est, Castitas in pace. Continentia est Castitas militans, Castitas vero pacis corona fruens. * Vera Castitas post multas quidem victorias acquirenda.] *Aduersus* eos, qui *huiusmodi* fructus edunt, nulla est lex arguens, damnans puniens. Ac proinde si spiritu ducimini *non estis sub lege*, vt supra dixi. Præmia enim vos, non pœnæ legis violatæ manent. Profectò *Qui* sunt ex

Vera castitas post multas victorias acquiritur.

Christi grege, *carnem suam* tot *vitiis* exundantem, tot plenam *concupiscentiis crucifixerunt* cum Christo suffixo. * Vel passionis, ac crucis Dominicæ aspectus carnis fræuat libidines, eámque quasi configit, ne procedat in vetita.] *Si spiritu viuimus* gratia vegetati, Spiritus sancti ductu, etiam *spiritu ambulemus*, seu opera & fructus gratię conformes, suprà recensitos proferamus. * Ex operibus enim dignoscitur, qui spiritu, qui carne viuant.] *Non efficiamur inanis gloriæ cupidi* alij alios prouocantes: alij alios inuidentes.

Crucis aspectus carnis frænat libidinem.

Ex operibus dignoscitur, qui spiritu, qui carne viuat.

CAPVT VI.

Ad fraternam charitatem, & misericordiæ ad opera hortatur. In solo Christo cruci suffixo gloriandum edocet.

1. FRATRES, etsi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto,
vos, qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans teipsum, ne & tu tenteris.
2. Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.
3. Nam si quis existimat se aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit.
4. Opus autem suum probet vnusquisque, & sic in semetipso tantùm gloriam habebit, & non in altero.
5. Vnusquisque enim onus suum portabit.
6. Communicet autem, is qui catechizatur verbo, ei qui se catechizat, in omnibus bonis.
7. Nolite errare: Deus non irridetur.
8. Quæ enim seminauerit homo, hæc & metet. Quoniam qui seminat in carne sua, de carne & metet corruptionem: qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam.
9. Bonum autem facientes, non deficiamus: tempore enim suo metemus non deficientes.
10. Ergo dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei.
11. Videte qualibus literis scripsi vobis mea manu.
12. Quicumque enim volunt placere in carne, hi cogunt vos circumcidi, tantùm vt crucis Christi persecutionem non patiantur.
13. Neque enim qui circumciduntur, legem custodiunt: sed volunt vos circumcidi, vt in carne vestra glorientur.
14. Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi: per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.
15. In Christo enim Iesu, neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed noua creatura.
16. Et quicumque hanc regulam secuti fuerint, pax super illos, & misericordia, & super Israël Dei.
17. De cætero nemo mihi molestus sit: ego enim stigmata Domini Iesu in corpore meo porto.
18. Gratia Domini nostri Iesu Christi, cum spiritu vestro, fratres. Amen.

COMMENTARII.

1. Ad fraternam charitatem, & misericordiæ opera hortatur.

VERS. 1.2.3.4.5. *Fratres, etsi præoccupatus fuerit homo, &c.*] Si quis ô fratres, seu à diabolo, seu à carne, seu à falsis fratribus *præoccupatus*, seu in fraudem actus, vel seductus fuerit, *vos, qui spirituales* tam vestra, quam aliorum opinione *estis, instruite*, Græcè, instaurate, pristinæ virtuti restituite *huiusmodi* hominem, non seuere eum corripiendo; sed *in spiritu lenitatis*, seu cum omni mansuetudine: *considerans*, seu considerantes vosmetipsos: ne & vos tentemini, & ad lapsum similem deducamini: * Solet Deus simili pœna puniri eos, qui duri, & inclementes in peccatores existunt.] Preme illud. *Instruite in spiritu lenitatis considerans te.*

Qui in peccatores inclementes sũt, eadem pœna solent puniri.

rans te. Cur non dixit, *considerantes* vos, vt particulæ *Instruite* congrueret? Profectò quia præmisit nomen illud: *Fratres.* Qui fraterna charitate illigantur, multi sunt, & vnus. Ergò vt multi *Instruite*, & vt vnus *considerans* teipsum. * *Considerans*, inquit, *teipsum.* Qui quidem delinquens velles in spiritu lenitatis corripi. Vnde quod expetis tibi fieri, hoc erga fratrem delinquentem præstare debes.] *Alter alterius onera portate.* Cum molestus es proximo, ille hoc onus patienter sustinuit? Debes & onus molestiæ tibi à proximo illatæ patienter sustinere. Sic implebitis mutuæ charitatis legem, quam Christus quasi propriam legem suam non semel commendauit. *Nam si quis* videns proximum lapsum, sibi nimium placet, quasi præ illo *aliquid* sit: hunc suus ipsius animus fallit, seque non satis nouit de se præsumens cadere non posse. * *Nihil* itaque est ad stan

Vera charitas ex multis vnum facit.

Si tecum vis leniter agi, cum peccas, cum proximo peccante similiter age.

Cognitio sui est virtutis & fortitudinis (ad standum) fundamentum.

standum, cadet miser sine fundamento ædificans. Virtutis enim fundamentum est vera suæ infirmitatis agnitio.] *Opus autem suum*, seu opera, vitam, mores suos *probet vnusquisque*, exploret, examinet: *vt sic in seipso*, propriisque operibus gloriari secundum Deum, non verò solum *in altero* te laudante, vel in contemptu alterius grauius te delinquentis. *Vnusquisque enim onus suum portabit*, seu quisque pro suarum actionum conditione præmium, aut pœnam consequetur: neque aliorum collatione iustus, aut iniustus est iudicandus.

Vers. 6.7.8.9.10. Communicet autem is, qui catechizatur, &c.] Qui catechizatur *verbo* sui in fidei mysteriis instruitur, *communicet* instructori suo (si indigeat) de *omnibus bonis* suis temporalibus. * Iustum est enim, vt qui spiritualia ministret, temporalia recipiat.] *Nolite errare* excusationem obtendentes *Deus enim*, qui cuncta intuetur, *irrideri* non potest. Est enim quasi in Deum irrisio ostendere excusationem, quam Deus corda aspectans, friuolam & falsam esse dignoscit. *Quæ enim seminauerit homo, hæc & metet.* Nec enim hordeaceo grano terræ amandato, triticea messori vtetur spica. Qui igitur in *carne* seminat, seu opera sua proprij appetitus, ac carnalis concupiscentiæ suæ exactis in obsequium: *metet &*, seu etiam de *carne*, quales illa solet fructus prodire, scilicet, *corruptionem*, interitum temporale, & æternum. * Quid potest luxuriei vitio accommodati. Nam qui libidini seruiunt, frequenter corruptione afficiuntur, eorum corporibus diris, ac fœdis ægritudinibus confectis.] *Qui autem seminat in spiritu* suo terra equidem bona, seu qui operatur spiritualia, metet *vitam*, & gloriam *æternam*. Bonum *autem facientes*, non *deficiamus*, sed proficere in melius curemus. * Nam in virtutis via non progredi, deficere est.] *Tempore enim suo metemus non deficientes*, seu, si non deficimus, sed sine intermissione laboramus messis tempore, seu mortis adueniente, copiosos fructus gloriæ percipiemus. *Ergo dum tempus habemus operemur bonum ad omnes*, seu egentibus subueniamus omnibus, præcipuè verò *ad domesticos* eiusdem *fidei* nostra pietas vberior exeratur. * Nec enim sit apte ordinata charitas, cum domesticis, propinquis, amicis, familiaribus indigentibus, succurrendos quærit extraneos.]

Tantum magistrum indigentem necessariis donet. (margin, beside "ralibus. Iustum est enim…")

Luxuriei fœdæ agnatæ ægritudines. (margin, beside "interitum temporale…")

In via virtutis non progredi, deficere est. (margin, beside "curemus…")

Eleemosyna maximè domesticis exhibenda. (margin, beside "pietas vberior exeratur…")

Vers. 11.12.13. Videte, qualibus litteris, &c.] En ô Galatæ, *qualibus*, Græcè, *quantis*, seu quam prolixis *litteris scripsi vobis*, non aliena (vt soleo) sed *meamet manu*. Inde colligite, quantæ vestra salus sit mihi curæ. *Quicunque enim volunt placere in carne* Iudæis, seu in obseruatione carnalium, siue externarum cæremoniarum legis Mosaicæ: hi *cogunt vos circumcidi*: non studio complendæ legis, sed *tantum vt crucis Christi persecutionem non patiantur*, qualem crucifixi Christi præcones pati assolent. *Neque enim qui circumciduntur, legem* ideò *custodiunt*; *sed volunt vos* circumcisioni subijci, *vt in carne vestra glorientur*, seu vanam quasi rei bene gestæ gloriolam, & gratiam suæ gentis aucupentur.

Vers. 14.15.16.17.18. Mihi autem absit gloriari, &c.] Mihi è contrario *absit*, vt in alia re *gloriari* sciam, quam in *cruce Christi*, seu in fide, & grata memoria beneficij crucis, & tribulationibus Christi causa sustinendis. *Per*, seu propter quem cruci suffixum, *mundus mihi crucifixus est, & ego mundo.* Mundum enim abominor, quasi cadauer esset latronis crucifixi: & vice versa mundus me simili modo abominatur, & exhorret. * Qui mundum non abominatur quasi cadauer putridum, & qui mundo non est horribilis sicut cadauer cruci suffixum, indicat se adhuc esse viuum mundi concupiscentiis] *In Christo enim*, seu in Christiana religione nihil iuuat ad iustitiam, & salutem, *neque circumcisio* aliquid prodest, *neque præputium*, id est, circumcisum esse, vel non circumcisum, *nisi noua creatura*, seu anima per gratiam Christi interius renouata, & exterius per Baptismum regenerata, in nouaque vita incedens. *Et quicunque hanc regulam*, quam de vera iustificatione, libertate, & spirituali vita tradidi, *secuti fuerint: pax sit super illos.* Siue Israëlitæ sint, siue ex Gentibus conuersi, *& super Israel Dei.* Pax enim quam precor erit super Israël, quamuis sit super Christianos ex Gentibus, quia hi sunt veri Israëlitæ ex Dei mente, & spirituales Abrahæ filij, qui huius regulæ fuerint sectatores. *Nemo* deinceps Iudaizantium vel aliorum *mihi molestus sit* requirendo, an seruus sim Moysi, an Christi: Nam cuius sim seruus satis ea stigmatibus & notis (quibus seu manibus, seu brachio, seu fronti inustis serui dignosci assolent cuius sint Domini corpori meo infixis. *In corpore* enim *meo* non gesto circumcisionis (vt faciunt serui Mosis) notam; sed *stigmata Domini Iesu*, plagas scilicet, cicatrices ex vulneribus propter ipsum toleratis. * Cum videris te laboribus, vel doloribus angi propter virtutem, tunc crede te verum Christi esse seruum, eius stigmatibus rubricatum.] *Gratia Domini nostri Iesu Christi* sit, maneatque interminabiliter *cum spiritu vestro*, seu vobiscum, ô *fratres*, *Amen.*

2\. **Solùm in Christo cruci suffixo gloriandum docet.** (margin, beside "Vers. 14…")

Quis verè mortuus est mundo, & cui mundus est mortuus? (margin, beside "Qui mundum non abominatur…")

Angi laboribus signum est, te seruum esse Christi. (margin, beside "propter ipsum toleratis…")

EPISTOLA
BEATI PAVLI APOSTOLI
AD EPHESIOS.

EST Ephesus Metropolis Minoris Asiæ Dianæ sacra, idololatriæ, magiæ, & præstigiis admodùm addita: Pythagoras dicitur Epheso prodiisse & Ionica Schola, è qua Plato, & multi alij celebres Philosophi ortum habuere, quorum errores hîc Paulus refutauit. Profectò Epistolam hanc scripsit Apostolus, cum Romæ in carcere illigaretur, & per Tythicum Diaconum transmisit, anno à morte Domini vigesimo septimo.

CAPVT I.

Eò quod Deus per Christum Dominum nos prædestinarit, & omni cumularit gratia eum laudat Apostolus.

1. PAVLVS Apostolus Iesu Christi per voluntatem Dei,
omnibus sanctis, qui sunt Ephesi, & fidelibus in Christo
Iesu. 2. Gratia vobis & pax à Deo Patre nostro, & Do-
mino Iesu Christo. 3. Benedictus Deus & Pater Do-
mini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni be-
nedictione spirituali in cælestibus in Christo, 4. sicut
elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus
sancti & immaculati in conspectu eius in charitate. 5. Qui prædestinauit nos in
adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum, secundùm propositum
voluntatis suæ, 6. in laudem gloriæ gratiæ suæ, in qua gratificauit nos in dile-
cto filio suo. 7. In quo habemus redemptionem per sanguinem eius, remissio-
nem peccatorum, secundùm diuitias gratiæ eius, 8. quæ superabundauit in
nobis, in omni sapientia & prudentia: 9. vt notum faceret nobis sacramentum
voluntatis suæ, secundùm beneplacitum eius, quod proposuit in eo, 10. in
dispensatione plenitudinis temporum, instaurare omnia in Christo, quæ in cælis,
& quæ in terra sunt, in ipso: 11. In quo etiam & nos sorte vocati sumus, præde-
stinati secundùm propositum eius, qui operatur omnia secundùm consilium vo-
luntatis suæ: 12. vt simus in laudem gloriæ eius nos, qui antè sperauimus in
Christo: 13. In quo & vos, cùm audissetis verbum veritatis, (Euangelium salutis
vestræ) in quo & credentes signati estis Spiritu promissionis sancto, 15. qui est
pignus hereditatis nostræ, in redemptionem acquisitionis, in laudem gloriæ ipsius,
15. Propterea & ego audiens fidem vestram, quæ est in Domino Iesu, & dile-
ctionem in omnes sanctos, 16. non cesso gratias agens pro vobis, memoriam ve-
stri faciens in orationibus meis: 17. vt Deus, Domini nostri Iesu Christi pater
gloriæ, det vobis spiritum sapientiæ & reuelationis, in agnitione eius? 18. illu-
minatos oculos cordis vestri, vt sciatis quæ sit spes vocationis eius, & quæ diui-
tiæ gloriæ hereditatis eius in sanctis, 19. & quæ sit supereminens magnitudo
virtutis eius in nos, qui credimus secundùm operationem potentiæ virtutis
eius, 20. quam operatus est in Christo, suscitans illum à mortuis, & constituens

ad dexteram ſuam in cæleſtibus, 21. ſupra omnem principatum, & poteſtatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen, quod nominatur non ſolùm in hoc ſæculo, ſed etiam in futuro. 22. Et omnia ſubiecit ſub pedibus eius: & ipſum dedit caput ſupra omnem Eccleſiam. 23. quæ eſt corpus ipſius, & plenitudo eius, qui omnia in omnibus adimpletur.

COMMENTARII.

1\. *Deum laudat, quod nos prædeſtinarit, & ſua cumularit gratia.*

VERS. 1. 2. 3. 4. 5. 6. *Paulus Apoſtolus Ieſu Chriſti, &c.*] Paulus Dei voluntate ac conſilio Ieſu Chriſti Apoſtolus omnibus ſanctis, & fidelibus in Chriſto Ieſu, qui Epheſi commorantur, ſalutem. *Gratia vobis ſit*, & pax à Deo *Patre noſtro*, itemque à Domino Ieſu Chriſto. *Benedictus Deus Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui benedixit nos in omni benedictione* non ſolùm carnali, ſeu corporali, qua Iudaicus populus magnoperè gloriabatur, ſed & *ſpirituali*, nempe deliciis & diuitiis *cæleſtibus* gratiæ, & gloriæ per, & propter Chriſtum, eiuſque merita

In conſpectu ſpiritualium bonorum ita corporalia vileſcũt, vt eſſe bona non videantur.

* *Benedixit nos*, inquit, *omni benedictione ſpirituali.* Videtur, particulam *Omnis benedictio* debuiſſe complecti ſpiritualem, & corporalem benedictionem: at Paulus ſolum agit memoriam ſpiritualium bonorum, quaſi omnis benedictio in bonis ſpiritualibus includatur, & extra ea nulla ſit benedictio. Profectò in conſpectu bonorum ſpiritualium ita corporalia vileſcunt, vt eſſe *bona* minime videantur.] *Sicut in ipſo*, ſeu meritorum eiuſdem Chriſti intuitu *ante mundi conſtitutionem*, ſeu ab æterno *elegit nos*, vt ſi eius gratiæ vellemus cooperari, eſſemus *ſancti*, ſeu iuſti, *& immaculati*, ſeu inculpati. Profectò Paulus hîc non loquitur de electione abſoluta niſi quantum eſt ex parte ipſius Dei. Nam ex noſtra parte requirit conſenſum, & cooperationem. Item non loquitur de immediata ad gloriam electione; ſed ad fidem, & iuſtitiam. Quia omnes Epheſios, imò & omnes Chriſtianos ait hîc prædeſtinatos, & electos, cum certum ſit, multos illorum fuiſſe reprobos, & poſtea damnatos: quod abſolutè prædeſtinatis ad gloriam haud poteſt accidere. Vndè addit: *Vt eſſemus ſancti, & immaculati in conſpectu eius in charitate. Qui* quidem Deus *prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum*, ſi diuinæ huic electioni per recta opera reſponderemus: idque per *Ieſum Chriſtum*, ſeu per merita Chriſti *in ipſum*, ſeu in Dei obſequium litata, *ſecundùm propoſitum voluntatis ſuæ* iuxta ipſius prouidentiæ, ac placiti diſpoſitionem. Et *in laudem gloriæ gratiæ ſuæ*, ſeu ad laudem glorioſæ, ac perpetuò celebrandæ cæleſtis gratiæ ſuæ, qua nos ob dilectiſſimum Filium ſuum, cui conformari nitimur, ſibi gratos reddidit.

Vberrimæ Deo gratiæ reddendæ ob beneficium electionis ad iuſtitiam.

* Sanè huius electionis diuinæ ad gratiam, ad iuſtificationem ita eſt ineffabile, vt nihil prius connotet, aut exquirat, quam vberem gratiarum actionem. Vnde Apoſtolus poſtquam dixit *Prædeſtinauit nos* in adoptionem filiorum, mox quaſi ex vi conſequentiæ adiicit: *In laudem gloriæ gratiæ ſuæ.*]

Verſ. 7. 8. 9. 10. In quo habemus redemptionem, &c.] *In* quo quidem Vnigenito Dei Filio *habemus redemptionem* per ſanguinem ipſius pro nobis in paſſione, ac morte profuſum, ad *remiſſionem* peccatorum, quæ ex opulentia ipſius diuinæ pietatis emanat. *Quæ ſuperabundauit in nobis*, ſeu à qua tanquam è fonte in nos ſapientiæ & prudentiæ quaſi oceanus exundauit.

Sapientia ducatu prudentiæ indiget.

* *Sapientia*, inquit, *& prudentia.* Sapientia enim ſine prudentiæ ducatu aſſolet non ſemel impingere.] *Vt* per hanc Sapientiam & prudentiam *notum faceret nobis ſacramentum*, ſeu myſterium vel arcanum *voluntatis ſuæ*, quod ſecundum *beneplacitum eius*, ſeu ſuum, *propoſuit*, ac decreuit *in eo*, ſeu per, & propter Chriſtum toti mundo exhibere: nempè *In diſpenſatione plenitudinis temporum*, (ſeu cùm tempora à Deo ordinata, vt effluerent ante quàm Chriſtus emitteretur, eſſent plenè euoluta.) propoſuit, inquam, *inſtaurare*, reſtituere, renouare *omnia, quæ in cælis, & quæ in terra ſunt, in ipſo* Chriſto, & per eius meritum. Angeli & homines inter ſe erant admodum diſiuncti, imo inimici ob hominum crimina. Deus itaque voluit arctiſſima rurſus amicitia vniri, & in vno ac ſub vno capite Chriſto coniungi, atque ità Angelorum ruinas per homines inſtaurari.

Verſ. 11. 12. 13. 14. In quo etiam & nos ſorte &c.] *In quo* quidem, ſeu per, & propter quem etiam *nos ſorte vocati ſumus*, ſeu ſortem hereditariam fuimus adepti ſinè vllis meritis noſtris. Quaſi iacta omnibus ſorte, cecidit ſuper nos feliciſſima illa ſors, vt ad Chriſtianam religionem vocaremur.

Continuæ gratiæ Deo reddendæ à nobis ob beneficium electionis noſtræ ad Chriſtianiſmum.

* Ex noſtra parte (quia nihil agebamus, vt vocaremur, nec de eo cogitabamus, mera ſors fuit, & planè fortuitum, eo vocari. Sed ex parte Dei nõn fuit ſors, ſed deſtinata electio, propoſitum, & conſilium. Vnde taxabiles admodùm oſtenduntur, qui ob beneficium electionis ad Chriſtianiſmum continuas Deo gratias non reddunt.] *Vt ſimus in laudem gloriæ eius*, ſeu vt ſimus materia, & argumentum laudis, & gloriæ diuinæ: præſertim *nos* Iudæi, *qui antè* aduentum eius illum expectauimus à Deo promiſſum: & per ipſum redemptionem, ac ſaluationem ſpectauimus. *In quo & vos* ô Gentiles ſperatis ſalutem, ſimul atque, audito Euangelio, credidiſtis: *& ſignati*, (Græce, *ſigillati*) *eſtis Spiritu promiſſionis*, ſeu Spiritu ſancto, quem Chriſtus ſuæ Eccleſiæ promiſit. *Qui* Spiritus ſanctus per cæleſtia chariſmata ſua *eſt* nobis *pignus hereditatis cæleſtis, in redemptionem acquiſitionis*, ſeu vt acquiſitio, & poſſeſſio Dei, Eccleſia ſcilicet Chriſti, quam ipſe ſuo ſibi ſanguine acquiſiuit: perfectè ac completè aliquandò liberetur, ita vt nihil, ſeu peccati, ſeu ſeruitutis, ſeu alterius miſeriæ remaneat.

Verſ. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. Proptereà & ego audiens, &c.] Ideo *& ego* ô fratres certior factus de fide veſtra erga Dominum Ieſum, cuius Euangelium recepiſtis, & dilectionem &c. & de dilectione *in omnes ſanctos*, ſeu audiens vos Chriſticolas inuicem directione fraterna colligari: *non ceſſo, gratias agens pro vobis*, ſeu continuò cæleſti largitori veſtro ex nomine gratias reddo: *memoriam veſtri* in meis agens precationibus;

vt

vt qui dedit, incipere, & proficere in perfectiora largiatur. *Vt*, inquam, *Deus Domini nostri Iesu Christi* gloriosus *Pater*, *det vobis spiritum sapientiæ*, *& reuelationis*, hoc est, det amplam sapientiam, qua diuina mysteria certius vobis quotidiè reuelentur: *in agnitione eius*, seu vt Deus quotidie magis à vobis dignoscatur, ametur, & colatur. Det præterea habere vos *oculos cordis*, & intellectus *vestri* illuminatos, vt perfectius in dies *sciatis*, *quæ sit spes vocationis eius*, seu quæ, & quanta sint bona cælestia, ad quæ nos ipse vocauit, & quæ sperare iussit. Ineffabiles quippe sunt diuitiæ gloriæ cælestis hæreditatis, quas *sanctis*, seu iustis *eius* Dominus præparauit: *Et quæ sit supereminens magnitudo virtutis eius in nos*, seu quanta potentia vsus fuerit Deus in nobis ab infidelitate ad Christum, à statu peccati ad iustitiam traducendis: *secundùm operationem potentiæ virtutis eius: Quam operatus est in Christo suscitans illum à mortuis*, *& constituens ad dexteram suam in cælestibus*, *supra omnem principatum, & potestatem*, *& virtutem*, *& dominationem*, *& omne nomen*, *quod nominatur non solum in hoc sæculo*, *sed etiam in futuro.* Ac si diceret: Tanta potentia vsus est Deus in nobis sic spiritualiter resuscitandis, quanta vsus fuit in Christo corporaliter suscitando à mortuis, & ad dexteram suam euehendo supra omnes cælestes Hierarchias, & supra omne *nomen*, scilicet supra omnem personam celebrem, & excellentem, siue humana illa sit, siue Angelica. * Quàm difficilè, & quantæ æstimationis est peccatoris conuersio, cuius diuina effectio operi resurrectionis & ineffabili exaltationi Christi videtur æquiparari!] Vnde oportet, te non tam facilè ad peccata recurrere, à quibus ad gratiam tam difficilè remeabis, suam scilicet Deum exerente potentiam.] *Omnia* Pater *subiecit sub pedibus eius*; *& ipsum dedit*, seu constituit caput & Principem *supra omnem Ecclesiam* tam Gentium quàm Iudæorum, tam triumphantem, quàm militantem. Christus enim etiam vt homo, propter vnionem hypostaticam cum Verbo diuino nobilior est omnibus Angelis, & omnibus præest, imperat, & dominatur. Imò ex D. Thomæ & aliorum sententia probabile esse reor Christum etiam Angelis meruisse gratiam, & gloriam: & bonos omnes per fidem in Christum mediatorem sanctificatos, & gloriam fuisse adeptos: eos verò, qui Christo homini hanc mediatoris dignitatem superbe inuiderunt, dæmones factos, & damnationi fuisse addictos. Accepi ex meo Suario 3. p. disp. 42. sect. 1. *Ecclesia* autem est *corpus* Christi mysticum, & *plenitudo eius*, seu *perfectio*, (Græcè sic) seu complementum capitis sui Christi. Caput enim sui corporis accessu completur, & perficitur. Et Christus caput Ecclesiæ est, *qui omnia*, seu quo ad omnia, nempè dona gratiæ & gloriæ *in omnibus* membris suis *adimpletur*, seu completur, ac perficitur. Tanta etenim Christi in homines charitas, vt se quasi mutilum existimaret caput, nisi corpus suum (seu Ecclesiam) sibi adiunctum haberet, & dona sua in illud continuo deriuaret.]

Difficile opus conuersionis peccatoris.

Quam magna Christi erga homines charitas.

CAPVT II.

Christum Gentiles Iudæis gratis per fidem sibi & Deo in vna Ecclesia coniunxisse, docet Apostolus.

1. ET vos, cum essetis mortui delictis & peccatis vestris. 2. In
quibus aliquando ambulastis secundùm sæculum mundi
huius: secundum principem potestatis aëris huius, spiritus,
qui nunc operatur in filios diffidentiæ, 3. In quibus &
& nos omnes aliquando conuersati sumus in desideriis car-
nis nostræ, facientes voluntatem carnis & cogitationum, &
eramus natura filij iræ, sicut & cæteri: 4. Deus autem, qui
diues est in misericordia, propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos. 5. &
cùm essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Christo, (cuius gratia estis salua-
ti) 6. & conresuscitauit, & consedere fecit in cælestibus in Christo Iesu: 7. Vt
ostenderet in sæculis superuenientibus abundantes diuitias gratiæ suæ in bonitate
super nos in Christo Iesu. 8. Gratia enim estis saluati per fidem, & hoc non ex
vobis, Dei enim donum est; 9. Non ex operibus, vt ne quis glorietur. 10. Ip-
sius enim sumus factura, creati in Christo Iesu in operibus bonis, quæ præparauit
Deus vt in illis ambulemus. 11. Propter quod memores estote, quod aliquando
vos Gentes in carne, qui dicimini præputium, ab ea quæ dicitur circumcisio in car-
ne, manu facta: 12. Quia eratis illo in tempore sine Christo, alienati à conuersa-
tione Israël: & hospites testamentorum, promissionis spem non habentes, & sine
Deo in hoc mundo. 13. Nunc autèm in Christo Iesu, vos, qui aliquando eratis
longè, facti estis propè in sanguine Christi. 14. Ipse enim est pax nostra, qui fecit
vtraque vnum, & medium parietem maceriæ soluens, inimicitias in carne sua:
15. Legem mandatorum decretis euacuans, vt duos condat in semetipso in vnum

nouum

nouum hominem, faciens pacem, 16. & reconciliet ambos in vno corpore Deo
per crucem, interficiens inimicitias in semetipso. 17. Et veniens euangelizauit pa-
cem vobis, qui longè fuistis; & pacem iis, qui propè. 18. Quoniam per ipsum ha-
bemus accessum ambo in vno Spiritu ad Patrem. 19. Ergo iam non estis hos-
pites, & aduenæ: sed estis ciues sanctorum, & domestici Dei: 10. Superædificati
super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum, ipso summo angulari la-
pide Christo Iesu: 21. In quo omnis ædificatio constructa crescit in tem-
plum sanctum in Domioo: 22. In quo & vos coædificamini in habitaculum Dei
in Spiritu.

COMMENTARII.

1. *Christus in vna Ecclesia Iudæos & Gentiles gratis per fidem iunxit.*

VERS. 1.2.3. *Et vos cum essetis mortui, &c.*] Et vos ô fratres, cum vita spirituali essetis priuati, ob peccata vestra, *in quibus aliquando ambulastis secundum sæculum mundi huius*, seu secundum consuetudinem sæcularium mundanoè viuentium: & *secundum principem potestatis aëris huius*, *spiritus* tartarei, qui in hoc aëre dominatur, miscendo ventos, efformando tempestates, tentando homines, eosque diuexando, spiritus, inquam, qui *nunc operatur*, seu operari permittitur *in filios diffidentiæ*, seu in homines incredulos, & infideles: *In quibus* iisdem delictis etiam nos omnes tam Iudæi, quam Græci vitam egimus *natura filij iræ*, seu à primo conceptionis instanti, naturæ nostræ rationalis initio (quæ per Adamum & originale peccatum corrupta est) obnoxij iræ, & diuinæ vindictæ: quia tunc per Protoplastum maledicti: & postmodum *conuersati sumus*, seu degimus *in desideriis carnis nostræ, facientes voluntatem carnis, & cogitationum*, ex eius appetitu prodeuntium. Cum, inquam, in hoc miserrimo versaremur statu.

Vers. 4.5.6.7.8 9.10. *Deus, qui diues est in misericordia, propter nimiam charitatem suam*, qua genus *dilexit* humanum: *& cum essemus mortui* ob peccata, quæ eum à pietate ergà ingratos retrahere poterant: *conuiuificauit nos in Christo*, seu per Christum, *cuius gratia estis saluati*, seu cuius meritis estis redempti, à peccati seruitute: *& conresuscitauit*, seu participes vos fecit spiritualis resurrectionis, & nouæ vitæ Christi: *& simul cum ipso consedere vos fecit in cælestibus* tabernaculis: *Vt ostenderet in sæculis superuenientibus*, seu futuris *abundantes gratiæ suæ diuitias, in bonitate super nos in Christo Iesu.* Seu vt omnibus futuris hominibus constaret illam velut prodigam diuinæ munificentiæ profluentiam, qua donauit genus humanum, ex Christi meritis ortum habuisse. * Vt quam sis Christo Domino debitor ô ingratissime, agnoscas.]

Quam simus Christo debitores.

Gratia enim estis, seu gratuiti beneficio auxilij diuini *Saluati* (inchoate quidem, seu iustificati) *per fidem*, quæ ex libero arbitrij nostri consensu, & cooperatione cum Dei gratia præueniente elicitur. Vndè *non* est *ex nobis* solis, neque ex operum præcedentium merito; sed *Dei donum est* gratuitum. Quia etiam voluntarius, ac liber noster assensus non posset à nobis elici, nisi gratuita illustratione diuina præuenitemur, excitaremur, ac roboremur. Vnde initiũ iustificationis, & salutis nostræ haud potest dici *ex nobis esse*, sed necessariò diuinæ gratiæ est adscribendum. Cum igitur *Dei* sit *donum*, & non operum nostrorum meritum: nemo poterit in se gloriari. *Ipsius enim sumus factura*, seu figmentum corpore & animo, *creati in Christo Iesu in operibus bonis*, seu creati ad recta opera exercenda in Christi obsequium. *Quæ præparauit Deus* nobis ab æterno præordinando nobis dare gratias ad illa bona opera exerendum dum vtiles, ac necessarias, easque nobis in tempore subministrando, & per illas nobiscum cooperando: *vt* deinceps *in illis* via recta *ambulemus*. * Si ergò illa Dei auxilia, quibus rectè operamur, ex gratuito eius beneficio pendent, vt tempore opportuno donentur: quonammodò qui Deum quotidiè magis, ac magis eius iram delinquendo prouocant, accepturos ea certè, confidere audent? An existimant Deum sine fræno peccantes conferendi eis congruum auxilium facere debitorem?]

Ex Dei auxilio opportunè tibi addicto tua iustificatio, & salus pendet. Quomodò ergò audes peccare?

Vers. 11.12.13.14.15.16. *Propter quod memores estote, &c.*] Propter quod ô Ephesij, qui per contemptum *circumcisione in carne*, seu à Iudæis circumcisis dicimini præputium, seu præputiati, incircumcisi: *memores estote, Quia eratis* illo in tempore, quo idolis litabatis incensum, *alienati à conuersatione* Israël: *& hospites Testamentorum*, seu extranei, & alieni à pactis inter Deum & Israël initis, *promissionis* Messiæ venturi *spem non habentes*, vt habebant Iudæi. Imo eratis *sine Christo, & Deo*, seu sine cognitione Dei veri, & Christi Iesu. *Nunc autem in Christo Iesu*, seu propter eius merita *vos, qui aliquandò* longè versabamini à fide: *facti estis prope*, seu fidem iam profitemini Christi sanguine abluti, & rubricatæ gregis sui oues. *Ipse enim est pax nostra* non formaliter, sed causaliter, quia *fecit vtraque vnum*, seu vtrumque populum Iudaicum, & Gentilem in vna Ecclesia sua sub vno capite vniuit: *& medium parietem* (Græcè, *interstitium*) *maceria*, seu maceriam vel murum, qui medius erat, & Iudæos à Gentilibus separabat, *Soluit*, & simul *inimicitias*, seu causam perpetuorum odiorum ad dissensionum sustulit per mortem, quam *in carne sua* obiuit. Quod si scire libeat, quænam hæc maceria, vel murus? Dixerim esse *Legem mandatorum*, seu legem Mosis, quæ mandabat tantùm, nec gratiam conferebat, qua mandata complerentur. Hanc cum suis cunctis cæremonialibus *decretis* Christus *euacuauit*; seu aboleuit: *vt* duos illos populos antea ob illa decreta discordes *condat*, seu concordes iam factos recondat in semetipso, & sibi voico Ecclesiæ capiti vtrumque populum subiiciat, factum quidem vnum corpus Ecclesiæ, & quasi *vnum hominem nouum*, seu in nouitate vitæ ambulantem. Itaque Christus *per crucem*, seu mortem *suam pacem* fecit, & reconciliauit *ambos* populos *in vno* Ecclesiæ Christianæ corpore, Deo olim

irato:

irato: *interficiens*, seu abolens inimicitias inter Deum & homines: & inter vtrumque populum sæuientes *in semetipso*, dum Iudæos & Gentiles ad vnum Ecclesiæ corpus, cuius ipse caput, pertraxit. Nam per crucem exaltatus à terra omnia attraxit ad semetipsum.

Vers. 17. 18. 19. 20. 21. *Et veniens euangelizauit pacem, &c.*] Profectò adueniens Christus in terras: Euangelium pacis, gratiæque legem promulgauit *vobis, qui longè fuistis*, à Deo, à Christo, à salute confictæ deitati litantes obsequium: & vobis Iudæis Deo propinquis per eius notitiam, & legem, qua in eius cultu continebamini. *Quoniam per* Christum mediatorem, & pacificatorem nostrum *ambo*, seu tam Iudæi, quam Gentiles *accessum* habemus, seu aditum *in vno spiritu*, seu per eundem Spiritum sanctum excitati *ad* Deum *Patrem. Ergo iam*, ô Ephesij, non estis *hospites, & aduenæ*, peregrini & extranei, *sed estis ciues sanctorum* in eandem cum illis Ciuitatem, seu Ecclesiam adscripti: *& domestici Dei*, seu vna cum illis ad domum, cuius Paterfamilias est Deus, pertinentes: *Superædificati supra fundamentum Apostolorum & Prophetarum ipso summo angulari lapide Christo Iesu*, Vos autem qui Christi, capitis Ecclesiæ membra estis, eiusdem primarij fundamenti estis superædificatio, seu fabrica nitens super Apostolos, & Prophetas, seu super ipsorum institutionem & doctrinam tanquam super secundarium fundamentum totius Ecclesiæ: Christo existente primario, seu imo fundamento, *& lapide summo angulari*, qui præcipuus est in ædificio. *In quo omnis ædificatio constructa crescit in Templum sanctum in Domino*, siue ad gloriam fundamenti qui est Christus Dominus. In quo *& vos coædificamini in habitaculum Dei*, seu in Templum ad Dei habitaculum *in spiritu*, seu spiritu sancto huius præcelsæ fabricæ Opifice. * Si Templa Dei sumus, operæ pretium, imò operis huius decentia est, ne abominatio desolationis, seu voluptatum auaritiæ, superbiæ idola *in loco sancto*, seu qui debet sanctus esse, reperiantur.]

Si homo Dei Templum est, mundissimum esse oportet.

CAPVT III.

Beneficium vocationis Gentilium ad Christi Ecclesiam pergit extollere.

1. HVIVS rei gratia, ego Paulus vinctus Christi Iesu, pro
vobis Gentibus, 2. si tamen audistis dispensationem gra-
tiæ Dei, quæ data est mihi in vobis: 3. quoniam secun-
dùm reuelationem notum mihi factum est sacramentum,
sicut suprà scripsi in breui: 4. prout potestis legentes in-
telligere prudentiam meam in mysterio Christi: 5. quod
alijs generationibus non est agnitum filiis hominum, sicuti
nunc reuelatum est sanctis Apostolis eius, & Prophetis in Spiritu. 6. Gentes
esse coheredes, & concorporales, & comparticipes promissionis eius in Christo
Iesu per Euangelium: 7. Cuius factus sum minister, secundum donum gra-
tiæ Dei, quæ data est mihi secundùm operationem virtutis eius. 8. Mihi om-
nium sanctorum minimo data est gratia hæc, in gentibus euangelizare inuestiga-
biles diuitias Christi. 9. & illuminare omnes, quæ sit dispensatio sacramenti
absconditi à sæculis in Deo, qui omnia creauit. 10. vt innotescat principatibus &
potestatibus in cælestibus per Ecclesiam, multiformis sapientia Dei, 11. secun-
dùm præfinitionem sæculorum, quam fecit in Christo Iesu Domino nostro:
12. In quo habemus fiduciam, & accessum in confidentia per fidem eius. 13. Pro-
pter quod peto ne deficiatis in tribulationibus meis pro vobis: quæ est gloria ve-
stra. 14. Huius rei gratia flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Iesu Chri-
sti, 15. ex quo omnis paternitas in cælis & in terra nominatur, 16. vt det vo-
bis secundùm diuitias gloriæ suæ, virtute corroborari per Spiritum eius in inte-
riorem hominem, 17. Christum habitare per fidem in cordibus vestris: in cha-
ritate radicati, & fundati, 18. vt possitis comprehendere cum omnibus san-
ctis, quæ sit latitudo, & longitudo, & sublimitas, & profundum: 19. scire
etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi, vt impleamini in omnem
plenitudinem Dei. 20. Ei autem, qui potens est omnia facere superabundan-
ter quàm petimus, aut intelligimus, secundùm virtutem, quæ operatur in no-
bis: 21. Ipsi gloria in Ecclesia, & in Christo Iesu, in omnes generationes sæculi
sæculorum. Amen.

COMMENTARII.

I. *Beneficiũ vocationis Gentium ad Ecclesiam extollit Apostolus.* Labores iustis infligi, magnũ Dei est beneficiũ.

VERS. 1.2.3.4.5.6.7. *Huius rei gratia ego Paulus, &c.*] Ego Paulus hoc Euangelium *vobis Gentibus* prædicaui, & *huius rei gratia vinctus Christi sum* in hoc Romano carcere. * *Vinctus, ait, Christi sum.* Cur non dixit, Vinctus sum Pseudo-apostolorum, & tirannorum, sed Christi? Certè quià magni beneficij loco iustis à Domino labores excitantur. Fortè non iudicatis, me hac causa vinculis alligari: *Si tamen audistis, datam mihi dispensationem,* seu munus dispensandi vobis gratiam *Dei*, seu Euangelium, & salutem per Christum: non poteritis ignorare, quod huius rei gratia carceri addicar. * Nam veris Dei verbi præconibus agnata est impiorum persecutio. Quià inimicitias sibi conciliat veritatis prolatio.] Vt autem fructum laborum meorum percipiam, necessarium est, vt Euangelicæ doctrinæ meæ originem agnoscatis. Non est quidem hominum figmentum. *Quoniam secundum,* seu per reuelationem diuinam (dum primum conuerterer, & postmodum in tertium cælum raperer, innotuit *mihi Sacramentum*, seu mysterium arcanum vocationis Gentium ad Ecclesiam Christi, vt *supra* (duobus præcedentibus capitibus) *in breui*, seu paucis *scripsi: Prout potestis* ibi legere, *& legentes intelligere prudentiam*, Græcè, *intelligentiam meam* circa hoc mysterium. *Quod alijs generationibus*, seu superioribus sæculis, non tam clare, ac distinctè *agnitum est* vllis *filijs hominum*, ne Prophetis quidem veteris legis, *sicut nunc reuelatum est sanctis Apostolis, & Prophetis* legis nouæ à Spiritu sancto: nempe, *Gentes esse cohæredes & concorporales, & comparticipes*, id est, Gentiles esse eiusdem iam hæreditatis participes, eiusdem corporis mystici membra, earundem promissionum, seu per Christum Euangelicæ legis beneficio consortes. *Cuius* Euangelicæ prædicationis *factus sum minister, secundum donum gratiæ Dei*, quæ conuersionis die mira quadam *virtutis*, seu potentiæ eius manifestatione, cunctis comitibus meis admiratione affectis, fuit data. * Itaque verbi Dei esse ministrum, *donum est gratiæ Dei.* Video, hoc donum Deo dignum tam parui ab hominibus queisdam æstimari, vt magis appareat pœnam esse, quam donum. Cæterum huius pœnæ culpam penes nonnullos concionatores esse crediderim, qui sæculari stilo, minus ad sacra decenti sermone faciunt cælestis doctrinæ vim eneruari.]

Veris verbi sacri præconibus agnata persecutio.

Concionatorum minus decens stilus facit à nonnullis prædicatoris officium contẽni.

Vers. 8.9.10.11.12. *Mihi omnium sanctorum minimo, &c.*] Mihi quidem non solum Apostolorum, sed & omnium *sanctorum*, seu Christianorum minimo data est hæc gratia Gentibus euangelizandi, & proferendi inuestigabiles mysteriorum Christi diuitias tot sæculis absconditas: *Et illuminandi omnes*, seu in lucem ipsis proferendi, *quæ sit dispensatio Sacramenti*, siue quodnam & quantum sit istud iam communicatum nobis mysterium, vocationis Gentium, anteà prorsus absconditum in mente, consilio, ac prędestinatione diuina. *Vt*, dum illud in lucem proferimus, *innotescat*, non vobis solum, sed & *Principatibus & Potestatibus in cælestibus*, seu primariis beatis Angelis, *per Ecclesiam*, seu per ea quæ gesta in Ecclesia sunt temporis successu. Multa enim mysteria Christi, & Christianorum latuere initio Angelos, quæ paulatim per Ecclesiæ processum didicére, *Multiformis* itaque, seu multiplex *Sapientia Dei* reuelauit omnia, quæ reserari nobis voluit, *Secundum præfinitionem sæculorum*, seu iuxta ea, quæ à sæculis omnibus, siue ab æterno decreuit Deus beneficia Ecclesiæ conferre per Christum Dominum, In quo *habemus* totam nostram *fiduciam* collocatam. Eius enim beneficio *per fidem* possumus magna *confidentia* ad Deum Patrem accedere.

Vers. 13.14 15.16.17.18.19.20.21. *Propter quod peto, &c.*] Quapropter rogo vos magno cordis affectu, *ne deficiatis in tribulationibus meis pro vobis*, seu ne cadatis animo, aut nimium contristemini videntes, me vinculis alligari, quia vobis aliisque Gentibus Christum salutemque æternam euangelizo. *Quæ est gloria vestra*, nempe quod ego præceptor vester dignus habear tantas pro Christo calamitates tolerare. * Si gloria est aspectantium iustum videre patientem labores, quanta erit gloria ipsius, qui patitur?] * Illam particulam annota: *Ne deficiatis in tribulationibus meis pro vobis.* Videre namque aliquem pro me aliqua affectum molestia, magni mœroris causa esse assolet. Cur ergo non vberes profundimus lacrymas dum Dei Filium videmus tam dira pro nobis probra pati, tam horribilia tormenta sustinere?] *Huius rei gratia flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Iesu Christi* in reuerentiæ & subiectionis signum: rogans eum *ex quo omnis paternitas nominatur*, quià non solius Christi, sed etiam Angelorum in cælis, & hominum in terris Pater est, & hoc nomine ab omnibus colendus, & amandus: *Vt det vobis* virtute, seu constantia roborari *in interiorem hominem*, seu in gratiæ, & spiritus incrementum: & hoc *secundum diuitias gloriæ suæ*, seu vberrima profusione, sicut infinitum decet Largitorem. His autẽ diuitiis cælestibus opplebimini si dederit *Christum habitare* constanter *in cordibus vestris per fidem:* & in charitate radicari, & fundari. *Vt possitis cum omnibus sanctis*, seu Christianis (quibus idem deprecor) *comprehendere*, seu intelligere, *quæ sit altitudo, longitudo, sublimitas, & profundum*, seu quæ sint dimensiones immensurabiles perfectionis Christi, tam qua Deus est, quam qua homo. * In diuinitate *Latitudo* est *omnipotentia*, *Longitudo* æternitas *sublimitas* maiestas, *Profundum* Sapientiæ abyssus. At in humanitate solum contemplor beneficium redemptionis per crucem in qua video *Latitudinem* ad omnes homines. *Longitudinem*, quæ nullis terminis clauditur. *Sublimitatem* ad cælos vsque, nam eo deuexit Christum, & nos suo tempore euehet. *Profundum* vsque ad inferni nouissima, quo se virtus crucis extendit.] Oro *etiam*, vt possitis plenè *scire*, & pro dignitate æstimare *charitatem Christi supereminentem omni scientiæ*, seu excedentem omnem humanam cognitionem. *Vt impleamini in omnem plenitudinem Dei*, seu vt pleni sitis omni Sapientia qua Deus plenus est, quodammodo ex solida cognitione diuini incarnationis beneficij. * Ac si diceret: Tam præcelsum est beneficium Incarnationis, & Redemptionis, vt ad illud solide intelligendum, & pro dignitate ponde

Gloria sustinentis labores.

Christũ pati causa nostra, magnum est nostræ compassionis excitamentum.

Longitudo, latitudo, sublimitas & profundum Christi perfectionum.

Tota Dei sapientia quodãmodo necessaria est, ad solide intelligẽdum, & ponderandum incarnationis beneficium.

ponderandum, quasi tota Dei sapientia sit necessaria.] *Ipsi autem* Deo, qui potens est, nobis beneficia conferre abundantius, quam ipsi *petimus aut intelligimus* pro illa facultate, quam iam in nobis tot donatis muneribus experimur, sit *gloria in Ecclesia,* seu ipsum omnis Ecclesia glorificet tantis ab eo beneficiis obærata *in Christo Iesu,* siue per Christum Redemptorem, & saluatorem, *in omnes generationes seculi seculorum,* seu in omnes ætates. *Amen.* Beneficiis enim à Deo acceptis debet esse pedissequa gratiarum actio.]

Pedissequa debet esse gratiarum actio Dei beneficiis.

CAPVT IV.

Ad varias virtutes, speciatim ad fraternam charitatem hortatur.

1. OBSECRO itaque vos ego vinctus in Domino, vt dignè ambuletis vocatione, qua vocati estis, 2. cum omni humilitate, & mansuetudine, cum patientia, supportantes
inuicem in charitate, 3. solliciti seruare vnitatem Spiritus in vinculo pacis, 4. Vnum corpus, & vnus Spiritus,
sicut vocati estis in vna spe vocationis vestræ. 5. Vnus Dominus, vna fides: vnum baptisma. 7. Vnus Deus & Pater omnium, qui est super omnes, & per omnia, & in omnibus nobis. 7. Vnicuique autem nostrum data est gratia secundùm mensuram donationis Christi.
8. Propter quod dicit: Ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem: dedit bona hominibus. 9. Quòd autem ascendit, quid est, nisi quia & descendit primùm in inferiores partes terræ? 10. Qui descendit, ipse est & qui ascendit super
omnes cælos, vt impleret omnia, 11. Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos,
quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem pastores, & doctores, 12. ad consummationem sanctorum in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi: 13. donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis filij Dei, in virum perfectum in mensuram ætatis plenitudinis Christi:
14. vt iam non simus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ
in nequitia hominum, in astutia ad circumuentionem erroris. 15. Veritatem autem facientes in charitate, crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus: 16. ex quo totum corpus compactum, & connexum per omnem iuncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram vniuscuiusque membri, augmentum corporis facit in ædificationem sui in charitate. 17. Hoc igitur dico, & testificor in Domino, vt iam non ambuletis, sicut & Gentes ambulant in vanitate sensus sui, 18. tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati à vita Dei, per ignorantiam quæ est in illis, propter cæcitatem cordis ipsorum, 19. qui desperantes, semetipsos tradiderunt impudicitiæ, in operationem
immunditiæ omnis, in auaritiam. 20. Vos autem non ita didicistis Christum, 21. si tamen illum audistis, & in ipso edocti estis, sicut est veritas in
Iesu: 22. deponere vos secundùm pristinam conuersationem veterem hominem, qui corrumpitur secundùm desideria erroris. 23. Renouamini autem spiritu mentis vestræ, 24. & induite nouum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia, & sanctitate veritatis. 25. Propter quod deponentes mendacium, loquimini veritatem vnusquisque cum proximo suo: quoniam sumus inuicem membra. 26. Irascimini, & nolite peccare: sol non occidat super iracundiam vestram. 27. Nolite locum dare diabolo: 28. qui furabatur, iam non
furetur: magis autem laboret, operando manibus suis quod bonum est, vt habeat
vnde tribuat necessitatem patienti. 29. Omnis sermo malus ex ore vestro non
procedat: sed si quis bonus ad ædificationem fidei, vt det gratiam audientibus. 30. Et nolite contristare spiritum sanctum Dei: in quò signati estis in
diem redemptionis, 31. Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor,
& blasphemia tollatur à vobis, cum omni malitia. 32. Estote autem inuicem
benigni, misericordes, donantes inuicem, sicut & Deus in Christo donauit
vobis.

COMMENTARII.

Ad varias virtutes, ſpeciatim ad charitatem fraternam hortatur.

Proximus te ſibi grauem ſuffert: cum ergo tibi moleſtum ſoleſto.

1. VERS. 1.2.3.4 5.6. *Obſecro itaque vos, &c.*] Precor igitur, ego Domini cauſa vinculis illigatus: vt eam vitæ rationem ineatis, quæ vocationi, qua diuinitùs *vocati eſtis* reſpondere videatur, *Cum omni* modeſtia, ac manſuetudine, cum animi lenitate alij alios charitatis ergò *Supportantes.* * Nullus adeo perfectus qui non habeat aliquid, in quo grauis ſit proximo. Vndè ſi proximus te ei moleſtum tolerat, cum ſuffert tibi moleſtum: portantem te porta: onus hoc filiis hominum eſt agnatum] *Soliciti* ſitis, omni adhibito ſtudio, vt ſeruetis *ſpiritus vnitatem*, nempe vt in duplici corpore, ſeu in multis corporibus vnus vigeat ſpiritus *vinculo pacis* multis in vnicam quaſi eſſentiam adſtrictis. Siquidem Vnum corpus eſt Eccleſia, vno informatum ſpiritu. Cum autem vnus ſpiritus non poſſit à ſe ipſo diſſentire: vos qui vnus eſtis ſpiritus vnum corpus idem vos ſentire oportet; vt fruamini vna ſpe illa felicitatis æternæ, *ad quam eſtis vocati.* Neque verò de hoc vocationis veſtræ fine vlla poteſt eſſe inter vos diſceptatio. Vocati eſtis ad ſeruiendum: vna Eccleſia, vnum corpus, vnus ſpiritus Deo, qui *Vnus eſt Dominus*: & Chriſto, qui vnus eſt Redemptor. Obſequi veſtri materia eſt. *Vna fides*, quam omnes profitemini: *vnum Baptiſma*, quo eſtis regenerati. *Vnus* Deus, quem colitis: *vnus Pater omnium*, qui pari dominio ſuper nos omnes eſt: cuius prouidentia per omnia nullo excepto, ſe extendit: & qui innumeris beneficiis collatis, *in nobis omnibus* relucet. Ergò inter tot vnitates, quomodo charitas non nos vnum efficiet? Certè qui charitate colligantur, Dei ipſius, & Chriſti Domini fiunt æmulatores, quia ſcilicet Deus, & vnus eſt, Dominus, & Chriſtus vnus omnium ſeruator.]

Qui cum ſint multi ex charitate in vnũ coaleſcunt & vnitatis Dei fiunt æmulatores.

Verſ. 7.8.9.10. Vnicuique autem noſtrum, &c.] Quod autem attinet ad gratiam neceſſariam, vt finem illum, aſſequi valeamus: *Vnicuique noſtrum talis*, ac tanta *data eſt gratia*, quantam, & qualem placuit admetiri ſingulis pro menſura gratuitæ *donationis Chriſti*, ſeu ipſius meritorum intuitu. Vnde nemo ſuperbire, nemo queri, nemo alteri inuidere debet: ſed quiſque quod accepit, ad ſumpſius, & ad communem totius corporis vtilitatem conferre tenetur. *Propter quod.* ſeu ad quam donorum Chriſti gratuitam diſtributionem nobis indicandam, dicit Scriptura Pſal. 67. 19. *Aſcendens* Chriſtus *in altum*, ſeu cælum, & trahens eo ſecum iuſtorum animas antea apud inferos in limbo captiuas, multiplicia inde *dona* tranſmiſit *hominibus* in terram, non ſolùm in proxima Pentecoſte, ſed omnibus etiam ſubſequutis temporibus. *Quid autem aſcendit* Chriſtus in cælum, *quid eſt*, quid ſibi vult? quid innuit? *niſi* quod ipſe iam ante deſcenderat *in inferiores*, Vatablus, in infimas *partes terræ*, ſeu in infernum, vbi erat limbus patrum, vel Abrahæ ſinus. * Quorſum hæc? Certè Apoſtolus meminit profundiſſimi huius deſcenſus Chriſti, vt Epheſij inculcet humilitatem, quæ mater eſt: en nutrix concordiæ, & charitatis fraternæ, ad quam hic illos allicere curabat: ſicut ſuperbia diſcordiæ & inuidiæ exiſtit origo.] *Qui* igitur *deſcendit, ipſe eſt & qui aſcendit.* * Ad aſcenſum namque glorioſum neceſſaria eſt humilitatis abiectio.] Aſcendit, inquam, *ſuper omnes cælos*, ſuper totum etiam cælum Empyreum: *vt impleret omnia*, quæ Prophetarum vaticiniis de hoc aſcenſu extabant. *Vt impleret omnia*, ſeu totam Eccleſiam, imo mundum vniuerſum ſua munificentia; nempe omnis generis donis gratiis, ſignis, miraculis, & ſui nominis ſplendore. * Aſcenſioni Chriſti debemus vt omnia impleat? Ergò ei offeramus omnes vaſa vacua non pauca vt ſuæ munificentiæ cæleſti oleo repleat.]

Humilitas eſt mater fraternæ charitatis.

Ad aſcẽſum glorioſũ neceſſaria eſt humilitatis deſcenſio.

Offeramus Chriſto aſcẽſionis die vaſa vacua non pauca, ſiquidem implet omnia.

Verſ. 11.12.13.14.15.16. Et ipſe dedit quoſdam, &c.] Voluit itaque Chriſtus donorum largitor, quoſdam in Eccleſia eſſe *Apoſtolos*, quoſdam *Prophetas*, alios *Euangeliſtas* ſeu Euangelij præcones, alios autem Paſtores, ſeu Epiſcopos, alios verò *Doctores.* * Siue legere aptius libeat: *Alios Epiſcopos Doctores.* Muneri enim Epiſcupali agnatum eſt docere ſubditos. Nec enim ſemper ſuo muneri ſatisfaciunt, committendo aliis ſubditorum eruditionem.] Id verò geſſit horum munerum cæleſtis inſtitutor, *Ad conſummationem ſanctorum*, ſeu ad inſtruendos fideles perfecta, conſummata, omnibuſque partibus abſoluta ſanctitate (Græcus ſic) *in opus miniſterij*, ſiuè Apoſtolus, Propheta, Paſtor, Doctor plenè opus miniſterij ſibi crediti exerceat: *in ædificationem corporis Chriſti*, ſeu Eccleſiæ. Vt illa ceu ædificium ſpirituale ſenſim aſſurgat, numeroque fidelium, ac virtutibus proficiat, donec tandem omnibus ſuis partibus ornatúque debito conſummetur. *Donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis Filij Dei in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti.* Id eſt, Deſudare debet Paſtorum induſtria, donec tandem aſſequantur continua monitione, vt omnes euadamus in viros perfectos, in menſuram ætatis plenæ non illius quidem, quæ annorum numero computatur; ſed quæ fidei vnitate, & certiore ac firmiore Chriſti cognitione, quotidie grandior efficitur, vegetior, ac robuſtior. Effecti autem viri perfecti *occurremus*, ſeu perueniemus ad æmulandam pro humano captu perfectiſſimam illam plenam omninò Chriſti Domini virilem ætatem. * Certè dum Paulus monet, debere nos proficere in ſpirituali vita vſque ad ætatis Chriſti plenitudinem, non aſſerit, poſſe nos illam vnquam æquare, ſed ſuadet vt tendamus ad illam: innuens, nunquam in via ſiſtendum, ſed ſemper ad perfectiorem gradum obtinendum conari debere] *Vt iam non ſimus paruuli fluctuantes*, ſeu puerorum inſtar, paſſim propoſitam circa fidem ſententiam mutemus: & vt *non circumferamur* in hanc & illam partem, ſicut arundo leuis, *omni vento*, ſeu impulſu cuiuſcumque *doctrinæ* ſeu veræ, ſeu falſæ nobis afflatæ *in nequitia* ſeu ob nequitiam peruerſorum *hominum* qui *aſtutia*, fraude, & dolos nos circumueniunt, & in *errores* pertrahere affectant. His quaſi viri in plena ſpirituali ætate ſeu ſolida fide, & conſtantia Chriſtiana obſiſtamus: vt *Facientes veritatem*, ſeu ſectantes veram Doctrinam, *charitate* ſeu charitatis operibus expreſſis *creſcamus per omnia in illo*, Chriſto videlicet, ſeu virtute & influxu eius.

Agnatum eſt Epiſcopali muneri, ſubditos docere.

In ſtudio perfectionis ſemper ad perfectiora curre, nunquam ſiſtere decet.

Qui

Qui quidem vt est *caput* omnium Ecclesiæ membrorum, ità *ex ipso* totum Ecclesiæ *corpus* habet, quod sit *compactum*, vt oportet, & membrum membro *connexum*, & arctissimè cohærens *per omnem iuncturam administrationis*, seu per mutuam vnionem, charitatis, & virtutem cunctarum: *secundum operationem*, seu ex vi intus agente, scilicet efficacia gratiæ, quam Christus, instar capitis in singula membra influit, illa viuificans, & vegetans *in mensuram*, seu pro exigentia *vniuscuiusque*: atque ità vi eiusdem gratiæ Christi *facit augmentum* proprij corporis, seu suiipsius: nam per illam corpus Ecclesiæ seipsum auget, ædificat, ac perficit.

Vers. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. *Hoc igitur dico. &c.*] Hoc itaque dico: & etiam atque etiam *in Domino*, seu per Dominum obtestor: ne pristinam vitæ rationem irrationabilem quidem repetatis vt olim, & vt Gentes in mentis suæ vano errore versantur: *Tenebris obscuratum habentes intellectum*, ob ignorantiam, quæ *est in illis* ortam ex cordis cæcitate, alienati à vita Dei, qua verum corpus Christi, seu Ecclesia fruitur. * *Vita*, inquam, *Dei*, id est, vita secundum Deum, & præcepta diuina. Qui ergo Dei præcepta obseruat, quasi Deus est, siquidem Dei vitam agit.] Non sitis igitur rursum sicut Gentes, quæ *desperantes* salutem, & vitam æternam, *semetipsos tradiderunt impudicitiæ, & in operationem immunditiæ omnis*, seu se proruunt in quæuis scelera obscœna, & infanda, idque *in auaritiam*, seu cum excessiua & inexplebili luxuriandi auiditate. * Loco illius particulæ: *Desperantes* est in Græco *dedolentes*, seu non dolentes de peccatis suis. Quod proprium est eorum, qui luxuriei vitio addicuntur. Etsi enim aliquando ad pœnitentiæ sacramentum accurrant, sæpissimè inanis est, & sacrilega confessio ob defectum doloris, & propositi vlterius non peccandi.] * *Desperantes* (vti alij exponunt) seu conscientiæ remorsum non habentes: vnde bibunt sicuti aquam iniquitatem. Huiusmodi hominibus quasi desperata est salus: sicut desperata est vita eius, qui sine frœno equo insidet per præcipitia cæco impetu currente.] * *In auaritiam*, ait. Comparatur aptè effrænata luxuria cum auaritia, quæ quidem nunquam dicit: sufficit.] *Vos autem non ita didicistis Christum*. Vos ô Ephesij, haud ita, me magistro Christi legem edocti estis, quæ non modo ab his sceleribus abhorret: sed miram quandam puritatem prædicat, & à suis cultoribus exigit, *si tamen illum* seu Christum in me loquentem *audistis, & in ipso*, seu iuxta ipsius fidem synceram edocti estis, pseudo-apostolorum doctrinam contemnentes. Docet quidem Iesus *Vos, deponere*, seu exuere *veterem hominem* pristinam *conuersationem* aborrentes. Qui quidem vetus homo *corrumpitur*, & computrescit in dies, pro vt magis ac magis obsequitur *erroris desiderijs Renouamini autem spiritu mentis vestræ, & induite nouum hominem*, seu nouam mentem, nouam vitam, nouum vigorem spiritualem. *Qui secundum Deum creatus est in iustitia & sanctitate veritatis*, seu ad ipsius Dei perfectam imaginem & exemplar est reformatus, & quasi creatus de nouo, *in seu per sanctitatem veritatis*, siue sanctitatem non fucatam, sed veram. Hic renouato *spiritu mentis*, seu gratiæ vi menti à spiritu sancto indita. * Porrò hæc Pauli sententia aptum societatis nostræ institutioni (qua semel & iterum in anno renouatio spiritus imperatur) dat argumentum.]

Vers. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. *Propter quod deponentes mendacium, &c.*] Vt autem tanquam nouos homines, renouatos spiritu vos viuere ostendatis: *deponentes*, seu reijcientes quidquid mendacij speciem exerat, *loquimini veritatem vnusquisque cum proximo suo: quoniam sumus inuicem membra*. Vnum enim membrum alteri non mentitur, non decipit alterum, sed vnum quodque alteri est fidele.* Itaque sicut quando membrum vnum alijs est infidele aliqua laborans noxa, totius corporis constitutio perturbatur: haud aliud in sancta communitate vnus socius mendax eam sufficit perturbare.] *Irascimini*, cum ratio & necessitas cogit: nempè aut eum subditos corripiendus sit, aut eum Pseudo-Apostoli repellendi: sed *nolite peccare*, seu iram sic frænate, vt in Deum, vel proximum non peccatis. Sit autem illa licita, aut minus licita, *sol non occidat super iracundiam vestram*: illicita, vt omnino aboleatur: licita verò, ne processu temporis declinet in vindictam. * Sæpè enim sub fraternæ, aut paternæ correptionis specie quæ licitè, ac sanctè ira cœpit; si non mox desinat, nimium assolet cruentari.] *Nolite locum dare diabolo*. Ne fortè in iracundia, sancta alias diabolus locum inuenire possit. *Qui furabatur, iam non furetur*, licet ad furtum eum excitet egestas: *magis autem*, seu potius vt egestati succurrat, laboret, operando manibus suis, *quod bonum est*, seu sufficiens; vt habeat, vndè sibi *patienti tribuat necessitatem*, seu necessaria prouideat. * *Operando*, ait, *quod bonum est* Seu opificium exercendo non turpe aliquod vel indecorum, vel illicitum; sed *bonum* honestum, vtile. Mihi credite, officij illiciti exercitationem non sublenare pauperiem, sed augere.] *Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat*, malus inquam, qui vel lasciuia, vel scurrilitate, vel alio simili vitio sit infectus. *Sed si quis bonus, ad ædificationem fidei*, seu vel in sermone bono seu licito & non infecto proferendo, studete, vt tendat ad audientium vtilitatem, nempe ad ædificationem, seu promotionem fidei: *vt det gratiam audientibus*, seu ad progressum in gratia, ad pietate & in virtutibus alliciat. *Et nolite contristare Spiritum sanctum Dei*, seu passionibus vestris obsequendo, verba iè noxia proferendo contra proximum, aut eius famæ detrahendo, nolite offendere Spiritum sanctum: *in quo*, seu per quem in Baptismo, & Confirmatione *signati estis* interna, & copiosa gratia, qua tam peculiari nota *in die redemptionis*, seu quando ab hac vitæ ærumnosæ captiuitate liberamini, ab ipso Domino dignoscemini, nec illud pronunciabit: *Nescio vos*. * Quoties verba iocosa profers, queis proximus pungitur: dum audientes ad risum, & lætitiam excitatur, Spiritum sanctum contristare intendis.] *Omnis amaritudo*, seu verbum amarum, quo proximis offenditur: *ira*, *indignatio*, *clamor* inordinatus, *blasphemia*, seu Græcè, maledicentia, aut conuitium, *cum omni malitia*, seu quacumque actione virtuti contraria, *à vobis tollatur*. *Estote autem inuicem benigni*, comites, suaues, blandi: (quod amaritudini opponitur.) *misericordes*, bonorum viscerum; His-

Qui Dei præcepta obseruat, quasi Deus est.

Luxuriei nimiû addicti, rarò cû dolore, & proposito vlterius non peccandi Confessionem agunt. Qui sine cõscientiæ remorsu peccant, habent reprobationis signa.

Luxuriei vitium nunquã dicit: sufficit.

Renouatio spiritus societatis Iesu oluntis frequens.

In cõmunitate religiosa vel vnus socius mendax, eam perturbat.

Vel sancta iracundia nô diu perm ttenda est procedere, ne in vindictã declinet.

Officij illiciti exercitatio non sublenat paupertatem, sed auget.

Iocosis verbis, queis auditores ad risum excitantur, Spiritus sanctus contristatur, noster eo offenditur.

pane dixeris: *Hombres de buenas entrañas: donantes inuicem iniurias: sicut Deus in Christo condonauit vobis*, seu quemadmodum Deus per Christi Filij sui meritia vobis crimina condonauit. * Qui igitur proximo non condonat offensam, haud potest illud Dominicæ orationis proloqui. Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.] Qui non condonat proximo iniuriã, haud potest orationẽ Dominicam viliter recitare.

CAPVT V.

Ad Dei, & Christi imitationem hortatur. Iubet vxores viris subiectas esse: viros autem vxores amare.

1. ESTOTE ergo imitatores Dei, sicut filij charissimi: 2. & am-
bulare in dilectione, sicut & Christus dilexit nos, & tradidit
semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem
suauitatis. 3. Fornicatio autem, & omnis immunditia, aut
auaritia, nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos: 4. Aut
turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem
non pertinet; sed magis gratiarum actio. 5. Hoc enim sci-
tote intelligentes, quod omnis fornicator, aut immundus, aut auarus, quod est
idolorum seruitus, non habet hæreditatem in regno Christi & Dei. 6. Nemo vos
seducat inanibus verbis: propter hæc enim venit ira Dei in filios diffidentiæ. 7. No-
lite ergo effici participes eorum. 8. Eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem
lux in Domino. Vt filij lucis ambulate: 9. Fructus enim lucis est in omni boni-
tate, & iustitia, & veritate: 10. Probantes quid sit beneplacitum Deo: 11. &
nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum, magis autem redarguite.
12. Quæ enim in occulto fiunt ab ipsis, turpe est & dicere. 13. Omnia autem,
quæ arguuntur, à lumine manifestantur: omne enim, quod manifestatur, lumen
est. 14. Propter quod dicit: Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illumina-
bit te Christus. 15. Videte itaque fratres, quomodo cautè ambuletis: non quasi
insipientes, 16. Sed vt Sapientes: redimentes tempus, quoniam dies mali sunt.
17. Propterea nolite fieri imprudentes, sed intelligentes quæ sit voluntas Dei.
18. Et nolite inebriari vino, in quo est luxuria: sed implemini Spiritu sancto,
19. Loquentes vobismetipsis in psalmis, & hymnis, & canticis spiritualibus, can-
tantes & psallentes in cordibus vestris Domino, 20. Gratias agentes semper pro
omnibus, in nomine Domini nostri Iesu Christi, Deo & Patri, 21. Subiecti inui-
cem in timore Christi. 22. Mulieres viris suis subditæ sint, sicut Domino: 23. Quo-
niam vir caput est mulieris: sicut Christus caput est Ecclesiæ: Ipse, saluator corpo-
ris eius: 24. Sed sicut Ecclesia subiecta est Christo, ità & mulieres viris suis in om-
nibus. 25. Viri diligite vxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & se-
ipsum tradidit pro ea, vt illam sanctificaret, mundans lauacro aquæ in verbo vitæ,
27. Vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut ru-
gam, aut aliquid huiusmodi, sed vt sit sancta & immaculata. 28. Ita & viri debent
diligere vxores suas vt corpora sua. Qui suam vxorem diligit, seipsum diligit.
29. Nemo enim vnquam carnem suam odio habuit: sed nutrit, & fouet eam, sicut
& Christus Ecclesiam: 30. Quia membra sumus corporis eius, de carne eius &
de ossibus eius. 31. Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem suam, & ad-
hærebit vxori suæ: & erunt duo in carne vna. 32. Sacramentum hoc magnum
est, ego autem dico in Christo & in Ecclesia. 33. Verumtamen & vos singu-
li, vnusquisque vxorem suam sicut seipsum diligat: vxor autem timeat virum
suum.

COMMEN

COMMENTARII.

Ad Dei, & Christi imitationem hortatur.

1. VERS. 1.2.3.4.5. *Estote ergò imitatores Dei, &c.*] Filij, quos pater diligit, affectuosè curant, eius exequi imperia, eius adeò conformare placito, vt eadem illius esse videantur essentia. Igitur ô Ephesij, quibus Deus tot dilectionis documenta præstitit, estote quæso Dei imitatores sicut filij, quo cælestis Pater sibi charissimos esse monstrauit. * Amans enim nos iure exigit à nobis redamari.] *Et ambulate in dilectione*, seu dilectioni fraternæ augendæ studium impendite, vt vos inuicem ametis, æmulati procurantes illum Christi Domini affectum, quo *dilexit nos*, haud quidem verbo tenus: opere namque illud ostendit tradens *semetipsum in oblationem*, seu in victimam, & *hostiam Deo* gratissimam suauissimo perfusam odore. Illud expende: *Ambulate in dilectione.* * Eius, qui aliquem, aut aliquid diligit, proprium est, gressu solicito ad id quod assequi exoptat, incedere. Qui ergò diligit proximum solicite debet pergere ad omnia officia, queis in illum charitas exercetur.] *Fornicatio* autem, & omnis immunditia, aut auaritia *nec nominetur* inter vos, sicut decet eos, qui Christianam disciplinam, & sanctitatem profitentur. * Sunt aliqua vitia, quorum vel nomen castas aures offendit. Tum autem luxuria nominatur, cum verba aliqua minus pudica proferuntur. Ab huiusmodi verbis abstinere oportet, qui se castitatis cultorem esse profitetur.] *Aut turpitudo, aut stultiloquium*, seu excessus in iocis, seu (vt Hieronymus) fatuarum, & ineptarum narratio fabularum; *aut scurrilitas* (cum quis ridiculis facetiis vtitur) *quæ* quidem *ad rem non pertinet.* * Huiusmodi enim facetiæ præcipuè in concione ad verba, vel sonum pertinent, non *ad rem*; sunt profectò sine re vacuus sonus.] *Sed magis gratiarum actio*, sed Deo continenter gratias agite. * Nam cum in eo viuamus, moueamur, & simus: nullum instans est temporis, in quo eius beneficiis non donemur: vnde nullum deberet instans præterire, in quo actionem gratiarum ei non litatemus.] *Hoc enim scitote intelligentes*, seu si intelligitis, & non estis bruta animantia: *quod omnis fornicator, aut immundus, aut auarus* qui est cultor idolorum. (Græce, *qui est idololatra*) *non habet hereditatem in Regno Christi, & Dei*, seu cælesti Regno non potietur. * Auaritia igitur *est idolorum seruitus.* Quia auarus signatas nummorum suorum colit effigies, pro Deo diligit, sicut idololatræ statuas aureas, & argenteas: nec audet idolum suum contingere, pro Templo arca & vectibus illud sepit tanto studio, vt malit animam perdere, quam thesaurũ. Vnde nihil thesaurus auaro proficit, quia pecuniæ ex auaritia collectæ agnatum est semper abscondi, nec ad auari vsus vnquam comparere.]

Deus amans nos iure à nobis redamari exigit.

Amor in proximũ debet esse solicitus, ad eius cõmoda procuranda.

Qui verò cupit esse castus, à verbis minus pudicis abstineat.

Facetiæ in concione sũt sonus sine re.

Per instantia singula à Deo recipientes beneficia, instantibus singulis gratias ei agere debemus.

Idolorũ seruitus est auaritia.

Thesauro auari agnatũ est sẽper abscondi, & nũquã ad eius vsum cõparere.

Vers. 6.7.8.9.10.11.12.13.14. Nemo vos seducat, &c.] Iis, qui curant vos à fide, ac rectis moribus abducere non credatis, nec vos *inanibus verbis* seducant. *Propter hæc enim venit ira Dei in filios diffidentiæ*, seu propter hæc vitia fornicationis vel immunditiæ, vel auaritiæ venire, & sæuire assolet Dei vindicta in *filios inobedientes* (Græce sic) seu in eos qui Dei legi hæc prohibenti non obediunt. *Nolite ergo effici participes eorum*, seu date operam, nè vos vlla eorum vitiorum macula vel leuiter aspergat, vt huiusmodi pœnam non subeatis. *Eratis enim aliquandò tenebræ* cæcis erroribus circumsepti: *nunc autem lux in Domino*, seu Dei beneficio cælesti luce perfusi. Igitur *vt filij lucis ambulate.* Nec enim nisi affectare potest impingere, qui secum lucem gestat. (*Fructus* namque *lucis* est fugare tenebras, gressus dirigere: itaque incedite *in omni bonitate, & iustitia, & veritate. Probantes* seu exquirentes, & inuestigantes *quid sit beneplacitum* & acceptum Deo; vt illud impleatis. * Communis Christianorum proba vita est, seruare præcepta. At eorum, qui perfectioni student, proprium est adiicere studium vestigandi semper in quo possint grati vlterius, gratiores, & gratissimi obiici conditori. *Et nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum*, seu nolite gerere peccata sordida, & fœda, quæ tenebras captant, instar tenebrionum. *Magis autem redarguite*, seu vos qui filij lucis estis redarguite contrariis operibus, quæ supra versicul. 9. lucis fructus vocaui, siue sanctæ doctrinæ. *Quæ enim in occulto fiunt ab ipsis, turpe est, & dicere*, infandas enim libidines perpetrantur. *Omnia autem, quæ arguuntur*, vel arguenda sunt tenebrarum sordium, & errorum, nonnisi à tali *lumine manifestantur. Omne enim* opus quantumcumque tenebrosum *quod*, & quando lumine vestro *manifestatur*, & manifestum corrigitur, non manet autem tenebrosum, sed, abiectis tenebris, *lumen est*, seu in luminosum opus fidei, ac continentiæ mutatur. * Huc quidem pœnitentiæ est priuilegium, vt ipsa peccata eorum, qui verè ad Dominum conuertuntur, quodammodo emittant splendorem; & quod olim cum patrabantur, erant peccatoribus tenebrosum in vituperium, iam in *lumen* commendationis conuertantur. * Testor Petrum, Paulum, Magdalenam, Matthæum, quibus de pristinis tenebrosis criminibus tam seriò pœnituisse, in lumen specialissimæ laudis refluere videtur. *Propter*, seu, ad quod studium pellendi peccatorum tenebras acuendum, dicit Deus Isa. 60.1. *Surge* ô peccator è scelerum tenebris, somnum excute, qui dormis somno peccati: *& illuminabit te* Sol iustitiæ *Christus* Quod ergo Isaias Iudæis inclamat, *Surge, illuminare Ierusalem, quia venit lumen tuum*, id est, Christus: hoc omnibus peccatoribus Paulus accommodat.

Perfectioni studenti propriũ est, vestigare in quo magis possit placere Deo.

Pœnitentia facit præterita hominum crimina tenebrosa quodammodo splendescere.

Peccata Petri, Pauli, Magdalenæ, &c. post pœnitẽtiam certum quoddã lumen acquisierunt.

Vers. 15.16.17.18.19.20.21. Videte itaque fratres, &c.] Itaque ô Ephesij fratres, vestris gressibus cautelam adiicite, ne impingere contingat: *cautè* ambulate, *non quasi* insipientes, qui libidini seruiunt: *sed quasi sapientes* castimoniæ amatores. * Equidem luxuriæ vitium inscitiam ingenerat. Vndè aiebat Paulus cap. præcedenti de iis, qui voluptatibus dabant studium: *obscuratum habentes intellectum.*] *Redimentes tempus*, Græcè, *ementes opportunitatem.* Omni pretio, & quantumuis rerum dispendio, mercatorum instar, occasionem in via virtutis proficiendi, captate. * Si omnium rerum dispendio deberet tempus emi ad rectè operandum: quomodo ô peccator tam longum tempus,

Vitium luxuriæ inscitiam ingenerat.

Tam pretiosum est tempus, vt summo pretio emi debeat.

pus, quod non pretio, sed gratis tibi à Domino datur, inutiliter præterire permittis. Proh tam pretiosi thesauri prodigum contemptorem!] Nisi velis tempus à captiuitate redimi.

Quàm prodigi sint pretiosi têporis peccatores

Nam cum iniustis operibus impenditur, quasi in dira captiuitate detinetur suo illo pretio priuatus ex peccati tyrannide.]

Tempus peccatoris in captiuitate moratur.

Redimentes inquam *tempus, quoniam dies mali sunt.* Dies præsentis vitæ multis sunt periculis, tentationibus, & ærumnis expositi, quæ sæpè naufragia pariunt. Aptius dixeris: Redimite tempus à captiuitate, qua premitur; quoniam dies qui in peccando insumuntur, mali sunt, innumeris ærumnis agnati.

Nulla dies bona peccatori elucescit.

* Qui ergo diligit dies videre *bonos*, à peccato recedat, nulla enim dies bona peccatoribus elucescit.] *Propterea nolite* fieri imprudentes, dum peccando existimatis dies bonos vobis sortituros, quos nullatenus assequemini: *sed intelligentes, quæ sit voluntas Dei*, & illam executioni mandantes diebus bonis admodum potiemini.

Omnes dies semper sunt boni iustis.

* Nullus dies est malus ei, qui diuinæ voluntatis præscripto semper hæresçit. Nam cum ipsius voluntas Dei voluntati subest, exerente Deo sua voluntate, semper iustus propriam suam exeret Boni igitur ei omnes dies erunt, cum in illis suam agit voluntatem.] *Et nolite inebriari vino, in quo est luxuria.*

Luxuria in vino.

* Nam venter mero æstuans despumat in libidines.] *Sed implemini spiritu sancto,* cuius æstus in virtutum feruorem erumpit. *Loquentes vobismetipsis*, seu mutuo inter vos de rebus ad salutem attinentibus, *& hymnis, &c.*] Psalmos, hymnos, cantiones spirituales modulate voce: vel intimo cordis affectu Deo psallite.

Oratio appositum est contra luxuriam medicamen.

* Ad orationem vocalem, & mentalem eos allicere curat Apostolus, vt luxuriæ *vino* non inebrientur. Oratio enim appositum est ad extinguendas libidinis flammas, medicamen.] *Gratias agentes semper pro omnibus* beneficiis *Deo Patri* eorum largitori: idque in nomine Christi Domini, cuius intuitu cunctis donamur. *Subiecti inuicem in timore Christi*, id est, alter alteri filius parentibus, subditi superioribus: cum timore offendendi Christum, qui factus fuit pro nobis obediens vsque ad mortem, si secus feceritis.

Subditi inobediêtes propriè dicuntur Christum offendere.

* Certè subditi inobedientes dicuntur proprie Christum offendere, cuius omnis vita exemplum extitit obedientiæ. Vndè Paulus cum posset dicere vt sæpè alibi. *In timore* Dei, hîc scripsit, *In timore Christi.*]

2.

Iubet vxores viris esse subiectas: viros eas amare.

Vers. 22 23. 24. 25. 26. 27. 28. *Mulieres viris suis, &c.*] Vxores suis maritis *subditæ sint, sicut Domino* Christo, quem in viris suis (locum eius tenentibus) reuereri debent: Hinc contineatur vxor, nec audeat in maritum probra iactare. In Deum enim ipsum id recidit opprobrium. Curent autem mariti vxoribus se deos, nô dæmones præstare.] *Quoniã vir caput est mulieris: sicut Christus caput est Ecclesiæ.* Ergo quemadmodum Christus saluator est Ecclesiæ, & in omnia eius membra munificus influit: sic maritus vxoris debet esse tutor, protector rerum ad eius corpus spectantium, haud auarus promotor.] *Sed sicut Ecclesia subiecta est*, Christo: ita & vxores *in omnibus* viris suis subiectas esse oportet.

Vxor marito sicuti Deo subiiciatur Maritus debet Christus esse vxoris.

* *In omnibus*, inquit, subiecta sit suo marito vxor. Necenim huic satisfacit obligationi, non violando thalamum, si alias in reliquis honestis viri abscedat directione.

Vxores in omnibus viris debent esse subiectæ.

* O quot vxores ab huiusmodi subiectione omninò eximuntur dictitantes: Casta sum, seu vt vulgariter exprimam: *Soi muger honrada:* & id solummodo putant sufficere!] Quid autem vir in vxorem sibi subiectam agere debeat, adiicit. *Viri, diligite vxores vestras*, quomodo & Christus Ecclesiam dilexit, se pro ea morti sponte obiiciens. *Vt illam* sanctificaret expians lauacro Baptismi, verbo diuino adhibito: *Ego te baptizo, &c.*] *Vt exhiberet sibi* (inchoate in terris, complete in cælis Ecclesiam quasi selectissimam sponsam non solum *non habentem maculam, aut rugam*; sed etiam *gloriosam*, seu (vt Græcus) multo decore & gloria illustrem, *sanctam* scilicet, & *immaculatam. Ita* igitur: *& viri debent diligere vxores suas vt corpora sua* propria; sunt enim *duo in carne vna* Gen. 2. 24. Vndè vir eam debet nutrire, fouere, ornare, sicut proprium suum corpus.

Quod vir suo corpori non admitteret incômodû, vxori suæ nô debet admittere.

* Et quidquid ipse suo corpori non admittit incommodum, intelligat vxori suæ, quæ corpus suum est, non admittendum.] Quapropter *qui suam vxorem diligit, seipsum diligit.* Vnica enim sunt quodammodo essentia.

Vers. 29. 30. 31. 32. 33. *Nemo enim inquam carnem suam odio habuit: sed nutrit, & Christus Ecclesiam.* Si vxor est caro de carne mariti, siue duo spiritus in carne vna morantur, necessum est vxores à viris amari, nemo enim sui corporis est inimicus. Foueant ergo viri vxores ad Christi imitationem, qui cum sit Ecclesiæ Caput, corpus suum amat, & fouet: *Quia membro sumus corporis eius, & de carne & ossibus eius* in cruce dormientis mysticè efformati: sicut ex Adamo corporaliter formata Eua fuit. *Propter hoc relinquet homo patrem, ac matrem suam, & adhærebit vxori suæ* magno dilectionis affectu: *& erunt duo in carne vna*; vt discant se inuicé amare. *Sacramentum hoc magnum est.* Primum hoc matrimonium & omne aliud deinceps tam veteris, quam nouæ legis est sacramentum magnum, seu signum rei sacræ, nempè *in Christo, & in Ecclesia.* id est, Christi & Ecclesiæ repræsentatiuum, seu desponsationis Christum Ecclesia factæ in incarnatione: qua Christus visus est, quasi reliquere. Patrem suum, postea etiam & Matrem suam Synagogam, vt Charissimæ Ecclesiæ adhæreret: Christiana vicissim Ecclesia diabolo, parente olim relicto, & matre infidelium cœtu, Iesu hæsit sponso. *Verumtamen & vos singuli, &c.*] Vndè ego Paulus vos hortor, ô coniuges, vt amorem hunc coniugalem excitetis, & foueatis: atque ita mysterium, seu sacramentum, quod repræsentatis, re expleatis ipsa. Vnusquisque vxorem suam sicut seipsum diligat, *vxor autem* diligat, & *timeat virum suum*, id est, veneratione, obsequio, ac reuerentia prosequatur. Sicut dicimus timere Deum, illum qui eius custodit imperia, & iuxta eius degit voluntatem. Nec enim erit matrimonium iuxta Dominicæ desponsationis exemplar illud coniugium, vbi vir non diligit vxorem, & virum vxor non reueretur.]

Vbi vir non amat vxorê, & vxor virû non reueretur, haud adest Christi desponsationis significatio.

* At maritus experit vxorem ei exhibere obsequium, eam diligat sicut seipsum: amantem amabit, amanti autem graue non erit dilectum sponsum timeri, & eius obsequi voluntati.]

Si maritus vxorem diligit, vxor virû reueretur.

CAPVT

CAPVT V.

Docet, quale sit filiorum ergà parentes, ergà dominos seruorum officium & contra. Prædicit certamina acria fidelibus instare, & quibus armis sint protegendi, ostendit.

1. FILII, obedite parentibus vestris in Domino: hoc enim
iustum est. 2. Honora patrem tuum, & matrem tuam,
quod quod est mandatum primum in promissione: 3. Vt
benè sit tibi, & sis longæuus super terram. 4. Et vos pa-
tres nolite ad iracundiam prouocare filios vestros: sed edu-
cate illos in disciplina & correptione Domini. 5. Serui
obedite dominis carnalibus cum timore, & tremore, in sim-
plicitate cordis vestri, sicut Christo: non ad oculum seruientes, quasi hominibus
placentes, sed vt serui Christi, facientes voluntatem Dei ex animo, 7. Cum
bona voluntate seruientes, sicut Domino, & non hominibus: 8. Scientes quo-
niam vnusquisque, quodcumque fecerit bonum, hoc recipiet à Domino, siue ser-
uus, siue liber. 9. Et vos Domini eadem facite illis, remittentes minas: scientes
quia & illorum, & vester Dominus est in cælis: & personarum acceptio non est
apud eum. 10. De cætero fratres, confortamini in Domino, & in potentia vir-
tutis eius. 11. Induite vos armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias dia-
boli. 12. Quoniam non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed
aduersus principes, & potestates, mundi rectores tenebrarum harum, contra spiri-
tualia nequitiæ, in cælestibus. 13. Propterea accipite armaturam Dei, vt possitis
resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare. 14. State ergo succincti lumbos
vestros in veritate, & induti loricam iustitiæ. 15. & calceati pedes in præparatione
Euangelij pacis: 16. In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia te-
la nequissimi ignea extinguere. 17. & galeam salutis assumite, & gladium spi-
ritus, (quod est verbum Dei) 18. Per omnem orationem & obsecrationem oran-
tes omni tempore in spiritu: & in ipso vigilantes in omni instantia, & obsecratione
pro omnibus sanctis, 19. & pro me, vt detur mihi sermo in apertione oris mei
cum fiducia, notum facere mysterium Euangelij: 20. Pro quo legatione fungor
in catena, ita vt in ipso audeam, prout oportet me, loqui. 21. Vt autem & vos
sciatis quæ circa me sunt, quid agam: omnia vobis nota faciet Tychicus, charissi-
mus frater, & fidelis minister in Domino: 22. Quem misi ad vos in hoc ip-
sum, vt cognoscatis quæ circa nos sunt, & consoletur corda vestra. 23. Pax fra-
tribus, & charitas cum fide, à Deo Patre, & Domino Iesu Christo. 24. Gratia
cum omnibus, qui diligunt Dominum nostrum Iesum Christum in corruptione.
Amen.

1. *Docet, quale sit officium filiorum ergo parentes, & seruorum ergo dominos, & contra.*

VERS. 1.2.3.4. *Filij, obedite parentibus vestris, &c.*] Obtemperate ô filij vestris parentibus *in Domino*, seu vti lex & voluntas diuina exigit, in omnibus scilicet, quæ mandatis, consiliis, & pietati non repugnat: *hoc enim iustum est. Honora patrem tuum* fili, familiæ caput, imò *& matrem tuam* honore prosequere, ex qua exortus. *Quod mandatum* de honorandis parentibus *primum est in promissione*, seu secundæ Tabulæ est primum, & cum speciali promissione nobis traditum: nempè hac: *Vt benè sit tibi*, seu vt diu, ac prosperè viuas: *vt sis*, ait, *longæuus super terram*. Certè filij qui parentes honorant non solum diu viuunt, (vt vsu venit vt plurimum,) sed prosperitate fruuntur. Longæuos enim esse sine prosperitate potius supplicium, quàm præmium existeret.] * Porrò honorare parentes, & illis obedire, nec ab eorum iusta voluntate recedere.] *Et vos, patres, nolite ad iracundiam prouocare filios vestros:* iniustis scilicet exactionibus, aut verbis amaris. * Potentior enim plerumque est ad eos continendos prudens humanitas, quàm seueritas.] *Sed educate illos in disciplina & correptione Domini.* Hoc est, si corripere, & castigare eos necesse sit, æmulamini Domini Iesu pietatem, & mansuetudinem, mo-

Diu, & prosperè viuunt filij qui parentes honorant.

Longa vita sine prosperitate, supplicium est.

Honorare parentes, est ipsis obedire.

Potentior est ad filios continendos prudens humanitas, quàm seueritas.

Parẽs filium in Domino, non in diabolo corripiat.

nitaque iuxta id à Domino expressa exemplo seruate. * Certè qui vt filium errantem corripiat, & maledicit, diaboli vocabulo, magis eum in diabolo: quam in Domino corripit.]

Vers. 5. 6. 7. 8. 9. Serui, obedite dominis carnalibus, &c.] Dominis temporalibus, qui rebus, vestris externis, seu corpori dominantur, *cum timore, & tremore*, seu cum solicita reuerentia ô *serui, obedite* * Sic exponenda particula, cum timore, & tremore. Nam seruilis timor aut metus ne quidem in mancipiis à Paulo probatur.] Ea autem reuerentia fiat *in simplicitate cordis vestri, sicut Christo*, seu non simulatis externa submissione reuerentiam, sed ex corde eam præstare, ac sic Christo Domino, (qui cor intuetur, & falli non potest) obtemperaretis. Non ad oculum seruientes, seu externam solicitudinem præstantes sine cordis affectu, vt dominis hominibus, qui externam solùm actionem aspiciunt, placeatis: *Sed vt serui Christi, facientes voluntatem Dei ex animo*, seu studentes in persona dominorum seruire Christo, & placere Deo, cuius illi locum repræsentant. *Cum bona voluntate* seruientes, *sicut* qui seruit *Domino, & non hominibus.*

Seruilis timor, nec in seruis probatur.

Si seruus in Dño Deum aspicit, libéter ei obediet iam patri, non Domino.

* Annon facile filius patri obtemperat? Ita planè. Seruus igitur cum obedit Domino non ei obtemperet tanquam homini, sed in eo Deum respiciat, cuius ille agit personam, sicque Patri, non Domino obediet.] *Scientes* vtique, *quoniam vnusquisque* quidquid fecerit boni, eius aliquando mercedem reportabit *siue seruus* qui fuerit, *siue liber.* Æquales enim erunt in præmio, si æquales fuerint in obsequio. *Et vos, Domini*, vicissim *eadem*, seu paria *facite* seruis proportionaliter, facilè *remittentes minas*, si quas ex subita, & indiscreta iracundia iactitastis. * Vel mancipia facilius amore, quam minis properant ad obsequium.] *Scientes quia & illorum, & vester Dominus est in cælis: & personarum acceptio non est apud Deum.* Inæquales licet estis in fortuna, natura tamen estis æquales: & apud verum Dominum Deum, qui personas non accipit, non erit respectus Domini, vel serui: sed singuli iuxta merita præmio donabuntur, aut supplicio afficientur.

Mancipia faciliùs amore, quam minis obsequũtur.

Certamina aeria fidelibus excitanda prædicit: & quibus armis ea vincendum docet.

2. *Vers. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18 19 20. De cætero fratres, &c.*] Quod superest fratres, date quæso vos, operam, vt confortemini & roboremini *in Domino*, seu per validum robur ipsius, quo facilè insurrectura certamina inearis. *Induite vos armaturam Dei.* Græcè, vniuersum armorum apparatum à Deo subministratum: *vt possitis* consistere aduersus *diaboli insidias. Quoniam non est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem*, seu homines, quorum fragiles sunt vires; *sed aduersus principes, & potestates*, sed aduersus crudelissimos dæmones, qui vocantur *principatus, & potestates.* Nam etiam ex illis Angelorum ordinibus plurimos cecidisse non miror, cum ex primo ordine caput omnium Lucifer exciderit. * Ne qui virtutum verticem videtur tenere, sibi fidat; *Virtutes* enim cælestes excidant in abyssum.] *Aduersus mundi rectores tenebrarum harum contra spiritualia nequitia in cælestibus*, seu contra dæmones, qui tenebrosis peccatoribus dominantur, & contra nequissimos spiritus, qui in aëre degunt. Communis enim est Patrum sententia, aërem istum plenum esse dæmonibus, in eoque procellas, turbines, tempestates, quibus noceant hominibus, non raro ciere. * Illud preme. *Contra spiritualia nequitia.* Non ait, *Contra spirituales nequitias*; sed, *spiritualia nequitia*, seu contra nequitiæ spiritualitates. Solent enim nequissimi homines spirituali prætextu flagitia patrare, exercere vindictam. Hoc aiunt ad Dei obsequium pertinet: ad bonum spirituale Reipublicæ spectat, & solummodo intendunt suis temporalibus commodis studere, aut sui vindictæ dare operam. Ita Herodes Ioannem interemit iuramenti non violandi prætextu.]

Haud tibi fidat in Virtutum verticẽ constitutus Virtutes cadunt.

Nequitia spirituali prætextu solet temporalia commoda procurare.

* Contra huiusmodi homines necessario est, toto Dei armamentario protegi. Vndè Paulus: *Induite armaturam Dei contra spiritualia nequitia.* Vtar vulgari sermone. *Pro acaid armas de Dios contra las spiritualidades de la maldad.*] *Propterea* (inculcat Apostolus) *accipite armaturam Dei, vt possitis resistere* illæsi *in die malo*, seu in præfato certamine admodùm periculoso; *& in omnibus perfecti stare* aduersus omnes omnium hostium incursus. *State ergo succincti lumbos vestros in veritate & induti lorica iustitia*, seu pro Baltheo, qui lumbos stringat, latera roboret, sit vobis veritas: pro lorica, sint iusta opera, quibus pectus vndique protegatis. * Spiritualia nequitiæ poterunt affligere, sed si veritas & iustitia adsit hominem debellare minimè poterunt.] *Et calceati pedes in præparatione Euangelij pacis.* Calcei militares, seu ocreæ sint animus præparatus promptus ad vitia exprimendum, & ad alios deferendum Euangelium pacis cælestis baiulum. *In omnibus sumentes scutum fidei*, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere. Ac si diceret: Clypeus sit fides solida, firmata per spem, per charitatem formata. Tali namque clypeo iacula omnia hostium vestrorum quantumuis nequitiis æstuantium, cor inflammantia impune excipietis, imò extinguetis. *Et galeam salutis assumite. & gladium spiritus (quod est verbum Dei* Galea sit salus animæ sperata. * Quæ enim tentamina non superabit, qui menti obiecerit, æternæ salutis felicitate donandum, qui victor euaserit?] Gladius denique spiritualis sit Dei verbum, ipsos etiam hostes lacessere, sternere, occidere. *Per omnem orationem, & obsecrationem, orantes omni tempore in spiritu: & in ipso vigilantes in omni instantia, & obsecratione pro omnibus sanctis, & pro me, vt detur mihi sermo in apertione oris mei cum fiducia, notum facere mysterium Euangelij. Pro quo legatione fungor in catena, ita vt in ipso audeam, prout oportet me loqui.* Non tamen (ac si diceret) sat est militi armis his esse instructum: debet præterea assidue vigilare, debet & à Duce suo instrui rebus omnibus fouendo corpori necessariis. Quare & vos quoque oratione, & obsecratione non voce solùm expressa, sed toto spiritus affectu cum omni instantia, deposcite à Deo, quæcumque necessaria

Contra hostes, qui falsò spirituali prætextu ad vindictam veniunt, necessaria sunt Dei arma.

Contra hominem veritate & iustitia armatum nullus præualet hostis.

Obiectu gloriæ paratæ victori dira tentamina superabis.

saria sunt omni tempore, seu assiduè (quantùm per alia negotia licebit) huic exercitio vacantes. * Oratio enim efficit, vt his spiritualibus armis, quibus instructi sumus, vtiliter vtamur.] Nec in vobis solùm sistat oratio, progrediatur ad Christianos omnes, & ad me, qui etiam vinculis obstrictus in carcere gladio verbi Dei vtens à certamine non supersedeo. * Dei enim verbum alligari non potest.]

Oratio dat virtutem vsum spiritualibus armis.

Dei verbum alligari non potest.

Vers. 21.22.23.24. *Vt autem & vos sciatis, &c.*] Vt vero vobis constet quis sit rerum mearum status, & quid omnino agam: omnia vobis nota faciet *Tychicus charissimus frater*, & fidus in Domino minister. *Quem* hic de causa misi *ad vos*, vt vos de rebus nostris certiores efficeret: animisque vestris aliquid solatij afferret. * Si missus fuit Tychicus, vt Ephesiis fratribus certiores faceret de Pauli vinculis obstricti rebus, qua veritate dicit: Eum misi ad vos, *vt consoletur corda vestra?* An solatium fidelibus Ephesiis erat scire, patrem, & Magistrum suum tam dira pati? Ita planè. Fidelium enim Christi servorum gloria, voluptas, solatium est, pro Deo tribulationes tolerare. Vnde Paulus vt consoletur fratres, mittit ad eos, qui referat eis, ipsum pro veritate vinculis illigari.] *Pax fratribus* interea sit, & *charitas* vna cum fide constanti à *Deo Patre, & Domino Iesu Christo*, me semper precante. *Et gratia* vbertim cœlitus descendat ad omnes, *qui diligunt Christum in incorruptione*, seu cum integritate, synceritate, ac puritate amoris instar sponsæ dilectissimæ. *Amen.*

Gloria fidelium est pati pro Deo.

EPISTOLA
BEATI PAVLI APOSTOLI
AD PHILIPPENSES.

FVit Philippis prima Vrbs, ad quam D. Paulus petiit, cum Macedoniam iniit: vbi ob Pitonissam sanitati restitutam virgis fuit cæsus, & carceri addictus: quare Philippenses Magistrum suum tenerrimè diligebant tot ipsorum causa probra passum: & audientes vinculis Romæ constringi, eò miserunt cum muneribus suum Episcopum Apostolo auxilio, & solatio futurum: Postquam autem is à morbo, quo Romæ fuit grauiter affectus, conualuisset, ad suos cum his litteris fuit remissus, eodem quidem anno scriptis ex eodem Romano carcere, quo præcedens ad Ephesios Epistola fuerat remissa. Episcopus autem qui ad Philippenses hanc attulit, *Epaphroditus* appellabatur.

CAPVT I.

Ad constantiam in fide Philippenses hortatur. Innuit, se anxiè expetere à corpore dissolui, & Christi aspectu potiri: sed ob eorum salutem alacriter in vinculis persiturum.

1. PAVLVS & Timotheus, serui Iesu Christi, omnibus san-
ctis in Christo Iesu qui sunt Philippis, cum Episcopis,
& Diaconibus. 2. Gratia vobis & pax à Deo Patre no-
stro, & Domino Iesu Christo. 3. Gratias ago Deo meo
in omni memoria vestri, 4. semper in cunctis orationi-
bus meis pro omnibus vobis, cum gaudio deprecationem
faciens, 5. super communicatione vestra in Euangelio
Christi à prima die vsque nunc. 6. confidens hoc ipsum, quia qui cœpit in vobis
opus bonum, perficiet vsque in diem Christi Iesu. 7. sicut est mihi iustum
hoc sentire pro omnibus vobis: eò quòd habeam vos in corde, & in vinculis
meis, & in defensione, & confirmatione Euangelij, socios gaudij mei omnes
vos esse. 8. Testis enim mihi est Deus, quomodo cupiam omnes vos in visce-
ribus Iesu Christi. 9. Et hoc oro vt charitas vestra magis ac magis abundet
in scientia, & in omni sensu: 10. vt proberis potiora, vt sitis sinceri, & sine
offensa in diem Christi, 11. repleti fructu iustitiæ per Iesum Christum, in glo-
riam & laudem Dei. 12. Scire autem vos volo, fratres, quia quæ circa me
sunt, magis ad profectum venerunt Euangelij: 13. ita vt vincula mea manife-
sta fierent in Christo in omni prætorio, & in cæteris omnibus: 14. & plures
è fratribus in Domino confidentes vinculis meis, abundantiùs auderent sine
timore verbum Dei loqui. 15. Quidam quidem & propter inuidiam & con-
tentionem, quidam autem & propter bonam voluntatem Christum prædicant,
16. quidam ex charitate, scientes quoniam in defensionem Euangelij positus
sum. 17. Quidam autem ex contentione Christum annuntiauit non sincerè,
existi

existimantes pressuram se suscitare vinculis meis. 18. Quid enim? Dum omni
modo, siue per occasionem, siue per veritatem, Christus annuntieтur; & in
hoc gaudeo, sed & gaudebo. 19. Scio enim quia hoc mihi proueniet ad salu-
tem, per vestram orationem, & subministrationem Spiritus Iesu Christi, 20. se-
cundùm expectationem & spem meam; quia in nullo confundar: sed in omni fidu-
cia sicut semper, & nunc magnificabitur Christus in corpore meo, siue per vitam,
siue per mortem. 21. Mihi enim viuere Christus est, & mori lucrum. 22. Quòd
si viuere in carne, hic mihi fructus operis est, & quid eligam ignoro. 23. Coarctor
autem è duobus: desiderium habens dissolui, & esse cum Christo, multò magis
melius: 24. permanere autem in carne, necessarium propter vos. 25. Et hoc
confidens scio quia manebo, & permanebo omnibus vobis, ad profectum vestrum,
& gaudium fidei: 26. vt gratulatio vestra abundet in Christo Iesu in me, per
meum aduentum iterùm ad vos. 27. Tantùm dignè Euangelio Christi conuersa-
mini: vt siue cùm venero, & videro vos, siue absens audiam de vobis, quia statis
in vno spiritu vnanimes, collaborantes fidei Euangelij: 28. & in nullo terreami-
ni ab aduersariis: quæ illis est causa perditionis, vobis autem salutis, & hoc à
Deo: 29. quia vobis donatum est pro Christo, non solùm vt in eum credatis, sed
vt etiam pro illo patiamini: 30. idem certamen habentes, quale & vidistis in me,
& nunc audistis de me.

COMMENTARII.

1. *Ad fidei constantiam Philippenses hortatur.*

VERS. 1.2.3.4.5.6.7. *Paulus, & Timotheus, &c.*] Anno præterito euocatus fuerat Timotheus à Paulo, & Romæ iam & cum ipso morabatur: vnde Apostolus tam ipsius, quam suum nomen præfigit tam his, quam aliis ad Colossenses, Thessalonicenses & ad Philemonē datis litteris. * Socius enim fidelis Pauli alter Paulus erat. Vnde necessum fuit, vt Epistolæ hæ ex vtriusque sententia scriberētur.] *Paulus & Timotheus* Christi Domini *serui* omnibus Christianis qui Philippis morantur, *cum Episcopis, & Diaconibus* salutem plurimam dicit. *Gratia vobis*, ô fratres, & pax a Deo Patre nostro ac Domino Iesu Christo profecta vos perpetuo tueatur. *Gratias ago Deo meo* hoc potissimum nomine, quod memoriam vestram animo foueo vestra pietate ac fide affectus. Vnde *Semper in cunctis* orationibus meis pro omnibus vobis *deprecationem* specialissime facio: *cum gaudio* quidem vestri profectus in fide ac virtutibus memor. * Quid mirum tàm piè Philippenses viuere, si assiduum haberent Paulum pro ipsis precatorem. Sanctorum enim precatio, & intercessio ad nostrum in virtute profectū est efficacissima.] *Super communicatione, &c.*] *A prima die*, qua cœpi vos nosse, & pro filiis meis complecti, gratias ago Deo *Super communicatione vestra in Euangelio Christi*, seu quia etiam facti estis participes fidei, doctrinæ, & gratiæ Euangelicæ. *Confidens hoc ipsum*, quod Deus, *qui cœpit* vobis auxilium exhibere, vt *opus* hoc *bonum* instituereτis, exhibebit eandem vt illud perficiatis, persistentes in fide, & iustitia *vsque in diem* mortis, quo Christo Iesu Iudici reddenda à vobis erit vitæ anteactæ stricta ratio. * Memorat Paulus iudicij diem Philippensibus: vt eos in bono contineat. Efficacissima namque est eius memoria ad rectè operandum.] *Sicut est mihi iustum, hoc sentire pro omnibus vobis*, seu hoc expetere, hoc procurare, hoc deprecari: *eo quod vos*, vestræque humanitatis memoriam *habeam in corde* altissimè defixam: reque ipsa habeam vos *Socios in vinculis meis*, partim ob auxilia & solatia mihi Episcopi vestri transmissa. * Partim ob compassionem. Nam qui alium verè diligit, cum eo tribulatione afflicto simul patitur.] Socios item vos habeo *in defensione, & confirmatione Euangelij*, quod vna mecum propugnatis. Quæ omnia mihi causa sunt extremi gaudij, ac solatij. *Socij gaudij mei*, (inquit) *vos esse*. * Quomodo socij gaudij, si carcere includebatur, & tot diros labores sustinebat Apostolus? Profectò, quia pro Deo pati, ineffabile iustis est gaudium. Vnde Paulus in vinculis gaudebat, & Philippenses, qui compatiebantur, illius gaudij erant planè participes.]

Fidelis amicus alter ego.

Efficax admodum oratio iustorum, vt nobis impetrent in virtute profectum.

Iudicij memoria efficacissima, ad rectè operandum.

Qui verè alium diligit, cum eo tribulatione afflicto simul patitur.

Sancti in laboribus exultant.

Vers. 8.9.10.11.12.13.14.15.16. *Testis enim mihi est Deus, &c.*] Testor Deum, qui intimos cordis mei recessus intuetur, *quomodo cupiam*, seu quanta vos & quam propensa charitate complectar, cupiens circa hoc piissima Christi Iesu viscera imitari, qua vos Charos sibi complectitur. *Et hoc oro*, seu ab immortali Deo etiam atque etiam precor, *vt charitas* vestra maiora in dies excipiat incrementa, & multiplici spiritualium notione, scientiaque cælestium mysteriorum impleatur. * *Magis, ac magis* (inquit) *abundetis in scientia, & in omni sensu*. Intellectus enim acumen, & scientiæ præstantia, si à Domino ad spiritualia dirigantur, maximè proficiunt ad animæ perfectionem, eius voluntati dictante intellectu ardentiores dilectionis affectus.] Cupio verò vos scientia, ac sensu à Deo donari, *Vt probetis potiora, vt sitis synceri, & sine offensa*, seu vt animi candore, ac mente syncera præditi recto gressu plane inoffenso cursum vestrum peragatis, atque securi ad extremum illum iudicij diem valeatis peruenire. * Preme illud: *Rogo, vt magis ac magis abundetis in scientia, vt sitis synceri*. Magna Sapientia præditi, quomodo poterunt fouere syncerітatem? Certè quia synceritas non est stultitia sed animi ingenuitas in cunctis addicta prætextui veritatis. Summa ergo Sapientia potest cum summa synceritate colligari.] *Repleti*, inquam, *fructu iustitia*, seu cupio

Ad spiritus profectū maximè iuuat intellectus acumen, & scientiæ præstantia.

Summa Sapientia potest cum summa synceritate colligari.

vos ea donati à Deo ſcientia, & ſenſu, vt illius recto vſu repleamini *fructu iuſtitiæ* Chriſti Ieſu ope, in *Dei gloriam, & laudem. Scire autem vos volo, fratres, ea quæ circa me ſunt*, ſeu quæ mihi Romæ acciderunt, quamuia aſpera, & amara, non modo Euangelij curſum non retardaſſe, ſed *ad* eius *profectum* maxime deſeruiſſe. * Videntes namque infideles Euangelij miniſtros probra patienter tolerare, magni faciunt fidem, quæ alumnos ſuos huiuſmodi edocet Sapientiam] * Textor ſocietatis Ieſu fratrem, qui apud Iaponios Chriſti doctrinam exponens fœda cuiuſdam Gentilis audientis fuit per irriſionem in facie conſperſus: tacenſque & faciem emundans, vlterius in concione fuit progreſſus, magno profectò fructu. Audientes enim infideles multi Chriſti fidem amplexi fuére: eam dicentes ſanctum, & cæleſtem eſſe Religionem, quæ docet patientes iniurias ſuſtinere.] Vincula itaque mea magis Euangelium promouerunt, *Ita* quidem *vt* iam *vincula mea manifeſta in Chriſto fierent in omni prætorio, & in cæteris omnibus* Romæ adiacentibus vrbibus innotuerit, quod non ob æs alienum, ſiue ob ſcelus aliquod, ſed propter ſolùm Chriſtum, eiuſque fidei promolgationem vinculis adſtringor: atque ita eorum occaſione nomen Chriſti vbique elareſcit. *Et plures è fratribus* Chriſtianis *confidentes vinculis meis*, ſeu audacia ſumpta, & animo roborati, ex eo, quod vident me etſi vinctum intrepide cauſam Euangelij gerere, amplius iam, & liberius id ipſum promulgant. *Quidam quidem propter inuidiam, & æmulationem* ſacrum proferunt verbum, ne à me præcelli videantur. Quidam autem *propter* bonam ergà me, & Euangelium *voluntatem*, ſeu affectum *Chriſtum prædicant*. Quidam demum *ex charitate, ſcientes* me à Chriſto poſitum non ſolùm in præconem, ſed & *in defenſionem*, ſiue in defenſorem Euangelij.

Sustinere prædicatorē patienter iniurias, infideles allicit ad fidem.

Hoc cuiuſdam Societatis Ieſu alūni exemplo confirmatur.

Verſ. 17.18.19.20. *Quidam autem ex contentione, &c.*] Quidam verò Chriſtum annunciant non ex affectu pio, ſed ex *contentione*, ſeu ex ſtudio contendendi mecum de fama, & gloria, *non ſyncere*, & pura intentione gloriam Chriſti promouendi; ſed admodum fraudulenter exiſtimantes, ſe ſua importuniore prædicatione *preſſuram ſuſcitare vinculis meis*, ſeu nouam, maioremque moleſtiam mihi captiuo addere: ſperant ſcilicet, Neronem magis in me concitandum quaſi tam frequentis tam intempeſtiuæ prædicationis authorem. Taxat hîc Apoſtolus aſſeclas Simonis Magi: vel alios Iudaizantes non tam hæreticos, quam mercenarios, & ambitioſos, qui venalem exponebant prædicationem, & ideo importune & intempeſtiue prædicabant. * Vereor, ne hodie adſint multi, quos hoc ex capite merito taxaret Apoſtolus.] Quid enim? An ſui voti compotes erunt? Minimè. *Dummodo* enim *Chriſtus annuncietur, ſiue* id fiat *per occaſionem*. Græcè, *prætextum* fictum zeli boni: *ſiue per veritatem*, ſeu per verum zelum; *omni modo*, ſeu quouis modo fiat; ego *in hoc gaudeo*. Quia etſi à malo auctore, & malo fine procedat: ipſa tamen doctrina in ſe bona eſt: neque, vti ipſi conantur, meis vinculis oberit *Scio enim, quia hoc mihi* proueniet ad ſalutem tum corporalem, tum ſpiritualem, *per veſtram orationem, & ſub-miniſtrationem ſpiritus Ieſu Chriſti*, ſeu ſi oraueritis pro me, mihique impetraueritis Spiritus ſancti, (qui Chriſtum implet) ſubminiſtrationem opis, & gratiæ, conformiter *ad expectationem, & ſpem meam*; quia in nullo euentu *confundar*, ſiue ſit ad corporis vitam, ſiue ad mortem. *Semper* enim & nunc firma fiducia nitor, Chriſtum magnificandum in corpore meo, & glorificandum *ſiue per vitam, ſiue per mortem*, hoc eſt, ſiue viuere pergam, ſiue de medio tollar.

Taxantur Concionatores, qui importunè prædicant venalem exponētes prædicationem.

Verſ. 21.22.23.24.25.26. *Mihi enim viuere Chriſtus eſt, &c.*] Vita enim mihi eſt Chriſto ſeruire, *& mori lucrum*, ſeu mortem in lucro pono. Siue namque viuam, ſiuè moriar, lucrum, quod opto, aſſequor, nempe Chriſtum, ſeu gloriæ eius manifeſtationem. Si viuam in prædicatione Chriſtus glorificabitur: ſi moriar, in martyrio. *Quod* ſi detur *viuere in carne, hic mihi fructus operis eſt*, ſeu operis pretium, & fructum, id mihi vtilem fore, & aliis multis: mihi ad vberius meritum, aliis ad conuerſionem, & maiorem profectum ſpiritualem. Et quidem ſi detur optio ſeu diutius viuendi, ſeu citò moriendi, ac viuendi cum Chriſto: *Quid è duobus eligam ignoro*. Coarctor autem è duobus: *diſſolui* multo magis videtur mihi congruere & *magis*, ſeu multo *melius eſſe deſiderium* habenti *cum Chriſto* morari. *Permanere autem in carne*, vt Euangelicis laboribus inſiſtam, quia magis vobis eſt *neceſſarium*, meo priuato commodo eſt præferendum. * Ex D. Chryſoſtomo accepi, optionem à Deo datam D. Paulo, ſeu tum moriendi, & cum Chriſto triumphandi, ſeu ſuperuiuendi adhuc in incerto ſalutis: & Paulum prætuliſſe lucrum animarum propriæ ſaluti & certæ beatitudini. Quod quidem eſt ineffabilis charitatis in Deum & in proximos exemplum.] * Profecto D. Ignatius Societatis Ieſu vertex illuſtriſſimus extitit Apoſtoli æmulator. Nam ſi mihi optio daretur, ait, aut mori mox & gloria cæleſti frui, aut diutius viuere in ſalutis incerto, vt Deo aliquod poſſim obſequium ſpeciale litare: in incerto ſalutis permanere hîc eligerem. An ô Pater tunc diceres cum Apoſtolo? *Quid eligam ignoro?* Minimè quidem, ſed ſine vlla dubitatione eligerem in incerto ſalutis manere ad maiorem Dei gloriam.] *Et hoc confidens ſcio, quia manebo*, ſeu quia ſcio neceſſarium vobis eſſe, me diutius viuere, confido, me manſurum, & compermanſurum vobiſcum. Vndè non eſt, cur orbitatem veſtram inutiliter lugeatis. Permanebo ſiquidem *ad profectum veſtrum*, & *ad gaudium fidei*, ſiue fidelium omnium. *Vt gratulatio*, Græcè, *gloriatio veſtra abundet in Chriſto Ieſu in me*, ſeu vt habeatis vberiorem materiam gratulandi vobis, & gloriandi de bonis per me vobis obuenturis *per meum*, ſcilicet *aduentum iterum ad vos*. 2.

Iummus, ſe expetere mori, vt Chriſto fruatur: ſed malle diu viuere, vt ſit proximus ſalutaris.

D. Paulus in incerto ſalutis viuere, vt proximis opitularetur, quam mox mori, & frui gloria maluit.

Si D. Ignatio daretur optio ſeu mox gloria potiri, ſeu viuere adhuc vt Deo aliquod ſpeciale litaret obſequium; ſine dubitatione in ſalutis incerto viuere eligeret.

Verſ. 27.28.29.30. *Tantùm dignè Euangelio, &c.*] Id vnum modo in abſentia moneo, vt eam, quæ Euangelicam fidem maximè deceat, morum integritatem retineatis. *Vt ſiue cum venero*, & videro vos: ſiue cum *abſens* de rebus veſtris certior fiam, verè intelligam vos perſtare in vno eodemque ſpiritu, & vna pariter animo pro fide Euangelica decertare. *Et* quod *in nullo terreamini ab aduerſariis*. Qui dum Catholicæ doctrinæ obſiſtunt, *illis eſt cauſa perditionis:*

ditionis: vobis autem pro fide repugnantibus causa *salutis*: idque *Deo*, qui vobis vim præstat, auctore. A quo *vobis donatum est, non solum vt in Christum credatis: sed vt etiam pro illo patiamini.*

Pro Christo pati, magnū est Dei donum.

* Pro Christo pati singulare Dei donum est, & longè maius, quàm donum suscitandi mortuos, & alia excitandi miracula: quia hoc longè difficilius.] * Vnde pro dono miraculorum, quid id habet Deo est debitor: pro dono patiendi pro Christo Deum habeo debitorem. O rem mirandam! & Deus donat mihi, & ipse mihi debet. *Idem*, seu simile *certamen habentes*, pro Euangelio, *quale vidistis*, olim me Philippis habentem, cum apud vos cæsus fui virgis, & carceri addictus: & nunc audistis me Romæ sustinentem.

Dum quis pro Christo patitur, eum habet donantem id ei, & simul debitorem.

CAPVT II.

Christi exemplo proposito, Philippenses ad concordiam, charitatem, & humilitatem hortatur.

1. SI qua ergo consolatio in Christo, si quod solatium charitatis,
si qua societas spiritus, si qua viscera miserationis: 2. Implete
gaudium meum, vt idem sapiatis, eamdem charitatem
habentes, vnanimes, idipsum sentientes. 3. Nihil per contentionem,
neque per inanem gloriam: sed in humilitate superiores
sibi inuicem arbitrantes, 4. Non quæ sua sunt singuli
considerantes, sed ea quæ aliorum. 5. Hoc enim sentite
in vobis, quod & in Christo Iesu: 6. Qui cùm in forma Dei esset, non rapinam
arbitratus est esse se æqualem Deo: 7. Semetipsum exinaniuit formam serui
accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. 8. Humiliauit
semetipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis.
9. Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super
omne nomen: 10. Vt in nomine Iesu omne genu flectatur cælestium, terrestrium,
& infernorum: 11. & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus
gloria est Dei Patris: 12. Itaque charissimi mei, (sicut semper obedistis) non vt
in præsentia mei tantum, sed multò magis nunc in absentia mea, cum metu & tremore
vestram salutem operamini. 13 Deus est enim, qui operatur in vobis & velle,
& perficere, pro bona voluntate. 14. Omnia autem facite sine murmurationibus,
& hæsitationibus: 15. Vt sitis sine querela, & simplices filij Dei, sine reprehensione,
in medio nationis prauæ & peruersæ: inter quos lucetis sicut luminaria in
mundo, 16. Verbum vitæ continentes ad gloriam meam in fide Christi, quia
non in vacuum cucurri, neque in vacuum laboraui. 17. Sed & si immolor supra
sacrificium, & obsequium fidei vestræ, gaudeo, & congratulor omnibus vobis.
18. Idipsum autem & vos gaudete, & congratulamini mihi. 19. Spero autem in
Domino Iesu, Timotheum me citò mittere ad vos: vt & ego bono animo sim, cognitis
quæ circa vos sunt. 20. Neminem enim habeo tam vnanimem, qui sincera
affectione pro vobis sollicitus sit. 21. Omnes enim quæ sua sunt quærunt, non
quæ sunt Iesu Christi. 22. Experimentum autem eius cognoscite, quia sicut patri
filius, mecum seruiuit in Euangelio. 23. Hunc igitur spero me mittere ad vos,
mox vt videro quæ circa me sunt. 24. Confido autem in Domino quoniam & ipse
veniam ad vos citò. 25. Necessarium autem existimaui, Epaphroditum fratrem,
& cooperatorem, & commilitonem meum, vestrum autem apostolum, & ministrum
necessitatis meæ, mittere ad vos: 26. Quoniam quidem omnes vos desiderabat:
& mœstus erat, propterea quod audieratis illum infirmatum. 27. Nam & infirmatus
est vsque ad mortem: sed Deus misertus est eius: non solùm autem eius, verum
etiam & mei, ne tristitiam super tristitiam haberem. 28. Festinantius ergo
misi illum, vt viso eo iterùm gaudeatis, & ego sine tristitia sim. 29. Excipite
itaque illum cùm omni gaudio in Domino, & eiusmodi cum honore habetote.
30. Quoniam propter opus Christi vsque ad mortem accessit, tradens
animam suam, vt impleret id, quod ex ex vobis deerat erga meum obsequium.

COMMENTARII.

1. *Ad cõcordiã, & charitatẽ hortatur Philippenses.*

VERS. 1.2.3.4. *Si qua ergo consolatio, &c.*] O chariſſimi Philippenſes ſi qua vobis erga me eſt *conſolatio,* ſeu conſolandi vinctum me affectus, *in Christo*, ſeu in negotio Euangelij Chriſti: ſi quod ſolatium ex charitate vultis mihi obſtricto vinculis impertire: *Si qua vobis societas spiritus*, ſeu animorum *communio* (ſic Græcè) mecum: *Si qua viscera miserationis: Implete gaudium meum*, quo me afficere cœpiſtis, quandò ad Chriſtum conuerſi eſtis: & cumulaſtis, quando tam ſtrenuè mihi collaboraſtis in portione apud vos Euangelij: complete iam illud abſoluta veſtrimet perfectione: *vt* ſcilicet *idem sapiatis*, abiectis variis opinionibus, quæ ad ædificationem non pertinent, *eandem charitatem habentes vnanimes*, ita vt ſit in vobis anima vna, & *idem sentientes*, ne ex ſentiendi diuerſitate non iam animam vnam, ſed diuerſos omnino ſpiritus eſſe videamini. Nihil per contentionem, *aut inanem gloriam* agite: ſed potius humilitatis ſtudioſi, alium quiſque ſibi præferat, arbitrantes ſcilicet ſinguli, omnes ſibi eſſe *superiores. Non quæ sua sunt singuli considerantes*, ſeu priuatis commodis procurandis addicti. Sed potius communem aliorum ſolicitudinem gerentes. * Haud poteſt eſſe vera in religioſa communitate animorum concordia, ſi quiſque ſuis commodis ſit addictus communia contemnens]

Non poteſt eſſe in religioſa cõmunitate cõcordia, ſi quiſque ſuis priuatis commodis ſtudeat.

Verſ. 5.6.7.8.9.10.11. *Hoc enim sentire in vobis, &c.*] Sit, quæſo, in vobis ille ſenſus, ſeu tener humilitatis affectus, miſericordiæ, & charitatis, quæ comperimus *in Christo Iesu. Qui cum esset in forma Dei*, ſeu præditus natura, eſſentia, & ſubſtantia diuina, Deuſve verus eſſet: & *non rapinam* poterat arbitrari fore (vt illa Luciferi) ſi apertè monſtraret ſe *Deo* eſſe *æqualem*, & non in vili carne apparere, vel cum ſplendore Angelico; vel alia magnificentia Deo digna. Omnis namque maieſtas, & gloria Dei Filio vnigenito debebatur. Verum relictis hiſce omnibus, ſemetipſum exinaniuit, quaſi ex omni ad nihilum delabens: Græce, *euacuauit*, exhauſit: vt qui plenus maieſtate, gloria, potentia diuina erat, ad humanæ naturæ vilem, humilem & ſeruilem ſeſe abiiceret conditionem, *formam*, ſeu naturam (forma partem eſſentialem denotat) *serui* ſiue mancipij vltro *accipiens factus* quidem *in hominum similitudinem*, ſeu hominibus ſimilis, non phantaſticè vt Fauſtus ſomniabat (ſed naturaliter, & ſubſtantialiter: ſicuti omnes homines dicuntur eſſe ſimiles ſpecie, ſeu natura humana: *& iam habitu inuentus vt homo*, ſeu ſpecie & figura externa fuit vt quidam alius vulgaris homo, cum tamen eſſet ſingulariter Deus-homo. *Propter quod* viciſſim *Deus exaltauit illum* à mortuis rediuiuum & glorioſum ſuper omnes Angelos eum extollendo, & ad ſuam dexteram collocando, *nomenque*, titulum, ac dignitatem mediatoris ac ſaluatoris ei conferendo, quo nullum eſt toto vniuerſo maius, & auguſtius. Licet enim à primo conceptionis inſtanti ei hoc nomen datum fuerit: res tamen nomine ſignificata in morte demum completa eſt, quando in actu perfecto ſe exhibuit ſaluatorem. *Vt in nomine Iesu*, ſeu in ſaluatoris honorem flecti cogatur omne genu, ſeu *cælestium* Angelorum, ſeu *terrestrium* hominum in mundo degentium, ſeu *infernorum*, non modo in limbo, vel purgatorio, ſed etiam in damnatorum gehenna exiſtentium. *Et omnis lingua confiteatur*, quia Dominus Ieſus Chriſtus ad *Patris* dexteram ineffabili *gloriâ* potitur. * *Propter quod* (inquit) *& Deus exaltauit illum*, ſeu quia *semetipsum humiliauit*, Quia humilitati agnata eſt exaltatio.]

2. *Chriſti exemplo ad humilitatem allicit.*

Humilitati agnata eſt exaltatio.

Verſ. 12.13.14.15.16.17.18. *Itaque charissimi mei, &c.*] Scio, ô mei chariſſimi Philipppenſes, vos ſemper monitis meis obediiſſe non ſolum *in præsentia*, ſed & *in absentia mea*. Ideoque nunc abſens obſecro, vt *cum metu, & tremore vestram salutem* operemini probis operibus ſtudentes. Cum timore, inquam, & tremore, ob incertitudinem ſucceſſus. Hoc enim à veſtra ſolùm voluntate non pendet. *Deus* namque *est, qui operatur in vobis* non ſolum bonum opus *perficere*, ſed *& velle*: neque hoc ob veſtra merita, ſed *pro sua bona voluntate*, ſeu vltroneo affectu. Profectò nobis non debentur primæ gratiæ præuenientes, aut excitantes, quibus intellectum noſtrum Deus illuminat, immittendo illi bonas cogitationes, & excitat voluntatem, influendo illi probos affectus, ſeu motus: ſed gratuitò prorſus ſubminiſtrantur. * Hinc peccatorum coarguo ſtultitiam, dum delinquunt ſine fræno, dicentes: *Conuertar ad Deum, & salute donabor.* Dic mihi ſtultè, habeſne infallibilem Dei promiſſionem, quòd tibi illam primam gratiam præuenientem ſubminiſtrabit? ſi hæc gratuitò prorſus impenditur, eſtne apta ad eam aſſequendam diſpoſitio magis ac magis irritare criminibus Largitorem?] *Omnia autem facite sine murmurationibus, & hæsitationibus*, Græcè, *disceptationibus, dissidiis: Vt sitis sine querela*, prorſus puri, ac ſinceri *Dei filij: sine reprehensione in medio nationis prauæ, & peruersæ*, idololatræ quidem, & omni criminum abominatione addictæ. Inter quos lucetis ſicut Sol & Luna magna hominum *in* ſpirituali *mundo* luminaria. * Magna planè eſt hominis commendatio, inter impios pietatis eſſe cultorem.] Vnde vos *verbũ vitæ continentes*, ſeu retinentes viuificam Euangelij doctrinam inter idololatras, magnam mihi *gloriam*, ſeu gloriandi materiam exhibetis *in die Christi*, ſiuè vt in futuro Chriſti aduentu iure optimo poſſim exultare, quod non inaniter veſtro profectui ſtudium, perfecerim, nec fruſtra tot labores pro vobis ſuſtinuerim. *Sed etsi immolor*, ſeu ſi immoler, & inſtar libaminis ſanguis meus profundatur à Nerone, *supra sacrificium & obsequium fidei vestræ*, ſeu propter prædicatam vobis fidem. & procuratam veſtram conuerſionem, & obſequium ad præſcripta Euangelica, quæ fuére Deo ſacrificium gratiſſimum: hoc nomine extremè exultabo. *Et ex* nunc *congratulor omnibus vobis*, quod me Magiſtrum veſtrum hactenus, tunc etiam Martyrem pro Chriſti fide ſitis habituri. *Id ipsum*, ſeu eadem cauſa & vos *gaudete, & congratulamini mihi.* * Nihil enim iucundius Chriſti

Quam ſtultus peccator, qui prætextu hoc: Pœnitẽtiam agam, delinquere audet.

Magna hominis cõmẽdatio inter impios colere impietatem.

Nihil iucundius Christi amico, quàm pro eo dira pati.

sti amico, quam pro eius gloria tribulationes, & mortem pati. Vndè pro morte causa fidei sustinenda, petit fideles, vt ei congratulentur.]

Vers. 19. 20. 21. 22. 23. *Spero autem in Domino Iesu, &c.*] E Christi autem Domini pietate spero, me breui ad vos immissurum Timotheum discipulum mihi charissimum, vt per illum de rerum vestrarum felicitate certior fiam, cognitoque vestro prospero statu, eam, quam opto, & spero, capiam animi voluptatem. Ideò autem decreui Timotheum potius, quam alium immittere: quia *Neminem* alium à Timotheo *habeo* hîc ad manum *tam* mecum *vnanimem, &* ideò mei instar, adeò conspirantem pro vestra salute promouenda, *Syncera* quidem *solicitudine. Omnes enim* alij, qui mihi nunc adsunt, *quæ sua sunt quærunt, non quæ sunt Iesu Christi,* seu propriis student commodis: nec admodùm soliciti sunt de Euangelio promouendo, quod est negotium Christi. *Experimentum autem eius cognoscite,* seu cum ad vos accesserit experimento cognoscetis, quia sicut probus filius patri seruire assolet, ille eodem affectu mihi in promulgatione Euangelij ministrauit. *Hunc* tot titulis mihi charum, *spero* me missurum *ad vos mox vt videro, quæ circa me sunt,* seu quo vergant hæc mea vincula, an scilicet liberandus sim, an morti addicendus.

Vers. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. *Confido autem, &c.*] E pietate Domini spero, prius quàm neci tradar, non solum me Timotheum missurum, & meipsum venturum ad vos. *Necessarium autem existimaui, Epaphroditum fratrem, & cooperatorem meum,* seu in opere Euangelico socium, & *commilitonem meum* contra hostium fidei insidias, *vestrum autem Apostolum,* seu Episcopum, *& ministrum necessitatis meæ,* qui mihi vincto necessaria vitæ alimenta ex vestra munificentia detulit, *remittere ad vos. Quoniam quidem omnes vos desiderabat visitare: & mæstus erat,* propterea quod audieratis, illum infirmitate fuisse affectum, & cupiebat vos receptæ valetudinis testes esse oculatos. * Nam qui verè amat, & amati audiuit incommodum: difficile sibi persuadet ex relatione aliorum, illum fuisse ab incommodo liberatum.] * Preme particulam, *Necessarium existimaui Epaphroditum Apostolum,* seu Episcopum *mittere ad vos.* An necessarium, vt crederent Philippenses Christiani iam illum de dira ægritudine conualuisse? Id crediderim simpliciter necessarium non esse. Sed quia Episcopi diuturna absentia exitialis est ouibus. Vnde & ipse bonus Pastor *omnes vos* (ait Paulus) *desiderabat* videre, & de more probi Præsulis vobis coram assistere.] *Nam & infirmatus est* ille *vsque ad mortem,* seu ad mortis periculum: *Sed Deus misertus est eius: non solum autem eius, verum etiam & mei,* ob officia pietatis, quæ in me vinctum ille exercebat: nè eo solatio ornatus, *tristitiam super tristitiam haberem:* vinctus quidem, & socio charissimo priuatus. *Festinantius ergò misi illum, vt viso eo iterum gaudeatis,* qui semel iam gauisi estis ex valetudinis eius per litteras notitia: *& ego sine tristitia sim,* qua dixi me iterum ac iterum affici, dum video vos ob reditum Episcopi vestri ab ægritudine liberi, semel ac iterum gaudere. * Vera charitas eorum quos amat bona, & commoda veluti propria reputat.] *Excipite itaque illum cum omni gaudio in Domino, & cum honore simili habetote,* seu illum post reditum ita honorate, quemadmodum ante quam ad me veniret honorabatis, imo maiore nunc honore ac reuerentia prosequimini, *Quoniam propter opus Christi vsque ad mortem accessit,* nempe vt me vinctum visitaret, iuuaret, solaretur, ex prolixo itinere, & nimiis laboribus grauem illum morbum incurrit, *tradens animam suam,* seu suam valetudinem, & vitam negligens, *vt impleret id, quod ex vobis deerat erga meum obsequium,* seu vt quod obsequium vos absentes mihi præstare non poteratis, ipse suppleret. * *Opus Christi* itaque est adstrictum vinculis inuisere, consolari, iuuare. Vt cùm ad carcerem accesseris, vt visites vinctos, intelligas, te quoddam Christi proprium opus exercere.]

Amantis circa amatum solicitudo.

Longa Prælati absentia subditis exitialis.

Qui amat, amati commoda, veluti propria reputat.

Proprium Christi opus est vinctos inuisere, & consolari.

CAPVT III.

Insectatur Paulus quosdam Iudæos asserentes legalia legis Moysi simul cum Euangelio esse seruanda. Et Simonis Magi asseclas negantes Christum verè fuisse cruci suffixum.

1. De cetero, fratres mei, gaudete in Domino. Eadem vobis scribere, mihi quidem non pigrum; vobis autem necessarium. 2. Videte canes; videte malos operarios, videte concisionem. 3. Nos enim sumus circumcisio, qui spiritu seruimus Deo, & gloriamur in Christo Iesu; & non in carne fiduciam habentes: 4. quamquam ego habeam confidentiam & in carne. Si quis alius videtur confidere in carne, ego magis, 5. circumcisus octauo die, ex genere Israël, de tribu Beniamin, Hebræus ex Hebræis, secundùm legem Pharisæus, 6. secundùm æmulationem persequens Ecclesiam Dei, secundum iustitiam, quæ in lege est,

eſt, conuerſatus ſine querela. 7. Sed quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus
ſum propter Chriſtum detrimenta. 8. Verumtamen exiſtimo omnia detrimen-
tum eſſe, propter eminentem ſcientiam Ieſu Chriſti Domini mei; propter quem
omnia detrimentum feci, & arbitror vt ſtercora, vt Chriſtum lucrifaciam.
9. & inueniar in illo, non habens meam iuſtitiam, quæ ex lege eſt, ſed illam,
quæ ex fide eſt Chriſti Ieſu: quæ ex Deo eſt iuſtitia in fide. 10. ad cognoſcen-
dum illum, & virtutem reſurrectionis eius, & ſocietatem paſſionum illius, con-
figuratus morti eius: 11. ſi quo modo occurram ad reſurrectionem, quæ eſt
ex mortuis. 12. non quòd iam acceperim, aut iam perfectus ſim: ſequor au-
tem, ſi quomodo comprehendam in quo & comprehenſus ſum à Chriſto Ie-
ſu. 13. Fratres, ego, me non arbitror comprehendiſſe. Vnum autem, quæ
quidem retrò ſunt obliuiſcens, ad ea verò quæ ſunt priora extendens meipſum,
14. ad deſtinatum perſequor, ad brabium ſupernæ vocationis Dei in Chriſto Ie-
ſu. 15. Quicumque ergo perfecti ſumus, hoc ſentiamus: & ſi quid aliter ſa-
pitis, & hoc vobis Deus reuelabit. 16. Verumtamen ad quod peruenimus,
vt idem ſapiamus, & in eadem permaneamus regula. 17. Imitatores mei eſto-
te, fratres, & obſeruate eos qui ita ambulant, ſicut habetis formam noſtram.
18. Multi enim ambulant, quos ſæpè dicebam vobis (nunc autem & flens di-
co) inimicos crucis Chriſti: 19. quorum finis interitus: quorum deus venter
eſt: & gloria in confuſione ipſorum, qui terrena ſapiunt. 20. Noſtra autem con-
uerſatio in cælis eſt: vnde etiam Saluatorem expectamus Dominum noſtrum Ie-
ſum Chriſtum, 21. qui reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum
corpori claritatis ſuæ, ſecundùm operationem, qua etiam poſſit ſubiicere ſibi
omnia.

COMMENTARII.

Iudæos inſectatur, & Simonem Magum, Chriſti perſecutores.

VERS. 1.2.3.4.5.6. *De cetero fratres mei, gaudete, &c.*] *De cætero,* Sytus, *proinde*, ô fratres *gaudete in Domino*, ſeu eo gaudio, quod Chriſtianos decet. *Eadem vobis ſcribere*, ſeu eadem, quæ iam ſcripſi, repetere, non eſt mihi quidem moleſtum, & onerosum, cum *vobis ſit neceſſarium*, vt in fide confirmemini, & apertius doctrinam eius calleatis. * Non debet moleſtum eſſe auditoribus, ſi Concionator eandem morum correptionem inculcet. Sic enim doctrina animo tenacius inhæret.] *Videte canes*, obſeruate, & cauete impudentes, & improbos Iudaizantes, & hæreticos, qui vos mordere inſtar canum, irrumpunt, *malos* equidem *operarios* pſeudo-apoſtolos, qui Chriſti aniſmum procurant cum Iudaiſmo confundere: *videte circoncisionem*, ſic per contemptum circumciſionem appellat. Circumciſio olim magni facienda, nunc poſt Chriſtum tantum eſt conciſio, nil aliud eſt, quam carnis ſectio. * Vnde cauete circumciſos, qui ritus veteris legis vobis obtrudunt omninò iam vacuos, & inanes *Nos enim ſumus circumciſio.* Apte illos conciſionem appellaui vacuam, vera namque ſpiritualis circumciſio non carnis, ſed cordis apud nos eſt, *qui ſpiritu ſeruimus Deo, & gloriamur in Chriſto Ieſu*, tanquam ſalutis noſtræ auctore: *& non in carne fiduciam habentes*: carnem appellat res externas, v. g. conciſionem, legis ſcientiam, cæremonias &c. *quanquam ego habeam confidentiam & in carne. Ego* quidem, ſi iuuare hæc poſſint, præ aliis iure confidentiam, ſeu confidendi, ac gloriandi materiam

Non debet eſſe moleſtū auditoribus, ſi Concionator eandem morum correptionem inculcet.

haberem *in carne*, ſeu in rebus carneis, & ad legem illam carnalem attinentibus. Nam ſi *quis videtur confidere* poſſe *in carne*, ſeu de legis antiquæ obſeruatione gloriari, *ego magis*, qui *circumciſus* fui *octauo die ex genere Iſrael*, non proſelytus, qui adultus circumcidebatur: Hebræus ex Hebræis oriundus: *ſecundum legem Phariſæus* ſecta & profeſſione. *Secundum æmulationem perſequens Eccleſiam.* Nam ſi zelus paternæ legis tuendæ ſpectetur, adeò illo exarſi, vt etiam Chriſti Eccleſiam perſequerer: *Secundum iuſtitiam, quæ in lege eſt*, ſeu iuxta præſcriptum legis incedens: *conuerſatus ſine querela.* * Quod quidem magnam morum arguit perfectionem. Facillime namque querelæ, à vulgo contra virtutis aſſeclas excitantur.]

Viuere ſine querela, magnæ virtutis eſt argumentum.

Verſ. 7.8.9.10.11. Sed quæ mihi fuerunt lucra, &c.] At quæ tunc à me cenſebantur eſſe ingentia lucra, & inæſtimabilis theſaurus, hæc nunc arbitror *detrimenta propter Chriſtum*, quia ſunt impedimenta hauriendæ à Chriſto ſalutis. Quin & *omnia* alia legalia, & carnalia *detrimentum* ſeu noxia exiſtimo, & vt talia abiicio, quia nocent eminenti ſcientiæ, ſeu fidei *Ieſu Chriſti, propter quem*, ſeu cuius obtinendi & retinendi gratia, iampridem feci omnia illa *detrimentum*, ſeu vt noxia abieci: meque illis ſpoliaui, *vt Chriſtum lucrifaciam*, & theſauris illius diter: *Et inueniar illo* ſicut palmes in vite: & iuſtus efficiar, *non iuſtitia mea*, ſeu meis naturæ viribus *ex lege*, ſeu ex ſolius legis doctrina, ſine adiutorio fidei & gratiæ Chriſti comparata (nam talis iuſtitia exigui eſt momenti, nec coram oculis Dei iuſtificat) ſed iuſtitia Chriſtiana, quæ in *Chriſti fide* fundatur, & *ex Deo eſt*, & diuina eius gratia. Hæc quidem coram Deo iuſtificat, *Ad cognoſcendum illum*, quis, quantus, qualis ſit, ſcilicet Deus-homo, Meſ-

ſias

sias, saluator mundi, mortis triumphator per *virtutem resurrectionis*, seu per suam præcelsam potentiam, qua & se resuscitauit, & omnes nos faciet, à mortuis resurgere. Vt similes tunc illi simus in gloria, sicut nunc illi configuramur, seu conformes reddimur morti eius, per societatem passionum, & mortificationum, quas quotidiè subimus. Vt sic *quomodo* possim occurram, & pertingam aliquando *ad* beatam *resurrectionem*.

Vers. 12. 13. 14. 15. 16. *Non quod iam acceperim, &c.*] Non quod de me præsumam accepisse aut apprehendisse metam, aut ad culmen peruenisse, adeptum omninò perfectionem. *Sequor autem* Græcè, persequor continuo propetans in stadio, si quo modo possim, apicem illum apprehendere, *in quo*, vel ad quem *comprehensus*, captus, & vocatus sum *à Christo*, cum Damascum pergerem. * Nullus quantumcumque seruierit Deo, dum viuit, iudicet se esse perfectum; sed semper sine intermissione ad perfectiorem iustitiæ gradum curet conscendere.] * Preme illud: *Comprehensus sum à Christo.* Nonnullos sic Christus diligere videtur, vt fugientes veluti comprehendat, & curet retinere, imò ad eorum comprehensionem & capturam quasi solicitus venator exsurgat.] *Fratres, ego me non arbitror comprehendisse. Vnum autem* illud ex eo tempore solicitus ago, hoc solicitè procuro, *vt quæ retro sunt* seu præterita *obliuiscens, & ad priora*, seu ad ea quæ ante me *sunt* seu à fronte *meipsum extendens, brabium supernæ vocationis*, seu præmium victoribus præparatum assequar, ad quod assequendum, supernè Domino sum vocatus. *Quicumque ergò perfecti* seu adulti sumus in doctrina Christiana, vel perfectionis studiosi, sic sentiamus. * *Quicumque perfecti sumus*, ait Paulus. Anselmus legis, *Quicumque sumus perfectionis studiosi.* Si iam perfecti erant illi, cur studiosi perfectionis vocitantur? Certè quia vera perfectio est nunquam te credere esse perfectum, sed semper studiosum esse perfectionis sectandæ.] *Et si quid aliter sapitis*, seu aliqui vestrum aliter sentit: *Et hoc vobis Deus reuelauit*, scilicet in errore versari. Reuelat autem hoc Deus, dum homini huiusmodi suorum vitiorum, & errorum cognitionem impertit. *Verumtamen* rogo, vel hortor, vt gradum retineamus, ad quem *peruenimus*, gradum, inquam, illum cognitionis rerum diuinarum, & perfectionis vitæ, *Vt idem sapiamus*, seu concordes simus & vna in nobis sit circa veritatem Euangelij sententia sinè opinionum inutilium, aut noxiarum varietate: & *in eadem regula* doctrinæ fidei, & sanctitatis vitæ *permaneamus*.

Nullus iudicet, se esse perfectum, sed dum viuit, altiori studeat perfectioni.

Specialissimum Christi ad nonnullos peccatores ad se adducẽdos studium.

Vera perfectio est, tibi persuadere, haud esse perfectum.

Vers. 17. 18. 19. 20. 21. *Imitatores mei estote, &c.*] Me Magistrum veram sectantem doctrinam æmulamini; & obseruate verba, & facta eorum, *qui ita ambulant*, nempe Euangelij doctrinam amplectentes, & præscripta seruantes, vt eos etiam æmulemini *sicut habetis formam nostram*, seu eorum actiones regulando iuxtà exemplar obedientiæ & humilitatis Christi, quod vobis proposui. Tunc videbitis an digni sint, quos vos imitemini, necne. *Multi enim ambulant* aliter quam ego in Euangelij veritate, *quos sæpe dicebam vobis*, seu de quibus sæpe vobis loquebar, asserens esse *inimicos crucis Christi*, voluptatum scilicet sectatores: *quorum finis interitus* sine fine: *quorum Deus venter est*, qui finem vltimum in deliciis constituunt, & ventri litant gulam & ebrietatem tanquam Baccho & Cereri; venter enim illorum Deus est, seu idolum: *& gloria in confusione ipsorum*, gloriantur enim voluptatibus, & aliis iniquitatibus, quarum ipsos pudere oportebat: *qui terrena sapiunt*, seu non nisi terrenos nutriunt affectus. * Pro gloriari in confusione, seu in iis, è quibus confundi deberes, signum est, te inter illos annumerari, quorum finis *erit interitus*.] *Nostra autem conuersatio*, seu *vita ratio* (Græcè sic) *in cælis est*, seu Christianorum institutum cælestibus rebus studere; quia ibi cor nostrum habemus, *vnde saluatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum*, ad iudicium venturum. *Qui reformabit* Græcè, *transfigurabit corpus humilitatis nostræ*, seu putridum & conuersum in cineres, faciet incorruptibile, & gloriosum, quatuor nempè gloriæ dotibus donatum: *configuratum corpori claritatis suæ*, seu per simile immortali Christi corpori gloria circumdato: *secundum operationem, qua etiam possit subiicere sibi omnia*, & quidlibet in quodlibet transmutare, vnde ei facillimum erit è cineribus corpus reformare, sicut facillimum fuit Adæ corpus olim formare ex luto. * Obserua hinc, Paulum sæpe vti resurrectionis argumento ad virtutem suadendam. Memoria enim futuræ resurrectionis nobis animos indere debet vt corpus tunc tanta gloria donandum, nunc pœnitentiæ, ac mortificationis iugo addicamus.

Gloriari de peccatis reprobationis signum.

Resurrectionis memoria nos allicit ad corpus mortificandum.

CAPUT IV.

Ad spirituale gaudium & ad perfectam sanctitatem hortatur.

1. ITAQVE, fratres mei charissimi, & desideratissimi, gau-
dium meum, & corona mea: sic state in Domino, charissimi.
2. Euodiam rogo, & Syntychen deprecor, idipsum sapere
in Domino. 3. Etiam rogo & te, germane compar, adiu-
ua illas, quæ mecum laborauerunt in Euangelio cum Cle-
mente, & cæteris adiutoribus meis: quorum nomina sunt
in libro vitæ. 4. Gaudete in Domino semper: iterum di-
co gaudete. 5. Modestia vestra nota sit omnibus hominibus: Dominus pro-
pè est. 6. Nihil solliciti sitis, sed in omni oratione, & obsecratione, cum gratia-
rum actione, petitiones vestræ innotescant apud Deum. 7. Et pax Dei, quæ
exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, & intelligentias vestras, in Chri-
sto Iesu. 8. De cætero fratres, quæcumque sunt vera, quæcumque pudica, quæcum-
que iusta quæcumque sancta, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ, si qua
virtus, si qua laus disciplinæ, hæc cogitate. 9. Quæ & didicistis, & accepistis, &
audistis, & vidistis in me, hæc agite: & Deus pacis erit vobiscum. 10. Gauisus
sum autem in Domino vehementer, quoniam tandem aliquando refloruistis pro
me sentire: sicut & sentiebatis: occupati autem eratis. 11. Non quasi pro-
pter penuriam dico: ego enim didici, in quibus sum, sufficiens esse. 12. Scio
& humiliari, scio & abundare: (vbique & in omnibus institutus sum) & satia-
ri, & esurire, & abundare, & penuriam pati. 13. Omnia possum in eo, qui
me confortat. 14. Verumtamen benè fecistis, communicantes tribulationi meæ.
15. Scitis autem & vos, Philippenses, quod in principio Euangelij quando pro-
fectus sum à Macedonia, nulla mihi Ecclesia communicauit in ratione dati &
accepti, nisi vos soli: 16. Quia & Thessalonicam semel & bis in vsum mihi mi-
sistis. 17. Non quia quæro datum, sed requiro fructum abundantem in ratione
vestra. 18. Habeo autem omnia, & abundo: repletus sum, acceptis ab Epa-
phrodito quæ misistis, odorem suauitatis, hostiam acceptam, placentem Deo.
19. Deus autem meus impleat omne desiderium vestrum, secundùm diuitias
suas, in gloria in Christo Iesu. 20. Deo autem & Patri nostro gloria in sæcula
sæculorum. Amen. 21. Salutate omnem sanctum in Christo Iesu. 22. Salutant
vos, qui mecum sunt, fratres. Salutant vos omnes sancti, maximè autem qui de
Cæsaris domo sunt. 23. Gratia Domini nostri Iesu Christi cum spiritu vestro.
Amen.

COMMENTARII.

1. *Ad spirituale gaudium hortatur.*

VERS. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. *Itaque fratres mei charissimi, &c.*] Itaque ô fratres, dilecti admodum à me, & desiderati, (cupio enim valdè vos videre, & alloqui) *gaudium meum*, cum de vestra constantia in fide certior fio: *& corona mea*, quia ob labores & pericula vestra causa suscepta à Domino coronam expecto; *sic state in Domino, charissimi*, constanter persistite in fide Christi Domini, & in moribus fideli consentaneis sic, seu eo modo, quo in iis standum esse vos sæpè docui. *Euodiam rogo, & Syntychen deprecor*, vt idem sapiant, idem sentiant *in Domino*, seu iuxta Christianæ religionis leges. Duæ hæ fœminæ primariæ erant Philippis inter Christi cultores, quæ negotium fidei promouebant: attamen inter illas circa nonnulla accidentalia nonnihil dissidij fuerat exortum. Has curat Apostolus ad omnimodam concordiam adducere. * Vel minima enim discordia inter seruos speciales Christi aliis dat tepiditatis in ratione viuendi occasionem.] *Etiam rogo & te, germane compar*, qui syncerus adiutor & socius mei Euangelici laboris fuisti (eius nomen non exprimit) *adiuua illas* nempè Euodiam, & Syntychen, *quæ mecum laborauerunt in Euangelio* fœminis aliis priuatim recolendo iuxta præscripta mea. * Nec enim deceret, vt mulieres cum viris, vel ad eos instruendos, diu morarentur.] *Cum Clemente*, qui mecum etiam

Quælibet seruorū Dei discordia aliis paric scādalum.

Fœminæ fugiant virorū assidua colloquia etiā pia.

etiam strenuè laborauit. Loco particulæ illius: *Quæ mecum laborauerunt*, est in Græco, *Quæ athletarum more decertarunt.*

D. Theresia non solùm fœminarū, sed & virorum perfectionis Magistra.

* Sunt quidem nonnullæ fœminæ, quæ strenuos viros superant fortitudine in Euangelij ministerio. Testor D. Theresiam non solùm fœminarum, sed & virorum perfectionis Magistram.] Porrò Clemens, de quo Paulus agit memoriam, fuit ille Romanus egregius discipulus Petri & Pauli, qui Petro post Linum & Cletum in Pontificatu successit. *Quorum nomina sunt in libro vitæ.* Horum hîc nomina scribo, sed felicius in libro vitæ, seu electorum exarantur. *Gaudete*, ô fratres, *in Domino semper*, *iterum dico: Gaudete*, frequentissime in vobis excitate in vobis spiritualé gaudium, animo recolentes ineffabile vocationis vestræ beneficium, quo in vitam æternam destinamini.

Religiosus ad perfectionis institutū vocatus, magnæ exultationis materiam habet.

* Ad Religiosos monitum hoc propriè dirigitur, qui cum cælesti munere è tot secularibus sunt ad regularem perfectionem electi, spirituali gaudio debent perfundi.] *Modestia vestra nota sit omnibus hominibus, Dominus enim propè est.* Vestra moderatio, morumque compositio coram omnibus fulgeat. Index enim Dominus appropinquat, qui nostram modestiam coronabit, & gaudium complebit.

Gaudeant, & laetentur animo iusti, sed modestè.

* Gaudere iustos monet Apostolus, necessaria enim est ad continui laboris tolerantiam nonnulla recreatio: sed iubet esse modestam, vt cultores Christi Domini decet.]

Ne in actionibus æquitatis metam excedas, te Deum earum testem habe te, considera.

* Dominus enim, ait, *prope est*, earum aspectator actionum. Ne quis in actionibus æquitatis metam excedat, potens est frænum mente recolere, Deum oculatum esse illarum testem.] *Nihil soliciti sitis*, siue bonis spoliemini, siue aliis infortuniis afficiamini, quia æterna bona non longe absunt, cum eorum largitor *prope* sit.

Vt labores patienter sustineas, cogita, perbreuem tibi fore vitæ huius durationem.

* Vt labores sustineas patienter, non tibi statuas longæ vitæ terminum, sed existima, semper diem mortis instare.] *Sed in omni negotio* (in Græco enim παντὶ neutrum non potest cum oratione fœminini generis coniungi) *oratione, & obsecratione petitiones vestræ innotescant apud Deum*, seu deferantur ad Deum per attentam orationem, & feruentem obsecrationem: synceramque *gratiarum actionem* de quocumque demum euentu, siue Deus petitis annuat, siue abnuat.

Sæpè abnegatio petiti maius Dei beneficium est, quam concessio.

* Sæpè namque abnegatio petiti maius Dei beneficium est, quam concessio.] *Et pax Dei*, (quæ quam nobilis, quam suauis sit, *exuperat omnem sensum*, seu intellectum) perpetuo *custodiat corda vestra, & intelligentias vestras*; seu totam animam vestram contra omnium hostium incursus, qui vos turbare contendunt.

Vers. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. *De cætero fratres, &c.*] Cæterum ô fratres *quæcumque sunt vera*, syncera, & ab hypocrisi aliena, *pudica* grauia, seuera, honesta, verecunda, *sancta*, Græce, *incontaminata*, *amabilia*, seu ad amicitiam & concordiam conducentia: *bona fama*, seu boni nominis asserendi apposita, alij, *laudabilia*: *si qua virtus*, *si qua laus disciplinæ*, seu quidquid Christianam disciplinam apud infideles commendat, *hæc cogitate*, hæc sectari studete. *Quæque didicistis, & accepistis, & audistis in me, hæc agite*, verba & actiones meas æmulari contendite. *& Deus pacis auctor erit vobiscum*, insigni donorum suorum incremento. *Gauisus sum autem in Domino vehementer quoniam reflorvistis pro me sentire*, seu charitas vestra erga me circa studium impendendi necessaria, quæ quodammodo aruerat, iam nunc refloruit. Sed excusatione digni fuistis tempore, quo mihi non succurritis, *sicut & sentiebatis*, seu sicut solicite esse solebatis, quia *eratis occupati*, & opportunitas non aderat mihi subueniendi. *Non id quasi propter penuriam dico* qua eram affectus, aut quasi moleste feram, si quid mihi desit. *Didici enim in quibus sum, sufficiens esse*, seu didici iis, quæ habeo contentus esse, quasi mihi illa sufficiant. *Scio humiliari, Scio & abundare*, seu indigus, & abundans. *vbique & in omnibus institutus sum.* ita vitam meam institui, vt penuriam pati sciam, si sit opus: & copia, si adsit, moderatè vti. *Omnia* iam enarrata possum sustinere, & alia diriora, si accidant. *in eo, qui me confortat*, siue Christi fretus auxilio, qui me ad hæc omnia incommoda toleranda vires suppeditat.

Cum Deus nos laboribus onerat, simul auxilium ad illos tolerandos suppeditat.

* Nam cum Deus labores immittit, nos simul ad illos sufferendum auxilio donat.] Licet autem scio famem tolerare, *Verumtamen bene fecistis*, seu gratum Deo gessistis opus, *communicantes tribulationi meæ*, seu inopiam meam sublenantes.

Vers. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. *Scitis autem & vos Philippenses, &c.*] Haud ignoratis ô Philippenses, *quod in principio Euangelij* à me vobis prædicati (Act. 16.) *quando profectus fui à Macedonia, nulla mihi Ecclesia communicauit in ratione dati, & accepti, nisi vos soli.* Seu quod nulla Ecclesia spiritualia à me accepta temporali subsidio ad necessariam sustentationem compensauit, nisi vestra. *Quia & Thessalonicam semel & bis in vsum mihi misistis.* Nam semel & iterum id quo ad vsus meos indigebant in Thessalonicam remisistis. *Non quia quæro datum, sed requiro fructum abundantem in ratione vestra.* Non hoc dico, quia vestra aut cuiuscumque alterius munera desiderem, aut exigam: sed vestrum fructum, & commodum requiro, & expeto: vt bona quæ in hoc genere agitis vestris rationibus inscribantur, & amplissimæ retributionis à Deo creditores efficiamini.

Qui inopi succurrit, Deum sibi reddit debitorem.

* Nam qui succurrit inopi sibi Deum reddit debitorem.] *Habeo autem omnia, & abundo: repletus sum, acceptis ab Epaphrodito, quæ misistis.* Ea recipiens quæ ad me Episcopi vestri manu ad me tàm largè misistis, abundè mea oppleta fuit egestas. Misistis inquam vberem eleemosynam *odorem suauitatis, hostiam acceptam placentem Deo*, quæ scilicet est quoddam quasi sacrificium gratissimi & suauissimi cælesti Numini odoris. *Deus autem meus impleat omne desiderium vestrum secundum diuitias suas*, seu cum sit omnium diuitiarum fons, quidquid cælestium donorum expetitis, consequamini, *in gloria in Christo Iesu!* seu desiderium vestrum in gloria per Iesu merita repleatur. Quia scilicet cuncta terrena bona haud possunt hominum corda implere. Vnde Dauid expertus ex inope pastore Rex duplicis Imperij effectus, quasi ieiunus, & vacuus, cecinit.

Solùm cælestis gloria potest satiare hominis animum, nō cuncta terrena.

cinit. *Satiabor cum apparuerit gloria tua.* Psal. 18. 15.] *Deo autem & Patri nostro gloria in sæcula sæculorum*: Deo, qui Pater noster est gloria sit per omnem æternitatem. *Amen. Salutate omnem sanctum in Christo Iesu*, seu omnem Christianum, qui Baptismo sanctificatus est per Christum, & professione, ac vocatione Christiana sanctus est. *Salutant vos, qui mecum sunt, fratres. Salutant vos omnes sancti*, seu omnis Romana Ecclesia; *maximè autem qui de Cæsaris domo sunt*, seu Christicolæ, qui in Neronis aula versantur. * Aula quidem haud apta est pietati: sed si homo velit, vel in aula tyranni poterit esse sanctus.] *Gratia Domini Iesu Christi cum spiritu vestro. Amen.*

Vel in aula tyranni potest esse sanctus.

EPISTO

EPISTOLA
BEATI PAVLI APOSTOLI
AD COLOSSENSES.

COloſſæ erat Ciuitas non Rhodiorum quaſi à Coloſſo Solis dicta, (vti aliqui volunt) ſed Phrigiæ, vicina Hierapoli, & Laodiciæ, auctore Plinio, Zonara, & aliis. Vndè Paulus iubet Coloſſenſes, vt legant Epiſtolam Laodicenſium, vtpotè vicinorum. Scripta fuit eodem cum duabus præcedentibus anno à morte Dominica vigeſimoſeptimo ex eodem Romano carcere, & per Tychicum, & Oneſimum Coloſſas tranſmiſſa.

CAPVT I.

Edocet, non Angelos, ſed Chriſtum eſſe totius mundi Redemptorem, ac ſaluatorem.

1. PAVLVS Apoſtolus Ieſu Chriſti per voluntatem Dei, &
Timotheus frater: 2. eis, qui ſunt Coloſſis, ſanctis, &
fidelibus fratribus in Chriſto Ieſu. 3. Gratia vobis &
pax à Deo Patre noſtro, & Domino Ieſu Chriſto. Gra-
tias agimus Deo, & Patri Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſem-
per pro vobis orantes: 4. audientes fidem veſtram in
Chriſto Ieſu, & dilectionem quam habetis in ſanctos
omnes, 5. propter ſpem, quæ repoſita eſt vobis in cælis: quem audiſtis in
verbo veritatis Euangelij: quod peruenit ad vos, ſicut & in vniuerſo mundo eſt,
& fructificat, & creſcit, ſicut in vobis, ex ea die qua audiſtis, & cognouiſtis
gratiam Dei in veritate, 7. ſicut didiciſtis ab Epaphra chariſſimo conſeruo no-
ſtro, qui eſt fidelis pro vobis miniſter Chriſti Ieſu, 8. qui etiam manifeſta-
uit nobis dilectionem veſtram in ſpiritu. 9. Ideò & nos ex qua die audi-
uimus, non ceſſamus pro vobis orantes, & poſtulantes vt impleamini agnitio-
ne voluntatis eius, in omni ſapientia & intellectu ſpirituali: 10. vt ambule-
tis dignè Deo per omnia placentes: in omni opere bono fructificantes, & cre-
ſcentes in ſcientia Dei: 11. in omni virtute confortati ſecundùm potentiam
claritatis eius, in omni patientia & longanimitate cum gaudio, 12. gratias
agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem ſortis ſanctorum in lumi-
ne: 13. qui eripuit nos de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnum filij
dilectionis ſuæ: 14. in quo habemus redemptionem per ſanguinem eius, re-
miſſionem peccatorum: 15. qui eſt imago Dei inuiſibilis, primogenitus om-
nis creaturæ: 16. quoniam in ipſo condita ſunt vniuerſa in cælis, & in terra,
viſibilia, & inuiſibilia, ſiue throni, ſiue dominationes, ſiue principatus, ſiue po-
teſtates: omnia per ipſum, & in ipſo creata ſunt: 17. & ipſe eſt ante omnes, &
omnia in ipſo conſtant. 18. Et ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ, qui eſt princi-
pium, primogenitus ex mortuis: vt ſit in omnibus ipſe primatum tenens. 19. quia
in ipſo complacuit, omnem plenitudinem inhabitare: 20. & per eum recon-
ciliare omnia in ipſum, pacificans per ſanguinem crucis eius, ſiue quæ in ter-
ris,

ris, siue quæ in cælis sunt. 21. Et vos cùm essetis aliquando alienati, & inimici
sensu in operibus malis: 22. nunc autem reconciliauit in corpore carnis eius
per mortem, exhibere vos sanctos, & immaculatos, & irreprehensibiles co-
ram ipso: 23. si tamen permanetis in fide fundati, & stabiles, & immobiles à
spe Euangelij, quod audistis, quod prædicatum est in vniuersa creatura, quæ
sub cælo est, cuius factus sum ego Paulus minister. 24. Qui nunc gaudeo in
passionibus pro vobis, & adimpleo ea quæ desunt passionum Christi, in carne mea,
pro corpore eius, quod est Ecclesia: 25. cuius factus sum ego minister secun-
dùm dispensationem Dei, quæ data est mihi in vos, vt impleam verbum Dei:
26. mysterium, quod absconditum fuit à sæculis, & generationibus, nunc autem
manifestatum est sanctis eius, 27. quibus voluit Deus notas facere diuitias gloriæ
sacramenti huius in Gentibus, quod est Christus, in vobis spes gloriæ. 28. quem
nos annuntiamus, corripientes omnem hominem, & docentes omnem hominem,
in omni sapientia, vt exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo Iesu.
29. in quo & laboro, certando secundùm operationem eius, quam operatur in me
in virtute.

COMMENTARII.

1. VERS. 1.2.3.4.5.6.7.8. *Paulus Apostolus Iesu Christi, &c.*] Paulus *per voluntatem Dei*, ac iussum non meritis meis in Christi Apostolum vocatus, & assumptus: *& Timotheus frater*, eis, *qui sunt Colossis*, Christianis fratribus in Christo fidelibus. Gratia vobis, & *pax à Deo Patre nostro, & Domino nostro Iesu Christo* donetur, & augeatur. *Gratias agimus Deo*, qui est Pater *Domini nostri Iesu Christi* pro vobis semper *orantes*, eum audimus fidem vestram in Christum, & charitatem, quam in fideles cunctos exercetis, *propter spem, quæ reposita est vobis in cælis*, seu ob bona æterna sperata, quæ per verbum Euangelicum fidelibus præparata esse audistis. *Quod* quidem præconium Euangelicum, *ad vos peruenit, sicut & in vniuerso mundo est*, seu in præcipuis totius orbis partibus, ac prouinciis est disseminatum: *& fructificat*, & crescit ibi, *sicut in vobis* Dei gratia videmus crescere & fructificare, *ex ea die, qua audistis, & cognouistis gratiam Dei in veritate*, seu veritatem gratiæ Dei, id est, redemptionis, & salutis per Christum allatæ. *Sicut didicistis ab Epaphra* Collossense ciue *conseruo nostro*, seu qui nobiscum Christo seruit in Euangelio, *qui est fidelis pro vobis minister Christi Iesu. Qui etiam manifestauit nobis dilectionem vestram in spiritu*, seu charitatem, qua in nos, & in Christianos omnes affecti estis. Laudat Epaphram, quod fidus sit ac syncerus Christi minister in procuranda Colossensium salute. Hic quidem Romam ad salutandum, & subleuandum Apostolum venit, imo nonnulli verò simile putant hac causa in carcerem eandem fuisse coniectum. Ideo Paulus eum charissimum & fidelem appellat.* Societas enim in tribulatione ingentem conciliat animorum affectum.] * Illud preme: Verbum Euangelicum *fructificat, & crescit in vobis ex ea die, qua audistis.* Non enim cunctati sunt Colossenses differentes Dei vocationi respondere: sed illicò nomen Christo dedere. Periculosum enim admodum est salutis vocatione audita hodie, ad respondendum procrastinare.]

Non Angelos, sed Christũ totius mũdi Redemptorem esse docet.

Societas in tribulatione ingentẽ conciliat animorum affectum.

Non differas vocationi diuinæ respondere.

Vers. 9.10.11.12.13.14.15.16.17. Ideò & nos ex qua die, &c.] Propterea *& nos ex qua die, ab* Epaphra *audiuimus* hæc de vobis elogia, nempe fidem, dilectionẽ, &c. *non cessamus pro vobis* orare, & postulare à Deo, *vt impleamini agnitione voluntatis eius*, qua decreuit nos sibi reconciliare, & saluare per Christum. Vt impleamini inquam, hac agnitione *in omni Sapientia, & intellectu spirituali*, seu cum completa sapientia, & assecutione mysteriorum fidei, & intellectu eorundem non carnali, & litterali, sed spirituali, puto, solido. *Vt ambuletis dignè, Deo per omnia placentes*, hoc enim est dignè ambulare. * Et quidem tam debitores Deo sumus, vt ille solùm dignè ambulare seu Christianum decet, qui in cunctis venari studet, quæ sit Dei voluntas, vt illam exequatur.] *in omni opere bono fructificantes*, seu fructum omnium bonorum operum ferentes, *& crescentes in scientia Dei.* Crescit in agnitione seu scientia Dei, qui in mysteriorum diuinorum notitia quotidie proficit. *In omni virtute confortati*, seu omni robore armati aduersus pericula impendentia. Græcè, *In omni potentia facti potentes, secundum potentiam claritatis eius*, Græcè, *gloria eius* seu secundùm gloriosam potentiam Dei, qua vos communiri oportet, cum persecutiones tyrannorum insurgunt. * Cùm Laurentium, Sebastianum, Catherinam, & alios inclytos Ecclesiæ duces videris ineffabili constantia præditos, humanam imbecillitatem non aspicias, sed ad gloriosam Dei virtutem, qua corroborantur, mentem attolle.] Idcóque à Deo roboratos esse ostendetis *in patientia, in longanimitate, & gaudio*, seu vt in omnibus aduersis patientes sitis, & longamines, imo in ipsa tribulatione in Domino gaudeatis. *Gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine*, seu qui dignatus est, nos assumere in partem hereditatis electorum suorum: siuè dignitatem illam contulit, vt simus cælestis hereditatis cum electis participes, *in lumine*, seu ob lumen *Euangelij*. quod Christus nobis de cælo attulit. Quo quidem lumine *eripuit nos de potestate tenebrarum*, seu dæmonum qui tenebræ sunt, & qui lucem illam, quæ in tenebris lucet, nunquam tenebrosi ipsi comprehenderunt: *& transtulit in Regnum Filij*

dile

Solus ille digne ambulare videtur, qui à Dei voluntate non recedit.

Martyres Dei virtute armãtur, ad vincendum.

dilectionis suæ, seu in Ecclesia dilecti Filij sui. *In quo habemus redemptionem, per sanguinem eius*, à seruitute peccati, *remissionem* scilicet *peccatorum*. Qui quidem Filius *est imago Dei* Patris *primogenitus omnis creaturæ*, quia ante omnem creaturam, nempe ab æterno est genitus. *Quoniam in ipso*, seu per ipsum *condita sunt vniuersa in cælis, & in terra, visibilia, & inuisibilia, siue Throni, siue Dominationes, siuè Principatus, siue Potestates: omnia per ipsum, & in ipso creata sunt* Græcè, *in ipsum*, siue ad ipsius gloriam. *Et ipse est ante omnes Angelos*, & quascumque creaturas: *& omnia in ipso constant*, seu per eum consistunt, & conseruantur.

Vers. 18.19.20.21.22.23. *Et ipse est caput corporis, &c.*] Et ipse mystici corporis Ecclesiæ, qui est principium, fons, Dux & *primogenitus ex mortuis* resurgentium, quia primus è sepulchro surrexit ad vitam immortalem, quem electi resurrecturi in nouissima die sequentur. *Vt sit in omnibus ipse primatum tenens.* In quouis enim ordine tam creationis, quam regenerationis: tam naturæ, quàm gratiæ: tam visibilium creaturarum, quam inuisibilium, in omnibus omnino primatum tenet. *Quia in ipso* Christo *complacuit* Patri, *omnem plenitudinem inhabitare*, seu omnem perfectionem tum Sapientiæ, tum gratiæ, tum potestatis, tum denique ipsius Diuinitatis non tantum per operationem, sed & per essentiam continere: *Et per eum reconciliare omnia in ipsum*, id est, homines. Tanta enim Deo hominum æstimatio, vt homines electi quasi ipsi omnia sint. Vndè dicebat aliquando Dominus Mar. vlt. *Prædicate Euangelium omni creaturæ*, id est, hominibus, qui Domino quasi omnia sunt.] *Pacificans per sanguinem eius siue quæ in terris, siue quæ in cælis sunt*, seu Angelos & homines inter se reconcilians, pace per eius sanguinem composita, quo quidem peccatum, quod erat inimicitiæ causa, fuit deletum. * Vndè stultus est admodum, qui delinquit, quantum enim in se est, pristinas renouat inimicitias, & ei est cum innumerabilibus inimicis inuisibilibus dimicandum.] *Et vos cum essetis aliquando alienati, & inimici sensu*, seu mente & voluntate *in operibus malis* idololatriæ, luxuriæ, &c. *vos nunc* Christus *reconciliauit in corpore carnis eius*, seu in corpore suo vero & proprio, *per mortem crucis: exhibere vos*, siue vt exhiberet *sanctos, immaculatos, & irreprehensibiles coram ipso*, seu in Dei Patris conspectu. * Ex Christi sanguine hæc vis Pœnitentiæ immundos omnino homines adeò reddere immaculatos, vt Dei vel lincei oculi nihil iam in eis inueniant reprehensione obnoxium.] *Si tamen permanetis in fide fundati, & stabiles, & immobiles à spe Euangelij, quod audistis, quod prædicatum est in vniuersa creatura.* His itaque bonis potiemini, si retinueritis firmiter fidem, & corde foueritis spem bonorum cælestium, quæ promittit Euangelium quod

Ineffabilis apud Deum hominis æstimatio.

Qui delinquit, videtur antiquas inimicitias inter Angelos & homines innouare.

Pœnitentiæ vis ad diluenda hominum crimina.

audistis; & per vniuersum orbem eulgatur. * Cur fidei & spei opera alia recta circa obseruationem legis non memorauit? Crediderim; quia qui cælestem felicitatem sperat, cordis affectu simul accenditur, ad iucunda media, per quæ illa felicitas est comparanda.] Cuius quidem prædicationis in omnem creaturam *ego Paulus sum* ex Domini electione *minister.*

Gloriæ futuræ spes nos allicit ad recta opera exequendum, vt illam assequamur.

Vers. 24.25.26.27.28.29. *Qui nunc gaudeo in passionibus, &c.*] Creditum inquam est prædicandi Euangelij ministerium, *mihi, qui nunc* carceri addictus, *gaudeo in passionibus*, seu tribulationibus *pro vobis*, seu vestra causa exantlatis: *& adimpleo ea, quæ desunt, passionum Christi in carne mea pro corpore eius, quod est Ecclesia.* Græcè, pro *adimpleo*, est, *vicissim impleo.* Ac si diceret: Opus fuit, vt Christus multa in corpore suo vero, & etiam in corpore mystico pateretur. Profectò Christus in corpore suo vero passus est cruciatus, mortem subiit. Nunc igitur vicissim & ego, qui sum membrum corporis mystici, adimpleo, quæ desunt, multa patiendo pro Christo, & eius Ecclesia. *Cuius factus sum ego minister secundum dispensationem Dei, quæ data est mihi in vos, vt impleam verbum Dei.* Cuius quidem Ecclesiæ sum minister electus, vt dispensem toti familiæ, seu singulis fidelibus doctrina Domini mei, & compleam Euangelij prædicationem, quam Christus inchoauit. Quod quidem verbum Dei prædicatum à Christo *mysterium est*, quod absconditum fuit à sæculis, & generationibus: nunc autem *manifestum*, seu reseratum est *sanctis eius*, seu fidelibus noui Testamenti. *Quibus voluit Deus notas facere diuitias gloriæ, Sacramenti huius in Gentibus*, seu quibus placuit Deo reuelare diuitem, & bonis spiritualibus exundantem gloriam huius mysterij, *quod est Christus*, & eius Euangelium, *in vobis spes gloriæ*, quia per Christi Euangelium quod recepistis, & cuius præscripta obseruatis, gloriam vos adepturos speratis. *Quem* quidem Christum & Euangelium nos annunciamus mundo, *corripientes omnem hominem*, idolorum cultorem, & prauis moribus infectum: *& docentem omnem hominem in omni Sapientia*, cognitione scilicet Dei, & mysteriorum fidei, quæ vera est Sapientia. Paulus itaque & corripiebat, & docebat. Nec enim concionator suum implet ministerium, si solummodo doceat. Debent simul in peccata inuectiuus exsurgere.] *Vt* scilicet docendo, & corripiendo, *exhibeamus omnem hominem in Christo Iesu, perfectum* in his, quæ ad fidei doctrinam, & morum compositionem pertinent. *In qua & laboro, certando secundum operationem eius, quam operatur in me in virtute*, seu ad quem finem enitor multumque laboro cum periculis decertando secundum efficacem, ac potentem operationem Christi, qui valide me sua virtute confortat ad agendum, ad patiendum, & inimicos eius superandos.

Concionator non solū debet docere, sed etiā peccata corripere.

CAPVT II.

Pseudo-apostolos taxat. Legales obseruationes, falsam Angelorum religionem, delectum superstitiosorum ciborum carpit.

1. VOLO enim vos scire qualem sollicitudinem habeam pro vo-
bis, & pro iis qui sunt Laodiciæ, & quicumque non viderunt
faciem meam in carne: 2. Vt consolentur corda ipsorum,
instructi in charitate, & in omnes diuitias plenitudinis intel-
lectus, in agnitionem mysterij Dei patris & Christi Iesu:
3. In quo sunt omnes thesauri Sapientiæ & scientiæ abscon-
diti. 4. Hoc autem dico, vt nemo vos decipiat in sublimita-
te sermonum. 5. Nam etsi corpore absens sum, sed spiritu vobiscum sum gau-
dens, & videns ordinem vestrum, & firmamentum eius, quæ in Christo est, fidei ve-
stræ. 6. Sicut ergo accepistis Iesum Christum Dominum, in ipso ambulate. 7. Ra-
dicati, & superædificati in ipso, & confirmati fide, sicut & didicistis, abundantes
in illo in gratiarum actione. 8. Videte ne quis vos decipiat per Philosophiam, &
inanem fallaciam, secundùm traditionem hominum, secundùm elementa mundi,
& non secundùm Christum, 9. Quia in ipso inhabitat omnis plenitudo diuinita-
tis corporaliter: 10. & estis in illo repleti, qui est caput omnis principatus, & po-
testatis: 11. In quo & circumcisi estis circumcisione non manu facta in expolia-
tione corporis carnis, sed in circumcisione Christi: 12. Consepulti ei in baptis-
mo, in quo & resurrexistis per fidem operationis Dei, qui suscitauit illum à mor-
tuis. 13. Et vos, cùm mortui essetis in delictis, & præputio carnis vestræ, conuiui-
ficauit cum illo, donans vobis omnia delicta: 14. Delens quod aduersus nos erat
chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio, affi-
gens illud cruci: 15. & expolians principatus & potestates, traduxit confidenter, pa-
triumphans illos in semetipso. 16. Nemo ergo vos iudicet in cibo, aut in potu,
aut in parte diei festi, aut neomenæ, aut sabbatorum: quæ sunt vmbra futuro-
rum: corpus autem Christi. 18. Nemo vos seducat, volens in humilitate, & reli-
gione Angelorum, quæ non vidit ambulans, frustrà inflatus sensu carnis suæ, &
non tenens caput, ex quo totum corpus, per nexus & coniunctiones subministra-
tum & constructum, crescit in augmentum Dei. 20. Si ergo mortui estis cum
Christo ab elementis huius mundi: quid adhuc tanquam viuentes in mun-
do decernitis? 21. Ne tetigeritis, neque gustaueritis, neque contrectaueritis:
quæ sunt omnia in interitum ipso vsu secundùm præcepta & doctrinas homi-
num: 23. Quæ sunt rationem quidem habentia Sapientiæ in successione, & hu-
militate, & non ad parcendum corpori, non in honore aliquo ad saturitatem
carnis.

COMMENTARII.

1. *Taxat Pseudo-Apostolos.*

VERS. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. *Volo enim vos scire, &c.*] Velim vos ô Colossenses dignoscere quanta pro salute vestra & eorum, *qui sunt Laodiciæ*, & quorumcumque qui me nunquam viderunt, sim affectus: *Vt consolentur* (passiue) seu vt consolationem accipiant *ipsorum corda*: cum plene *instructi* sint *charitate* in Deum, & proximum, & assecuti *omnes diuitias plenitudinis intellectus*, seu vberrimam copiam perfectæ intelligentiæ fidei, præcipue agnitionis *mysterij Dei Patris & Christi Iesu*, seu sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis, ac passionis Christi Filij eius. *In quo* solo & non in Angelis (vt fingunt pseudo-apostoli isti) sunt absconditi omnes thesauri omnigenæ *sapientiæ*, scientiæ, imo & diuinitatis. *Hoc autem dico, vt nemo vos decipiat in sublimitate sermonum*, seu in specioso fuco humanæ eloquentiæ, & confictis rationibus. *Nam & si corpore absens sum*, vobiscum adsum mente, & affectu *gaudens* quidem, *& videns*, seu vera relatione dignoscens *ordinem vestrum*. Græcè *bonum* ordinem quo ordinate, & rectè omnia fiunt *& firmamentum eius, quæ in Christo est, fidei vestræ*, seu firmitatem, &

con

constantiam fidei vestræ in Christum. *Sicut ergò accepistis Iesum Christum*, seu sicut edocti estis ea, quæ ad Christum spectant, sic *in ipso ambulate*, nec sinatis, vos à veritatis tramite deiici: *Radicati, & superædificati in ipso, & confirmati fide* Christi. Fides enim eius est fundamentum solidum, cui debemus insistere, *sicut edocti estis: abundantes in illo in gratiarum actione.* Græce, *abundantes in illa* fide. Non solum cupio vos solum esse in fide stabiles, verum etiam in ea proficere, & proficiendo abundare per pleniorem mysteriorum cognitionem, cum gratiarum actione. * Reddentes enim Deo gratias pro acceptis his beneficiis vberiora postmodum accipietis.]

Gratiarum actio pro beneficio accepto aliud à Deo vberius acquirit.

Vers. 8.9.10.11.12. *Videte, ne quis vos decipiat, &c.*] Diligenter attendite, ne quis vos decipiat *per philosophiam inanem* nihil solidi habentem, sed meram *fallaciam* ex vanissimorum *hominum* inuentione & *traditione* haustam, *non secundum Christum*, seu Christi doctrinam: sed *secundum elementa mundi*, seu prima principia mundanæ doctrinæ, quibus suorum animos mundani homines à pueritia imbuunt. *Quia* in Christo *inhabitat omnis plenitudo diuinitatis*, seu tota deitas *corporaliter*, id est, per vnionem ipsius diuinitatis cum corporea substantia, seu carne humana in persona verbi, iuxta illud: *Verbum caro factum est. Et estis in illo repleti* scientia, aliisque muneribus salutaribus: *qui quidem est caput omnis Principatus, & Potestatis*, seu omnium Angelorum: *In quo & circumcisi estis circumcisione non manu facta*, quæ fit *expoliatione*, seu decisione particulæ corporis: *Sed in circumcisione Christi*, scilicet spirituali: quandò simul cum eo sepulti estis in Baptismo, seu tunc quando sacra vnda diluti estis. Alludit ad Baptismum per immersionem, quo corpora aquis merguntur, & quodammodo sepeliuntur, vt emergentes ex illis ad nouam vitam Christianam mundati à culpis resurgant: ideò addit: *In quo & resurrexistis per fidem operationis Dei*, seu per fidem resurrectionis Christi, diuina virtute factæ.

Vers. 13.14.15.16.17. *Et vos cum mortui essetis in delictis, &c.*] Et cum vos ob crimina, viræ gratiæ essetis priuati, *in præputio carnis vestræ* non circumcisi carnaliter (Gentiles alloquitur) *conuiuificauit vos cum* Christo, donans vobis omnia delicta. Si igitur si tunc ad iustitiam assequendam præputium non nocuit: vt quid sinitis iam vobis obtrudi, circumcisionem ad salutem esse necessariam? *Conuiuificauit*, inquam, *vos*, & nos omnes, *delens, quod aduersus nos erat, Chirographum decreti*; seu obligationem ad mortem, & pœnam æternam iuxta decretum Dei, & sententiam damnationis in peccatores latam. Huic obligationi omnes subscripsimus primùm manu Adæ, omnium nomine delinquentis: secundò manu propria, cum actualiter Deum offendimus. Hanc obligationem *de medio tulit* seu sustulit Christus, siue aboleuit sua cruce ac morte relinquens schedam quasi iam cassam & abolitam *cruci* velut iunco affixam: *Et expolians Principatus & Potestates*, seu dæmones quantumcumque potentissimos, *traduxit eos confidenter*, Græcè, publicè ignominiæ exposuit, suæ fidens mirabili potentiæ, *palam triumphans illos in semetipso*, seu de illis per suam virtutem triumphum agens. *Nemo ergò vos iudicet in cibo, aut in potu*, seu nemo vos reprehendat, vel damnet in delectu, & abstinentia ciborum, ac potuum Iudæis præscripta: *aut in parte diei festi*, seu in partitionibus dierum solemnium. Porrò Iudaizantes quædam festa Iudaica seruare debere contendebant, quædam contemni. Neomenia quidem, Sabbatum, & alia festa *vmbra* erant *futurorum, corpus autem Christi*, seu, rem ipsam veram, ac solidam nempe corpus Christum adumbrabant. Si ergò iam ipsum corpus habemus, quid necessum nobis ad vmbram recurrere?

Vers. 18.19.20.21.22.23. *Nemo vos seducat, &c.*] Græcè, *Nemo brauio vos fraudet.* Benè curritis, palma proxima præparatur: cauete, ne seductores isti vos à veræ religionis cursu, ad falsam superstitionem detorqueant. * O quot egregij duces post multa certamina superata, post cursum diu felicissime exactum, circà terminum impingentes miserè conciderunt. Nullus igitur vsque ad finem se excidendi putet esse securum.] Nemo inquam vos seducat, aut præmio defraudet, *volens* studio vobis imponere ficta *humilitate*, & religione seu cultu Angelorũ, Simon Magus & eius discipuli docuere cultum & adorationem falsam, & superstitiosam Angelorum, quæ Colossis totaque Phrygia vigebat. Impostores enim illi incredibilia confingebant, de Angelis, & Christo illos præferre conabantur. Actor autem huius blasphemi erroris asserebat, *quæ non vidit ambulans*, seu quasi ipse cælos perambulasset, & hæc ibi nosse, & nobis è cælo delapsus enunciaret, *frustra inflatus*, seu inaniter tumens sua carnali mente, quasi aspiciat Angelos, & rerum cælestium acquisierit cognitionem: *& non tenens caput* Christum, sed pro Christo Angelos substituens: *ex quo* scilicet Capite *totum corpus* Ecclesiæ *per nexus, & coniunctiones subministratum*, seu subministrationem accipiens spiritus, motus, & sensus vitalis à capite, *crescit in augmentum Dei*, seu fidei & Dei spiritus accipit incrementum. *Si ergò mortui estis cum Christo*, seu cum per Christum estis iam vanitati, & omni sectæ, & Philosophiæ mundanæ renunciaueritis: *quid adhuc tanquam viuentes in mundo decernitis?* seu cur ea repetitis, quasi rursum secundùm hæc mundi elementa viuere studeatis, & *decernitis* seu dogmatizatis alios ad perditionem abducentes? * Malum profectò est, ad præteritos remeare excessus, pessimum vero alios ad eosdem allicere.] *Ne tetigeritis, neque gustaueritis, neque contrectaueritis*, quæ lege Moysi, vel doctrina Simonis Magi quasi immunda prohibentur: nam colentibus Angelos vel dæmones curæ erat vino, carne, venere abstinere. Abstinete itaque hisce, illa immunda non attingatis: *Quæ omnia ipso vsu sunt in interitum* & æternam perditionem, si qui vtuntur iis, credant ea esse ad salutem necessaria. * Aiebat Clemens Alex. lib. 3. Strom. cultores dæmonum à vino, carne, ac venere abstinere: & non pudeat Christi cultores gulæ, ebrietati, & luxuriæ impudenter addici? Num ediscet Christianus è Gentilibus morum compositionem?] *Quæ sunt rationem quidem habentia Sapientiæ in superstitione & humilitate.* Omnia illa, quæ *secundum præcepta, & doctrinas* superstitiosas istorum hominum impiorum audistis, *rationem*, seu speciem *Sapientiæ*, vel

2.

Superstitiosã Angelorũ religionem, & inanem ciborum delectum carpit.

Nemo vsque ad vitæ terminum potest se excidendi esse securus.

Pessimũ est, alios impietatem edocere.

E Gentilibus plures Christiani (nomine tenus) videntur posse ediscere morum compositionem.

rationis *habentia.* Ac si diceret: Falsa hæc religio, qua obseruantiis quibusdam legalibus Angeli coluntur, videntur rem parum attente considerantibus, rationes sapientes, & veritatis speciem habere, quod cultum voluntarium, animi *humilitatem*, seu submissionem ad Angelos, & neglectum corporis, eorumque, quæ ad corporis commoda spectant, contemptum edoceat: re autem vera nullius pretij ducenda sunt, cum in iis solummodò rebus versetur, quibus hæc caduca, ac mortalis caro satiatur.

CAPVT III.

Ad mentis renouationem, charitatem, pacem, omneque Christianum officium hortatur.

1. IGITVR, si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt
quærite, vbi Christus est in dextera Dei sedens: 2. quæ
sursum sunt sapite, non quæ super terram. 3. Mortui
enim estis, & vita vestra est abscondita cum Christo in
Deo. 4. Cùm Christus apparuerit, vita vestra; tunc &
vos apparebitis cum ipso in gloria. 5. Mortificate ergo
membra vestra, quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, & auaritiam, quæ est simula-
crorum seruitus: 9. propter quæ venit ira Dei super filios incredulitatis: 7. in
quibus & vos ambulatis aliquando, cùm viueretis in illis. 8. Nunc autem depo-
nite & vos omnia, iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, turpem ser-
monem de ore vestro. 9. Nolite mentiri inuicem, expoliantes vos veterem ho-
minem cum actibus suis, 10. & induentes nouum, eum qui renouatur in agni-
tionem, secundùm imaginem eius qui creauit illum. 11. vbi non est Gentilis, &
Iudæus, circumcisio, & præputium, Barbarus, & Scytha, seruus, & liber: sed
omnia, & in omnibus Christus. 12. Induite vos ergo sicut electi Dei, sancti, &
dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patien-
tiam: 13. supportantes inuicem, & donantes vobismet ipsis, si quis aduersus
aliquem habet querelam: sicut & Dominus donauit vobis, ita & vos. 14. Su-
per omnia autem hæc, charitatem habete, quod est vinculum perfectionis:
15. & pax Christi exultet in cordibus vestris, in qua & vocati estis in vno
corpore: & grati estote. 16. Verbum Christi habitet in vobis abundanter, in
omni sapientia, docentes, & commonentes vosmetipsos, psalmis, hymnis, &
canticis spiritualibus, in gratia cantantes in cordibus vestris Deo. 17. Omne quod-
cumque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini Iesu Christi, gra-
tias agentes Deo & Patri per ipsum. 18. Mulieres subditæ estote viris, sicut opor-
tet, in Domino. 19. Viri diligite vxores vestras, & nolite amari esse ad illas.
20. Filij obedite parentibus per omnia: hoc enim placitum est in Domino. 21. Pa-
tres, nolite ad indignationem prouocare filios vestros, vt non pusillo animo fiant.
22. Serui obedite per omnia dominis carnalibus, non ad oculum seruientes, quasi
hominibus placentes, sed in simplicitate cordis, timentes Deum. 23. Quod-
cumque facitis, ex animo operamini, sicut Domino, & non hominibus: 24. scien-
tes quòd à Domino, accipietis retributionem hereditatis, Domino Christo seruite:
25. qui enim iniuriam facit, recipiet id quod iniquè gessit: & non est personarum
acceptio apud Deum.

COMMENTARII.

1. *Ad mētis renouationem, & omnimodā virtutem hortatur.* VERS. 1.2.3.4.5.6.7. *Igitur, si consurrexistis cum Christo, &c.* Igitur ô Colossenses cum iam consurrexeritis cum Christo Domino per Baptismum, *quæ sursum quærite*, omnia studia ad cælestia, & diuina dirigite. *vbi Christus est in dextera Dei sedens* secundum vtique obtinens locum: *quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram*, cogitate, amate, & curate cælestia, non quæ terram sapere videantur. *Mortui enim estis* rebus hisce inferioribus, & in Baptismo Christi ad resurrectionem consepulti: *& vita vestra abscondita est cum Christo in Deo*, seu vita gratiæ, qua nunc interius viuitis, & vita gloriæ, qua æternum viuetis in Dei sinu absconditur non curiæ cælestis incolis, sed mundo, & mundanorum oculis, qui propterea illam despiciunt, & contemnunt. * O quàm immensurabilis est gloria cælestis, quæ solùm *Gloriæ cælestis immensitas.*

in

in Deo, seu in immenso Dei sinu potest abscondi!] *Cum Christus*, qui est *vita vestra* Iudex in die nouissimo *apparuerit: tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria.* Nunc gloria quam sancti donari expectant, adest in Dei sinu quasi clausa & sigillis obsignata. Has claues habet Christus, illis vsurus in extremo iudicio, cum corporibus beatorum vitam restituet, & illis gloriosis debitas dotes addet. *Mortificate ergo membra vestra, quæ sunt super terram*, seu membra terreni huius corporis. * Preme aduerbium. *Ergo* mortificate membra vestra. Memoria enim antecedens gloriæ futuræ consequentiæ ex vi indicit nobis omnimodam corporis, gloriæ dotibus ornandi, mortificationem.] Corpus vestrum gloriæ dotibus est ornandum? Ergo ab eo depellite *fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, & auaritiam, quæ est simulacrorum seruitus: propter quæ vitia venit ira Dei super filios incredulitatis: in quibus & vos ambulastis aliquando, cum viueretis in illis.* * Auaritiam quidem vocitat idolorum seruitutem, quia auari diuitias suas quasi Deum, seu idolum colunt: ideo custodiunt eas, & quasi piaculum ducunt illas vel leuiter contingere: eas autem insumere, horribile iudicant, ne sine Deo remaneant.] Porrò propter vitia hæc fornicationem, libidinem auaritiam *venit* ira Dei. * Græcè est præsentis temporis; solet (ac si dicat) venire ira Dei in filios incredulos. Græcè, *inobedientes*, qui hisce peccatis se maculare non verentur. Vndè semper debet timere peccator. Nec enim ira Dei olim venit, cum Deus minus placabilem in peccatores se exponebat & nunc *venit*, sicut quotidiano experimento ediscimus: nunquam quiescit, aut sedet, semper in veniendi actu ira persistit.]

Memoria corporis gloriæ dotibus ornãdi ei indicit nunc omnimodã mortificationem.

Idolorum seruitus auaritia apertè vocatur.

Dei ira in peccatores, semper in actu veniẽdi persistit caue ne e peccatem apprehendat.

Vers. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. Nunc autem deponite vos, &c.] Igitur hæc *omnia* vos *deponite* vitia præfata. Item *iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, turpem sermonem de ore vestro. Nolite mentiri inuicem*, seu mendaciis, & fraudibus inuicem circum venire: *expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis*, seu Adamum omnium horum iniquorum actuum fontem exuite: & Christum cunctarum piarum actionum originem induite. *Nouum* inquam hominem *eum, qui renouatur in agnitionem, secundum imaginem eius, qui creauit illum.* Nouus homo exutis vitiis, renouatur mente & spiritu in, seu per agnitionem, id est, fidem, cultum, amorem eius, qui illum secum imaginem suam creauit. *Vbi*, seu ad quam renouationem obtinendam, nihil refert, an *Iudæus* circumcisus sis, an *Gentilis* incircumcisus, an *Barbarus*, an (qui omnem barbariem superat) *Scytha*, an *seruus*, an *liber*: *sed omnia in omnibus est Christus.* Nam fides, iustitia, & salus ex parte Christi omnibus communicatur. *Induite vos ergo sicut electi Dei sancti, & dilecti viscera misericordiæ*, affectum, sicuti decet sanctos & dilectos à Deo ad gratiã, & gloriam: *benignitatem*, seu comitatem ab omni austeritate aliena, *modestiam*, Græcè *lenitatem* seu mansuetudinem: *patientiam* in laboribus sufferendis: *donantes* seu remittentes iniurias *vobismetipsis, si quis aduersus aliquem habet querelam.* * Illud, *vobismetipsis* sic interpretor. Si ab aliquo fratre seu proximo affecti estis iniuria, eam vobismetipsis condonate, aut remittite. Tanta enim debet esse inter Christianos amorum vnio, vt quando vnus iniuriam accipit, aut ab eo accipiat proximus, omnes accipiant, aut patiantur. Vnde condonantes alteri iniuriam, sibimetipsis videntur condonare ob debitam inter Christicolas animorum vnionem, verius dixerim, vnitatem.] *Sicut Dominus donauit vobis, ita & vos.* Condonandi enim iniurias innumera à Christo Domino habemus exempla. *Super omnia autem hæc, charitatem habete, quod est vinculum perfectionis*, seu vinculum perfectum perfectè fideles inter se vniens. Aptius, charitas est vinculum, quod illigans cæteras omnes virtutes hominem reddit perfectum. * Sine charitate totum corpus virtutum quasi sine alligente membra spiritu illicò dissoluitur.] *Et pax Christi exultet in cordibus vestris*, Græcè, *brabium & palmam* scilicet de omnibus animi passionibus, de omnibus aduersariis: *& grati estote*, seu (ex Græco) gratiosi, amabiles: ideóque omnibus grati eritis, & accepti. Sic enim efficacius Dei causam agetis. * Sacer namque minister gratus, & amabilis populo libentius auditur, & facilius ei præstatur obsequium ad spiritualem directionem.]

Qui alteri condonat iniuriam sibimetipsi condonat ob debitam inter Christianos animorũ vnitatem.

Sine charitate reliquæ virtutes dissoluuntur, sicut membra corporis sine spiritu.

Sacer minister gratus & acceptabilis, faciliùs Dei negotiũ peragit.

Vers. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. Verbum Christi habitet, &c.] Verbum seu doctrina Christi fixam *in cordibus vestris* sedem habeat *abundanter* vos locupletans spiritualibus thesauris scientiæ, gratiarum, & virtutum, vt doceatis, & commoneatis *vosmetipsos*, priusquam aliis commonendis & docendis detis operam. * Prædicet sibiipsi Concionator, & peragat id, ad cuius operationem velit auditores allicere.] *Psalmis, hymnis & canticis spiritualibus in gratia cantantes in cordibus vestris*, seu cum iucunditate spirituali Deo gratias reddite ob beneficia accepta non solum ore canentes, sed etiam animi exultantis affectu. Preme particulam: *In gratia canentes.* Si enim quis non existat in gratia, inutilis ei erit psalmorum, & hymnorum cantus, ad iustitiæ augmentum.] *Omne quodcumque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Iesu Christi*, seu ad eius gloriam & honorem agite: *gratias agentes Deo & Patri per ipsum*, quia per Christi meritum omnia nobis dona salutaria à Deo Patre proueniunt. *Mulieres, subditæ estote viris, sicut oportet in Domino*, Seu sicut iuxta Dei legem agere debetis. *Viri, diligite vxores vestras, & nolite amari esse ad illas*, seu iracundi, ad amaritudinem illas prouocantes. *Filij, obedite parentibus per omnia*, quæ Dei legi non repugnant: *hoc enim placitum est Domino*, quia eius præscriptis consentaneum. * Vt commendet Apostolus obedientiam filiorum erga parentes, apposuit particulam: *Hoc enim placitum est Domino*, quam non apponit, vt commendet subiectionem vxoris ad virum, & dilectionem mariti ergà vxorem: innuens vtique specialissimè esse gratam Dei filiorum erga parentes obedientiam.] *Patres, nolite ad indignationem prouocare filios vestros: vt non pusillo animo fiant*, ne animum despondeant, ne animo deiiciantur. *Serui, obedite per omnia dominis carnalibus*, seu temporalibus, etiam Ethnicis: *non ad oculum seruientes, &c.* Seu externa submissione eorum

Concionator prius sibi prædicet, quã aliis.

Oratio in peccato existensis inutilis ad iustitiam.

Obedientia filiorum ergà parentes specialissimè est Deo grata.

præſcripta exerentes, vt qui hominibus placere conantur: ſed vt qui Dei timore affecti internam illis præſtat obedientiam, quaſi in illis Deum imperantem aſpectent. *Quodcunque facitis*, verè, ac ex animo facite: certoque vobis perſuadete, non vos hominibus, ſed Deo ſeruite. * Quam felicia poteſtis ô mancipii eſſe, ſi in dominis temporalibus Deum ſpectetis, facietis enim vobis rationem ſeruitutis longè ſuperantis ingenuam libertatem.] *Scientes quod à Domino accipietis retributionem hæreditatis* æternæ obſequimini Dominis, Chriſto ſeruite. Nam dum heris veſtris paretis, ſcitote vos Chriſto ſeruire. *Qui enim iniuriam facit, &c.*] Profectò vel Dominus ergà ſeruos, vel ſeruos ergà dominos oportet ſibi perſuadere: quod qui deliquerit Dominus iniuriam ſeruo irrogans: aut ſeruus Domino præfatum negans obſequium damnationem æternam incurrent cum Deus perſonam non recipiat, ſed æqualiter præmia, & pœnas pro meritis adiiciat.

Si ſerui in dominis Deũ aſpiciant, ſibi facient felicẽ ſeruitutem.

CAPVT IV.

Eos inſtare orationi, & circumſpectè inter Gentiles agere, hortatur.

1. DOMINI, quod iuſtum eſt & æquum, ſeruis præſtate:
ſcientes quòd & vos Dominum habetis in cælo. 2. Orationi
inſtare, vigilantes in ea in gratiarum actione: 3. Orantes
ſimul & pro nobis vt Deus aperiat nobis oſtium ſermonis
ad loquendum myſterium Chriſti (propter quod etiam
vinctus ſum) 4. Vt manifeſtem illud ita vt oportet me loqui.
5. In Sapientia ambulate ad eos qui foris ſunt: tempus
redimentes. 6. Sermo veſter ſemper in gratia ſale ſit conditus, vt ſciatis
quomodo oporteat vos vnicuique reſpondere. 7. Quæ circa me ſunt, omnia vobis
nota faciet Tychicus, chariſſimus frater, & fidelis miniſter, & conſeruus in
Domino: 8. Quem miſi ad vos ad hoc ipſum, vt cognoſcat quæ circa vos ſunt,
& conſoletur corda veſtra. 9. Cùm Oneſimo chariſſimo, & fideli fratre, qui ex
vobis eſt. Omnia, quæ hic aguntur, nota facient vobis. 10. Salutat vos Ariſtarchus
concaptiuus meus, & Marcus conſobrinus Barnabæ, de quo accepiſtis mandata:
ſi venerit ad vos, excipite illum: 11. & Ieſus, qui dicitur Iuſtus: qui ſunt ex
circumciſione: hi ſoli ſunt adiutores mei in regno Dei, qui mihi fuerunt ſolatio.
12. Salutat vos Epaphras, qui ex vobis eſt, ſeruus Chriſti Ieſu, ſemper ſollicitus pro
vobis in orationibus, vt ſtetis perfecti & pleni in omni voluntate Dei. 13. Teſtimonium
enim illi perhibeo, quod habet multum laborem pro vobis, & pro iis qui
ſunt Laodiciæ, & qui Hierapoli. 14. Salutat vos Lucas medicus chariſſimus, &
Demas. 15. Salutate fratres, qui ſunt Laodiciæ, & Nympham, & quæ in domo
eius eſt, Eccleſiam. 16. Et cum lecta fuerit apud vos epiſtola hæc, facite vt & in Laodicenſium
Eccleſia legatur: & eam, quæ Laodicenſium eſt, vos legatis. 17. Et dicite
Archippo: Vide miniſterium, quod accepiſti in Domino, vt illud impleas. 18. Salutatio,
mea manu Pauli. Memores eſtote vinculorum meorum. Gratia vobiſcum.
Amen.

COMMENTARII.

1\. VERS. 1.2.3.4.5.6. *Domini, quod iuſtum eſt, &c.*] Qui ſeruos habetis: *eis præſtate quod iuſtum eſt, & æquum,* nempe vt nec eos durè tractetis, nec indulgenter nimium ergà illos errantes oſtendamini: *ſcientes* vtique, *quod & vos Dominum habetis in cælo*, cui obſequi debetis, præſcribentem, quid ergà ſeruos ſit præſtandum. *Orationi inſtate*, conſtanter (Græcè) in oratione omnes perſiſtite, *vigilantes in ea in gratiarum actione.* * Quia cum continua ſint beneficia à Deo accepta, interminabilis debet eſſe gratiarum actio.] * *Vigilantes*, inquit, *in ea in gratiarum actione.* Optimum enim eſt orationis argumentum quotidianæ licet, actio gratiarum, quia nullum ſine Dei beneficio à nobis accepto præterit inſtans.] *Orantes ſimul & pro nobis: vt Deus aperiat nobis oſtium ſermonis*, ſeu ſubminiſtret amplam occaſionem, & opportunitatem promulgandi quaquauerſum Chriſtianæ fidei myſteria. (*propter quod etiam vinctus ſum.*) ſeu propterea quod Chriſti myſteria prædico, vinculis ſum addictus. * Cur ergo adhuc ô Paule cupis prædicationi inſtare, quæ tibi tanti cauſa fuit incommodi? Certè quia tam dulces ſunt exantlati pro Chriſto labores, vt ſemel pati, magis ac magis patiendi accendat affectum.] *Vt manifeſtem illud* Chriſti myſterium *ita vt oportet me loqui.* Deum enixe orate. *In ſapientia ambulate ad eos, qui foris ſunt.* Cautè vos agite cum Ethnicis, qui non pertinent ad Eccleſiam: *tempus redimentes*, Græcè καιρὸν id eſt, *opportunitatem* captantes rei Chriſtianæ benè gerendæ, ac promouendæ. * *Redimentes*, ait, *tempus.* Nam tempus, quod

Eos inſtare orationi, & cautè cũ Gentilibus agere hortatur.

Continua Dei beneficia continuã exigunt gratiarum actionem.

Quotidianæ orationis optimum argumentũ eſt gratiarum actio.

Semel pro Chriſto am. magis ac magis patiendi affectum accendit.

Tempus in negotiis seculi insumptū quasi captiuum existit quod redimi oportet.

quod in negotiis ad Dei gloriam, vel proximorum salutem, non impenditur, quasi in captiuitate, & seruitute mundi detinetur, quod rediami à te monet Apostolos.] *Sermo vester semper in gratia sale sit cōditus*, seu resperfus sole sapientiæ, idque cum gratia, seu cum grata iucunditate: *vt sciatis, quomodo oporteat vos vnicuique respondere.* Sapientis quidem est vnicuique respondere, seu alloqui quemcumque, vt oportet, sermonem capiui, & statui, & ministerio singulorum accommodando. * Vnde à sapientia alienus erit, qui coram rusticis auditoribus limato sermone, aut acutis conceptibus in concione fuerit vsus.

Concionator in sermone se auditorum capiui accommodet.

Vers. 7. 8. 9. 10. 11. *Quæ circa me sunt, &c.*] Omnia autem, ô fratres, quæ ad me spectant de quibus experitis fieri certiores, *nota vobis faciet Tychicus charissimus frater, & fidelis* Euangelij minister, cuius manu ad vos hanc Epistolam mitto: quem quidem non solum ad hoc eum immisi: sed vt simul *agnoscat quæ circa vos sunt, & consoletur corda vestra.* Nisi inquam eum *cum Onesimo charissimo fratre, qui ex vobis est*, nempe Colossensis, vt vos. Hi quidem *vobis nota facient omnia*, quæ Romæ circa rem fidei, & mea vincula geruntur. *Salutat vos Aristarchus concaptiuus meus, & Marcus* Barnabæ *consobrinus.* (de vtroque Lucas memoriam agit: de Aristarcho Act. 19. 29. de Marco Act. 12. 12. vbi dicitur Ioannes cognomento Marcus.) *de quo* scilicet Marco, *accepistis mandata*, seu litteras commendatias, vel testimoniales. Vos item salutare iubet *Iesus, qui dicitur Iustus.* Qui quidem nempe Aristarchus, Marcus, & Iesus *sunt ex circumcisione*, seu è Iudæis Christiani: *hi soli sunt adiutores mei in Regno Dei*, seu in Euangelij prædicatione: & *mihi* vincto fuere *solatio.*

Vers. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. *Salutat vos Epaphras, &c.*] Vos præterea salutat Epaphras qui est ex vobis scilicet Colossensis (qui, Baronio teste, fuit Colossensium Episcopus.) *seruus Christi Iesu, semper solicitus pro vobis in orationibus* curans à Deo impetrare, *vt stetis perfecti, & pleni in omni voluntate Dei*, seu in omni, eo, quo Deus vult nos esse plenos, nempe in sapientia, & Christianis moribus: *Testimonium enim illi*, seu de illo *perhibeo* vobis; *quod habet multum laborem pro vobis.* Græcè, *zelum*, studium vtilitatis vestræ, & profectus in Christo: *& pro iis, qui sunt Laodiceæ, & qui Hierapoli* commorantur. *Salutat vos Lucas charissimus* corporum quidem & animorum *Medicus* egregius. *& Demas. Salutate fratres, qui sunt Laodiceæ*, seu qui ex Laodicia Colossis commorantur: *& Nympham.* Nomen est viri, vt patet ex eo, quod sequitur: & quæ *in domo eius* (Græcè ly *eius* est in genere masculino.) *est, Ecclesiam*, seu fidelium cœtum. *Et cum lecta fuerit apud vos Epistola hæc; facite vt in Laodicensium Ecclesia legatur.* * Hoc habent pia scripta ac spiritualia volumina semper, & vbique loquuntur, quod vox agere nequit.] *& eam, quæ Laodicensium est, vos legatis.* Hæc ad Laodicenses Pauli Epistola non extat. *Et dicite Archippo: Vide ministerium, quod accepisti in Domino*, seu Diaconatus, vt vult Baronius: vel Presbiteratus officium, vti alij existimant: vel Episcopatus, in cuius administratione successerit Epaphræ Romæ captiuo, vt nonnulli coniiciunt: ministerium, inquam, vide, & considera, vt illius obligationes *impleas.* *Salutatio mea in manu Pauli.* Hæc vsque ad finem Paulus affirmat, se sua manu scripsisse salutationis loco, qua claudi solet Epistola. *Memores, ô fratres, estote vinculorum meorum:* tum vt pro me vincto oretis: tum vt confirmemini in fide pro qua me pati videtis. *Gratia vobiscum* Amen, seu Domini gratia vos tueatur, ac seruet. Seu gratia vobiscum Dei, seu persistite in gratia, & cuncta vobis felicia euenient. Siuè prospera affulgeant, siue aduersis affligemini: vobis erunt ad felicitatem. Diligentibus enim Deum omnia cedunt in bonum.]

Pij libri semper, & vbique loquuntur, quod vox non potest.

Iustis cuncta siue prospera siue aduersa in bonum cedunt.

LIBER

LIBER QVARTVS.

B. PAVLI EPISTOLÆ AD Thessalonicenses prima & secunda : ad Timotheum vna, & altera ad Titum, & Philemonem.

PROLVSIO.

Deipara gratiæ plenitudine Filij æmulatrix.

VT harum D. Pauli Epistolarum feliciter inirem expositionem in primæ primo capite Beatissimæ Deiparæ reperi memoriam. *In ipso* (ait Apostolus) *compleuit omnis diuinitatis plenitudinem habitare corporaliter.* Ad quæ Strabus, Plenitudo Christi negat particularitatem, *Non* enim *ad mensuram dedit ei Dominus Spiritum sanctum : Non particulariter, neque per subdiuisiones : sed vniuersaliter, & generaliter. Vnde dicitur.* Coloss. 1. *in ipso compleuit omnem diuinitatis plenitudinem corporaliter.* Annon hoc ex capite Maria Filij sui extitit æmulatrix? Ad hæc Richardus Laurent. lib. 1. de laud. Virg. adiicit : *Plenitudo autem B. Virginis priuat vacuitatem. Quamdiu enim vas aliquod plus aliquid potest capere, tamdiu habet aliquid vacuitatis. Vndè omnis alia creatura aliquid habuit vacuitatis, quia maiorem gratiam recipere potuit* iuxta capacitatem. *Maria autem sic vsquequaque gratia plena fuit, vt* quodammodò *maiorem gratiam habere non posset, nisi ipsa Diuinitati vniretur.* Hactenùs ille.

EPISTOLA BEATI PAVLI APOSTOLI

AD THESSALONICENSES PRIMA.

THessalonica Metropolis est Macedoniæ, prius Halis dicta, Deindè à Philippo Amyntæ filio Thessalonica appellata ob Thessalos ibi superatos. Nunc Salonica dicitur. Scripta autem Epistola hæc ad Thessalonicenses fuit anno à morte Domini vigesimo, non Athenis, (vt multi asseruére,) Sed Corinthi vt aptiùs Baronius & alij probant.

CAPVT

CAPVT I.

Thessalonicensium constantiam in fide & in aduersis tolerantiam commendat Apostolus.

1. PAVLVS, & Siluanus, & Timotheus, Ecclesiæ Thes-
salonicensium, in Deo Patre, & Domino Iesu Christo.
2. Gratia vobis, & pax. Gratias agimus Deo semper pro
omnibus vobis, memoriam vestri facientes in orationi-
bus nostris sine intermissione, 3. memores operis fidei ve-
stræ, & laboris, & charitatis, & sustinentiæ spei Do-
mini nostri Iesu Christi, ante Deum & Patrem nostrum:
4. scientes, fratres dilecti à Deo, electionem vestram: 5. quia Euangelium
nostrum non fuit ad vos in sermone tantùm, sed & in virtute, & in Spiritu san-
cto, & in plenitudine multa, sicut scitis quales fuerimus in vobis propter
vos. 6. Et vos imitatores nostri facti estis, & Domini, excipientes verbum
in tribulatione multa, cum gaudio Spiritus sancti: 7. ita vt facti sitis forma
omnibus credentibus in Macedonia, & in Achaia. 8. A vobis enim diffamatus
est sermo Domini, non solùm in Macedonia, & in Achaia, sed & in omni lo-
co fides vestra, quæ est ad Deum, profecta est, ita vt non sit nobis necesse quid-
quam loqui. 9. Ipsi enim de nobis annuntiant qualem introitum habuerimus ad
vos: & quomodo conuersi estis ad Deum à simulacris, seruire Deo viuo, & vero,
10. & expectare Filium eius de cælis (quem suscitauit ex mortuis) Iesum, qui eri-
puit nos ab ira ventura.

COMMENTARII.

1. *Thessalonicensium constantiā in fide & in laboribus tolerantiā commendat.*

VERS. 1.2.3.4.5. *Paulus, & Siluanus, & Timotheus, &c.*] Paulus, Siluanus, ac Timotheus Epistolam hanc mittunt Ecclesiæ Tessalonicensium. Siluanus est idem cum Sila, qui post Barnabæ discessum assumptus fuit à Paulo in Euangelicæ prædicationis socium. *In*, seu à *Deo Patre & Domino Iesu Christo gratia vobis, & pax.* Primo gratiam dicit, deinde pacem nominat; * Quia sine gratia Dei ad pacem veram venire non possumus: imò quid pacificum sine Dei gratia habere quis valebit? Hinc existimo bella tam dire grassari, quia peccata exundant.] *Gratias agimus Deo semper pro vobis* omnibus, seu pro cælestibus beneficiis in vos collatis (quæ postea Apostolus enumerat:) *memoriam vestri facientes in orationibus nostris sine intermissione. Memores operis fidei vestræ*, fidei scilicet, non inertis, sed bonorum operum effectricis. * Fides namque sine operibus mortua.] & laboris, & charitatis, Græcè, *laboris charitatis*, seu laborum quos suscepistis ob Christi amorem & proximorum salutem. * Non laudatur hic otio torpens charitas, sed quæ pro amato ærumnas aut sustinet, aut anxie sustinere cupit à Paulo commendabilis admodum affirmatur.] *& sustinentiæ spei Domini nostri Iesu Christi.* Sustinentia spei est omnium laborum tolerantia ob spem salutis æternæ. Et quis non patienter sustineat labores, breui temporis interstitio expectans Regni cælestis coronā æternùm poti-ri?] *antè Deum & Patrem nostrum.* Memor, inquam, sum vestræ patientiæ, & laboris, quem sustinetis pro fide, spe, & charitate Christi, non fictè & simulate, sed *ante Deum*, seu sine fuco, vereque coram Deo. *Scientes fratres dilecti à Deo electionem vestram.* Ex fide, ex constantia, & patientia vestra colligo vos dilectos esse à Deo, & electos ad æternam felicitatem. * Signum quippè prædestinations magnum est, hominem hîc laboribus agi, eosquè patienter sustinere.] *Quia Euangelium nostrum non fuit ad vos in sermone tantum: sed & in virtute*, seu potentia, & efficientia miraculorum fuit confirmata, & in *Spiritu sancto.* Syrus vertit. *In spiritu sanctitatis.* * Sanctitas enim Concionatoris prædicationem commendat, & credibilem efficit] *& in plenitudine multa.* Græcè, *in certitudine*, dum miraculis & moribus ostendi certam omnino esse doctrinam. *Sicut vos ipse* (quos testes oculatos adhibeo) *scitis quales fuerimus in vobis propter vos*, seu quomodo inter vos fuerimus conuersati, vt vobis eam, qua fruimini, vtilitatem afferre possemus.

Bella ex peccatis originē trahunt.

Fides cum operibus.

Laudabilis admodū charitas, quæ pro amato labores sustinet.

Spe æterni Regni, faciliter ærumnæ tolerantur.

Signum prædestinationis est, laboribus hîc agi.

Concionatoris sanctitas doctrinā commendat, & credibilem facit.

Vers. 6.7.8 9.10. Et vos imitatores nostri, &c.] Nec est quod laboris nos pœniteat, fructus namque operi respondit: imitatores enim vos Christi & Apostolorum in laboribus patienter tolerandis. *Excipientes* vtique Euangelij *verbum in tribulatione multa cum gaudio Spiritus sancti.* In eo se Thessalonicenses Christi & Apostolorum imitatores se ostenderunt, quòd cum fidem Christi recepissent, continuo magna alacritate tribulationes eius causa suscepere. * Suprema in dira tribulatione nobis sit consolatio, quod Christi imitatores reddimur.] *Ita* quidem,

Iusti acti laboribus similis Christo redduntur.

vt facti sitis forma, typus, exemplar *omnibus credentibus in Macedonia & in Achaia. A vobis enim*, seu à vestra fide, constantia, patientia, & zelo *diffamatus*, seu diuulgatus *est sermo Domini*, seu fama prædicationis Euangelicæ *non solum in Macedonia, & in Achaia, sed & in omni loco fides vestra*, seu fidei ac sanctitatis vestræ, *quæ est ad Deum*, seu in Deum fama *profecta est: ita vt non sit nobis necesse, quidquam loqui*, ad celebrandam fidem & virtutem vestram cum iam satis sit nota. * Aliter fortè aptius exponam: Non est iam mihi necessarium loqui, seu prædicare Euangelium in iis Vrbibus ad quas fama fidei & constantiæ vestræ, peruenit; quia sanctitas vestra Euangelici præconis munus gessit.

Efficacius prædicant opera, quam verba.

Cum scilicet efficacius recta opera prædicent, quam diserta verba.] *Si enim qui audierunt, de nobis annunciant, qualem introitum habuerimus ad vos*: seu quomodo cœperimus Euangelium prædicare, & quomodo dum istic fuimus, simus conuersati: *& quomodo conuersi estis ad Deum à simulacris seruire Deo viuo, & vero: & expectare Filium eius de cælis (quem suscitauit ex mortuis) Iesum, qui eripuit nos ab ira ventura.* seu vt Filium eius Iesum (quem Pater à mortuis suscitauit) spe certa expectaretis de cælo venturum fidei & constantiæ vestræ remuneratorem; qui quidem nos liberat à pœna damnationis æternæ, quæ superueniet impiis.

CAPVT II.

Nullo ipsorum onere Euangelium prædicasse Thessalonicensibus ostendit. Eos hortatur ad persistentiam in fide, & virtute.

1. NAm ipsi scitis, fratres, introitum nostrum ad vos, quia non inanis fuit: 2. Sed antè passi, & contumeliis affecti (sicut scitis) in Philippis, fiduciam habuimus in Deo nostro, loqui ad vos Euangelium Dei in multa sollicitudine. 3. Exhortatio enim nostra non de errore, neque de immunditia, neque in dolo. 4. Sed sicut probati sumus à Deo vt crederetur nobis Euangelium: ita loquimur, non quasi hominibus placentes, sed Deo, qui probat corda nostra. 5. Neque enim aliquando fuimus in sermone adulationis, sicut scitis: neque in occasione auaritiæ: Deus testis est: 6. Nec quærentes ab hominibus gloriam, neque à vobis, neque ab aliis. 3. Cùm possemus vobis oneri esse vt Christi Apostoli: sed facti sumus paruuli in medio vestrum, tanquam si nutrix foueat filios suos. 8. Ita desiderantes vos cupide volebamus tradere vobis non solùm Euangelium Dei, sed etiam animas nostras: quoniam charissimi nobis facti estis. 9. Memores enim estis, fratres, laboris nostri, & fatigationis: nocte ac die operantes, ne quem vestrum grauaremus, prædicauimus in vobis Euangelium Dei. 10. Vos testes estis, & Deus quam sanctè, & iustè, & sine querela, vobis, qui credidistis, fuimus: 11. Sicut scitis, qualiter vnumquemque vestrum (sicut pater filios suos) 12. Deprecantes vos & consolantes, testificati sumus, vt ambularetis dignè Deo, qui vocauit vos in suum regnum & gloriam. 13. Ideò & nos gratias agimus Deo sine intermissione: quoniam cum accepissetis à nobis verbum auditus Dei, accepistis illud, non vt verbum hominum, sed (sicut est verè) verbum Dei, qui operatur in vobis, qui credidistis. 14. Vos enim imitatores facti estis, fratres, Ecclesiarum Dei, quæ sunt in Iudæa in Christo Iesu: quia eadem passi estis & vos à contribulibus vestris, sicut & ipsi à Iudæis: 15. Qui & Dominum occiderunt Iesum, & Prophetas, & nos persecuti sunt, & Deo non placent, & omnibus hominibus aduersantur, 16. Prohibentes nos Gentibus loqui vt saluæ fiant, vt impleant peccata sua semper: peruenit enim ira Dei super illos vsque in finem. 17. Nos autem, fratres, desolati à vobis ad tempus horæ, aspectu, non corde, abundantius festinauimus faciem vestram videre cum multo desiderio: 18. Quoniam voluimus venire ad vos: ego quidem Paulus, & semel & iterùm, sed impediuit nos satanas. 19. Quæ est enim nostra spes, aut gaudium, aut corona gloriæ: Nónne vos ante Dominum nostrum Iesum Christum estis in aduentu eius? 20. Vos enim estis gloria nostra & gaudium.

COMMEN

COMMENTARII.

VERS. 1. 2. 3. 4. 5. 6. *Nam ipſi ſcitis, fratres, &c.*] Vos ô fratres aperte agnoſcitis, *introitum*, ſeu aduentum ad vos ſine fructu non fuiſſe. *Nam* ante Philippis multa *paſſi*, multiſque contumeliis fuerimus *affecti*, (Act. 16. 12.) *ſicut ſcitis*, *fiduciam habuimus in Deo noſtro loqui ad vos Euangelium Dei*, non ſolum non cecidimus animo, imò maiorem cepimus fiduciam in Dei protectione, & libertatem vt vobis Chriſti Euangelium annunciaremus. * Cum enim Dei negotium geritur, labores patienter tolerati, impiorumque contradictio miniſtro Euangelico addit ad loquendum audaciam, & magis proficiendi fiduciam.] Nec labores Philippis fuere terminati: etiam enim apud vos miniſterium Euangelij geſſi *in multa ſolicitudine*, & agone (ſic Græcè,) lucta, & certamine. *Exhortatio enim noſtra*, ſeu prædicatio *non de errore*, ſeu erronea fuit proferens vobis falſa dogmata, ſicut faciunt Philoſophi, & Gentilium Doctores: *neque de immunditia*, aut doctrina fauente carnis immundis deſideriis: *eloquia* enim Dei *caſta* expoſui: *neque in dolo* cum hypocriſi, aut mea lucra captando, voſque falſis dogmatibus circumueniendo; *ſed ſicut probati ſumus à Deo, vt crederetur nobis Euangelium*: ſeu ita me geſſi circà ſubſtantiam, & modum prædicandi, vt decet Apoſtolum à Deo electum, & probatum: vt ſcilicet Euangelium à nobis crederetur. * Paulus itaque probatus fuit, & approbatus à Deo priuſquam ei Euangelij prædicatio crederetur. Vnde edifcere debent Præſules non credere prædicationis munus ei, quem prius non probauerint ad tantum miniſterium eſſe aptum.] *Ita loquimur, non quaſi hominibus placentes; ſed Deo, qui probat corda noſtra.* Non intendimus, cum prædicationi incumbimus hominibus placere; ſed Deo, qui cordis penetrat latibula, & animi intentionem agnoſcit. *Neque enim aliquando fuimus in ſermone adulationis, ſicut ſcitis*, ſeu non loquuti fuimus vobis placentia, ſed vtilia: *nec in occaſione auaritiæ*, ſeu vſus non fui prædicatione ad quæſtum. *Deus eſt teſtis: nec quærentes ab hominibus gloriam, neque à vobis, nec ab aliis* ſiuè Iudæis ſiue Gentilibus. * Equidem *ad auaritiam* concionari Euangelij præcone prorſus indignum.]

Contradictio in Dei cauſis addit miniſtro vires, & fiduciā proficiendi.

Præſules priùs eū bene probēt, cui crediturī ſunt prædicādi munus.

Prædicare ad quæſtum Euāgelij præcone prorſus indignum.

Verſ. 7. 8. 9. 10. 11. 12. Cum poſſemus vobis oneri eſſe alimenta, ac ſumptus neceſſarios exigendo; *vt* exigunt alij *Apoſtoli*: noluimus noſtro iure vti; *ſed facti ſumus paruuli*, Græcè, ἤπιοι id eſt, lenes, placidi, demiſſi tanquam paruuli, non imperantes more herili, ſed inſtar matris proles ſuas piiſſimè fouentis. Non exegi auctoritate Apoſtolica neceſſaria ad victum, ſed inſtar paruuli paucis contentus manuum mearum labore victum mihi paraui: imò & egentibus veſtris non ſemel curaui prouidere. *Ita deſiderantes vos*, adeò in vos affectu propenſi, *cupidè volebamus tradere vobis non ſolùm Euangelium Dei, ſed etiam animam*, ſeu vitam *noſtram: quoniam chariſſimi nobis facti eſtis. Memores enim eſtis fratres laboris noſtri, & fatigationis*: Laborem manuum intelligit victus quærendi gratia. Græca enim particula μόχθον, quæ loco defatigationis ponitur; laborem cum difficultate coniunctum circa neceſſaria ad victum ſignificat; ne vllis grauis eſſet; nocte ac die labori incumbebam, *ne quem veſtrum* grauans prædicarem vobis *Dei Euangelium. Vos teſtis eſtis*, & denuò ipſum teſtem adhibeo, *quam ſanctè, & iuſtè, & ſine querela vobis, qui credidiſtis, fuimus*, ſeu vobiſcum fuerimus verſati. *Sicut ſcitis* etiam *qualiter vnumquemque veſtrum* dilexerim, & exceperim blandè, *ſicut pater filios ſuos. Deprecantes* quidem, iàm iam *conſolantes* vos, *teſtificati* ſeriis rationibus, itemque obteſtati ſumus *vt ambuletis dignè Deo*, ſiuè vt decet Dei cultores; & ſeruos, *qui vocauit vos* opera noſtra *in ſuum Regnum, & gloriam*, ſeu in Eccleſiam, quæ Dei glorioſum eſt Regnum.

Verſ. 13. 14. 15. 16. Ideò & nos gratias agimus Deo ſine intermiſſione, &c.] Nos autem frequenter Deo agimus gratias, *quoniam cum accepiſſetis à nobis verbum auditus Dei, accepiſtis illud non vt verbum hominum, ſed (ſicut eſt verè) verbum Dei.* Verbum *auditus Dei*, ſeu prædicationem de Deo, cum audiſſetis, egregia fide cognouiſtis, me non loqui, ſed Deum in me vos viam ſalutis edocere. Hinc concionatores ediſcant: quanta decentia debeant concionis verba condire, nempè vt deceant Deum ipſum qui illorum lingua loquitur.] *Vos enim imitatores facti eſtis fratres, Eccleſiarum Dei quæ ſunt in Iudæa in Chriſto Ieſu*, ſeu quæ in Iudæa Chriſto nomen dederunt. In quo, quæſieris, imitati fuere Theſſalonicenſes Eccleſias Iudæorum credentium? Certè *quia eadem paſſi eſtis & vos à contribulibus veſtris*, ſicut *& ipſi à Iudæis, qui* quidem *& Dominum Ieſum occiderunt, & Prophetas, & nos perſecuti ſunt: & Deo non placent, & omnibus hominibus aduerſantur*, ſeu omnium ſaluti aduerſantur Iudæi iſti, dum Chriſto Ieſu ſeu Saluatori, eiuſque Euangelio, & Euangelij præconibus obſtinatiſſime ſeſe opponunt. Permittuntur enim impunè nos perſequi, quia *Deo non placent*. * Cum videris, te delinquentem laxis habenis à Deo dimitti, nec laboribus irruentibus detineri, crede te vnum eſſe ex iis, qui Deo non placent, nec vnquam placebunt, quos enim Deus amat, hos peccantes caſtigat.] *Nos* hi prohibent *Gentibus loqui, vt ſalui fiant: vt impleant peccata ſua ſemper*, ſeu menſuram peccatorum ſuorum. Nam peccatis ſuis antiquis perſecutioni ſcilicet Prophetarum, & ipſius Chriſti, noua ſemper peccata accumulant, quoad impleant menſuram peccatorum, quam Deus, antè quam puniat, ſtatuit expectare. * Et quidem impedire, nè alij ad Chriſtum conuertantur, tam graue crimen eſt, vt id ſolum videatur totam menſuram adimplere.] *Peruenit enim ira Dei vſque in finem* ſuper illos manſura; ſeu perpetua, & implacabilis ita Dei iam iam ipſis imminet.

Verba Cōcionatoris deceant Deum in eo loquentem.

Delinquēte impunè reprobationis eſt ſignum.

Alios impedire, ne Chriſtum ſequantur, ità graue eſt peccatū, vt videatur id ſolùm menſuram adimplere.

Verſ. 17. 18. 19. 20. Nos autem fratres, &c.] Nos verò ô chariſſimi fratres, *deſolati à vobis ad tempus horæ*, ſeu breuiſſimo tempore veſtri conſpectu orbati, ſed non affectu; *abundantius* ſeu ſtudioſius feſtinauimus vos reuiſere: *quoniam voluimus venire ad vos*, ſeu ego Paulus ipſe *& ſemel, & iterum.* * Nam qui amat, nunquam amati ſatiatur aſpectu.] *Sed impediuit nos ſatanas* per emiſſarios ſuos vobis inſidiantes, & nos præpedientes. * Nam qui pergere cupientem ad pium opus

Qui amat, nunquā ſatiatur amati aſpectu.

Qui per gentem ad pium opus imped t satanas est.

opus curat impedire, satanas procul dubio est.] *Qua est enim nostra spes, aut gaudium aut corona gloria? &c.* Vos quidem estis nostræ coronæ, & gaudij spes coram Domino Iesu Christo cum aduenerit redditurus vnicuique secundum merita præmium aut pœnam. *Vos enim estis gloria nostra, & gaudium*, de vobis dilectissimis glorior & exulto.

CAPVT III.

Ostendit magnum solatium accepisse ex Thessalonicensium fidei, & charitate. Et exoptare vt in virtute quotidie proficiant.

1. PROPTER quod non sustinentes ampliùs, placuit nobis re-
manere Athenis, solis: 2. & misimos Timotheum fra-
trem nostrum, & ministrum Dei in Euangelio Christi, ad
confirmandos vos, & exhortandos pro fide vestra: 3. vt
nemo moueatur in tribulationibus istis: ipsi enim scitis quòd
in hoc positi sumus. 4. Nam & cùm apud vos essemus,
prædicebamus vobis passuros nos tribulationes, sicut & fa-
ctum est, & scitis. 5. Proptereà & ego ampliùs non sustinens, misi ad cognoscendam
fidem vestram: ne fortè tentauerit vos is qui tentat, & inanis fiat labor no-
ster. 6. Nunc autem veniente Timotheo ad nos à vobis, & annuntiante nobis
fidem & charitatem vestram, & quia memoriam nostri habetis bonam sem-
per, desiderantes nos videre, sicut nos quoque vos: 7. Ideò consolati sumus,
fratres, in vobis, in omni necessitate & tribulatione nostra, per fidem vestram.
8. quoniam nunc viuimus, si vos statis in Domino. 9. Quam enim gratiarum
actionem possumus Deo retribuere pro vobis, in omni gaudio, quo gaude-
mus propter vos ante Deum nostrum, 10. nocte ac die abundantius orantes, vt
videamus faciem vestram, & compleamus ea quæ desunt fidei vestræ? 11. Ipse
autem Deus & Pater noster, & Dominus noster Iesus Christus, dirigat viam
nostram ad vos. 12. Vos autem Dominus multiplicet, & abundare faciat chari-
tatem vestram in inuicem & in omnes, quemadmodum & nos in vobis: 13. ad
confirmanda corda vestra sine querela in sanctitate, ante Deum & Patrem nostrum,
in aduentu Domini nostri Iesu Christi cum omnibus sanctis eius. Amen.

COMMENTARII.

1\. Ostendit magnum solatium accepisse ex Thessalonicensium fide, & charitate.

VERS. 1. 2. 3. 4. 5. *Propter quod non sustinentes amplius, &c.*] Non amplius ferre potuimus graue onus desiderij, quo afficiebamur, cognoscendi rerum vestrarum statum, & vobiscum agendi: dum *placuit nobis* ob Ecclesiæ vrgentem causam *remanere Athenis*: *misimus Timotheum fratrem nostrum & ministrum Dei in Euangelio Christi*, cuius est prædicator: *ad confirmandum vos, & exhortandos pro fide vestra*, seu vt vos in fide confirmaret, & ad perseuerantiam hortaretur: *Vt nemo moueatur in tribulationibus istis*, seu instabilis fiat propter persecutiones. * Quibus constans animus solet magis ac magis roborari.] *Ipsi enim scitis, quod in hoc positi sumus*, Syrus, *ad hoc destinati sumus*, scilicet, ad labores tolerandos. * Veri enim Christiani vitæ laborum & tribulationum est colligatio: vt Christum ab infantia, imo ex vtero cruciferum insequamur.] *Nam & cum apud vos essemus prædicebamus vobis, passuros nos tribulationes*, partim à Iudæis, partim à Gentibus excitatos. *Sicut & factum est, & scitis* vaticinium meum datum executioni cum vestro experimento, tùm audientes quæ nos patimur, ex amicorum relatione *Propterea*, inquam, *ego amplius non sustinens* differri desiderium dignoscendi vestram in tribulationibus constantiam, *misi* ad cognoscendam fidem vestram dilectissimum Timotheum: *ne forsè tentauerit vos is, qui tentat*, seu tentandi agit officium diabolus: *& inanis fiat labor noster*, quem in vobis instruendis apposuimus.

Tribulationibus constans animus magis roboratur.

Christiani vitæ aguat labores.

Vers. 6. 7. 8. 9. 10. Nunc autem veniente Timotheo, &c.] Profectò nunc cum venerit *à vobis* ad nos Timotheus, & *nobis* annunciauit *fidem, & charitatem* vestram: & quod nostri *memoriam* habetis *bonam*, seu iugem, perpetuam, & cum affectu pio coniunctam, *desiderantes nos videre*, quemadmodum *& nos* vos aspicere expetimus: consolatione affecti sumus, ô *fratres, in vobis*, seu tam læta de vobis audientes, vnde *in omni necessitate*, seu egestate, *& tribulatione nostra per fidem vestram* mirificè recreati sumus. *Quoniam nunc viuimus, si vos statis in Domino.* Nam licet ad

mortem

mortem vsque affligamur, dum tamen audimus vestræ fidei constantiam, quam habetis in Domino, quasi reuiuiscimus, & à mortuis excitamur. * Egregiam Pauli hinc charitatem ergà proximum perpende.] *Quam enim gratiarum actionem possumus Deo retribuere pro vobis.* Nullas satis dignas, ac tanto beneficio æquales gratias Deo reddere possumus pro vestram fide constantia: & pro *omni gaudio quo gaudemus*, seu pro ea exultatione, qua perfusi fuimus, dum ea de vobis auribus perciperemus; quæ *ante Deum nostrum orantes nocte, & die.* fieri in vobis precabamur: abundanter item a Domino exigentes, *vt videamus faciem vestram, & compleamus ea, quæ desunt fidei vestræ*, seu vt vos plenius circa ea quæ ad fidem pertinent instruamus.

Egregia D. Pauli ergà proximum charitas.

Vers. 11. 12. 13. Ipse autem Deus, &c.] Deus autem, qui *Pater* nostrum est, *& Dominus noster Iesus Christus dirigat viam nostram ad vos*, seu nobis tribuat, vt prospere ad vos aduentare valeamus. *Vos autem Dominus multiplicet*, fidelium numerum adaugendo: *& abundare faciat charitatem vestram* in inuicem, *& in omnes: quemadmodum & nos in vobis:* seu sicut ego charitate abundo erga vos omnes. * Vt Apostolus facilius fideles persuadeat ad charitatem fraternam; suam in omnes exprimit charitatem. Tunc enim Præsul subditos efficaciter ad virtutis alicuius exercitium adducet, cum se ostenderit idem præstare, quod eis intendit persuadere.] *Ad confirmanda corda vestra, &c.*] Deus, inquam faciat in vobis charitatem abundare, vt corda vestra confirmata sint *sine querela in sanctitate*, seu ità in sanctitate confirmata sint, vt nemo habeat, quod in vobis obiiciat, aut de quo conqueratur. * Sanctus quis potest esse, etiamsi aliqua de eo leuis querela excitetur: at sine querela vlla viuere sanctitas est cordis omnino in virtute *confirmati*, ideo dixit: *Ad confirmanda corda vestra sine querela in sanctitate.*] *ante Deum, & Patrem nostrum*, faciat item Deus, vt tales vere sitis in eius conspectu, quem nil potest abscondi, *in aduentu Domini nostri Iesu Christi cum omnibus sanctis eius*, siue quandiù expectamus aduentum Christi ad iudicium, quem omnes Diui comitabuntur: siue vsque ad iudicij particularis tempus. Ac si diceret, Vestra sanctitas non ad breue tempus persistat, sed vsque ad extremum spiritum. *Amen*, seu ità fiat.

Præsul operetur, quod vult subditus persuadere.

Viuere iustû sine querela, sanctitas quidem confirmata est.

CAPVT IV.

Ad perfectam sanctitatem hortatur. Agitque de mortuorum resurrectione.

1. DE cetero ergo, fratres, rogamus vos & obsecramus in Domino Iesu, vt quemadmodum accepistis à nobis, quomodo oporteat vos ambulare, & placere Deo, sic & ambuletis, vt abundetis magis. 2. Scitis enim quæ præcepta dederim vobis per Dominum Iesum. 3. Hæc est enim voluntas Dei, sanctificatio vestra: vt abstineatis vos à fornicatione. 4. Vt sciat vnusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione, & honore: 5. Non in passione desiderij, sicut & Gentes, quæ ignorant Deum: 6. & ne quis supergrediatur, neque circumueniat in negotio fratrem suum: quoniam vindex est Dominus de his omnibus, sicut prædiximus vobis, & testificati sumus. 7. Non enim vocauit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem. 8. Itaque qui hæc spernit, non hominem spernit, sed Deum; qui etiam dedit Spiritum suum sanctum in nobis. 9. De charitate autem fraternitatis non necesse habemus scribere vobis; Ipsi enim vos à Deo didicistis vt diligatis inuicem. 10. Etenim illud facitis in omnes fratres in vniuersa Macedonia. Rogamus autem vos fratres vt abundetis magis, 11. & operam detis vt quieti sitis, & vt vestrum negotium agatis, & operemini manibus vestris, sicut præcepimus vobis: & vt honestè ambuletis ad eos qui foris sunt: & nullius aliquid desideretis. 12. Nolumus autem vos ignorare fratres de dormientibus, vt non contristemini, sicut & cæteri, qui spem non habent. 13. Si enim credimus quod Iesus mortuus est, & resurrexit: ita & Deus eos, qui dormierunt per Iesum, adducet cum eo. 14. Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini, quia nos, qui viuimus, qui residui sumus in aduentum Domini, non præueniemus eos, qui dormierunt. 15. Quoniam ipse Dominus in iussu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei descendet de cælo: & mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi. 16. Deinde nos, qui viuimus, qui relinquimur simul rapiemur cum illis in nubibus obuiam Christo in aëra, & sic semper cum Domino erimus. 17. Itaque consolamini inuicem in verbis istis.

COMMENTARII.

1\. *Ad perfe ctam sancti tatem horta tur.*

VERS. 1.2.3.4 5.6 7. *De caterò ergò fratres.&c.*] Cæterum ô fratres, *rogamus vos, & obsecramus in Domino Iesu*, seu ob Christo Domino reuerentiam debitam, *vt quemadmodum accepistis à nobis*, sei informati à nobis estis, quomodo *oporteat vos* in salutis via *ambulare, & Deo placere, sic & ambuletis, & abundetis magis* magisque excellatis in virtute & sanctitate. *Scitis enim iam, qua præcepta dederim vobis per Dominum Iesum*, seu auctoritate Christi, cuius locum teneo. *Hæc est enim voluntas Dei*, desiderium, præceptum, & summa omnium præceptorum, *sanctificatio* vestri, vt perfectæ animi ac corporis puritati studeatis. Nempe *vt sciat vnusquisque vestrum, vas suum possidere in sanctificatione, & honore*. seu à Deo accepisse possessionem corporis sui, vt id conseruet in castitate, & honore pudicitiæ. * Sicut enim corpus suum dedecore afficit, dum id luxuriei addici permittit: ita honore adauget, dùm castitate id fulgere procuret, Homini quidem à castitate decus: dedecus à luxuria. Vnde de fœmina casta Hispanè dicimus: *Es muger honrada*] *Non in passione desiderij, sicut & Gentes, qua ignorant Deum*. seu non in affectu libidinis, cui multi Christiani obsequuntur, ac si Deum non cognoscerent. * Et quidem luxuriæ vitium hominem in Gentilem quodammodo vertit omnino à Dei memoria recedentem] Illud verbum expende. *In passione desiderij*. Vitium hoc passio desiderij vocitatur. Cur non & operis? Certè quia carnis voluptas adeò est momentanea, vt videatur, desiderium ad opus haud fuisse redactum.] * Vel quia appetitus ad huiusmodi voluptates vel opere cōceptas, nunquam expletur, nunquam dicit, sufficere.] *Et ne quis supergrediatur, neque circumueniat in negotio fratrem suum.* Agit hìc Apostolus de adulterio, quod *supergressionem* appellat, & *circumuentionem*, id est, oppressionem, & præuaricationem, qua quis superscandendo thorum proximi sui, eum iniuria afficit. Imò ad Ephes 4.19. verbo *circumueniendi* Paulus vtitur pro immodica venereorum cupiditate. Ne igitur quis tam sine fræno supergrediatur, vt audeat circumuenire, seu moliri, insidias alieno thoro, *in negotio*, de quo proximè est actum, vt scilicet aliena fruatur vxore *Quoniam vindex est Dominus de his omnibus, sicut prædiximus vobis, & iam alibi testificati sumus. Non enim vocauit nos Deus* ad Christi Ecclesiam *in immunditiam*, seu vt libidini seruiremus: *sed in sanctificationem*. vt puri, casti, & sancti essemus à vitiorum sordibus diluti.

Hanor & decus homini ea castitate: dedecus ex luxuria.

Vitium luxuriæ hominem quasi in Gentilem reddit.

Carnis voluptas tam breuis est, vt illius opus vocari possit merum desiderium

Luxuria nunquam expletur.

Vers. 8 9.10 11 *Itaque qui hæc spernit.&c.*] Quàre qui hæc monita à me tradita vobis spernit, *non* me *hominem* similem ei *spernit sed Deum* præceptorum, ad quorum obseruationem mea monita diriguntur, auctorem; *qui etiam dedit spiritum suum sanctum in nobis*, seu per spiritum sanctum, quem nobis impertiit, fecit sui verbi ministros, ac potestatem dedit, vt vobis eius nomine legis præcepta intimaremus: *De charitate autem fraternitatis*, seu fraterna, haud necesse *vobis scribere*. Vos enim ipsi *Deo* inspirante, & per doctrinam Euangelicam *didicistis vt diligatis inuicem*. Etenim illud, quod à Deo didicistis, *facitis*, seu charitatem fraternam exercetis *in omnes fratres*, qui *in vniuersa Macedonia* commorantur. *Rogamus autem vos, fratres vt abundetis magis*, seu vt in hac fraternæ charitatis virtute studeatis magis ac magis proficere. * Quo plus enim inuicem dilexeritis, eo perfectius legem obseruabitis, septem namque secundæ Tabulæ præcepta ad proximi commoda diriguntur.] *& operam detis, vt quieti sitis*, ne inrgia in fraternam charitatem quid tepiditatis Inducant: *& vt vestrum negotium agatis*, seu vt quisque suæ vocationi, & operi intendat, nec alieno se ingerat: & vt *operemini manibus vestris, sicut* iam *præcepimus vobis*. Ne otiositati omnium malorum fonti aditum reseretis.] *& vt honestè ambuletis ad eos, qui foris sunt*, seu ita decenter vos geratis, vt Gentiles vestris nō offendantur moribus, nec à Christiana religione suscipienda auertantur. * Quod quidem documentum apprimè competit Religiosis. Quorum apud eos, *qui foris sunt*, seu seculares immodestia, & libertas causa fuit, vt Religio contemneretur: dum sæculares ob vnum immodestum, reliquos similes esse iudicant.] *& nullius aliquid desideretis*. Ex Græco, Manibus laborate ad victum: ne inopia, quæ ex otio prouenire assolet, vos cogat aut aliena surripere, aut appetere iniuste.

Maior dilectio proximi arguit maiorem legis obseruationem.

Otiositas omnium malorum origo.

Quàm noxia tot Religioni sit vel vnius Religiosi apud seculares immodestia.

Vers. 12. 13. 14.15. 16. 17. *Nolumus autem vos ignorare, &c*] Mysterium circa dormientes nolumus vos ô *fratres, ignorare*. Dormientes vocitat mortuos ob resurrectionis spem. Celerrime enim è sepulchris euigilabunt, & è sepulchris velut è stratis excitabuntur. Præcipue hoc vocabulum, *de dormientibus* congruit iustis, quorum mors somnus dulcis est.] *Vt non contristemini* ex mortis horrore, *sicut ceteri* Gentiles, & alij, *qui spem* non habent resurrectionis. *Si enim credimus, quòd Iesus mortuus est, & resurrexit: ita* & credere debemus Deum mortuos suscitaturum: ad gloriam autem *eos, qui dormierunt per Iesum*, seu in Iesu fide, & charitate, *adducet cum* eo, vt regnent æternùm. *Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini*, seu ex nomine eius: *quià nos qui viuimus*, seu quicumque è posteris nostris tunc viuet: *qui residui sumus in aduentum Domini*, vel qui veniente Domino ad Iudicium erunt superstites: *non præueniemus eos, qui dormierunt*, sed vtrique tam recenter, quam longè prius tempore mortui, resurgent Pressius dixerim: Quotquot circa iudicij diem viuent, non prius immortalitate & gloria corporis donabuntur, quam alij, qui pridem mortui computruerunt. *Quoniam ipse Dominus* Iesus Iudex *in iussu* cum imperio, *& in voce Archangeli* Michaelis, qui clamor erit *Dei tuba*. descendet de cælo Angelis, & beatis omnibus comitatus in vallem Iosaphat: *& mortui, qui in Christo sunt*, seu in Christi gratia fuerint mortui, *resurgent primi*. Græcè, *primum*, seu antè quam rapiantur Christo in aëra. *Deindè nos, qui viuimus*, seu sub illud tempus viuent: *qui relinquimur*: seu Elias & Enoch vsque ad tempus proximum iudicio relicti fuére: & alij sancti olim mortui, sed iam vnà nobiscum rediuiui, *simul* seu iunctim *rapiemur obuiam* Christo Domino procedere. An qui sub illud tempus viuent, siue morte fient immortales? Iustini, & Caietani venia,

2\. *Agit de mortuorum resurrectione.*

Mors iustoris somnus dulcis est.

nega

negatiuè respondeo. Nam ante raptum omnes morientur siue conflagrationis igne, siuè subtracto Dei concursu, vt Suarius existimat. Rapientur autem iusti obuiam Christo *in aëra*, vt ibi in præparatis cuique thronis suo singuli ordine, gradu, & loco considéant à dextris Iudicis, reprobis humi ad sinistram relictis. Rapientur autem iusti tum Angelorum ministerio, tum propria agilitatis virtute, seu dote, quæ vt ex reliquis gloriosis dotibus ipso resurrectionis instanti donabuntur. *Et sic semper cum Domino erimus* tam scilicet in iudicio, quam in cælo, ad quod mox ascendemus. *Itaque consolamini in verbis istis inuicem* quidem, seu eorum mutua commemoratione fidem & spem vestram excitate, & labores patienter sustinete. * Nihil enim tàm durum, quod gloriosæ resurrectionis memoria non emolliat.]

Nihil tàm durum quod resurrectionis gloriosæ memoria non emolliat.

CAPVT V.

Obiecta die iudicij incertitudine, omnes ad vigilantiam hortatur.

1. DE temporibus autem, & momentis, fratres, non indigetis
vt scribamus vobis. 2. Ipsi enim diligenter scitis, quia
dies Domini, sicut fur in nocte, ita veniet. 3. cùm enim
dixerint pax, & securitas, tunc repentinus eis superue-
niet interitus, sicut dolor in vtero habenti, & non effu-
gient. 4. Vos autem fratres non estis in tenebris, vt vos
dies illa tamquam fur comprehendat: 5. omnes enim vos
filij lucis estis, & filij diei: non sumus noctis, neque tenebrarum. 6. Igitur
non dormiamus sicut & cæteri, sed vigilemus, & sobrij simus. 7. Qui enim
dormiunt, nocte dormiunt: & qui ebrij sunt, nocte ebrij sunt. 8. Nos au-
tem, qui diei sumus, sobrij simus, induti loricam fidei & charitatis, & galeam
spem salutis: 9. quoniam non posuit nos Deus in iram, sed in acquisitionem
salutis per Dominum nostrum Iesum Christum, 10. qui mortuus est pro nobis:
vt siue vigilemus, siue dormiamus, simul cum illo viuamus. 11. Propter quod
consolamini inuicem, & ædificate alterutrum, sicut & facitis. 12. Rogamus au-
tem vos, fratres, vt noueritis eos, qui laborant inter vos, & præsunt vobis in Do-
mino, & monent vos, 13. vt habeatis illos abundantiùs in charitate propter
opus illorum: pacem habete cum eis. 14. Rogamus autem vos, fratres, corripite
inquietos, consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patientes estote ad om-
nes. 15. Videte ne quis malum pro malo alicui reddat: sed semper quod bo-
num est sectamini in inuicem, & in omnes. 16. Semper gaudete. 17. Sine inter-
missione orate. 18. In omnibus gratias agite: hæc est enim voluntas Dei in Christo
Iesu, in omnibus vobis. 19. Spiritum nolite extinguere. 20. Prophetias nolite
spernere. 20. Omnia autem probate: quod bonum est tenete. 22. Ab omni
specie mala abstinete vos. 23. Ipse autem Deus pacis sanctificet vos per omnia:
integer spiritus vester, & anima, & corpus sine querela in aduentu Domini nostri
Iesu Christi seruetur. 24. Fidelis est, qui vocauit vos: qui etiam faciet. 25. Fra-
tres, orate pro nobis. 26. Salutate fratres omnes in osculo sancto. 27. Adiuro
vos per Dominum, vt legatur epistola hæc omnibus sanctis fratribus. 28. Gratia
Domini nostri Iesu Christi vobiscum. Amen.

COMMENTARII.

1\. *Obiecta diei iudicij incertitudine, ad vigilantiam hortatur.*

VERS. 1. 2. 3. 4. 5. *De temporibus autem & momentis, &c.*] Fratres, de temporibus & momentis in quæ incidet iudicij dies, nil opus scribere *vobis*: cum constet, nos omni momento debere esse paratos: & de die illo vel hora certum sit neminem scire, ne quidem Angelos, qui in superis habitant. *Ipsi enim iam diligenter*, seu mox post receptam fidem *scitis*, *quia dies Domini*, ad iudicandum, *ità veniet, sicut fur in nocte*, seu ex inopinato, inexpectato, hominibus nec præscientibus, nec timentibus. *Cum enim dixerint* homines: *Pax, & securitas*, seu cum tuta omnia esse crediderint, *tunc repentinus eis superueniet interitus, sicut dolor in vtero habenti. & non effugient*, seu quemadmodum prægnantes mulieres repentè partus doloribus afficiuntur: vnde fugiendi, aut vitandi interitus, locus non erit. *Vos autem fratres, non estis in tenebris, vt vos dies illa tanquam fur comprehendat*, seu non estis in tenebris infidelitatis, sed lumine fidei prævidetis, & expectatis hunc, seu generalis, seu particularis iudicij diem. * Quasi Gentilis viuit, qui sese ad hunc repentè futurum diem non præparat.] *Omnes enim vos filij lucis estis, & filij Dei*, seu in luce Euangelij versamini, quod vobis elucet vt meridies. * Qui in gratiæ luce viuit, non timet diei iudicij instantiam; nam latronis instar venit in tenebris.] *Non sumus* profectò *noctis, neque tenebrarum* filij; vndè non erit nobis, cur subitum iudicij aduentum timeamus.

Quasi Gentilis viuit, qui ad diē mortis, qui repētè potest venire, se non præparat.

Qui in luce gratiæ viuit, nō timet diē iudicij venturi in tenebris.

Vers. 6. 7. 8. 9. 10. Igitur non dormiamus, &c.] Ergo si filij lucis, & diei sumus, & non tenebrarum, *non dormiamus* sicut dormiunt cæteri peccatores, qui sunt noctis ad dormiendum aptæ, filij. *Sed vigilemus, & sobrij simus. Qui enim dor-*

miunt,

miunt, nocte dormiunt: & qui ebrij sunt, nocte ebrij sunt. Ac si diceret: Versamur in luce, & in die: par ergò non est, vt dormiamus, aut operam demus ebrietati: hæc enim opera,quæ ab hominibus de nocte fiunt,ità moraliter sunt opera tenebrarum, à quibus debemus abstinere.

Infame vitium est ebrietas, opus equidem tenebrarum.

* Solebant veteres vespertino tempore agitare conuiuia,& mero indulgere,quasi puderet eos,ebrietate affectos in luce dignosci.Fœdissimum & infame vitium est quidem ebrietas.] *Nos autem,qui diei sumus, sobrij simus,induti loricam fidei, & charitatis,& galeam,* siue *spem salutis.*

Quam potés est ebrietatis vitium.

* Potentissimum profectò est ebrietatis vitium, si ad sobrietatem tuendam,necessarium sit potentissimis fidei, spei, & charitatis armis protegi.] Sobrij itaque simus, *Quoniam non posuit nos Deus in iram: sed in acquisitionem salutis,* seu non sumus ex reprobis, sed ex electis: & ideo debemus sobrietati studere, fugere ebrietatem.

Ebrietati studere signum reprobationis non leue est.

* Quia scilicet qui ebrietati student, non vulgare reprobationis signum præ se ferunt.] Quam quidem electionem, & salutem habemus *Christi Domini* beneficio, *qui mortuus est pro nobis: vt siuè vigilemus, siue dormiamus, simul cum illo viuamus,* seu siue viuamus, siue moriamur, simul viuamus, cum Christo, nimirum hìc in gloria.

Vers. 11. 12. 13. 14. 15. *Propter quod consolamini inuicem,& ædificate alterutrum, sicut & facitis.* Consolamini vtique per ea quæ de resurrectione mortuorum, & vita æternum cum Christo agenda iam ex meo ore accepistis: & mutuam salutem promouere curate sermonibus, quibus ad spem beatæ resurrectiois vestri animi excitentur: quod quidem vos ita facere credo.* *Sicut & facitis,* inquit. An certo sciebat Paulus Thessalonicenses id ita gerere? Non crediderim: nam si id certum esse cognosceret, haud opus erat dicere: *Consolamini, Ædificate.* Quare ergo addidit, *Sicut & facitis.*

Sanctorum est, nihil imperfectum de proximo præsumere: imò quod melius est, de illis inesse iudicare.

Quia sanctorum est,quod perfectius videtur de alijs sentire, & nullam de eis vnquam præsumere imperfectionem.] *Rogamus autem vos, fratres, vt noueritis eos, qui laborant inter vos,* seu vt hos notetis, eorumque curam habeatis,qui in re Euangelica procurãda & promouenda apud vos laborant, ad Christi gloriam: & *qui monent vos,* quæ sequi,quæ fugere debeatis. Rogamus, inquam, *vt habeatis illos abundantius in charitate,* seu vt eos impensius diligatis, & obseruetis, velut filij spirituales parentes, *propter opus illorum,* seu laborem,& diligentiam, quam in vobis gubernandis,& docendis impendunt.

Æstimabilior ne parente debet esse magister.

* Æstimabilior enim quodammodo parente debet esse magister: illi generatio debetur ad terras, huic regenerationis ad cælos.] *Pacem habete cum eis,* seu pacificè, & submisse cum illis vos gerite. *Rogamus autem vos fratres, corripite inquietos, consolamini pusillanimes.* Iam hìc alloquitur eos qui præsunt,& partes quasdam eorum muneris attingit. Illos itaque, ô Præsules, qui pacem, tranquillitatem publicam perturbant,aut verbis,aut moribus seueri corripite.

Facilè turbatur sancta communitas, vel vnius sub diti inquietudine.

* Sanctæ enim communitatis pacificũ mare vel vnius inquieti subditi leuis noxia aura conturbat.] Solatio afficite pusillanimes,ne in aduersis animum despondeãt: *Suscipite infirmos,* seu adiuuate eos,qui fide sunt infirma: *patientes estote ad omnes.*

Rarò accidet, vt vel vnus sit subditus, qui nõ det Doctori suo occasionem patiendi.

* Cur non dixit, Patientes estote ad eos,qui vos persequuntur,vel causam vobis molestiæ dederint: sed *ad omnes?* Certè quia nunquam, aut rarissimè accidet, vt aliquis sit subditus, qui Præsuli non det occasionem patiendi: vnde appositè dixit Præsulibus Apostolus, *Patientes* estote ad omnes.] *Videte,nè quis malum pro malo alicui reddat: sed semper quod bonum est, sectamini in inuicem, & in omnibus,* seu inuicem, & omnibus benefacite.

Vers. 16.17.18.19.20.21.22.23.24. 25.26. 27.28. *semper gaudete,&c*] Semper inter pressuras,etiam vitæ huius spirituali gaudio perfundi studete.

Spiritus tristitiæ alienus sit ab eo, qui credit, se in gratia esse.

* Spiritus enim tristitiæ ab eo,qui in gratia se existere credit, omninò debet esse alienus.] *Sine intermissione, orate,* seu orate suis temporibus, sed ita vt id fiat sine studij prædicationis intermissione. *In omnibus gratias agite* tam prosperis, quam aduersis.

Dei beneficium est, aduersa pati.

* Aduersa enim subire maximum Dei beneficium est] *Hæc est enim voluntas Dei in Christo Iesu.* Voluntas enim Dei est, vt per Christi doctrinam hæc præstemus, nempè vt semper gaudeamus spiritu, semper statutis temporibus oremus, &c. *Spiritum,* seu spiritualia dona,gratias, illustrationes, & impulsus Spiritus sancti (quibus velut lampadibus in caliginosa huius sæculi nocte illuminamini) *nolite* peccatis, desidia aut nimijs curis & occupationibus *extinguere.*

A sæcularibus negotijs Regulares abstineant.

* Externa enim negotia,quæ ad Dei gloriam non conducunt,extinguunt spiritus seruorem.Vndè Religiosi debent,ab huiusmodi occupationibus abstinere.] *Prophetias nolite spernere.* Erant tunc inter Christianos multi spiritu prophetico præditi, quorum prædictiones Apostolus monet ob abundantiam non debere contemni.

Multa licet magna ex abundantia cõtemnuntur. Conciones non sint nimium longæ.

* Fateor,multa licet egregia sæpe ex abundantia contemni. Vndè vel prædicatio,quæ prophetia in scriptura assolet appellari, si frequens nimium sit, si longior, quam par est esse concio, magis molestiam,quam vtilitatem parit, & minoris,quam debet, assolet æstimari.] *Omnia autem probate: quod bonum est, tenete,* seu date operam, vt omnia, quæ agenda obiiciuntur, diligenter exploretis: & quod ex omnibus optimum fuerit visum,constanter retineatis.

Prudens nihil agit, sine examine præmisso.

* Prudentis est nihil gerere, sine examine præmisso.] *Ab omni specie mala abstinete vos* seu quidquid mali,aut peccati speciem habet, licet per se malum non sit, cauete.

Vel ab actione iusta, quæ tamen speciẽ mali habeat, abstinendum.

* Quià vel ob visibilem operis speciem ab alijs iudicabimini, non ob internæ synceritatis veritatem, cuius solus Deus est testis.] *Ipse autem Deus pacis* auctor,& amator *sanctificet vos per omnia,* seu sanctitatem adiiciat, vt sitis in omnibus perfecti. *Vt* spiritus vester, & anima & corpus *integer,*& sine querela seruetur: & tales inueniamini *in aduentu Domini nostri Iesu Christi,* cum vnicuique iuxta merita præmiũ æternum est redditurus. *Fidelis est, qui vocauit vos qui etiam faciet.* Constans est Deus in seruandis promissis,vnde efficiet,vt felicitatis cælestis corona potiamini.

Dicitur de Deo: Faciet, nec quid facturus sit exprimitur, vt nos verbo illi apponam' nomen, quod velimus.

* Preme illam particulam: *Qui etiam faciet,* quid facturus sit non exponit. Vt scilic. arbitrio tuo relinquatur, appone verbo nomina, quæ volueris: Faciet gaudium, faciet felicitatem, vitam, gratiã, gloriam.] *Salutate fratres omnes in osculo sancto,* iuxta fidelium morem in mutuæ charitatis signum. *Adiuro vos per Dominum,* seu interposita Dei auctoritate præcipio, *vt epistola hæc omnibus sanctis,* seu Christianis *fratribus legatur,* qui sunt apud vos. *Gratia Domini nostri Iesu Christi vobiscum. Amen.* Formula claudendi Epistolas vsitata ab Apostolo.

EPISTO

EPISTOLA BEATI PAVLI APOSTOLI

AD THESSALONICENSES SECVNDA.

Secunda hæc ad Theſſalonicenſes Epiſtola ſcripta paulò poſt primam fuit non Athenis, non Laodiceæ, non Romæ, vt alij exiſtimant: ſed Corinthi anno à Dominica morte vigeſimo primo, vt Baronius ſentit, & probat.

CAPVT I.

Theſſalonicenſium patientiam, & conſtantiam in fide laudat. Accepturos eas præmium, perſecutores verò ſupplicium promittit.

1. PAVLVS, & Syluanus, & Timotheus, Eccleſiæ Theſſaloni-
cenſium, in Deo Patre noſtro, & Domino Ieſu Chriſto.
2. Gratia vobis & pax à Deo Patre noſtro, & Domino Ieſu
Chriſto. 3. Gratias agere debemus ſemper Deo pro vobis,
fratres, ita vt dignum eſt, quoniam ſupercreſcit fides veſtra,
& abundat charitas vniuſcuiuſque veſtrum in inuicem:
4. Ita vt & nos ipſi in vobis gloriemur in Eccleſiis Dei, pro
patientia veſtra, & fide, & in omnibus perſecutionibus veſtris, & tribulationibus,
quas ſuſtinetis. 5. In exemplum iuſti iudicij Dei, vt digni habeamini in regno
Dei, pro quo & patimini. 6. Si tamen iuſtum eſt apud Deum, retribuere tribulatio-
nem iis qui vos tribulant: 7. & vobis, qui tribulamini, requiem nobiſcum in reue-
latione Domini Ieſu de cælo cum Angelis virtutis eius, 8. In flamma ignis dantis
vindictam iis, qui non nouerunt Deum, & qui non obediunt Euangelio Domini
noſtri Ieſu Chriſti. 9. Qui pœnas dabunt in interitu æternas à facie Domini, &
à gloria virtutis eius: 10. Cùm venerit glorificari in ſanctis ſuis, & admira-
bilis fieri in omnibus qui crediderunt: quia creditum eſt teſtimonium no-
ſtrum ſuper vos in die illo. 11. In quo etiam oramus ſemper pro vobis: vt di-
gnetur vos vocatione ſua Deus noſter, & impleat omnem voluntatem boni-
tatis, & opus fidei in virtute, 12. Vt clarificetur nomen Domini noſtri Ieſu
Chriſti in vobis, & vos in illo, ſecundùm gratiam Dei noſtri, & Domini Ieſu
Chriſti.

COMMENTARII.

1. *Theſſalonicenſium patientiam, & fidem laudat.*

VERS. 1.2.3.4. *Paulus, & Syluanus, & Timotheus, &c.*] Ego Paulus Apoſtolus veſter, Siluanus ſeu Silas ac Thimotheus fideles ſocij mei Theſſalonicentium Eccleſiæ in Deo, & Domino noſtro Ieſu Chriſto gratiam & pacem precamur. *Gratias* agere debemus ſemper Deo pro vobis fratres ità, vt dignum eſt: *quoniam ſupercreſcit fides veſtra*, ſeu magnum accipit incrementum, ſeu multùm in fide proficitis: *& abundat charitas vniuſcuiuſque veſtrum in inuicem*; ſeu creſcens ſemper oſtenditur ea fraterna charitas, qua in Domino colligamini. * Vnde ſi ea profectus continui veſtri beneficia ſemper affulgent, *ſemper* pro vobis gratias agere debemus.] * *Gratias*, ait, *agere debemus pro vobis*. Cur non dixit, Gratias vos agere debetis? Quia accipienti beneficium agnata eſſe aſſolet id obliuiſci.] Inde Paulus verè illorum pater & Præſul pro filiis & ſubditis gratias agit; quaſi idem cum illis.] *Ità vt & nos ipſi in vobis gloriemur in*

Pro continuis Dei beneficiis continuæ ſint gratiarum actiones.

Accipienti beneficium agnata eſt ingratitudo.

Ecclesiis Dei. Dabitis fide, constantia, & charitate vestra mihi materiam gloriandi in Domino apud alias eius Ecclesias vestro exemplo fideles excitando.

2. *Vers. 5.6.7.8.9.10. In exemplum iusti iudicij Dei, &c.*] Græcè *in demonstrationem, seu ostensionem patientiæ vestra, fides, & in omnibus persecutionibus & tribulationibus, quas sustinetis tolerantia* est demonstratio iusti iudicij Dei, quo aliquando *Regno* eius digni censendi estis, *pro quo* consequendo tam dira patimini. *Si tamen* Græce, *quandoquidem iustum est apud Deum retribuere tribulationem iis, qui vos tribulant.* Ac si diceret: siquidem æquum est, diuinam prouidentiam vicissim iis, qui vos diuexant, iustam malorum retributionem rependere: *& vobis, qui tribulamini, requiem* retribuere laxamentum, & solatium *nobiscum in reuelatione Domini Iesu de cælo*, seu cum Dominus in die iudicij Iudex apparebit è cælo descendens cum Angelis *virtutis*, seu potentiæ eius administris. Tunc quidem *in flamma ignis*, seu cum igne tartareo vindictam assumet de iis, qui non nouerunt Deum, & qui *Euangelio Domini Iesu Christi* non obediere. *Qui* quidem *pœnas dabunt in interitu æternas*, seu mox ab interitu pœnis æternis à *facie Domini*, seu à præsentia, ore, sententia Christi Iudicis. * Preme hanc particulam, *A facie, Domini dabunt pœnas æternas.* Tam terribilis enim erit impiis Christi facies iudicij die, vt illam aspicere, illis quodammodo sit totius æternæ pœnæ epilogatio.] Dabunt inquam pœnas æternas à facie Domini, & à maiestate *& gloria virtutis*, seu potentiæ *eius. Cum* è contra *venerit glorificari in sanctis suis*, seu vt glorificetur in electis, *& admirabilis fiat in omnibus, qui crediderunt*, dum eos ad gloriæ suæ similitudinem euehet, & membra capiti suo sibiipsi conformia reddet: *Quià creditum est testimonium nostrum super vos in die illo.* Hoc quidem in dubium apud vos, seu à vobis reuocari non potest, qui nostris sermonibus fidem habuistis, cum dissererem de *die illo.*

Promittit premium persecutionis afflictis, persecutoribus autem eorum affligendos supplicio.

Faciem Christi die iudicij videre, erit impiis velut totius æternæ pœnæ epilogatio.

Vers. 11.12. In quo etiam, &c.] *In quo* seu ad quod scilicet vt in vobis Christus etiam cum venerit glorificetur, & admirabilis iu retribuendo fiat: *oramus semper prò vobis, vt dignetur vòs vocatione sua Deus noster*, seu vt gratiam, qua vos ad Christi fidem vocauit conseruet, augeat, perficiat: *& impleat omnem voluntatem bonitatis*, seu vt compleat æternum beneplacitum bonitatis suæ, qua vos ad consortium Christi gloriæ elegit: *& opus* fidei in virtute. Opus fidei vocat patientiam in aduersis, per quam maximè fidei virtus eluce. *Vt clarificetur nomen Domini nostri Iesu Christi in vobis: & vos in illo.* Nam sicut seruorum virtus gloria domini est: ita è diuerso dignitas & excellentia Domini seruos efficit gloriosos: *secundum gratiam Dei, & Domini nostri Iesu Christi*, seu totum hoc ast effectus gratiæ Dei per merita Christi, non vestris tribuendum viribus.

CAPVT II.

Edocet, Christum Dominum non prius venturum ad iudicium, quàm Anti-Christus comparuerit. Eum depingit.

1. ROGAMVS autem vos, fratres, per aduentum Domini no-
stri Iesu Christi, & nostræ congregationis in ipsum: 2. vt
non citò moueamini à vestro sensu, neque terreamini, ne-
que per spiritum, neque per sermonem, neque per episto-
lam tamquam per nos missam, quasi instet dies Domini.
3. Ne quis vos seducat illo modo: quoniam nisi venerit
discessio primùm, & reuelatus fuerit homo peccati, filius
perditionis, 4. qui aduersatur, & extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut
quod colitur, ita vt in templo Dei sedeat ostendens se tanquam sit Deus.
5. Non retinetis quod cùm adhuc essem apud vos, hæc dicebam vobis? 6. Et
nunc quid detineat scitis, vt reueletur in suo tempore. 9. Nam mysterium
iam operatur iniquitatis: tantùm vt qui tenet nunc, teneat, donec de medio
fiat. 8. Et tunc reuelabitur ille iniquus, quem Dominus Iesus interficiet spiri-
tu oris sui, & destruet illustratione aduentus sui eum: 9. cuius est aduentus
secundùm operationem satanæ, in omni virtute, & signis, & prodigiis mendaci-
bus, 10. & in omni seductione iniquitatis iis qui pereunt eò quòd charitatem
veritatis non receperunt vt salui fierent. Ideò mittet illis Deus operationem er-
roris, vt credant mendacio, 11. vt iudicentur omnes, qui non crediderunt veri-
tati, sed consenserunt iniquitati. 12. Nos autem debemus gratias agere Deo
semper pro vobis, fratres dilecti à Deo, quòd elegerit vos Deus primitias in
salutem, in sanctificatione spiritus, & & in fide veritatis: 13. in qua & voca-
uit vos per Euangelium nostrum, in acquisitionem gloriæ Domini nostri Ie-
su Christi. 14. Itaque fratres state: & tenete traditiones, quas didicistis, siue

per sermonem, siue per epistolam nostram. 15. Ipse autem Dominus noster Iesus Christus, & Deus & Pater noster, qui dilexit nos, & dedit consolationem æternam, & spem bonam in gratia, 16. exhortetur corda vestra, & confirmet in omni opere & sermone bono.

COMMENTARII.

1. *Docet, Christum nō venturum ad iudicium donec Anti-Christus appareat.*

VERS. 1. 2. 3. 4. 5. *Rogamus autem vos fratres, &c.*] Per Christum autem ad iudicium *aduentum* & *nostræ congregationis in ipsum*, (veniente enim Domino ad iudicium, nos illi obuiam veniemus, & ad ipsum feliciter aggregabimur.) *rogamus vos ô fratres, vt non citò moueamini à vestro sensu*, seu non facilè recedatis à sententia, quam ex me haustam hucusque tenuistis de die iudicij, deque aliis mysteriis. *Neque terreamini, quasi* iam iam instet *dies Domini*, seu iudicij vt vobis persuadere conantur pseudo doctores, seu *per spiritum* propheticum, quem simulant habere: seu per reuelationem, vt mentiuntur, seu *per sermonem*, vel viuæ vocis oraculum quasi ex ore nostro haustum, seu *per* suppo sititiam *epistolam tanquam per nos missam.* * Tot artificiis impij vtuntur, vt fideles seducant: Euangelij ministros taxantes, qui pigritia laborant, cum omnem lapidem deberent amouere, vt fideles seductos peccatorum illecebris ad salutis viam reducere studerent.] *Ne quis vos seducat vllo modo: quoniam* certum est,) vti vos iam docui) Christum ad iudicandum non venturum *nisi* prius *venerit discessio* Græcè, *defectio*. illa lacrymabilis, qua tot Christiani deficient, discedent ab Ecclesia apostasia infecti : *& reuelatus fuerit*, seu publicè comparuerit *homo peccati*, seu peccator ille pessimus, *filius perditionis*, seu perditissimus, & æternæ perditioni destinatus. *Qui* Deo, & Christo in omnibus *aduersatur*, & animo extollitur *suprà omne, quod dicitur Deus*, seu iactat se maiorem, superiorem, potentiorem quocumq; Deo : *ità vt in Templo Dei veri* Ierosolymitano *sedeat tanquam Deus.* Græcè, *ostentans*, quod sit Deus: volet enim Latriæ cultu vt Deus adorari, imò vt solus Deus. *Non retinetis* memoriæ, *quod cum adhuc essem apud vos, hæc dicebam vobis?* Tempore Anti-Christi Solymitanum Templum instaurabitur, quasi palatium, & thronus illius, qui vt Iudæus, & Rex, ac Messias Iudæorum solium Imperij sui constituet non Romæ exustæ tunc, & in cineres adactæ (Apoc. 11. 8.) sed Ierosolymis.

Impiorum artes ad notendum pigritiam ministrorū Ecclesiæ taxant ad proficiendum.

Vers. 6. 7. 9. 9. 10. 11. *Et nunc quid detineat scitis, &c.*] Seu quid retardet aduentum Domini ad iudicandum, iam cognoscitis : & quid moretur reuelationem Anti-Christi, quo minus in lucum prodeat, qui tamen suo tempore aderit. *Nam mysterium iam operatur iniquitatis*, seu Anti-Christus tum demum in lucem est proditurus, cum ad eum vsque gradum hominum scelera peruenerint, qui diuina prouidentia præfixus, & constitutus est. Dicitur autem *mysterium* hæc reuelatio, quia abditum, & occultum est, nec quisquam præter Deum scire potest quamdiu statuerit ipse hominum flagitia tolerare.* Certè flagitia hominum hoc tempore sic exundant, vt proximum esse illud tempus horribile videatur cordato cuique, qui infinitam Dei pieta-

Malitia peccatorum exundans hodie, proximū iudicij diem esse indicat.

tem, & patientiam non considerat.] *Tantum vt qui tenet nunc, teneat.* Interim dum misterium iniquitatis operatur instantiam diei illius, qui *tenet* Christum & veram religionem, eam firmiter teneat. * Qui enim Christo constanter hæret non solum non timet iudicij diem aduentare velociter : sed potius sugillat tarditatem.] Donec de medio teneat vtique Christum, donec veniat tempus illud, quo peccata, quæ nunc multiplicantur, adueniente iudicio, & mundi fine de medio tollantur. * Hoc quidem ex capite desiderabile est iustis dies ille, in quo iam non erit delinquendi facultas.] *Et nunc reuelabitur ille iniquus, quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui, & destruet illustratione aduentus sui eum.* Nunc; seu tunc prodibit in lucem iniquissimus ille Anti-Christus; quem Dominus Iesus interficiet iussu, aut nutu suo, vel condemnatoria sententia illum percellens : & apparitione gloriosa sui aduentus, ac præsentiæ : cum scilicet iam in proximo aderit tempus, quo Christus veniet ad iudicium. Nam ante iudicij diem Anti-Christus interimetur. Post eius enim mortem vt minimùm dabuntur hominibus quadragintaquinque dies ad pœnitentiam ex Daniele cap. 12. *Cuius est aduentus secundum operationem satanæ in omni virtute, & signis, & prodigiis mendacibus.* Anti-Christi autem in aduentu satanas in illo homine peccati operabitur, & exeret omnem suam (permissione diuina) potentiam in prodigiis mendacibus : *& in omni seductione iniquitatis iis, qui pereunt*, seu in omni arte homines ad iniquitatem seducet, vt pereant : *eo, quod charitatem veritatis non receperunt, vt salui fierent.* Charitas veritatis est veritatis amor, quam Christus Euangelio suo prædicauit, quamque si voluissent impij admittere, salutem æternam consequi potuissent. *Ideò mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacia*, seu permittet Deus illos falsis signis seduci, quæ operationem erroris appellat. *Vt iudicentur omnes, qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati*, seu ex quo fiet, vt iusto Dei iudicio damnentur Iudæi, & quicumque veram fidem non receperunt.

Qui hæret Christo, iudicij diē non timet, sed expetit.

Desiderabile est iustis dies iudicij, in quo iam non erit peccandi facultas.

2. *Anti-Christi describit.*

Vers. 12. 13. 14. 15. 16. *Nos autem debemus, &c.* Nos vero debemus gratias Deo semper pro vobis agere, *ô fratres dilecti* ab ipso, *quod elegerit vos primitias in salutem*, seu quod inter primos ex Gentibus vocati ad Christianismum sitis, & ad salutem, quæ per veram Christi fidem obtinetur : *in sanctificatione spiritus, & in fide veritatis*, seu per sanctificationem spiritus. Nam in Baptismo infudit vobis Deus habitum fidei, & gratiam sanctificantem, qua spiritum, seu animam vestram sanctam reddidit. *In qua*, seu ad quam fidem, & sanctificationem *vocauit vos per Euangeliū nostrum*, seu per nostram prædicationem, qua vobis Euangelium annunciauimus, *in acquisitionem gloriæ Domini nostri Iesu Christi*, seu vt essetis acquisitio gloriosa Christi, id est, eius possessio sanguine eius acquisita. *Itaque fratres, state* constantes in fide, & vocatione vestra : *& tenete traditiones,*

quas didicistis, seu doctrinas & instituta religionis Christianæ per verba mea tradita, vel per Epistolas, quarum par est auctoritas. *Ipse autem Dominus noster Iesus Christus, & Deus & Pater noster, qui dilexit nos, & dedit consolationem æternnam, & spem bonam in gratia: exhortetur corda vestra, & confirmet in omni opere, & sermone bono.* * *Et dedit*, ait, *consolationem æternam* in spe, scilicet, & prægustu æternæ gloriæ. Haud enim est iusto appetibilis consolatio, quæ ad gloriosam æternitatem respectum non habeat.]

Non est appetibilis iusto consolatio, quæ non sit æterna

* *Et spem bonam in gratia*, seu per gratiam, quæ nobis spem asserit vitæ æternæ. In gratia collocare potes quidquid volueris consequi; ad omnium enim bonorum colligationem est via.]

Cum es in gratia, quidquid appetere volueris bonum, expecta.

* Pro verbo illo Deus *exhortetur*, Græcè est, *consoletur*, quia vtrumque significat & *exhortari, & consolari*. Vt innuatur, exhortationem non debere esse acrem ad vulnus, sed ad medelam vulneris cuiusuis consolatoriam.

Exhortatio semper debet esse consolatoria.

CAPVT III.

Cauendos, vel coercendos inquietos, & contumaces docet.

1. DE cætero, fratres, orate pro nobis, vt sermo Dei currat, &
clarificetur, sicut & apud vos: 2. & vt liberemur ab im-
portunis, & malis hominibus: non enim omnium est fides.
3. Fidelis autem Deus est, qui confirmabit vos, & custodiet
à malo. 4. Confidimus autem de vobis, in Domino, quo-
niam quæ præcipimus, & facitis, & facietis. 5. Dominus
autem dirigat corda vestra in charitate Dei, & patientia Chri-
sti. 6. Denuntiamus autem vobis, fratres, in nomine Domini nostri Iesu Christi,
vt subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè, & non secundum traditio-
nem, quam acceperunt à nobis. 7. Ipsi enim scitis quemadmodum oporteat imi-
tari nos: quoniam non inquieti fuimus inter vos: 8. Neque gratis panem man-
ducauimus ab aliquo, sed in labore, & in fatigatione, nocte & die operantes, ne
quem vestrum grauaremus. 9. Non quasi non habuerimus potestatem, sed vt
nosmetipsos formam daremus vobis ad imitandum nos. 10. Nam & cùm essemus
apud vos, hoc denuntiabamus vobis: quoniam si quis non vult operari, nec man-
ducet. 11. Audiuimus enim inter vos quosdam ambulare inquiete, nihil ope-
rantes, sed curiosè agentes. 12. Iis autem, qui eiusmodi sunt, denuntiamus,
& obsecramus in Domino Iesu Christo: & cum silentio operantes, suum panem
manducent. 13. Vos autem, fratres, nolite deficere benefacientes. 14. Quod si
quis non obedit verbo nostro per epistolam, hunc notate, & ne commisceamini
cum illo, vt confundatur: 15. & nolite quasi inimicum existimare, sed corripite
vt fratrem. 16. Ipse autem Dominus pacis, det vobis pacem sempiternam in om-
ni loco. Dominus sit cum omnibus vobis. 17. Salutatio, mea manu Pauli: quod
est signum in omni epistola ita scribo. 18. Gratia Domini nostri Iesu Christi cum
omnibus vobis. Amen.

COMMENTARII.

1. Cauendos, vel coërcẽdos inquos, & contumaces, docet.

VERS. 1.2.3.4.5.6. *De cetero fratres, orate, &c.*] Cæterum, ô fratres Dominum precamini, pro nobis, qui promouendo Euangelio studemus, vt *sermo Dei currat, & clarificetur*, seu vt doctrina fidei per nostram prædicationem feliciter sine impedimento progrediatur: *Sicut & apud vos* progressa est felici admodam cursu: *Et vt liberemur ab importunis, & malis hominibus*. Syrus vertit, *ab insolentibus*. *Non enim omnium est fides*, seu non omnibus datum, vt credant, etiam ex iis, qui Euangelicum præconium audierunt. * Cur non dixit, vt liberemur à diabolo procurante Euangelij progressum impedire, sed *Vt liberemur ab hominibus insolentibus*? Quià dirior est hominum impiorum quam omnium dæmonum, impugnatio.] Fidelis autem Deus est verax, & constans in promissis, *qui ideò confirmabit vos* in fide suscepta: *& custodiet à malo*, & exitiali huiusmodi hominum incursu. *Confidimus autem de vobis in Domino*, seu per gratiam Domini Iesu Christi, *quoniam*, seu quòd *quæ præcipimus, facitis* nunc, & in posterum facietis. *Dominus autem dirigat corda vestra in charitate Dei, & patientia Christi*. seu opto, vt dominus corda vestra dirigat, moueatque magis ac magis, ad dilectionem Dei, & ad imitandam Christi Domini patientiam. * *Ad dilectionem Dei, & patientiam* inquit appositè. Nam sine dilectione Dei, durum est, pati: diligenti autem dulces sunt tribulationes.]

Dirior est hominũ impiorum, quã dæmonum impugnatio.

Diligenti Deum dulcis est tribulatio.

Vers. 6.7.8.9.10. Denunciamus autem vobis fratres, &c.] Præcipimus, *fratres vobis in nomine Domini Iesu Christi*, cuius gerimus vices, *vt subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè* Græcè, *incompositè*, turbulentè Ecclesiam perturbando,

turbando, impugnando doctrinam: *& non ſecundum traditionem, quam acceperunt à nobis,* cum vos in Christiana diſciplina inſtituimus, ambulantes. * *Subtrahite* itaque *vos* ab huiuſmodi ſociis. Peſtis enim eſt totius communitatis vel vnus *frater inordinatè* ambulans.] *Ipſi enim ſcitis, quemadmodum oporteat imitari nos;* quia recordamini, quale exemplum exhibuerim vobis: *quoniam non inquieti fuimus apud vos* communitatis ſanctæ perturbatores: *neque gratis panem manducauimus ab aliquo, ſed in labore, & in fatigatione nocte & die* operi incumbebamus manè quidem prædicationis miniſterio, nocte manuum arti, *ne quem veſtrum grauaremus,* ſumptus ad victum, & veſtitum exigendo. *Non quaſi non habuerimus poteſtatem* vos aggrauandi, illam enim habemus; æquum enim eſt vt ab Eccleſiâ alatur, qui Eccleſiæ miniſtrat; *Sed vt nosmetipſos formam daremus vobis, ad imitandum nos,* ſeu vt facto noſtro vobis præberemus exemplum, quod imitaremini. * Spiritualis enim cauſa proximorum liberius, & ideo conuenientius, & vtilius agitur; ſi in temporali nihil ſacer miniſter ab illis dependeat.] *Nam & cum eſſemus apud vos, hoc denunciabamus vobis,* ſeu præcipiebamus: *quoniam,* ſeu quod *Si quis non vult* manibus *operari, nec manducet.* Quid ſtrictius?

Vel vnus prauus ſocius peſtis eſt totius communitatis.

Cauſâ ſpiritualis proximorum liberius ſacer miniſter agit, ſi in temporali ab illis non dependeat.

Verſ. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. *Audiuimus enim, inter vos, &c.*] Noſtras ô fratres, peruenit ad aures, *inter vos quoſdam ambulare inquietè,* ſanctæ communitatis perturbatores, *nihil operantes, ſed curioſè agentes,* torpentes quidem otio, & conſequenter curioſitati, ac garrulitati addictos. * Qui otioſè in communitate degit, aliorum actiones curioſè veſtigare curat, ſi aliquid, quod taxet, deprehendat. Liceat vulgariter exponere: *El que en la communidad viue ocioſo, es curioſo en inquirir las vidas agenas.*] *Iis autem, qui eiuſmodi ſunt, denunciamus, & obſecramus in Domino,* ſeu auctoritate Domini Ieſu præcipimus, & eiuſdem amore rogamus: *vt cum ſilentio operantes, ſuum panem manducent,* ſeu quietè, pacificè operantes, & manibus victum quærentes panem manducent, non alienum, ſed *ſuum,* ſuo ſcilicet labore acquiſitum. * Certè qui cum poteſt manuum labore ſibi acquirere victum, otio torpens ab aliis vel ex eleemoſyna accipit, pane ſuo non veſcitur, ſed alieno reus furti quodammodò.] *Vos autem fratres, nolite deficere benefacientes,* ne ad benefaciendum ſegnes efficiamini. *Quod ſi quis non obedit verbo noſtro per Epiſtolam,* ſeu præcepto per Epiſtolam vobis expreſſo, *hunc notate,* vt cauere illum poſſitis: *& ne commiſceamini cum illo, vt confundatur,* ſeu nolite commercium cum illo inire, vt videns ſe ab omnibus fratribus vitari, ac negligi? illum pudeat, & corrigatur. *Et nolite quaſi inimicum exiſtimare, ſed corripite vt fratrem.* Licet vitari iubeam inobedientem, non tamen ideò permitto, vt illum velut inimicum habeatis, ſed cum beneuole curetis corripere vt fratrem: ſolum id ſpectantes, vt ad ſanam mentem reuocetur. * Raro viderim correptione aſpera delinquentem ſubditum ad meliora reuerſum.] *Ipſe autem Dominus pacis* auctor, & amator *det vobis pacem ſempiternam in omni loco,* ſeu ſemper, vbique. *Dominus ſit cum omnibus vobis* per gratiam ſuam. *Salutatio mea manu Pauli, quod eſt ſignum in omni Epiſtola: ita ſcribo.* Huc vſque Amanuenſis manu ſcripſi: nunc vos ô fratres dilectiſſimi ſalutationis loco manu mea hanc ſententiam ſcribo, qua velim meas Epiſtolas agnoſci, nimirùm *Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti cum omnibus vobis. Amen.*

Otioſus in communitate, aliorum vitam curioſè veſtigare curat.

Qui otio torpet, cum labore manuum poteſt victum acquirere, quaſi ex furto victitat.

Aſpera correptione difficilè peccãs ad meliora reuertitur.

EPISTOLA
BEATI PAVLI APOSTOLI
AD TIMOTHEVM.

PAulus è Macedonia hanc Epistolam scripsit anno à morte Domini vigesimo quinto Timotheo charissimo discipulo, recens ab ipso, cum à fabris Dianæ Epheso pelleretur *Act.* 20. 1. creatus Ephesiorum Episcopus, imò Primas omnium Ecclesiarum Asiæ Minoris, quarum Metropolis erat Ephesus.

CAPVT I.

Timotheum monet, vt pro Episcopali munere doctrinam proferat, quæ fidem, ac bonos mores valeat promouere, Iudaicis ac Simonianis fabulis reiectis.

1. PAVLVS Apostolus Iesu Christi secundùm imperium Dei Salnatoris nostri, & Christi Iesu spei nostræ: 2. Timotheo dilecto filio in fide. Gratia, misericordia, & pax à Deo Patre, & Christo Iesu Domino nostro. 3. Sicut rogaui te vt remaneres Ephesi cùm irem in Macedoniam, vt denuntiares quibusdam ne aliter docerent, 4. neque intenderent fabulis, & genealogiis interminatis: quæ quæstiones præstant magis quàm ædificationem Dei, quæ est in fide. 5. Finis autem præcepti est charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. 6. A quibus quidam aberrantes, conuersi sunt in vaniloquium, 7. volentes esse legis Doctores, non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant. 8. Scimus autem quia bona est lex, si quis ea legitimè vtatur: 9. sciens hoc quia lex iusto non est posita, sed iniustis, & non subditis, impiis, & peccatoribus, sceleratis, & contaminatis, parricidis, & matricidis, homicidis, 10. fornicariis, masculorum concubitoribus, plagiariis, mendacibus, & periuris, & si quid aliud sanæ doctrinæ aduersatur, 11. quæ est secundùm Euangelium gloriæ beati Dei, quod creditum est mihi. 12. Gratias ago ei, qui me confortauit, Christo Iesu Domino nostro, quia fidelem me existimauit, ponens in ministerio: 13. qui priùs blasphemus fui, & persecutor, & contumeliosus: sed misericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate. 14. Superabundauit autem gratia Domini nostri, cum fide, & dilectione, quæ est in Christo Iesu. 15. Fidelis sermo, & omni acceptione dignus, quod Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores saluos facere, quorum primus ego sum. 16. Sed ideò misericordiam consecutus sum: vt in me primo ostenderet Christus Iesus omnem patientiam, ad informationem eorum, qui credituri sunt illi, in vitam æternam. 17. Regi autem sæculorum immortali, inuisibili, soli Deo, honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen. 18. Hoc præceptum commendo tibi, fili Timothee, secundùm præcedentes in te prophetias, vt milites in illis bonam militiam, 19. habens fidem, & bonam conscientiam, quam quidam repellentes, circa fidem naufragauerunt: 20. ex quibus est Hymenæus, & Alexander: quos tradidi satanæ, vt discant non blasphemare.

COMMEN

COMMENTARII.

1\. *Salutaris ad Timotheū admonitio circa doctrinā prædicandam.*

VERS. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. *Paulus Apostolus Iesu Christi, &c.*] *Paulus* non ex hominum voluntate, sed *secundum imperium*, ac delegationem *Apostolus Christi spei nostræ*, seu in quem speramus. *Timotheo dilecto filio in fide*, in qua ipse mihi verus est filius, æmulusque paternæ doctrinæ. *Gratia, misericordia, & pax à Deo Patre, & Christo Iesu Domino nostro.* * Nusquam in aliis Epistolis Paulus misericordiam precatur, sed gratiam solùm & pacem. Cur ergò hac in Epistola addit misericordiam? Crediderim, quia Episcopo scribit, cuius munus tam perfectum est, vt eius administratio plures soleat contrahere defectus. Vnde Paulus Episcopo suo vberem Dei misericordiam deprecatur.] *Sicut rogaui te, vt remaneres Ephesi, cum irem in Macedoniam.* Velim, vt illud agas, quod vt ageres te rogaui, cum discedens in Macedoniam te Ephesi reliqui, nempe *vt denunciares quibusdam, ne aliter docerent*, seu & præciperes queisdam Pseudoapostolis, ne diuersam doctrinam edocerent ab ea, quam nos vbique tradere consueuimus: *neque intenderent fabulis, & genealogiis interminatis.* Loquitur de fabulis, & genealogiis Iudaicis, quales nunc extant in Talmud, & apud Rabinos. Interminatas autem eas vocitat, scilicet longissimas, & velut infinitas? quibus se genus ducere ab Abraham ostendere conabantur, vt genus ac nobilitatem suam ostentarent. * Dedecet Dei ministros, nimium de seculari nobilitate gloriari.] *quæ quidem quæstiones præstant magis, quam ædificationem Dei in fide.* Hæ quidem quæstiones potius pariunt altercationes, quam ædificationem Dei, quæ consistit *in fide*, pietate, & charitate. *Finis autem præcepti est charitas de corde purò, & conscientia bona, & fide non ficta.* Probat Paulus hasce fabulas ac genealogias non esse consentaneas legi & Euangelio, hoc discursu: Finis legis est parere, & nutrire fidem, & charitatem: Sed hæ fabulæ non pariunt ædificationem in fide, ac consequenter nec charitatem: sed quæstiones, altercationes, lites: ergò hæ fabulæ haud sunt secundum legem, & Euangelium. Præceptum itaque seu lex intendit, vt Euangelica doctrina recipiatur *corde puro* seu voluntate vacua à prauis cupiditatibus, *conscientia bona* quæ cordis puritatem consequitur: *fide non ficta, vera scilicet, & syncera.* *A quibus quidam aberrantes, conuersi sunt in vaniloquium.* Porro quidam aberrantes à charitate, & fide syncera, conuerterunt se ad inanem quandam loquacitatem, qualis solet esse hæreticorum, & eorum qui scholas frequentant solùm vt laudem apud imperitos aucupentur, qui ea quæ non capiunt encomiis efferunt. *Volentes esse legis Doctores, non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant*, seu profitentes se Mosaicæ legis esse Magistros, nescientes an ea quæ asserunt, ita se habeant. * Vtinam & apud Christicolas plures non adessent, qui suggestum ascendunt penitus scientia vacui, qui ea, quæ ex alieno codice memoriæ mandarunt recitant omnino ignari eorum, quæ loquuntur.]

In munere Episcopali solent defectus contrahi, qui Dei egeant misericordia.

Dedecet Dei ministros nimium de nobilitate gloriari.

Concionatores indocti taxantur.

Vers. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. *Scimus autem, quia bona est lex, &c.*] Dum vanos legis doctores reprehendo, non ipsam legem vitupero, quæ bona planè est, *si quis ea legitime vtatur.* Seu si quis eam benè intelligat, & syncere doceat. Suis enim figuris ad Christum ducit, & moralia præcepta continet ad salutem necessaria *sciens hoc, quia lex iusto non est posita, sed iniustis, & non subditis impiis, & peccatoribus, sceleratis, & contaminatis, parricidis, & matricidis, homicidis, fornicariis, masculorum concubitoribus, plagiariis, mendacibus, & periuris*, Hoc est vnum, quod inter cetera requirit Apostolus, vt quis lege legitimè vtatur, vt scilicet sciat, eam iustis non esse præscriptam, id est, Christianis iustificatis per Christum. Iusto enim non est posita lex quoad pœnas, quas infligit: nam qui iustè viuit, reus pœnæ non efficitur: sed pro iniustis inobedientibus, quos speciatim nominat. Horum verò *plagiarij* sunt ex Græco, qui aliena mancipia rapiunt, vel qui liberos homines in seruitutem trahunt. *Contaminati* verò profani à sacris arcendi ob piaculum aliquod, quo sunt infecti & si quid aliud sanæ *doctrinæ*, seu rectæ morum institutioni *aduersatur*, *quæ secundum Euangelium gloriæ beati Dei*, seu consentanea Euangelio, per quod Deus glorificatur: *quod creditum est mihi*, vt id Gentibus promulgarem. *Gratias ago ei, qui me confortauit, Christo Iesu Domino nostro*, qui inquam mihi vires, & animos suppeditauit, vt eum intrepidè annunciem. *Quia me fidelem existimauit*, seu iudicauit fidum iniuncti officij administratorem: *Potens* eius ope iam sum *in ministerio* ad Gentiles ad Ecclesiam adducendos, *qui prius blasphemus fui, & persecutor, & contumeliosus. Sed misericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans feci*; nesciebam enim me persequi Messiam, cum Christum execrabar, & eius iniuriosus eram Ecclesiæ, *in incredulitate* cæcus. *Superabundauit autem gratia Domini nostri cum fide, & dilectione quæ est in Christo Iesu.* Sed superabundans Dei gratia me ex lupo fecit ouem, ex persecutore prædicatorem: & cum gratia abundanter in me effusa etiam illius comites adfuere fides & charitas. Iam vero prima & potissima causa, cur Paulum Deus præ aliis ad tantam gratiam elegerit, & ad Apostolatum fuit liberalis Dei voluntas & specialis misericordia in illum. Potuit autem Deus secundariò ad naturales Pauli dotes respicere, & ob eas potius illum, quam alios eligere, ver. gr. quod esset peritus in lege, acris ingenij, generosæ indolis: addideritne, & quod tam egregie ageret tunc Ecclesiæ persecutorem? Quodammodò zelus ille ferox Deum allexit, vt Saulum eligeret, vt mutato zelo Ecclesiam propugnaret. * Hinc Pauli magnalia recenseo, cuius vel persecutio quodammodo Deo fuit spectabilis.] * Et Dei misericordiam effero ex peccatis inuenientis, quoad pietatem alliciatur.]

Tantus est D. Paulus, vt vel eius defectus quodāmodo Deo fuére spectabiles.

Vers. 15. 16. 17. 18. 19. 20. *Fidelis sermo, & omni acceptione dignus, &c.*] Dixerat Paulus, in se gratiam superabundasse, nunc subiungit, eandem gratiam omnibus patere peccatoribus. Verissimus est *sermo*, quem profero, & dignus qui ab omnibus admodum fiat acceptabilis: *quod Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores saluos facere, quorum primus ego sum*, seu præcipuus & maximus. *Sed ideo misericordiam consecutus sum, vt in me primo ostenderet Christus*

Ineffabilis Dei misericordia.

Iesus

Iesus omnem patientiam, ad informationem eorum, qui credituri sunt illi, in vitam æternam. Seu ideo veniam impetraui, vt in me primo (sic Græcè) & præcipuo peccatore. Suam Christus Dominus eximiam longanimitatem reseraret, vt reliqui peccatores, quos malitia supero, sperarent, se posse salutem adipisci. Sanctorum est existimare cunctos peccatores vincere iniquitate. Testor D. Franciscum, qui D. Pauli spiritu dicebat se omnium hominum esse scelestissimum.] *Regi autem sæculorum immortali, inuisibili, soli Deo honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.* Seu Deo qui solus est Deus verus, Regi ac conditori sæculorum omniumque Rectori, in omnem æternitatem sit gloria. *Hoc præceptum commendo tibi, fili Timothee, secundum præcedentes in te prophetias.* Redit ad ea, quæ dixit num. 3. nempè vt denunciaret quibusdam, nè aliter docerent, &c. Quasi diceret: Hoc præceptum iam explicatum tibi, ô Timothee, commendo: vt sicut Dei reuelatione, & spiritu Prophetiæ admonitus te Episcopum Ephesi ordinaui; ita iuxta eandem Prophetiam

Sanctorum est existimare, se cunctos peccatores iniquitate superare

nunc milites, illique respondeas, ostendasque veram fuisse de te Prophetiam. *Habens* scilicet *fidem, & bonam conscientiam* Militabis ô Timothee *bonam militiam*, si fidem rectam circa vera, & orthodoxa dogmata habueris, & sanctam vitam asseruaueris, quod quidem est, bona conscientia esse conspicuum. *Quam* bonam conscientiam *quidam repellentes*, seu postquam repellerunt, *circa fidem naufragauerunt*, seu fidei naufragium, & iacturam gessere. * Et quidem qui nimium peccatis indulgent, conscientiam habent adeò liberam à punctionibus, vt non solum à fide alieni omnino videantur, sed ferè in ipsum recidant atheismum.] *Ex quibus est Hymeneus & Alexander.* Hic est ærarius ille, seu quæstor (de quo Paulus 2. Timoth. 4. 17.) *Quos tradidi Satanæ*, per excommunicationem tanquam carnifici cruciandos. *Vt discant* hac vexatione *non amplius blasphemare*, seu de rebus diuinis impie loqui. Ambrosius legit. Vt emundentur, & resipiscant à blasphemia, & hæresi. * Quia vexatio dat intellectum.]

Multi ob nimiam vitiorũ indulgentiam, à fide excidunt.

Vexandi aliquando sunt peccatores, vt resipiscant.

CAPVT II.

Vult pro omnibus hominibus preces fundi. De virorum, ac mulierum oratione agit. Mulieribus docere non permittit.

1. OBSECRO igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus: 2. Pro regibus, & omnibus qui in sublimitate sunt, vt quietam & tranquillam vitam agamus, in omni pietate, & castitate. 3. Hoc enim bonum est, & acceptum coram Saluatore nostro Deo, 4. Qui omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. 5. Vnus enim Deus, vnus & mediator Dei & hominum homo Christus Iesus: 6. Qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus, testimonium temporibus suis: 7. In quo positus sum ego prædicator & Apostolus (veritatem dico, non mentior) doctor gentium in fide, & veritate. 8. Volo ergo viros orare in omni loco, leuantes puras manus sine ira & disceptatione. 9. Similiter & mulieres in habitu ornato, cum verecundia & sobrietate ornantes se, & non intortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veste pretiosa: 10. Sed quod decet mulieres, promittentes pietatem per opera bona. 11. Mulier in silentio discat cum omni subiectione. 12. Docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum; sed esse in silentio. 13. Adam enim primus formatus est, deinde Heua: 14. & Adam non est seductus, mulier autem seducta in præuaricatione fuit. 15. Saluabitur autem per filiorum generationem, si permanserit in fide, & dilectione, & sanctificatione cum sobrietate.

COMMENTARII.

1. VERS. 1. 2. 3. 4. *Obsecro igitur primum, &c.*] Particula. *Igitur* ostendit inferri ex dictis, quæ adiiciuntur. *Primum igitur omnium*, seu ante omnia vos obsecro, *fieri obsecrationes*, seu supplicationes pro malorum, ac tristium remotione: *orationes*, seu petitiones pro bonorum aduentu: *postulationes*, seu interpellationes pro aliorum salute (sic ex Græco) *gratiarumque actiones* pro beneficiis à Deo acceptis: & omnia hæc generatim *pro omnibus hominibus* offerantur, cum omnes sunt Christi sanguine redempti. * Christiana charitas ad omnes siue amicos siue inimicos: siue fideles, siuè infideles extenditur.] Particulatim verò

Vult, pro omnibus hominibus preces fundi.

Christianorum charitas ad omnes extenditur.

rogo

rogo vt exoreris *pro Regibus, & omnibus, qui in sublimitate sunt*, dignitate, vel eminentia: *vt quietam, & tranquillam vitam agamus.* Quod continget, si ipsi Reges, & Gubernatores prudenter Rempublicam administrent. * Nam si caput inscitia & imprudentia langueat, omnia membra miserè deperibunt. Ex prudentia enim Gubernatoris Reipublicæ tranquillitas pendet.] * Vnde obsecrat Apostolus, vt pro Regibus, & Principibus exoremus, vt hanc eis prudentiam impetrare possimus, & nobis inde tranquillitatis commoda sequantur. Quare pro nobis oramus, cum pro illis preces profundimus.] Orare autem debemus *in omni pietate, & castitate.* Pro *castitate* est in Græco, σεμνότητι, quæ vox non solam castitatem, sed omnem honestatem, & morum puritatem significat. * Nec enim castitas diu persistet, nisi vitæ pietatem comitem habeat.] Vt igitur efficax fiat oratio, requiritur vitæ iustitia. Quid enim Deus abnegabit amico? quid inimico tribuet oranti?] *Hoc enim*, id est, vt oretur pro omnibus hominibus, *bonum est, & acceptum coram Saluatore nostro Deo, qui omnes homines*, quantùm est ex parte sua serio, & ex animo *vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*, ad idque sufficientia media illis impertit.

Ex prudentia Gubernatoris Reipublicæ tranquillitas pēdet.

Pro nostris oramus cōmodis, cum pro Gubernatoribus preces fundimus.

Castitas, vt persistat debet vitæ pietate fulciri.

Vt oratio sit efficax, iustitia requiritur.

Vers. 5.6.7. Vnus enim Deus vnus & mediator Dei & hominum homo Christus Iesus. Probat Paulus, quod dixerat, Deum velle, vt omnes homines salui fiant: & hoc vtitur argumento: Vnus est Deus omnium Creator, & Pater, qui propterea figmentum suum amat, & illi benè esse cupit. Vnus etiam homo Christus omnium hominum mediator, qui proinde expetit beneficium suum ad omnes porrigi, & omnes illius esse participes. Adiicit efficacissimam confirmationem: *Qui dedit redemptionem*, seu redemptionis pretium *semetipsum pro omnibus testimonium temporibus suis*, seu vt tempore iudicij, quod tempus Domini appellatur (*Cum accepero tempus*) hæc redemptio sit testimonium diuinæ charitatis, & æquitatis, & iustitiæ. *In quo*, seu ad quod Christi testimonium, & redemptionem promulgandam, *positus*, seu constitutus *sum ego Doctor Gentium* instruendarum *in fide, & veritate.*

2. *De virorum, ac mulierum, oratione agit.*

Vers. 8.9.10.11. Volo ergo viros orare, &c.] Velim itaque ô fratres, *viros orare in omni loco.* Iudæi orant solùm in Templo Ierosolymitano cum publice orandum sit: Christiani autem orationi dent operam in quauis Ecclesia, & in omni loco, qui dicatus est orationi: *leuantes puras manus sine ira, & disceptatione.* Leuare manus, habitus est orantis. Quando ergo ad orandum manus leuatis, puræ sint ab *ira* sine iniuriarum memoria, sine vindictæ cupiditate: & à *disceptatione*, Ambrosius, seu *mentis euagatione*, quæ in oratione per animi attentionem debet excludi. * Hæc disceptatio sit, cum memoria rerum terrenarum, cum attentione in oratione pugnat. Ideò monet Apostolus, vt huiusmodi disceptationi locus non detur. Quod quidem præstabis, si ad locum orationis ingressurus, dixeris cum Bernardo: Manete hîc (in vestibulo) ô temporariæ curæ, donec reuertar.] *Similiter & mulieres se se in oratione gerant, in habitu ornato decenti*, modesto, decenti. * Nam quod decet, id ornat. Cum vides fœminam indecenti habitu incedentem, haud illam ornatam, sed inornatam prudens iudicabis.] *Cum verecundia, & sobrietate ornantes se.* * Pulcherrimus planè fœminarum ornatus est verecunda modestia, & sobrietas.] Non enim mulier bene ornata apparet, cum incedit *tortis crinibus, auro*, ac *margaritis*, è collo pendentibus, & *veste pretiosa* circumamicta, exuta interim verecundia, & sobrietate. *Sed quod decet mulieres*, vestimento vtantur, ea modestia *promittentes*, seu ostendentes, se *pietatem per opera bona profiteri.* * Nam profanus, inhonestusque ornatus in fœmina ostendit eam impietatem & mala opera sectari.]

In oratione attentio.

Quæ vestis decet mulierem, hæc illā ornat, non indecens.

Pulcher fœminæ ornatus modestia.

Profanus habitus in fœmina, iudicat eam profiteri libidinem.

3. *Mulieres docere non permittis.*

Vers. 11.12.13.14.15. Mulier in silentio discat, &c.] *Discat mulier*, quæ ei à Magistro Euangelico dogmata traduntur *cum filiali subiectione. Docere autem mulieri non permitto* in Ecclesia, seu publico cœtu: *neque dominari in virum*, seu in eum auctoritatem vsurpare: *sed esse in silentio.* * Quando ergo in silentio non sunt, sed vocem extollunt videntur velle in viros dominari.] * Profectò vtile admodum tradit vxoribus Paulus monitum, cum ait: *sed esse in silentio.* Omnia enim incommoda, quæ vxoribus solent accidere ex marito bilosso, & parum sufferenti ex earum loquacitate trahunt originem.] *Adam enim primus formatus est, deinde Heua*, seu vir fœminam antecellit primæ conditionis dignitate: *& Adam non est seductus, mulier autem seducta in præuaricatione fuit.* Adam non fuit à serpente deceptus, sed illectus ab vxore, diuinum præceptum violauit. Merito ergo ille præest, qui deceptionibus minus est obnoxius. * Haud est aptus regimini, qui ob defectum scientiæ, ac prudentiæ facilè potest à subditis seduci.] *Saluabitur autem per filiorum generationem, si permanserit in fide, & dilectione, & sanctificatione cum sobrietate.* Esto non doceat mulier, non deerit illi pia occupatio: salutem enim assequetur per piam liberorum educationem: si constans simul fuerit in fide, & mariti dilectione, & sobrietate, seu casta illecebrarum temperantia. * Græcè pro *Permanserit* est, *Permanserint*, scilicet *filij*, seu si mater curauerit, vt filij in fide, dilectione Dei, & sanctitate, dum ipsa illorum curam gerit. Quasi salus æterna matris ex bona filiorum educatione pendeat.]

Mulier loquax vult in virum dominari.

Omnia vxoris incōmoda ex marito bilosso, ex loquacitate illius proueniunt.

Non est aptus regimini qui facile à subditis potest seduci.

Salus matris æterna ex bona filiorū educatione pendet.

CAPVT III.

Dotes Episcopi, ad Diaconi recenset Apostolus.

1. FIDELIS sermo: Si quis Episcopatum desiderat, bonum opus
desiderat. 2. Oportet ergo Episcopum irreprehensibilem
esse, vnius vxoris virum, sobrium, prudentem, ornatum,
pudicum, hospitalem, doctorem, 3. non vinolentum,
non percussorem, sed modestum; non litigiosum, non cu-
pidum, sed 4. suæ domui benè præpositum, filios haben-
tem subditos cum omni castitate. 5. Si quis autem domui
suæ præesse nescit, quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit; 6. Non neophy-
tum: ne in superbiam elatus, in iudicium incidat diaboli. 7. Oportet autem il-
lum & testimonium habere bonum ab iis qui foris sunt, vt in opprobrium incidat,&
in laqueum diaboli. 8. Diaconos similiter pudicos, non bilingues, non multo vi-
no deditos,non turpè lucrum sectantes: 9. habentes mysterium fidei in conscien-
tia pura. 10. Et hi autem probentur primùm: & sic ministrent,nullum crimen ha-
bentes. 11. Mulieres similiter pudicas, non detrahentes, sobrias, fideles in omni-
bus. 12. Diaconi sint vnius vxoris viri: qui filiis suis bené præsint, & suis do-
mibus. 13. Qui enim bene ministrauerint, gradum bonum sibi acquirent, &
multam fiduciam in fide, quæ est in Christo Iesu. 14. Hæc tibi scribo, sperans
me ad te venire citò. 15. Si autem tardauero, vt scias quomodo oporteat te in do-
mo Dei conuersari, quæ est Ecclesia Dei viui, columna & firmamentum veritatis.
16. Et manifestè magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in car-
ne,iustificatum est in spiritu,apparuit angelis,prædicatum est Gentibus,creditum est
in mundo,assumptum est in gloria.

COMMENTARII.

1. *Dotes Episcopi recensentur.*

VERS. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. *Fidelis sermo, &c.*] Qui legitime vocatus *Episcopatum desiderat*, bonum opus desiderat, Græce, *graue, arduum:* ac si Hispane dixeris: *Buena carga se echa acuestas.* * Verbum enim illud χαλον pro *bono* ponitur. Ipsa enim muneris Episcopalis bonitas, seu commoditas ardua & grauis est ante quam ad *operis* pondus procedatur. Multa enim dedecent Episcopum, quæ aliis sunt licita.] Quid verò *opus?* Certè onus est etiam Angelicis humeris formidandum, vt Tridentinum inquit. Annon pondus immensum est munus procurandæ salutis tot millium commissarum sibi ouicularum?] Proportione hoc intellige de parochis, & de cunctis curam animarum habentibus. Sexdecim vero conditiones Paulus exigit in Episcopo, decem affirmatiuas, sex negatiuas. *Oportet ergo Episcopum irreprehensibilem esse*, seu nihil admittere in moribus, quod quis subtaxare valeat. Quomodo enim audebit in aliis reprehendere, quod in se reprehensibile ostentat? *Vnius vxoris virum*, seu monogamus absolutè, qui secundas non iniit nuptias, nec successiue plures habuit vxores, sed vnam tantum. In primitiua Ecclesia, eo quod cælibes pauci admodum inuenirentur, qui muneri Episcopali, vel pastorali essent apti: ordinari solebant etiam coniugati, sed nonnisi monogami: & hi post susceptos Ordines vsu prioris coniugis abstinebant. Postmodum tamen Græcis ob incontinentiam fuit indultum, vt vxoribus, si quas ante Ordines susceptos duxissent, etiam post vterentur. Nunquam autem concessum, vt Ordinato liceret vxorem de nouo ducere. *Sobrium, prudentem, ornatum.* Græcè, vigilantem, temperantem, compositum. * Cupit Apostolus Episcopum *ornatum* esse honesto habitu, & talem personam decente. Dedecet enim admodùm sacerdotē vestitu, qui oleat profanitatem, vti.] Alij exponunt: *Ornatum*, seu *moribus compositum*, nempe vt decorem seruet in incessu, sermone, & omni motu. Absque quo ornatu sacerdotes apud populum maxime vilescunt.] Optat præterea Apostolus Episcopum esse *doctorem*, seu instructum doctrina (Græce sic) & aptum ad docendum. * Absque sermone enim Episcopi vita quantum exemplo prodest, tantum silentio nocet. Vndè ait Tridentinum ses. 5. c. 1. *Potissimum Episcopi munus est prædicatio verbi Dei, quod & per se, si possit, obire debet.*] *Non vinolentum, non percussorem*, seu qui manibus non percutiat, nec sæuiat, nec sit asper in subditos, & in domesticos; *sed modestum*, æquum, humanum, mansuetum. *Non litigiosum*, seu à iurgibus alienum: *non cupidum*, seu à pecuniæ cupiditate alienum. *Sed suæ domui bene præpositum*, domesticis necessaria largiendo. * Quod quidem arctè efficiet si pecuniarum sit cupidus. Auarus enim à necessariis detrahit, vt inutiliter arca recondat, quod nulli vnquam proderit.] *Filios*

Ipsa bonitas, seu honor Episcopalis pōdus est grauissimum.

Opus Episcopale difficillimum.

Episcopus sit irreprehensibilis, vt alios liberè valeat reprehendere.

Sacerdotem dedecet vestitu, qui oleat profanitatem, vti.

Sacerdotis ornatū morum compositio.

Munus prædicandi per se obeat Episcopus.

Auaritia in Episcopo reprehenditur.

habentem subditos (si quos habuerit antè quàm Episcopus crearetur) *cum omni castitate*, Græcè, honestate, & grauitate morum. * Si eos, inquam, habuerit ex matrimonio ante quam ad Episcopatum ascenderet. Nutrire enim sacerdotem domi, aut alere filios ex sacrilegio, intolerabilis est impudentia.] *Si quis autem domui præesse nescit, quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit*, seu curam impendet. * Ex exiguæ enim familiæ recto regimine edifcit prudens populum rectè gubernare. Ideò Moses præficiendus Hebræorum populo, prius gregi paruæ quidem familiæ præficitur.] * Vnde si Episcopi familia deuiet ab æquitate, non ineptè coniicies populum iniquitate laborare.] *Non neophytum*, seu recens conuersum, & baptizatum: *ne in superbiam elatus, in iudicium incidat diaboli*, seu ne putans Ecclesiam opera sua indigere, ob superbiam in ius, & potestatem diaboli cadat superborum magistrum, & rectorem. *Oportet autem illum & testimonium habere bonum ab iis, qui foris sunt*, seu vitam eius esse adeò iustam, vt nec subditi fideles, imo nec qui foris sunt Gentiles possint illius carpere mores, quamuis doctrinam, & religionem non approbent. *Vt non in opprobrium incidat, & in laqueum diaboli.* Omnia igitur, quæ de Præsulum dotibus annumerata sunt, in illis requiruntur inesse, ne hominum contumeliis, & probris, & diaboli recidant in laqueos. * Mirum profectò est, quod cordatus adsit vel vnus qui tam difficile munus desideret.] * Vnde duxerim Episcopatum non desiderantibus, non sese ad illum offerentibus dari oportere: sed illud admittere timentibus.]

Sacerdotem domi alere filios ex sacrilegio, intolerabilis est impudentia.

Ex recta familiæ gubernatione edifcit Episcopus populum sibi commissum regere.

Qualis domus Episcopi circa mores ostenditur, talem coniicimus degere populum.

Mirum est quod vir cordatus Præsulatus difficillimum munus desideret, Episcopatus, non est dandus desideranti illum, sed timenti accipere.

2. *Vers. 8.9.10. Diaconos similiter pudicos, &c.*] Diaconos verò velim esse pudicos, Græcè, castos, *graues, modestos, similiter*, siuè vt suo Episcopo assimilentur. * Episcopi enim grauitas, castitas & modestia in omnes Ecclesiæ ministros *similes* mores influit.] *Non bilingues*, Græcè, *duplices in sermone*, in dictis inconstantes, qui hîc affirment, ibi negent. *Non multo vino deditos.* In Ecclesiastico enim viro non solum ebrietas, imo ebrietatis vmbra qualis est multo vino indulgere, infame admodum vitium est.] *Non turpe lucrum sectantes*, seu auare pecunias quærentes. *Habentes mysterium fidei in conscientia pura*, seu simul cum syncera fide sint etiam in moribus irreprehensibiles. * Conscientia enim vitiis infecta nescio quid contra fidei puritatem, & firmitatem indicat.] *Et hi autem probentur primum*, an tanta virtute niteant, vt ad Diaconatum dignè euehi possit: & si comperti post probationem fuerint *nullum crimen habentes sic* ordinati ab Episcopo *ministrent* altari. * Vereor, ne hodie ob Præsulum desidiam examen de promouendorum ad sacros Ordines moribus tam exactè fiat, quàm monet Apostolus.]

Quales debeant esse Diaconi.

Episcoporum sanctitas in omnes Ecclesiæ ministros similes mores influit.

Infame Ecclesiastico vitium, vel vmbra ebrietatis.

Corruptio morum indicat nonnihil contra fidei puritatem

Taxatur Præsulum desidia circa examē de ordinandorum moribus.

3. *Vers. 11.12.13.14.15.16. Mulieres similiter pudicas, &c.*] Iam de Diaconissis Ecclesiæ ministerio addictis agit Apostolus. Oportet hasce fœminas esse *pudicas*, Græcè, graues, seueras, modestas. *Non detrahentes*, Græcè, non *calumniatrices*: * Rarò videris detractionem sine calumnia fieri. Vnde eodem vocabulo vitium signatur vtrumque.] *Sobrias*, Græce, *vigilantes*, *prudentes; fideles in omnibus*, seu veritatem, & iustitiam in omni negotio sibi commisso seruantes. *Diaconi* prætetea *sint vnius vxoris viri.* vide vers. 2. qui filiis *suis bene præsint, & suis domibus. Qui enim bene ministrauerint* in suo Diaconatu gradum bonum sibi acquirent, seu viam sibi ad gradum maiorem, & honoratiorem munient, nempe Presbyterij, aut Episcopatus: *& multam fiduciam in fide, quæ est Christi Iesu*, seu libertatem ingenuè, ac liberè agendi, quam parere solet mens recti conscia. *Hæc tibi scribo, sperans me ad te venire cito:* Si tamen tardauero venire Ephesum accidenti aliquo præpeditus: placuit, te calamo monere, *quomodo oporteat te conuersari*, seu quonammodo te in Præsulatus munere gerere debeas, *in Domo Dei, quæ est Ecclesia Dei viui, columna, & firmamentum veritatis*, Ecclesia enim in doctrina fidei errare non potest. *Et manifestè magnum est pietatis sacramentum*, seu sine controuersia, & vlla dubitatione magnum est pietatis diuinæ mysterium, *Quod manifestatum est in carne*, quam Verbum assumpsit, vt Deus homo nasceretur, inter homines degeret, pateretur & resurgeret. *iustificatum est in spiritu* sancto, seu ab eo confirmatum diuinis testimoniis in Natiuitate, in Baptismo, sed præcipuè, per tot miracula quæ Christus Spiritus sancti virtute excitauit, *apparuit Angelis*, seu visus est ab Angelis in præsepio Deus infans. Deus homo ab Angelis visus fuit, quem antea non viderant: prædicatum est Magis stellæ voce, à te, etiam, & à me, nunc *Gentibus* reseratum: *creditum est in mundo, assumptum est in gloria*; cum scilicet Christus è monte Oliueti ad superos ascendit. * Hoc itaque Incarnationis mysterium *pietatis* appositè appellatur, reserat enim euidenter Dei pietatem erga homines, & nos potentissimè incitat ad pietatem, Dei cultum, & venerationem.]

De Diaconissarum moribus.

Detractio rarò sine calūnia fit

Mysterium Incarnationis & Sacramentum pietatis, nos ad pietatem incitant.

CAPVT IV.

Suborituras hæreses prædicit. Commendat Episcopo, vt sibi, & verbo sacro diligenter intendat.

1. SPIRITVS autem manifestè dicit, quia in nouissimis tempori-
bus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris,
& doctrinis dæmoniorum, 2. In hypocrisi loquentium men-
dacium, & cauteriatam habentium suam conscientiam,
3. Prohibentium nubere, abstinere à cibis, quos Deus crea-
uit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, & iis
qui cognouerunt veritatem. 4. Quia omnis creatura Dei
bona est, & nihil reiiciendum quod cum gratiarum actione percipitur: 5. San-

ctificatur enim per verbum Dei: & orationem. 6. Hæc proponens fratribus, bo-
nus eris minister Christi Iesu, enutritus verbis fidei, & bonæ doctrinæ, quam aſ-
ſecutus es. 7. Ineptas autem, & aniles fabulas deuita: exerce autem teipſum ad
pietatem. 8. Nam corporalis exercitatio, ad modicum vtilis eſt: pietas autem ad
omnia vtilis eſt, promiſſionem habens vitæ, quæ nunc eſt, & futuræ. 9. Fidelis
ſermo, & omni acceptione dignus. 10. In hoc enim laboramus, & maledicimur,
quia ſperamus in Deum viuum, qui eſt Saluator omnium hominum, maximè fide-
lium. 11. Præcipe hæc, & doce. 12. Nemo adoleſcentiam tuam contemnat:
ſed exemplum eſto fidelium, in verbo, in conuerſatione, in charitate, in fide, in
caſtitate. 13. Dum venio, attende lectioni, exhortationi, & doctrinæ. 14. No-
li negligere gratiam, quæ eſt in te, quæ data eſt tibi per Prophetiam cum impoſi-
tione manuum præsbyterij. 15. Hæc meditare, in his eſto: vt profectus tuus ma-
nifeſtus ſit omnibus. 16. Attende tibi, & doctrinæ: inſta in illis. Hoc enim faciens,
& teipſum ſaluum facies, & eos qui te audiunt.

COMMENTARII.

1\. *Suborituras hæreſes prædicit.*

VERS. 1. 2. 3. 4. 5. *Spiritus autem manifeſtè dicit, &c.*] Spiritus ſanctus futurorum præſcius, per me, & per alios *manifeſtè prædicit*, quod *in nouiſſimis*, ſeu in ſubſequentibus *temporibus* quidam è Christianis, abiecta fide, credentes *ſpiritibus ſeductoribus*. (Græcè ſic) & doctrinis dæmoniorum, ſeu opera dæmonum euulgatis ab Eccleſia diſcedent. Qui quidem *in*, ſeu cum hypocriſi loquentur *mendacium* & falſam doctrinam, habentes *conſcientiam ſuam cauteriatam* Syriacè *iniuſtam*, & *notatam* indelebili cauterio grauiſſimorum ſcelerum. * Recole verba illa: *Diſcedent quidam à fide credentes doctrinam dæmoniorum in hypocriſi loquentium mendacium.* Quinam mendacium loquentur? Hæretici homines. Cur ergò non dixit, *Quidam diſcedent à fide loquentes mendacium*; ſed loquentes doctrinam *dæmoniorum loquentium mendacium?* Certè, quia hæretici in dæmones conuertuntur.] Hi prohibēt *nubere*, & iubent *abſtinere* à certis *cibis* quaſi immundis, vti Iudæi: & quaſi per ſe malis, & à malo Deo procreatis, vbi Simoniani, Saturniani, Ebionitę, Marcionitæ, Manichæi, & alij, qui abſtinendum docebant ab omni carne animalium, quaſi omnia anima rationali, vel ſaltem immortali prædita eſſent: & nuptias quaſi à Deo malo, ſeu dæmone inſtitutas prohibere conabantur. Cibos itaque haud ſumendos eſſe dicebant, *quos* Deus creauit, vt eos *cum gratiarum actione* fideles ſumerent, *&* ij, *qui cognouerunt veritatem.* * Preme illud: *Quos Deus creauit, ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus.* Quaſi agnatum ſit cibis, queis fideles reficiuntur, eos edere cum actione gratiarum. Sumere namque cibum ſine gratiarum actione, in fidelium eſt plane, qui non cognouerunt fidei veritatem.] *Quia omnis creatura Dei bona eſt:* & nihil reiiciendum, tanquam per ſe malum quod Deus nobis exhibuit *cum gratiarum actione* abſumendum. *Sanctificatur enim per verbum Dei, & orationem.* Sed eſto ſit aliqua in aliquo cibo immunditia, (quod gratis concedo) ab ea cibus purgatur per verbum Dei, quod eſt oratio, quæ adhibetur, cum cibis, & menſæ benedicimus. * Hinc diſce menſæ non hærere, niſi præcedente benedictione.] *Hæc proponens fratribus, bonus eris minister*, ſeu miniſterium tuum implebis, ſi quæ ab initio Epiſtolæ docui, Christianis ſubditis aperueris. *Christi*, inquam, *Ieſu* probus miniſter oſtenderis *enutritus* verbis fidei, & bonæ doctrinæ, *quam aſſecutus es* aſſiduo diuinarum litterarum ſtudio.

Hæretici ſunt quaſi dæmones.

Cibis, queis reficiuntur fideles agnatum eſt, ab illis cum actione gratiarum comedi.

Menſæ non hærendum, niſi præcedente benedictione.

2\. *Commendat Epiſcopo, vt ſibi, & verbo ſacro attendat.*

Verſ. 7. 8. 9. 10. 11. 12. Ineptas autem, & aniles fabulas deuita, &c.] Deuita obſecro ô Timothee, illas profanas & aniles fabulas, quas Simoniani euulgant de Deo bono, & malo, de rerum creatione, de pugna Angelorum, &c. quæ quidem partim profanæ, & impiæ erant: partim aniles, & ineptæ. *Exerce autem teipſum ad pietatem*, in Dei cultu, & ſyncero erga eum affectu. *Nam corporalis exercitatio ad modicum vtilis eſt; pietas autem, ad omnia vtilis eſt: promiſſionem habens vitæ, quæ nunc eſt, & futuræ.* Luctæ palæſtricæ vel gymnaſticæ, etſi tanti ab hominibus fiant, tamen non niſi ad modicum ſunt vtiles, nempe ad corporalem ſanitatem, vel ad brabium temporale acquirendum. Pietas verò, ſeu Dei cultus vtiliſſimus eſt ad omnia, ſeu ad promouendam animæ ſanitatem, & ad vitæ æternæ brabium promerendum. Ei enim promittitur vita hîc pacifica, longa, & rebus cunctis neceſſariis inſtructa: & in ſuperis æterna felicitas. * Profectò pietatis cultores vel in præſenti feliciter viuunt, dum impij vitam ducunt tot plenam laboribus, vt potius mors vocitari poſſe videatur.] *Fidelis ſermo, & omni acceptione dignus*, verus eſt ſermo, quem profero dignus, qui ab omnibus acceptetur. *In hoc enim laboramus, & maledicimur.* Seu ob pietatem ſectandam, & vt vitam æternam piis promiſſam aſſequamur, magnis laboribus afficimur: & contumeliis, ac probris impetimur, vltroneè quidem & placide; quia *ſperamus in Deum viuum, qui eſt ſaluator omnium hominum, maximè fidelium.*

Iuſti vel hîc vita felici potiuntur.

Verſ. 11. 12. 13. 14. 15. 16. Præcipe hæc, & doce, &c.] Hæc omnia, quæ dixi de ſacramento Incarnationis, de hæreticis vitandis, de ſancta doctrina retinenda, de pietate ad omnia admodum vtili præcipiens doce, ſeu cum auctoritate fidelibus trade. *Nemo adoleſcentiam tuam contemnat.* Iuuenis es ætate, ſed ſtude moribus ſenem exponi, ne quaſi imprudens ſpernaris. * Prudentia enim & probi mores canis ornant adoleſcentiam.] Exemplum te fidelibus exhibe *in verbo, in conuerſatione, in charitate, fide, in caſtitate.* Seu in ſermone graui, quali decet Epiſcopum vti, in viuendi conſuetudine, in fidei

Prudentia, & probi mores canis ornant adoleſcentiam.

fidei constantia, in vitæ totius puritate. *Dum autem venio, attende lectioni.* Sacra enim Scriptura est liber Sacerdotalis (teste Ambrosio) non comœdiarium, aut similium prophetitatum noxia volumina.] * *Dum venio*, ait, attende lectioni. Sacer enim liber supplet viui egregij Doctoris absentiam.] Non vero debes solùm lectioni attendere, sed *exhortationi, & doctrinæ* tradendæ studere. Prius Paulus docet legendum esse, postea prædicandũ. Prædicandi enim munus diligenti studio præcedenti indiget, vt conuenienter exeratur.] *Noli negligere gratiam, quæ est in te, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterij.* Græcè, Haud negligas *donum*, & ordinem Episcopalem, quem accepisti per prophetiam, seu reuelationem, qua Deus iussit, Timotheum in Episcopum eligi (cap. 1. vers. 18.) per impositionem manuum cœtus *presbyterorum.* Maiorum, seu Episcoporum. Episcopus enim ab aliis tribus Episcopis ordinatur, qui quidem ordinando manus imponunt.] *Hæc meditare, in his esto*, seu omne his studium impende: *Vt profectus tuus manifestus sit omnibus*, seu vt quantum profeceris, facile ab omnibus dignoscatur. *Attende tibi, & doctrinæ: insta in illis*: tibi, vt probe viuas: doctrinæ, vt alios rectè instituas: & in his duobus insiste. * Probi enim Præsulis agnata est definitio, sibi, & doctrinæ attendere.]

Sacer liber supplet viui Doctoris absentiam.

Munus prædicandi indiget præcedenti studio.

Præsulis probi definitio est sibi, & doctrinæ attendere.

CAPVT V.

Alia Ecclesiæ rectæ administrationi necessaria monita persequitur.

1. SENIOREM ne increpaueris, sed obsecra vt patrem; iuuenes, vt fratres. 2. anus, vt matres; iuuenculas, vt sorores, in omni castitate. 3. Viduas honora, quæ verè viduæ sunt. 4. Si qua autem vidua filios, aut nepotes habet: discat primùm domum suam regere, & mutuam vicem reddere parentibus: hoc enim acceptum est coram Deo. 5. Quæ autem verè vidua est, & desolata, speret in Deum, & instet obsecrationibus & orationibus nocte ac die. 6. Nam quæ in deliciis est, viuens mortua est. 7. Et hoc præcipe, vt irreprehensibiles sint. 8. Si quis autem suorum, & maximè domesticorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior. 9. Vidua eligatur non minus sexaginta annorum, quæ fuerit vnius viri vxor, 10. in operibus bonis testimonium habens, si filios educauit, si hospitio recepit, si sanctorum pedes lauit, si tribulationem patientibus subministrauit, si omne opus bonum subsecuta est. 11. Adolescentiores autem viduas deuita. Cùm enim luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt: 12. habentes damnationem quia primam fidem irritam fecerunt. 13. simul autem & otiosæ discunt circuire domos: non solùm otiosæ, sed & verbosæ, & curiosæ, loquentes quæ non oportet. 14. Volo ergo iuniores nubere, filios procreare, matres familias esse, nullam occasionem dare aduersario maledicti gratia. 15. Iam enim quædam conuersæ sunt retro satanam. 16. Si quis fidelis habet viduas, subministret illis, & non grauetur Ecclesia: vt iis, quæ verè viduæ sunt, sufficiat. 17. Qui benè præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur: maximè qui laborant in verbo & doctrina. 18. Dicite enim Scriptura: Non alligabis os boui trituranti. Et Dignus est operarius mercede sua. 19. Aduersus presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus. 20. peccantes coram omnibus argue: vt & ceteri timorem habeant. 21. Testor coram Deo & Christo Iesu, & electis angelis, vt hæc custodias sine præiudicio, nihil faciens in alteram partem declinando. 22. Manus citò nemini imposueris, neque communicaueris peccatis alienis. Teipsum castum custodi. 23. Noli adhuc aquam bibere, sed modico vino vtere propter stomachum tuum, & frequentes tuas infirmitates. 24. Quorumdam hominum peccata manifesta sunt, præcedentia ad iudicium: quosdam autem & subsequuntur. 25. Similiter & facta bona manifesta sunt: & quæ aliter se habent, abscondi non possunt.

COMMENTARII.

I. *Alia monita necessaria Ecclesiæ rectæ gubernationi adijcit.*

VERS. 1.2.3.4.5.6.7. *Seniorémne increpaueris, &c.*] Vbi res postulat, quiuis reprehendi ab Episcopo debet. At senex delinquens non acerbè, sed suauiter est corripiendus. * Caniciei enim aliqua vel in reprehensione est comitas impendenda.] Vnde adiicit: *sed obsecra vt patrem*, seu eum ea corripe lenitate, vt potius patrem obsecrare, quam peccatorem increpare videaris. *Iuuenes* verò *vt fratres* reprehende, seu eo affectu, quo frater maior natu fratrem charissimum deuiantem corriperet. *Anus vt matres: iuuenculas vt sorores in omni castitate*, seu pudenter, circumspectè, castè, & purè. * Oportet enim, vt sacer minister, vel cum fœminarũ carpit excessus, ea se gerat grauitate, & puritate vt omni castitate fulgere cunctis appareat.] * Et quidem *omni castitate* nitere debet, qui cum fœminis, vel ad spiritualia eis monita tradendi, conuersatur. Ideo Paulus, *Increpaueris iuuenculas in omni castitate.*] *Viduas honora, quæ verè viduæ sunt*, omni humano solatio destitutas; & quæ liberis, carentes, cunctisque exutæ curis, vni Deo intentæ degunt. *Si qua autem vidua filios, aut nepotes habet, &c.*] Olim apud Christianos vti cœtus virginum, ità erant etiam alij viduarum, ætate & virtute venerabilium, voto continentiæ obstrictarum, simul in religiosa veste commorantium, perpetuoque Dei, & Ecclesiæ seruitio insistentium. Hæ ex fidelium oblationibus, vt & omnes Ecclesiastici, alebantur. Ex hisce autem viduis Diaconissæ eligebantur, quæ cæteris præessent, quæ conuentui mulierum in Templo inuigilarent, imperitas, instruerent, baptizandas iuuarent, &c. Si igitur aliqua vidua petat ad hunc viduarum cœtum admitti, si habeat filios aut nepotes, qui ei alimoniam possint impendere, non prius ad cœtum illum admittatur, quam *discat regere.* Græcè, pie *tractare domum suam*, seu cum filiis, ac nepotibus sic se gerere, vt grata & chara ipsi sit, & illos sic in pietate instruat, vt vicissim ab illis omnia sibi necessaria accipiat. Discat & *reddere parentibus* (si supersint) *mutuam* pietatis *vicem*, eis inseruiendo, & alendo, sicut ipsa ab eis fuit ab infantia alita. * O quam est Deo grata hæc filiorum in parentes reciproca pietas! Quæ quidem specialiter hic filiabus commendatur, quia plus assolent parentibus esse debitrices; & quia ipsæ in illos teneriori flagrant affectu.] *Hoc enim acceptum est coram Deo*, qui iubet, parentes honorari. *Quæ autem vere vidua est, & desolata speret in Deum & instet obsecrationibus & orationibus nocte & die*, siue frequenter. * Oratio enim est omnium laborum medicamen; & Dei gratia fruens, cuncta ab eo potest bona sperare. E contrario vidua, *quæ in deliciis est*, seu quæ delicias sectatur, *viuens mortua est*, secundum spiritum, vtpotè Dei gratia priuata. * Vndè nihil commodi vtilis à Deo auerso, dum in delicto est, potest sperare.] *Et hoc pracipe, vt irreprehensibiles sint.* seu iube, vt viduæ, quæ admittendæ sunt ad viduarum Ecclesiæ sumptu alendarum cœtum non sint è viduis, qui sunt in deliciis, sed eæ, in quibus nihil reprehensibile inuenietur. * Nocibile enim admodum est inter fœminas sanctas vel vnam parum pudicam commorari. Vnde Sanctimoniales caueant ad sacrum cœtum admittere fœminam sæcularem, cuius vitæ probitas non fuerit probata.]

Senes comiter corripiendi.

Sacer minister, vel cum fœminas reprehẽdit, cautè se gerat, castitati prospiciens.

Omni castitate fulgeat oportet, qui cum fœminis, vel spiritualiter conuersatur.

Cura parentum specialiter filiabus commendatur.

Peccator dùm hæret delicto, nihil cõmodi potest vtilis sperare.

Ad sacrum cœtum Monialium non admittantur sæculares fœminæ minus pudicæ.

Vers. 8.9.10.11.12.13.14.15. *Si quis autem suorum, &c.*] Si quis verò *domesticorum suorum curam non habet*, tam eorum animæ quam corporis saluti prouidens: *fidem negauit*, seu negasse videtur si non verbo, opere quidem, cum ipsa fides illud Prophetæ dictet: *Domesticos seminis tui ne despexeris. Isa.* 58. *& est infideli deterior.* Nam Gentilis naturali instinctu & pietate suorum curam gerit. * Quàm graue piaculum sit egenti propinquo, vel domestico non succurrere apertè dignoscitur, dum huiusmodi hominem Paulus asserit fidem abnegasse.] *Vidua eligatur non minus*, seu minor *sexaginta annorum*, ad Diaconissæ ministerium: quæ fuerit vnius viri vxor, seu quæ non plures habuerit maritos, quam vnum; hoc enim pertinet ad castitatis illius commendationem. * Certè quæ primo coniuge obeunte, alteri nubit, non quidem peccat. Sed nescio quid notulæ in hominum æstimatione eius castitas contrahere videatur.] *In operibus bonis testimonium habens*, seu quæ in iustis actionibus sit cum laude versata. *Si filios educauit*, illos ad pietatem instituens: *si hospitio recepit* peregrinos, & pauperes: *si sanctorum pedes lauit*, seu Christianorum peregre venientium: *si tribulationem* inopiæ patientibus vitæ subsidia *subministrauit*: *si omne* denique *opus bonum subsecuta est*, seu se in cuncta pietatis opera se exercuerit. *Adolescentiores autem viduas deuita.* Græcè, *reijce*, à collegio viduarum ab Ecclesia alendarum. *Cum enim luxuriatæ fuerint in Christo*, huiusmodi viduæ, seu sat diúque expensis Ecclesiæ pastæ fuerint in Christo, quasi vitulæ saginatæ recalcitrant. Christi iugum, ac continentiæ professionem excutiunt, & ruptis votorum vinculis, in maximam Christi iniuriam rursus *nubere volunt. Habentes damnationem*, seu reæ criminis, ob quod merito damnentur, quia *primam fidem* Deo per votum (cum in Collegium viduarum admitterentur) datam *irritam fecerunt*, seu violarunt. Votum hoc Ecclesiæ initio non dirimebat matrimonium, sed posterioribus sæculis paulatim inductum ab Ecclesia fuit: ac tandem sub Innocentio II. in Lateranensi Concilio pro tota Ecclesia circa annum Domini 1139. tanquam impedimentum dirimens fuit sancitum. *Simul autem* huiusmodi viduæ *otiosæ discunt circuire domos*; *non solùm otiosa, sed verbosæ*, nugaces, loquaces, curiosæ, rerum alienarum indagatrices, *loquentes*, seu referentes postea aliis, *quæ non oportet: volo ergo iuniores nubere, filios procreare, matresfamilias esse, nullam occasionem dare aduersario maledicti gratia*, seu malo viduas iuniores nubere, quam peccare votum non seruando: & dare occasionem infidelibus, qui Christianorum mores inimico animo obseruant, vt Ecclesiæ maledicant. * Et quidem fœminæ, quæ perfectionis indumentum præ se ferunt, Hispanè *Beatas*, si admodum cautè non viuant, sed verbis minus agnatis professioni vtantur, vel earum non sit grauis, & modestus incessus, ipsam spiritualem viam

Qui egenti propinquo, vel domestico non succurrit, velut hæreticus est.

Viduæ secũdas trahentis nuptias puritas in opinione hominum nonnihil atteritur.

Fœminæ, quas Beatas vocitant, si non modestè incedant, spirituali viæ notam adiiciunt.

viam non leui nota inurunt.] *Iam enim* (heu!) *quædam conuersæ sunt retro satanam*, seu auersæ à Christo, & satanam secutæ post continentiæ votum nubentes.

Vers. 16.17.18.19.20. Si quis fidelis habet viduas, &c.] Si quis verò fidelium filias, aut nepotes viduas habeat, illis necessaria subministret; *& ne grauetur Ecclesia* admittens ad Collegium viduarum eas, quæ vere viduæ non sunt, cum habeant, qui eis succurrere valeat: & *eis quæ vere viduæ sunt* plane desolatæ cum non habeant alibi qui eis vitæ subsidia impertiat, Ecclesiæ eleemosyna non *sufficiat*. * In piarum operum eleemosynis impertiendis, maior inopum necessitas attendatur.] *Qui bene præsunt Presbyteri*, seu presbyteri, qui sedulo ac diligenter docent, confessiones audiunt, aut prædicant Euangelium: *duplici honore digni habeantur*, seu abundanti sustentationis subsidio digni esse à te reputentur: *maximè qui laborant verbo, & doctrina*. Docendi enim, & prædicandi ministerium maximè est loboriosum: ideoque ei debet specialis nonnulla commoditas indulgeri.] *Dicit enim scriptura: Non alligabis os boui trituranti* (Deut. 25.) *Et, Dignus est operarius mercede sua. Aduersus presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus, aut tribus testibus.* * Ne facilè pateant calumniæ, qui in Ecclesiastico gradu sunt constituti, idque in dedecus cedat Ecclesiæ. Non dicit: Non proferatur contra eum sententia. Sed ne quidem vel accusatio admittatur.] *Peccantes coram omnibus*, seu peccatores publicos publicè *argue*. * Occasio enim delinquendi populo datur, si publici delinquentes impuniti diuagentur.] *Vt quidem & cæteri* testes criminis, etiam testes supplicij *timorem habeant*.

In eleemosynis piarum operum distribuendis, maior inopũ necessitas attendatur.

Laboriosum admodũ docendi & Cõcionandi ministeriũ speciali aliqua conmoditate temporali indiget.

Accusatio Sacerdotis sine duobus, aut tribus testibus non admittenda.

Peccatores publici publicè corripiendi.

Vers. 21.22.23.24.25. Testor coram Deo, &c.] Obtestor ô Timothee, te *coram Deo, & Christo Iesu, & electis*, seu beatis *Angelis* qui testes sunt zeli ministerij nostri, *vt hæc custodias sine præiudicio alterius*. Prudentis enim Præsulis est subditos cum Iudex exurgit, ita vnam audire partem, vt alteri locum relinquat, se purgandi, & obiecta diluendi.] Nihil itaque facias *in alteram partem declinando* ex speciali affectu. *Manus cito nemini* imposueris ad sacram ordinationem: *neque communicaueris peccatis alienis*. Nam Præsul, qui indignos promouet, alienorum peccatorum fit particeps, & scandala, quæ accident, ei adscribentur.] *Teipsum castum custodi. Noli adhuc aquam bibere* solam, *sed medico vino* aquæ immixto *vtere* propter stomachi debilitatem, & frequentes tuas infirmitates. Preme illud: *Teipsum castum custodi: vtere modico vino.* Certè qui se castum expetit custodire, debet à vino abstinere: etsi vti vino ob ægritudinem, necessarium sit, modicum vinum esse debet.] *Quorumdam hominum peccata manifesta sunt præcedentia ad iudicium: quosdam autem & subsequuntur.* Quorundam reorum infamiam audies, antequam ad iudicium veniatur; adeò enim manifesta sunt crimina, vt iudicium præcurrant; quædam verò occulta sunt, quæ diligens inquisitio explorat, & tandem deprehendit. *Similiter & facta bona manifesta sunt: & quæ aliter se habent, abscondi non possunt.* Itidem studiosæ actiones quædam sese vltro prodeunt: quæ verò secus habent, abscondi diu minime possunt. Hæc Paulus monet, vt Timotheus in Clericis ad Ordines admittendis diligenter aduertat, ne quid per imprudentiam aut desidiam delinquat. * Habes hinc, peccatum quantumuis occultum *abscondi non posse*. Essentiale enim est ei cito reserari.]

Iudex duas habeat aures ad vnam & alteram partem litigantium.

Episcopus admittẽs indignos ad Ordines, particeps fit peccatorum, quæ illi in ministerio perpetrant.

Ad castitatis custodiã abstinendum à vino.

Peccatum diu abscondi non potest.

CAPVT VI.

Quid serui dominis debeant. Quàm exitialis sit auaritia. Noua dogmata quàm vitanda Apostolus edocet.

1. QVICVMQVE sunt sub iugo serui, dominos suos omni honore
dignos arbitrentur, ne nomen Domini & doctrina blasphe-
metur. 2. Qui autem fideles habent dominos, non con-
temnant, quia fratres sunt: sed magis seruiant, quia fideles
sunt & dilecti, qui beneficij participes sunt. Hæc doce, &
exhortare. 3. Si quis aliter docet & non acquiescit sanis
sermonibus Domini nostri Iesu Christi, & ei, quæ secundùm
pietatem est, doctrinæ: 4. Superbus est, nihil sciens, sed languens circa quæstio-
nes, & pugnas verborum: ex quibus oriuntur inuidiæ, contentiones, blasphemiæ,
suspiciones malæ, 5. Conflictationes hominum mente corruptorum, & qui veri-
tate priuati sunt, existimantium quæstum esse pietatem. 6. Est autem quæstus ma-
gnus, pietas cum sufficientia. 7. Nihil enim intulimus in hunc mundum: haud
dubium quod nec auferre quid possumus. 8. Habentes autem alimenta, & quibus
tegamur, his contenti sumus. 9. Nam qui volunt diuites fieri, incidunt in tenta-
tionem, & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia, & nociua, quæ mergunt
homines in interitum & perditionem. 10. Radix enim omnium malorum est cu-

piditas:

piditas: quamquidam appetentes, errauerunt à fide, & inseruerunt se doloribus
multis. 11. Tu autem, ô homo Dei, hæc fuge: sectare verò iustitiam, pietatem,
fidem, charitatem, patientiam, mansuetudinem. 12. Certa bonum certamen fidei,
apprehende vitam æternam, in qua vocatus es, & confessus bonam confessionem
coram multis testibus. 13. Præcipio tibi coram Deo, qui viuificat omnia, & Chri-
sto Iesu, qui testimonium reddidit sub Pontio Pilato, bonam confessionem: 14. Vt
serues mandatum sine macula, irreprehensibile, vsque in aduentum Domini no-
stri Iesu Christi: 15. Quem suis temporibus ostendet beatus & solus potens, Rex
regum, & Dominus dominantium: 16. Qui solus habet immortalitatem, & lu-
cem inhabitat inaccessibilem: quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest:
cui honor, & imperium sempiternum. Amen. 17. Diuitibus huius sæculi præci-
pe non sublime sapere, neque sperare in incerto diuitiarum, sed in Deo viuo (qui
præstat nobis omnia abundè ad fruendum) 18. Benè agere, diuites fieri in bo-
nis operibus, facile tribuere, communicare, 19. Thesaurizare sibi fundamen-
tum bonum in futurum, vt apprehendant veram vitam. 20. O Timothee, depo-
situm custodi, deuitans profanas vocum nouitates, & oppositiones falsi nominis
scientiæ, 21. Quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt. Gratia tecum.
Amen.

COMMENTARII.

1. *Quid serui dominis debeant.*

VERS. 1.2.3.4.5. *Quicumque sunt sub iugo serui, &c.*] Quicumque autem sunt *sub iugo* seruitutis, *dominos suos*, Gentiles licet, *omni honore dignos esse arbitrentur nè nomen Domini & doctrina Euangelica blasphemetur*, seu male audiat, quasi doceat, seruos debito honore & reuerentia Dominos suos fraudare. *Qui autem fideles habent dominos, non contemnat*, seu de reuerentia, & obsequio debito remittat, *quia fratres*, seu Christiani *sunt: sed magis seruiant* illis hoc nomine. Quia cum sint Christiani, digniores sunt, vt eis impensius, & humilius seruiatur. * Præcelsa enim est dignitas Christianum esse.] Impensius itaquè seruire debent dominis his, quia *fideles & dilecti* à Deo *sunt*, & *beneficij* redemptionis per Christum *participes. Hæc doce, & exhortare.* * Annota illud: Nòn *contemnant* serui dominos Christianos, *quia fratres sunt.* Fratresne sunt domini seruorum suorum? Ita quidem; quia & Dominus & seruus fidelis communem parentem Deum habent. Vnde dominus Christianus Christianum mancipium debet loco fratris habere.] *Si quis aliter docet, & non acquiescit sanis* hisce *sermonibus Domini nostri Iesu Christi, & ei, quæ secundum pietatem est, doctrinæ: superbus est*, tumet typho vanæ scientiæ, *nihil* equidem *sciens, sed languens circa quæstiones, & pugnas verborum*. Græcè, *ægrotans*, imò delirans circa quæstiones de verbis, & vanis vocibus: *ex quibus oriuntur inuidiæ, contentiones, blasphemiæ*, seu conuitia, & maledicta in repugnantes, & contrariæ sententiæ adhærentes *suspiciones malæ*; nam hi facta & dicta aduersariorum diligenter explorant, & nunquam non mali aliquid sibi ab illis suspicantur moliri: *conflictationes*, Græcè, prauæ exercitationes *hominum mente corruptorum & qui veritate priuati sunt*, seu in pœnam hæresis excæcati adeo, vt veritatis lucem intueri non valeant: *existimantium* vtique *quæstum esse pietatem*, seu Christiana Religione ita abutentium ad quæstum, ac si ad hoc esset instituta. * Iniquum est admodum Deo abuti ad quæstum temporalem pietate.]

Præcelsa est dignitas Christianum esse.

Domini Christiani Christianum mancipium debent loco fratris habere.

Iniquum Deo abuti ad quæstum pietate.

2. *Quam exitiale vitium sit auaritia.*

Vers. 6.7.8.9.10. *Est autem quæstus magnus, &c.*] Profectò illud ipsum sectari pietatem est quæstus magnus; quia multò plus valet, quam quid ab homine auaro desiderari potest. Est inquam quæstus magnus pietas *cum sufficientia*, seu (ex Græco) cum *animo sua sorte contento*, cui sua sufficiunt etsi pauca, nec plus cupit, quam habet. * Qui igitur pietatem sectatur, licet sit inops, semper diues est, nec amplius habere appetit: auarus autem etsi sit diues, semper est pauper, quia plus appetit habere, ac si quæ habet ei non sufficiant.] *Nihil enim intulimus in hunc mundum: haud dubium, quod neque auferre*, seu efferre è mundo *quid possumus. Habentes autem alimenta, & quibus tegamur, his contenti sumus.* * Particula, *Et quibus tegamur*, vestium damnat profanitatem. Vestimentum enim non debet esse vanitatis ornatus, sed corporeæ nuditatis tegumen.] *Nam qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem auaritiæ*, & rapacitatis, vnde *in laqueum diaboli*, vltro se immittunt: *& in desideria multa inutilia, & nociua, quæ demergunt homines in interitum, & perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas.* * Auarus enim omnia violat legis præscripta, vt pecunias accumulet. Vnde Ecclesiasticus cap. 10. dixit, *Auaro nihil est scelestius.*] Non dixit, Nullus est auaro scelestior, sed, Nihil est scelestius auaro, vt comparatio fiat non solùm cum hominibus, vel dæmoniis sceleratis, sed cum omnibus rebus, vbi prauitas posse inesse videatur. *Quàm* cupiditatem *quidam appetentes*, seu cui indulgentes cupiditati, *errauerunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis.* * Nam auari qui per fas, aut nefas præsentia bona quærunt futura contemnunt: eoque deueniunt, vt non existiment alia superesse bona in alia vita, vnde fidem contemnunt.] * Doloribus item multis se implicant auari. Amor enim pecuniæ, spinæ instar, mentem lacerat.]

Pauper pietatis cultor, semper est diues, quia paucis contentus.

Vestimentum non sit vanitatis ornatus, sed nuditatis tegumen.

Auaro nihil scelestius.

Auaritia suos cultores facit à fide excidere.

Amor pecuniæ spinæ instar mentem lacerans.

* Aptius

Peccatum dolor est. * Aptius per dolores peccata intelligo, quæ auaritiam comitantur: vt sit Hebraismus. Nam Hebræi peccatum dolorem vocitant, Psal. 7. 15. *Concepit dolorem, & peperit iniquitatem.*]

Vers. 11.12.13.14.15.16. *Tu autem homo Dei, &c.*] Tu verò ô Timothee, Dei seruitio addicte, *hac fuge*, nempe auaritiam, & peccata, quæ ex praua radice illa prorumpunt: *sectare* autem *iustitiam, pietatem*, qua Deus ex animo, & pura intentione colitur: *fidem* cælestia bona promittentem, *charitatem* non quærentem quæ sua sunt, sed quæ proximi: *patientiam* in aduersis: *mansuetudinem*, seu animi tranquilitatem, qua aduersus tibi iniuriam inferentes minimè commoueare. *Certa bonum certamen fidei*, seu esto strenuus athleta & pro fide tutanda, & amplificanda fortiter dimica: *apprehende vitam æternam*, tanquam palmam victoriæ. Quasi vita æterna apprehendenda vi adhibita, sit. Hoc enim Regnum non aduenit quasi vltroneè & gratis: sed exantlatis certaminibus est apprehendendum.] *In qua*, seu ad quam æternam vitam *vocatus es* à Domino, *& confessus bonam confessionem coram multis testibus*, quandò in Gentilium persecutione Ephesi excitata, Christianum te, & fidei defensorem fuisti professus. *Præcipio tibi coram Deo*, seu in Dei præsentia, (quem testem adhibeo, me tibi hæc præcepisse) qui quidem Deus *viuificat omnia: &* coram, seu in præsentia *Christi Iesu, qui testimonium reddidit sub Pontio Pilato bonam confessionem*, seu qui confessionis bonæ, seu egregiæ, quam docuerat, testatam fecit sub Iudæorum Præside iniquo martyrio veritatem consignans: præcipio, inquam tibi, *vt hoc mandatum*, seu præceptum meum *serues sine macula*, seu sinè vel leui eius violatione, *irreprehensibile*, seu ita, vt in eius obseruatione nil adsit, quod ab vllo possit reprehendi, *vsque in aduentum Domini nostri Iesu Christi*, seu vsque ad exitum ex mortali corpore. Tunc enim vnicuique dies aduentus Domini veniet, cum venerit ei dies vt hinc exeat; illo namque die est iudicandus. *Quem* aduentum *suis temporibus ostendet*, seu exhibebit, beatus & *solus potens, Rex Regum, & Dominus dominantium, qui solus habet immortalitatem, & lucem inhabitat inaccessibilem.* Id est, ex se & per essentiam suam solus est immortalis: nam intellectuales creaturæ Angeli scilicet, & animæ rationales non à se, sed à Deo habent, quod immortales sint. Lux verò inaccessibilis, quam Deus inhabitat, est ipse splendor, & gloria maiestatis diuinæ, increata, immensa, inenarrabilis. *Quem nullus hominum vidit*, oculis corporeis, *Sed nec videre potest* oculis mentis per se, & ex naturæ suæ viribus. *Cui honor, & imperium sempiternum*, seu cuius Regnum, & potentia non est breui periodo circumscripta, sed in omnem æternitatem extenditur. *Amen.*

Regnum cælorum vi adhibita, est apprehendendum.

3. *Vers.* 17.18.19.20.21. *Diuitibus huius sæculi, &c.*] Huius sæculi diuitibus *præcipe, non sublime sapere*, seu sublimi esse animo, ac superbè de scientia gloriari. * Supponit Apostolus debere viros diuites, equites, nobiles scientiæ acquirendæ studium adiicere. Diues enim sine scientia non est homo diues, sed saccus auro, & argento plenus.] *Nec sperare in incerto diuitiarum.* * Nihil enim magis incertum, quam quod fortunæ rota voluitur.] *Sed in Deo viuo (qui præstat nobis omnia abundè ad fruendum)* seu qui in diuitum & pauperum vsum omnes condidit creaturas, sperandum solummodo est in Deo viuo inpensè curantes *bene agere*, diuites fieri in bonis operibus, vt ingentem thesaurum meritorum accumulent: *facile tribuere indigentibus: communicare*, cum aliis diuitias suas, velint sibi eas solummodo retinere: *thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum*, pietatis scilicet opera. Has enim opes velut fundamentum solidum opponit Apostolus incerto diuitiarum huius sæculi. Hoc fundamento nixi *vitam veram* apprehendent. *O Timothee depositum custodi* doctrinæ, quam tibi tradidi proferendam, *deuitans profanas vocum nouitates*, te abstrahens diligenter à nouis vocabulis, & nouis falsis dogmatibus, quæ Simononianorum schola inuehit: *& oppositiones falsi nominis scientiæ*, seu scientiæ, quæ quidem falsò scientia nominatur. *Quam* scientiam *quidam promittentes*, seu profitentes, *circa fidem exciderunt*. Græcè, *ab scopo aberrarunt*, seu ab integritate & synceritate fidei. *Gratia tecum. Amen.* Dei omnium bonorum fontis gratiam more suo in fine Epistolæ precatur. Et quidem gratia ipsa omnium bonorum est colligatio.

Nona dogmata vitanda

Oportet, viros equites, vel diuites studio litterarum addici.

Diuitiarum incertitudo.

EPISTOLA
BEATI PAVLI APOSTOLI
AD TIMOTHEVM SECVNDA.

CVm Paulus Romæ in ſecundis vinculis ageret, & ſeſe ad martyrium appararet, quod vnà cum D. Petro ſubiit anno à Dominica morte trigeſimo ſeptimo, Imperij Neronis decimoquarto; ſcripſit Epiſtolam hanc ad Timotheum ſecundam, vitæ verò Apoſtoli vltimam.

CAPVT I.

Monet Timotheum, vt Euangelium intrepidè euulget.

1. PAVLVS Apoſtolus Ieſu Chriſti per voluntatem Dei, ſe-
cundùm promiſſionem vitæ, quæ eſt in Chriſto Ieſu:
2. Timotheo charißimo filio, gratia, miſericordia, pax
à Deo Patre, & Chriſto Ieſu Domino noſtro. 3. Gra-
tias ago Deo, cui ſeruio à progenitoribus in conſcientia pu-
ra, quòd ſine intermiſſione habeam tui memoriam in ora-
tionibus meis, nocte ac die. 4. deſiderans te videre, me-
mor lacrymarum tuarum, vt gaudio implear, 5. recordationem accipiens eius
fidei, quæ eſt in te non ficta, quæ & habitauit primùm in auia tua Loide, & ma-
tre tua Eunice, certus ſum autem quòd & in te. 6. Propter quam cauſam ad-
moneo te, vt reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te per impoſitionem manuum
mearum, 7. Non enim dedit nobis Deus ſpiritum timoris; ſed virtutis, & dilectio-
nis, & ſobrietatis, 8. Noli itaque erubeſcere teſtimonium Domini noſtri, ne-
que me vinctum eius: ſed collabora Euangelio ſecundùm virtutem Dei: 9. qui
nos liberauit, & vocauit vocatione ſua ſancta, non ſecundùm opera noſtra, ſed
ſecundùm propoſitum ſuum, & gratiam, quæ data eſt nobis in Chriſto Ieſu an-
te tempora ſæcularia. 10. Manifeſtata eſt autem nunc per illuminationem Salua-
toris noſtri Ieſu Chriſti, qui deſtruxit quidem mortem, illuminauit autem vitam
& incorruptionem per Euangelium: 11. in quo poſitus ſum ego prædicator, &
Apoſtolus, & magiſter gentium. 12. Ob quam cauſam etiam hæc patior, ſed
non confundor. Scio enim cui credidi, & certus ſum quia potens eſt depoſitum
meum ſeruare in illum diem. 13. Formam habe ſanorum verborum, quæ à me
audiſti in fide & in dilectione in Chriſto Ieſu. 14. Bonum depoſitum cuſtodi per
Spiritum ſanctum, qui habitat in nobis. 15. Scis hoc, quod auerſi ſunt à me om-
nes, qui in Aſia ſunt, ex quibus eſt Phigellus, & Hermogenes. 16. Det miſericor-
diam Dominus Oneſiphori domui: quia ſæpè me refrigerauit, & catenam meam
non erubuit: 17. ſed cùm Romam veniſſet, ſollicitè me quæſiuit, & inuenit. 18. Det
illi Dominus inuenire miſericordiam à Domino in illa die. Et quanta Epheſi mini-
ſtrauit mihi, tu melius noſti.

COMMENTARII.

Monet, Timotheum, vt intrepidè Euangelium diuulget.

1. VERS. 1. 2. 3. 4 5. *Paulus Apostolus Iesu Christi, &c.*] Paulus non meo merito, sed electione & voluntate Dei Iesu Christi *Apostolus, secundum promissionem vitæ, quæ est in Christo Iesu:* Apostolus inquam à Deo missus ad prædicandam vitam æternam, quam Christus inter homines degens, eis promisit: *Timotheo charissimo filio gratia, misericordia, pax à Deo Patre, & Christo Iesu Domino nostro. Gratias ago Deo, cui seruio à progenitoribus*, seu postquã à magistris parentibus didici Deo seruire: vel cui seruio vti mei progenitores illi etiam seruiere. Nec enim à progenitorum decidi pietate. * Laus magna est viri fidelis parentum pietatis ac religionis fuisse semper æmulatorem.] Seruio autem ei *in conscientia pura*, mihi enim conscius sum, me Deum alium non colere, aut coluisse, quam vnum Deum patrum meorum: & me ei seruire moribus à scelere puris. Item Deo gratias simul refero, *quod sine intermissione habeam tui memoriam in orationibus meis nocte ac die*, seu vt quoties preces fundo, toties tui meminerim.

Laus magna est viri fidelis, à parentum pietate non decidisse.

* Pro salute enim corporali ac spirituali amici continuo orare, veræ est amicitiæ indicamentum.] Gratias autem Deo agit, quod pro amico exoret, quasi id magnum sit beneficium à Domino acceptum, nempe fideli amico ingratum esse. Abominabile enim vitium est ingratitudo. Igitur hominem non esse benefactori ingratum, magnum Dei beneficium est, pro quo gratiarum actio debeat exhiberi.] *Desiderans te videre, memor lacrymarum tuarum*, quas in discessu meo profudisti: *vt gaudio implear*, dulci conspectu tuo, *recordationem accipiens*, seu memor *eius fidei, quæ est in te non ficta*, sed syncera. *Quæ & habitauit primùm in auia tua Loide.* Auiam intelligo maternam; patre enim Gentili natus erat Timotheus: *& in matre tua Eunice*, quæ Christiana fuit; nam Act. 16. *fidelis*, vocatur. *Certus sum autem, quod & in te* ea fides non ficta etiam inhabitet.

Pro amico orare, vera amicitia est.

Benefactori non esse ingratum, magnum Dei est beneficium, pro quo debet gratias reddere.

Vers. 6. 7. 8. 9. 10. 11. Propter quam causam admoneo te, &c.] Propter quam causam admoneo te, *vt resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum.* Ex Græco sic: Moneo, vt suscites ignem cineribus conditum ac sopitum noui spiritus flato: gratiam scilicet, quam per sacramentum Ordinis accepisti, quæ iuuat ad munia ritè obeunda ad ordinem illum pertinentia, nempè ad strenue euangelizandum, ad fidem promouendam, &c. * Etiam sancti indigent aliquando spiritus ignem nouo flatu excitare.] * Vnde commendo morem societatis Iesu, quæ annis singulis per octo vel decem dies spiritualibus exercitiis studium impendit.] *Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris: sed virtutis, & dilectionis*, seu Deus nobis in sacramento Ordinis non contulit spiritum timiditatis, & ignauiæ, qualis est eorum, qui animo sunt pauido, & imbecilli: sed spiritum fortitudinis & roboris, vt feruenter vel in persecutione ipsa, & carcere Christum prædicemus: addens spiritum *dilectionis*, quo proximis iuuandis incumbimus: *& sobrietatis*, Græcè *moderationis*, cuius est facere, vt omnia tam prospera, quam aduersa constanter & moderatè feramus: vtque omnia tam quæ in nobis, quam quæ in aliis nimia sunt & immodica, temperemus. *Noli itaque erubescere testimonium Domini nostri*, seu doctrinam, quam Christus docuit, tradere: & crucem, ac vincula Christi, quibus suam doctrinam confirmauit, subire erubescas: *neque me vinctum eius*, seu neque me Magistrum tuum esse te pudeat, dũ vinculis obstringor: sed *collabora Euangelio*, Græcè, *compatere* & coaffligere Euangelio, id est, particeps esto persecutionum quas Euangelium patitur. * Agnata enim est veritati Impiorum persecutio.] Compatere inquam Euangelio, *secundum virtutem Dei*, seu potentiam, id est, spem locans in auxilio Dei, qui te ad hoc certamen aduocauit. * Nunquam enim non protegit Deus eos, qui ad sacrum ministerium non se ingerunt ambitiosi, sed ab eo vocati illi studium impendunt.] *Qui quidem Deus nos liberauit* à peccato, & æterna morte, *& vocauit vocatione sua sancta, non secundum opera*, seu merita nostra: *sed secundum propositum suum, & gratiam, quæ data est nobis in Christo Iesu ante tempora secularia*, seu secundum liberale suum placitum, & misericordiam nobis ad effectus suos per merita Christi datam antequam esset tempus & secula, nempe ab æterno. *Manifesta est autem nunc* gratia & misericordia illa ab æterno nobis decreta, sed in Deo largitori abscondita, *per illuminationem*, Græcè, *per* apparitionem seu aduentum *Domini nostri Iesu Christi*, qui destruxit quidem *mortem* sua passione, & morte: *illuminauit autem vitam, & incorruptionem per Euangelium*, seu vitam incorruptibilem, & immortalem produxit in lucem per Euangelium, quod prædicari voluit. *In quo* seu ad quod ministerium *positus sum ego prædicator, & Apostolus, & Magister Gentium*, seu ad docendum Gentiles sum à Domino constitutus.

Etiam sancti indigent spiritus ignẽ nouo exercitiorum spiritualium flatu suscitare.

Id agunt annis singulis Iesuitæ.

Agnata est veritati impiorum persecutio.

Deus protegit eos, quos ad sacrum ministerium eligit.

Vers. 12. 13. 14. 15. 16. 17, 18. Ob quam causam, &c.] Et ministerium meum prædicandi Euangelium impleo, *etiam vincula hæc patior: sed non confundor*, seu me non pudet vel officij mei, vel vinculorum. *Scio enim, cui credidi*, seu commisi depositum meum seruandum: *& certus sum, quia potens est depositum meum seruare in illum diem*, seu in die iudicij mihi reddendum. Intelligit laborum thesaurum, quem à se collectum Paulus patiens, & moriens apud Deum quasi deposuit, in illo die magno sibi reddẽdum. * In die iudicij præmia redduntur, non labores. Cur ergò Paulus dicit sibi in illo die reddendos esse labores, & non gloriam quæ laborum futurum est præmium? An quia Apostolus iudicabat illud ipsum pro Christo pati, gloria esse: ideóque laborum depositum sibi reddi optaret, vt æterna gloria frueretur, æternùm pro Christo laboribus exactus? Hac quidem exaggeratione Paulus nos edocet, quanti æstimari debeat à nobis aliquid incommodi pro Christo sustinere.] *Formam habe sanorum verborum, quæ à me audisti in fide & in dilectione in Christo Iesu.* Græcè, *Viuum exemplar* præ oculis habe sanæ doctrinæ, quam te docui, circa fidem, & Christianam charitatem. *Bonum depositum custodi per Spiritum sanctum, qui habitat in nobis.*

Tam gloriosum est, pro Christo pati, vt pati æternum pro eo quodammodò esset gloria æterna potiri.

Depoſui in te hanc ſanam doctrinam id cuſtodi theſaurum Spiritus ſāncti, qui moratur in nobis, virtute. Nec enim tuarum virium erit, eum perfecte cuſtodire. *Scis hoc, quod auerſi ſunt à me.* Græcè, *aduerſati ſunt*, ſeu me reiecerunt *omnes, qui in Aſia ſunt: ex quibus eſt Phigellus, & Hermogenes.* Quinam hi fuerint non mihi conſtat. Sciens tamen nonnulla non admodum certa a Iuſtiniano hîc de his annotari. *Det miſericordiam Dominus Oneſiphori domui*, ſeu ſit Dominus in familiam Oneſiphori miſericors; *quia ſæpe me refrigerauit*, ſeu recreauit in meis afflictionibus: *& catenam meam non erubuit* ſeu illum non puduit vinculorum meorum: nec periculum, nec infamiam metuit, vt me iuuaret. *Sed cum Romam veniſſet, ſolicitè me quæſiuit, & inuenit,* * Perfectæ charitati non ſatis eſſe videtur recipere pauperes, & afflictos ad ſe venientes: ſed ipſa illos quærit, donec inueniat.] *Det illi*, qui diligenti inquiſitione facta, me inuenit, *Dominus inuenire miſericordiam à Domino in illa die*, quam riment impij, iuſti expectant. * Qui igitur pauperem à ſe quæſitum inuenit, ſimul Dei miſericordiam inueniet.] *Et quanta Epheſi miniſtrauit mihi*, ſeu quam multa officia ab eo Epheſi accepi, *tu melius* aliis noſti.

Perfecta charitas non ſolum recipit ad ſe venientes pauperes, ſed ipſa eos quærit.

Qui quæſitū à ſe pauperē inuenit, ſimul Dei miſericordiā inueniet.

CAPVT II.

Timotheum ad conſtantiam in euangelizando, & ad hæreticorum fugam Paulus hortatur.

1. TV ergo, fili mi, confortare in gratia, quæ eſt in Chriſto Ieſu:
& quæ audiſti à me per multos teſtes, hæc commenda fideli-
bus hominibus, qui idonei erunt & alios docere. 3. Labo-
ra ſicut bonus miles Chriſti Ieſu. 4. Nemo militans Deo
implicat ſe negotiis ſæcularibus: vt ei placeat, cui ſe proba-
uit. 5. Nam & qui certat in agone, non coronatur niſi le-
gitimè certauerit. 6. Laborantem agricolam oportet pri-
mùm de fructibus percipere. 7. Intellige quæ dico: dabit enim tibi Dominus in
omnibus intellectum. 8. Memor eſto Dominum IESVM CHRISTVM reſurrexiſſe
à mortuis ex ſemine Dauid, ſecundùm Euangelium meum. 9. in quo laboro vſque
ad vincula, quaſi male operans: ſed verbum Dei non eſt alligatum. 10. Ideò om-
nia ſuſtineo propter electos, vt & ipſi ſalutem conſequantur, quæ eſt in Chriſto Ie-
ſu, cum gloria cæleſti. 11. Fidelis ſermo: Nam ſi commortui ſumus, & conui-
uemus: 12. Si ſuſtinebimus, & conregnabimus: Si negauerimus, & ille negabit
nos: 13. Si non credimus, ille fidelis permanet, negare ſeipſum non po-
teſt: 14. Hæc commone, teſtificans coram Domino. Noli contende-
re verbis: ad nihil enim vtile eſt, niſi ad ſubuerſionem audientium. 15. So-
licite cura teipſum probabilem exhibere Deo, operarium inconfuſibilem,
recte tractantem verbum veritatis. 16. Profana autem, & vaniloquia de-
uita: multum enim proficiunt ad impietatem: 17. & ſermo eorum vt cancer ſer-
pit: ex quibus eſt Hymenæus, & Philetus, 18. Qui à veritate exciderunt, di-
centes reſurrectionem eſſe iam factam, & ſubuerterunt quorumdam fidem. 19. Sed
firmum fundamentum Dei ſtat habens ſignaculum hoc: cognouit Dominus qui
ſunt eius; & diſcedat ab iniquitate, omnis qui nominat nomen Domini. 20. In
magna autem domo non ſolùm ſunt vaſa aurea, & argentea, ſed & lignea, & fictilia:
& quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam. 21. Si quis
ergo emundauerit ſe ab iſtis, erit vas in honorem ſanctificatum, & vtile Domino,
ad omne opus bonum paratum. 22. Iuuenilia autem deſideria fuge, ſectare verò
iuſtitiam, fidem, ſpem charitatem, & pacem cum iis qui inuocant Dominum de corde
puro. 23. Stultas autem, & ſine diſciplina quæſtiones deuita: ſciens quia gene-
rant lites. 24. Seruum autem Domini non oportet litigare: ſed manſuetum eſſe
ad omnes, docibilem, patientem, 25. Cum modeſtia corripientem eos, qui reſi-
ſtunt veritati, nequando Deus det illis pœnitentiam ad cognoſcendam veritatem,
26. & reſipiſcant à diaboli laqueis, à quo captiui tenentur ad ipſius volun-
tatem.

COMMENTARII.

1.

Hortatur ad constantiam in euang.lizando.

VERS. 1.2.3.4.5.6. *Tu ergo fili mi, &c.*] Cape igitur, ô Timothee fili mi charissime, fortitudinem, per gratiam *Christi*, vt fortiter in fide, per istas, & vtiliter præco sis Euangelij: *& quæ audisti à me* coram, aliis multis simul audientibus, *hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt, alios docere*, nempe presbyteris Ecclesiæ tuæ. * Opus planè misericordiæ Deo acceptum est, sæculares ignorantes instruere: sed docere eos, qui munus sacerdotale gerunt, eosque aptos reddere, vt alios valeant instruere, egregium omninò est misericordiæ opus magis cælesti Numini acceptabile. *Labora sicut bonus miles Christi Iesu*, seu mala perfer, dura tolera militum instar. * Militiæ enim non solum spirituali, sed & temporali agnata est sustinentia laborum.] *Nemo militans Deo implicat se negotijs sæcularibus*, seu mundanis, quæ impediant, quominus ei militet: *vt* totus illi vacet, & *placeat, cui se* militem probauit, & addixit. *Nam & qui certat in agone, non coronatur, nisi legitimè certauerit* iuxta præscriptas agonis leges. *Laborantem agricolam oportet primum de fructibus percipere.* Quemadmodum agricolæ ad laborem excitantur spe fructuum, quos ipsi omnium primi percipiunt: ita te ô Timothee, Dominici agri cultorem ad laborem debet excitare fructus magnitudo, quem tibi apud Deum recondis illum in cælo percepturus. * Pro comperto supponit Paulus oportere, vt laborans agricola *primùm*, seu primus *de fructibus percipere*: vt ad laborem alliciatur. O tempora plena calamitate, quando miseri agricolæ non solùm primi, verùm nec vltimi suorum laborum fructum percipiunt, sed totus cedit tributo, & exactioni. Quomodo ergo excitabitur ad laborem, cuius fructu non ipsi, sed alij sunt fruituri?] *Intellige, quæ dico: dabit enim tibi Dominus intellectum.* Proposui tibi tres similitudines, militis, athletæ, agricolæ: non est necesse, vt eas tibi explicem, Deus tibi intelligentiam illarum obiiciet.

Docere Sacerdotes, vt ipsi valeant alios docere, egregium opus misericordiæ est.

Militiæ spirituali, & temporali agnata est laborũ sustinentia.

Oportet, vt agricola primùm sui laboris fructũ percipiat, sed his temporibus ob tributa & exactiones nũquam percipit.

Vers. 8.9.10.11.12.13.14. *Memor esto, &c.*] Ad memoriam affer, *Dominum nostrum Iesum Christum* qui *ex semine Dauid* natus est homo post mortem crucis, *resurrexisse à mortuis, secundum Euangelium meum*, seu iuxta Euangelij veritatem, quam prædico: *in quo laboro vsque ad vincula. quasi male operans*, seu quasi esse è malefactoribus, & scelestis vnus: *sed verbum Dei non est alligatum*, seu licet ego vinculis constringar, non tamen ideò euangelizare desino voce, & Epistolis. *Ideò omnia sustineo propter electos, vt & ipsi salutem consequantur*, propter eos scilicet electos, qui adhuc ad ouile Christi sunt nostris laboribus adducendi in salutem, *quæ est in Christo Iesu*, seu per Christum obtinetur; *cum gloria cælesti*: quæ videlicet salus non est qualiscumque, sed gloriam cælestem habet adiunctam. *Fidelis sermo: Nam si commortui sumus, & conuiuemus.* Vera est hæc propositio: si hîc pro Christo, & cum Christo patimur, & morimur: simul etiam cum Christo resurgemus, & viuemus in Regno cælesti: *si* autem Christum, ac eius fidem tyrannorum metu *negauerimus*, & *ille* Christus *negauit nos* se nosse, & à suo Regno vt ignotos excludet. *Si non credimus, ille fidelis permanet, negare seipsum non potest.* Quod et si forte non credimus, aut nobis persuadere non possumus, id esse futurum, nihilominus tamen fiet infallibiliter; incredulitas enim nostra Dei fidelitatem inhibere non potest. *Hæc commone, testificans coram Dómino.* De iis, quæ iam dixi fideles tibi commissos frequenter commone protestans coram Domino, & per eum eos adiurans. * Oportet quidem fideles frequenter admonere circa præmia virtutibus apparata, & supplicia vitiorum. Ideò Apostolus hæc commoneri eis imperauit.] *Noli contendere verbis*, vt multi faciunt ex pertinacia, vel superbia, vt plus aliis scire videantur: *ad nihil enim id vtile est, nisi ad subuersionem audientium*, seu ad auditores trahendum in errores. * Veritas enim non elucescit, sed obscuratur, dum quilibet contendentium auditores in suam sententiam, etiam si falsa sit, adducere conatur.]

Agãt Cõcionatores frequenter de præmio virtutum & vitiorũ supplicio.

Verborũ cõtentiones nõ semper prosunt ad veritatis manifestationem.

2.

Hæreticorũ inhibet societatem.

Vers. 15.16.17.18.19.20.21. *Solicite cura, &c.*] Omni solicitudine procura, *teipsum probabilem*, seu probum (sic Græcè) *exhibere Deo*, seu vt Deus te, ac tua gesta probet; *operarium inconfusibilem*, qui non erubescas, sed liberè crucem Domini prædices: *rectè tractantem verbum veritatis.* Græcè, Rectè *secantem* doctrinam. Metaphora sumitur à nutricibus cibos in particulas secantes, vt commodius eas paruuli, quos alunt, deglutiant. * Hasce spiritualis nutritius debet imitari, cum paruulos, seu ignorantes instruit.] *Profana autem, & vaniloquia*, seu vaniloquentiam, & clamosam loquacitatem inanem omninò *deuita: multum enim proficiunt ad impietatem.* * Existimo, Apostolum taxare hîc non solùm hæreticos, qui errores docent, sed et Concionatores, qui fabulis, vel profanis historiis vtuntur minus modestis, quorum obiectu auditores magis ad risum, & forte ad minus honesta desideria, quàm ad pietatem excitantur. *Et* quidem *sermo eorum*, qui profana vaniloquia edocent, *vt cancer serpit*, cuius morbi est proprium proximas carnes exedere, & quod sanum est, corripere. *Ex quibus est Hymenæus, & Philetus.* (Quorum hæresis statim subditur.) *qui à veritate exciderunt dicentes, resurrectionem esse iam factam: & subuertunt quorundam fidem.* Docebant hi resurrectionem factam in Christo resurgente, fideles autem non resurrecturos corporibus receptis, sed tantum spiritualiter per Baptismum, quoad nouam vitam renascuntur. *Sed firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc. Cognouit Dominus, qui sunt eius: & Discedat ab iniquitate omnis, qui nominat nomen Domini.* Hoc fundamentum firmum est Dei consilium, & prædestinatio, & ipsa prædestinatorum collectio; quod decretum bina habet signacula: prius est præscientia Dei, posterius fuga peccati. Ac si diceret Paulus: Deus hoc suum prædestinationis decretum, imo ipsos prædestinatos duobus sigillis communiuit. Alterum est, *Cognouit Dominus, qui sunt eius*, seu qui ad æternam gloriam possidendam ex eius electione pertineant. Alterum est. *Discedat ab iniquitate* fidelis, qui se Dei seruum nominat. * A peccato enim abhorrere, & illius occasiones declinare magnum est prædestina-

Nutrix spiritualis eũ ignorãtes alit, diuidat doctrinam in particulas.

In concionibus à fabularum narrationibus abstineatur.

Prædestinationis magnum est signum, à peccato abhorrere.

 tionis

tionis indicamentum.] *In magna autem domo non solum sunt vasa aurea, & argentea: sed & lignea, & fictilia: & quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam.* In Ecclesia Christi sunt omnis generis Christiani: quidam illustres & constantes in fide & sanctitate: quidam vulgares, & infirmi: quidam in honorificos vsus, qoidam in vilia ministeria deputati: hi sunt peccatores sordidi, & viles in Dei oculis. E quorum numero non mirum, quosdam frangi quoad fidem, & è domo exturbari. Sed ne putes desperatum de talibus. Ab ipsorum nutu id dependet; nam cum diuinæ gratiæ auxilio nunquam ipsis defuturo, *si quis eorum se emundauerit ab istis,* peccatorum sordibus, *erit mox vas in honorem, sanctificatum*, emundatum, & gratia diuina exornatum: atque ita euadet *vtile* ad gloriam Dei aureum instrumentum. * Hinc ponderamiros Pœnitentiæ effectus. Dum scilicet vas contumeliæ vile, luteum, fractum in aureum integrum vas honoris conuertitur.]

Pœnitentiæ virtute vas contumeliæ in honoris vas vertitur.

Vers. 12. 13. 24. 25. 26. Iuuenilia autem desideria, &c.] Fuge adolescentiæ vitia, seu inanem gloriam, ambitionem, murmurationem, plausû in dicendo desiderium: *Sectare verè iustitiam, fidem, chariatem & pacem cum ijs, qui inuocant Dominum de corde puro*, seu cum verè Dei seruis. *Stultas autem, & sine disciplina*, seu quæ nihil habent sensus aut sapientiæ veracis, *quæstiones deuita: sciens, quia generant lites*, vt superiori Epistola (cap. 1. 4) monui. *Seruum autem Domini non oportet litigare*, seu pugnare verbis, rixari, altercari: *sed mansuetum* esse ad omnes, docibilem, patientem. Græcè, aptum, *ac paratum ad docendum*, & sustinentem mores indisciplinatos, & infirmitatem proximi: *cum modestia corripientem eos, qui resistunt veritati.* * Græcè est, *Cum mansuetudine corripiens eos.* Quasi immodestia sit. Præsulem sine mansuetudine delinquentem subditum reprehendere.] *Ne quando* Græcè, *si quando Deus det*, seu dederit *illis pœnitentiam*, seu gratiæ suæ auxilio ad resipiscentiam eos excitauerit. * Prodigus enim ad paternam remeans domum: errонea ouis recurrere cupiens ad ouile, & brachiis patris & pastoris humeris sunt placidè excipiẽdi.] Sic excipiẽdi à Rectore, aut Confessario sunt, cũ aperiunt oculos *ad cognoscendam veritatem*, & resipiscunt *à diaboli laqueis, à quo captiui tenebantur ad ipsius voluntatem* implendam, dum peccatis illigabantur.

Immodestia est. Præsulem sine mansuetudine subditum corripere.

Peccator resipiscens benignitèr à Præsule, vel confessario est excipiendus.

CAPVT III.

Prædicit, impios doctores exorituros, à quibus oportet recedere. Hortatur Timotheum vt doctrinam tradat, quam ab ipso acceperat.

1\. HOc autem scito, quod in nouissimis diebus instabunt tempora periculosa: 2. erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti: 3. sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, immites, sine benignitate. 4. Proditores*, proterui, tumidi, & voluptatum amatores magis quam Dei: 5. Habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes. Et hos deuita: 6. Ex his enim sunt, qui penetrant domos, & captiuas ducunt mulierculas oneratas peccatis, quæ ducuntur variis desideriis; 7. semper discentes, & nunquam ad scientiam veritatis peruenientes. 8. Quemadmodum autem Iannes & Mambres restiterunt Moysi: ita & hi resistunt veritati, homines corrupti mente, reprobi circa fidem. 9. Sed vltrà non proficient: insipientia enim eorum manifesta erit omnibus, sicut & illorum fuit. 10. Tu autem assecutus es meam doctrinam, institutionem, propositum, fidem, longanimitatem, dilectionem, patientiam, 11. persecutiones, passiones: qualia mihi facta sunt Antiochiæ, Iconij, & Lystris: quales persecutiones sustinui, & ex omnibus eripuit me Dominus. 12. Et omnes, qui piè volunt viuere in Christo Iesu persecutionem patientur. 13. Mali autem homines, & seductores, proficient in peius, errantes, & in errorem mittentes. 14. Tu verò permane in iis, quæ didicisti, credita sunt tibi: sciens à quo didiceris. 15. Et quia ab infantia sacras litteras nosti, quæ te possunt instruere ad salutem, per fidem, quæ est in Christo Iesu. 16. Omnis scriptura diuinitus inspirata, vtilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia: 17. vt perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.

COMMENTARII.

Predicit, impios Doctores orituros, à quibus oportet recedere, &c.

VERS. 1.2.3.4.5.6.7. *Hoc autem scito, &c.*] Id verò prænuncio tibi, ô Timothee, *quod in nouissimis diebus*, seu quæ a temporibus nostris defluxura sunt vsque ad finem mundi, *instabunt tempora periculosa*, Græcè, *difficilia*, molesta; quia homines peruersi futuri sunt (his scilicet vitiis notati, quæ hîc Paulus enumerat) *Erunt* namque *homines seipsos amantes*, suis commodis, suis lucris, suis voluptatibus seruientes: *cupidi*, seu pecuniæ æstimatores: *elati*, arrogantes, iactabundi: *superbi, blasphemi*, seu contumeliosi: *parentibus non obedientes*: ingrati benefactoribus: *scelesti*: *sine affectione*, seu sine compassionis visceribus, siue vlla pietate: *sine pace*, fœdifragi (Græcè sic) & qui cum aliis viuere pacifice nesciunt: *criminatores*, seu calumniatores: *incontinentes*, seu gulæ seruientes, & luxuriæ: *immites*, seu inhumani, & feritate affecti more bestiarum. * Ex incontinentia enim solet crudelitas exoriri.] *sine benignitate*, Græcè, *non amici bonis*, seu bonos non amantes. * Signum summæ peruersitatis est odio habere virtutis sectatores, cum virtuti amabilitas sit agnata.] *Proditores*, seu violatores amicitiæ: *proterui*. Græcè, leues, instabiles *tumidi*, seu typho superbiæ inflati: *& voluptatum amatores magis quam Dei. Habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes.* Seu peccata specie pietatis veram religionem conantur euertere. Vnde vim ipsiua pietatis abnegant, & perdunt. *Et hos deuita*, seu reiice abs te, *ex his enim sunt, qui penetrant domos*, seu se in domos insinuant suorum compendiorum causa: *& captiuas ducunt mulierculas oneratas peccatis, quæ ducuntur variis desideriis*, seu doctrinis suis faciunt, vt mullerculæ sibi tam addictæ fiant, vt velut captiuas eas quolibet ducere videantur ad sectandos errores. * Vndè cum D. Hieronymo crediderim, omnes hæreses per mulieres propagari cœpisse.] Hæ quidem peruersos suos magistros magno peccatorum pondere grauatæ insequuntur variis addictæ noxiis cupiditatibus: *semper discentes, & nunquam ad scientiam veritatis peruenientes*; quia nunquam à magistris illis syncera veritas proponetur; sed errores, & falsa dogmata.

Ex luxuria crudelitas

Signum magnæ peruersitatis est, bonos non amare.

Per mulieres omnes hæreses propagari cœperunt.

Vers. 8.9.10.11.12. *Quemadmodum autem Iannes, &c.*] Sicut vero *Iannes & Mambres restiterunt* olim *Moysi: ita & hi resistunt veritati.* Iannes & Mambres fuere illi Magi, qui Mosi restiterunt apud Pharaonem, & cum eo in miraculis edendis decertarunt. Eorum nomina in Exodo Moses obticuit, sed Paulus ex traditione ediscens, hîc expressit. Nec mirum, quia *homines corrupti mente, reprobi circa fidem*, seu qui iudicium vitio suis affectibus corruptum habent: vndè circà fidem errauerunt. *Sed vltrà non proficient; insipientia enim eorum manifesta erit omnibus, sicut & illorum fuit.* Non proficient hi in sua ficta pietatis specie, quin ea detegatur, & sua insipientia prodatur in lucem: sicut manifesta fuit fraus Magorum Pharaonis. * Non quidem potest diu insipiens occultari, maximè si loquatur.] *Tu autem*, ô Timothee, *assecutus es meam doctrinam, institutionem*, quam nosti esse synceram, & viuendi rationem, & *propositum meum*, seu finem, & scopum, quem mihi in euangelizando proposui: *fidem, longanimitatem, dilectionem, patientiam*, seu constantiam in fide, lenitatem ergà persecutores, affectumque, quo amicos, & inimicos in Domino complector: Nec ignoras *persecutiones, passiones*, qualia mihi facta sunt Antiochiæ, Iconij, & Lystris. In Græco est, *Qualia* generis neotrius, sed dic *Quales* persecutiones, &c. Antiochia hæc non est Syriæ, sed Pisidiæ vicina Iconio, & Lystris; vbi Iudæis seditionem concitantibus, Lapidatus fuit Paulus, ac penè occisus Act. 13. 14. Scis inquam, *quales persecutiones sustinui: & quomodo ex eis omnibus eripuit me Dominus.*

Non potest diu insipiens occultari.

Vers. 12.13.14.15.16.17. *Et omnes, qui pie, &c.*] *Et* quidem quicumque *volunt pie* ac religiosé *viuere in Christo Iesu*, seu in Christi timore, *persecutionem patientur*, ab hæreticis, ab inuidis, ab impiis, & non semel ab amicis, & cognatis. * Quia cum Deus hîc iustis tribuere soleat labores in præmia virtutum ad vberiora merita: quomodo qui pie viuunt, poterunt à iusto Deo suarum virtutum præmio carere?] *Mali autem homines, & seductores proficient in peius*, seu in sua impietate crescent. * Vnum enim peccatum faciliorem reddit hominem, & audaciorem ad alia perpetranda] *Errantes* erunt ipsi, *& in errorem alios mittentes*, ideoque duplicis pœnæ rei. * Et quidem grauior admodum erit pœna illius, qui alium traxerit ad errorem. *Tu verò permane in iis, quæ à me didicisti*, & proprio studio es assecutus: *& quæ credita sunt tibi* Episcopo, vt asserues, & promulges: *sciens à quo didiceris*, seu memor, te eam Doctrinam à Deo, meo ministerio didicisse, ac proinde debes de illius veritate esse securus. *Et quia ab infantia sacras litteras nosti, quæ te possunt instruere ad salutem per fidem, quæ est in Christo Iesu.* Sacræ litteræ, queis à pueritia studium litasti te dirigere potuerunt ad fidem Christi constanter retinendam, cum tot illæ figuris, & ænigmatibus de Christi aduentu, vita, morte, ac resurrectione loquuntur. Omnis *Scriptura diuinitus inspirata vtilis est* ad docendum sanam doctrinam, *ad arguendum* contra hæreticos, & peccatores, *ad corripiendum* morum corruptelam, *ad erudiendum in iustitia*, seu ad morum honestatem, & perfectionem suadendam: *vt perfectus sit homo Dei, & ad omne opus bonum instructus.* Hominem Dei vocat Episcopum, & Doctorem Euangelicum. Hi enim Deo soli viuere, & operari debent.]

Quasi necessarium est iustis, laboribus agi in præmium virtutum.

Vnum peccatum faciliorem reddit hominē ad alia patranda.

Grauissimè puniĕtur, qui alium adduxĕrit ad peccatum.

Homo Dei Episcopus, & Doctor

CAPVT

CAPVT IV.

Monet Timotheum, vt assiduus sit in prædicatione. Suum obitum instare prædicit. Rogat vt ad se complexandum vltimo, Romam ineat. Amicos suo nomine saluere iubet.

1. TESTIFICOR coram Deo, & Iesu Christo, qui iudicaturus
est viuos, & mortuos, per aduentum ipsius, & regnum
eius: 2. Prædica verbum, insta opportunè, importunè:
argue, obsecra, increpa in omni patientia, & doctrina.
3. Erit enim tempus, cum sanam doctrinam non sustine-
bunt, sed ad sua desideria coacceruabunt sibi magistros, pru-
rientes auribus: 4. & à veritate quidem auditum auertent,
ad fabulas autem conuertentur. 5. Tu verò vigila, in omnibus labora, opus fac
Euangelistæ, ministerium tuum imple. 6. Sobrius esto. 6. Ego enim iam deli-
bor, & tempus resolutionis meæ instat. 7. Bonum certamen certaui, cursum con-
summaui, fidem seruaui. 8. In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam red-
det mihi Dominus in illa die iustus iudex: non solum autem mihi, sed & iis qui
diligunt aduentum eius. Festina ad me venire cito. 9. Demas enim me reliquit,
diligens hoc sæculum, & abiit Thessalonicam: 10. Crescens in Galatiam, Titus
in Dalmatiam. 14. Lucas est mecum solus. Marcum assume, & adhuc tecum:
est enim mihi vtilis in ministerium. 12. Tychicum autem misi Ephesum. 13. Pe-
nulam, quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum, & libros, maxi-
mè autem membranas, 14. Alexander ærarius multa mala mihi ostendit; reddet
illi Dominus secundùm opera eius: quem & tu deuita: valdè enim restitit verbis
nostris, 16. In prima mea defensione nemo mihi affuit, sed omnes me derelique-
runt: non illis imputetur. 17. Dominus autem mihi astitit, & confortauit me, vt
per me prædicatio impleatur, & audiant omnes Gentes: & liberatus sum de ore
Leonis. 18. Liberauit me Dominus ab omni opere malo: & saluum faciet in re-
gnum suum cæleste, cui gloria in sæcula sæculorum. Amen. 19. Saluta Priscam,
& Aquilam, & Onesiphori domum. 20. Erastus remansit Corinthi. Trophimum
autem reliqui infirmum Mileti. 21. Festina ante hiemem venire. Salutanr te Eu-
bulus, & Pudens, & Linus, & Claudia, & fratres omnes, 22. Dominus Iesus Chri-
stus cum spiritu tuo. Gratia vobiscum. Amen.

COMMENTARII.

2. *Monet Episcopum, vt assiduus sit in prædicatione.*

VERS. 1.2.3.4.5. *Testificor coram Deo, &c.*] Rogo, obtestor, adiuro te *coram Deo* Patre, & Iesu Christo filio eius, *qui iudicaturus est viuos* illos, qui iudicij tempore viui inuenientur, qui tamen mortem subibunt, & vitæ restituentur: *& mortuos* anteà: *per aduentum ipsius, & Regnum eius:* qui inquam Christus Iesus cunctos homines est iudicaturus, cum venerit è superis tanquam Rex omnibus beatis comitatus. Quid post tam solemnem obtestationem, & adiurationem Paulus à Timotheo requirat? *Prædica*, ait, *verbum* Euangelicum: *insta* prædicationi *opportunè importunè* (prouerbium sapere crediderim) seu assiduè, & instanter: *arguè*, seu argumentis conuincere peccatores stude, *obsecra*, seu adhortare: *increpa in omni patientia & doctrina*, errantem reprehende, sed ea seuera mansuetudine, vt illum errasse doceas, & ostendas, te illum corripuisse non ex vindictæ affectu, sed vt ei viam veritatis ostendas. * Correptio errantis vt proficiat cum mansuetudine condiri debet.] *Erit enim tempus, cum sanam doctrinam non sustinebunt*, seu ferre non poterunt, nec se illi dociles exhibebunt: *sed ad sua desideria* vana, & carnalia satisfacienda, *coacceruabunt sibi* temere & sine delectu *magistros*, seu eos admittent non ab Episcopis immissos, aut ordinatos: sed quod plebs ipsa depoposcerit, aut qui seipsos licet inepti sese obtruserint. * Nunquam non est circà aptitudinem suspectus, qui sine Præsulis approbatione, aut electione sese docendi ingerit ministerio.] Asciscent inquam sibi magistros *prurientes auribus*, seu eo quod pruriant auribus, id est, quod ament audire noua, curiosa, nugatoria: *& sic à veritate auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur* Iudaicas, aut hæreticorum. * Vereor, ne & hoc tempore à nonnullis quærantur prædicatores, vt auribus pruriant, seu vt fabulis, & nugatoriis sermonibus, quos illi sacris Scripturæ locis indignè commiscent, inutiliter, imo noxiè delectentur.] *Tu verò vigila*, vt hisce cunctis te opponas malis: *in omnibus labora*, pro Euangelio placeat tibi in omnibus actionibus *ærumnas*.

Vt correptio proficiat, cũ mansuetudine condiatur.

Suspectus est circa aptitudinem qui sine Præsulis approbatione, docendi ministrio se ingerit.

Taxantur qui concionatores adeunt ad auditus delectationem.

ærumnas.

na (sic Græcè) sustinere: *opus fac Euangelista*, seu Euangelio prædicando insiste: *ministerium tuum imple*, seu in munere tibi à Deo iniuncto ita versare, vt nihil eorum omittas, quæ à fideli Euangelij ministro iure exiguntur. *Sobrius esto*, Græcè, *vigila*, vt præfata plenè perficias.

2. *Vers.* 6.7.8.9.10.11.12. *Ego enim iam delibor, &c.*] Oportet quidem vt deinceps diligentia vberiore vigiles ad Ecclesiæ profectum, quando quidem laboris socius esse non potero. *Ego enim iam delibor*, Græcè, pro libamento offeror, & immolor, sanguinem meum pro libamento Deo oblaturus: & *tempus resolutionis*, seu mortis *meæ instat. Bonum certamen certaui*, quia pro fide Christi prædicanda, multas afflictiones subij: *cursum consummaui*, iam prope absum à meta, vitæ etenim terminus instat: *fidem seruaui*, fidelem me Christi Domini ministrum studui exhibere. *In reliquo*, seu quod attinet ad laborum mercedem: *reposita est mihi corona iustitiæ* præmium laboris, vita æterna, quæ quidem corona iusta Iudicis sententia mihi adiudicabitur. *Quam* apud se repositam nunc *reddet iustus Iudex mihi in illa die* resolutionis meæ: *non solùm autem mihi, sed & iis, qui diligunt aduentum eius* ad particulare iudicium, quia sibi bene conscij sunt rectè factorum. * Hoc probe viuentis priuilegium, iudicij horribilis impiis non solum non timeres, imo & diligere, & alacriter expectare.] *Festina*, itaque *ad me venire citò* antequam hyems vel tuum aduentum impediat, aut retardet imbribus irruentibus: tua enim opera valde indigeo. *Demas enim me reliquit, diligens* magis *hoc seculum*, seu huius vitæ commodis pacificè frui, quam mecum incommoda subire. (Non tamen recessisse à fide significatur.) *Et abiit Thessalonicam*, siue vt suis priuatis rebus vacaret, siue vt procul abesset à periculo. Crediderim Thessalonicam fuisse eius patriam. *Crescens* missus à me profectus est, ad Euangelium prædicandum, *in Galatiam*: Titus ad idem ministerium in Dalmatiam abiit. *Lucas* (Euangelista) *est mecum solus*. Ideò *Marcum assume, & affer tecum*. Intelligit Ioannem cognomento marcum Barnabæ consobrinum, cuius mentio fit Act. 12. 15. *est enim*, ait, *mihi vtilis in* Euangelij *ministerium*. * Etiam cum sperabat Paulus obitus diem iam instantem curabat Euangelij propagationi addi ministrum. Quia obitu instante debemus feruentius virtutis operibus studere.] *Tychicum autem misi Ephesum*, vt vices Timothei Ephesini Episcopi Romam euocati, Ephesi suppleret.

Quam mortem prædicit, & Timotheū ad se aduocat.

Iusti priuilegium est diē iudicij horribilis non timere, sed alacriter expectare.

Morte instāte, debemus feruētius virtutis operibus studere.

Vers. 13.14.15.16. *Penulam, quam reliqui, &c.*] Penula est vestis genus aptum imbribus, ac frigori depellendo, quo potissimum iter agentes vti assolent. Hispanè dicimus, *Balandran*. Penulam, ô Timothee, *quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum*: tibi enim proderit ad itineris commoditatem, & mihi postmodum ad frigus depellendum. * Laboriosum planè est docendi, & prædicandi munus, cui debet commodum aliquod adhiberi.] *Et* simul *affer libros, maximè autem membranas*: libros, inquam, sacræ Scripturæ, & membranas speciatim quas manu mea scripsi. Corpus vir sanctitate egregius, cuius memoria celebris est apud Dionisij Areopagitæ Epistolam 8. ad Demophylum, vbi insignis huius Diui visio recensetur. Alexander ærarius, seu æreorum vasorum faber *multa mala mihi ostendit*, seu intulit. * At affectus Pauli ad subeundum labores tantus erat, vt vulnerum dirorum executio ei solùm ostensio eorum videretur.] *Reddet illi Dominus secundum opera eius*: *quem & tu deuita*, seu tibi ab illo caue; *valde enim restitit verbis nostris*, seu prædicationi nostræ. * En vnam & non exiguam officij concionandi molestiam subiici idiotarum censuræ. Faber ærarius audet verbi supremi Concionatoris Pauli subcensere.] *In prima mea defensione*, seu quam in primis meis vinculis feci, *nemo mihi affuit*, seu patrocinium impendit: *sed omnes me dereliquerunt*; *non* tamen *illis imputetur*; hoc enim diuina actum est prouidentia. * Quàm proprium sanctorum est aliorum defectus excusare.]

Laboriosō docendi, & prædicandi muneri debet commodum aliquod adhiberi.

Iustō labores videntur solùm tendi à longè, non executioni mandari.

Magna Concionatorum molestia est subiici idiotarum censuræ.

Proprium est sāctoꝝ aliorum defectus excusare.

Vers. 17.18.19.20.21.22. *Dominus autem mihi astitit, &c.*] Profectò mihi ab omnibus derelicto Deus adstitit, & me *confortauit*. * Nam cum desunt humana auxilia, promptius diuina accurrunt.] Confortauit me, inquam, Deus, *vt per me* vinculis exutum *prædicatio impleatur*, seu compleretur, & absoluretur: *& audiant omnes Gentes*, seu vt multis adhuc Gentibus possem prædicare: *&* ideo *liberatus sum de ore Leonis*, seu Neronis, qui Leonis feritatem æmulabatur. *Liberauit me Dominus ab omni opere malo*, seu ab omni peccato, non enim passus fuit, me superari aduersis: *& saluum faciet in Regnum suum cæleste*. His autem laboribus cælestem assequar felicitatem, Domino largitore, *cui gloria in sæcula sæculorum. Amen. Saluta Priscam, & Aquilam*. (Vide ad Rom. 16. 3.) *& Onesiphori domum*. Hunc primo huius Epistolæ capite laudauit Apostolus. *Erastus remansit Corinthi*. Huius etiam mentio fit ad Rom. 16. 22. *Trophimum autem reliqui infirmum Mileti*. Hunc fuisse Episcopum Arelatensem, ex *Anselmo* accepi. *Miletus* est Asiæ Vrbs non longè ab Epheso distans. *Festina* precor, *ante hiemem venire*, ne imbribus tuus ad solatium meum retardetur aduentus. *Salutant te Ebulus, & Claudia, & fratres omnes*, seu omnes Christiani. Pudens vir erat apud Romanos clarissimus ordinis Senatorij, pater sanctarum virginum Praxedis, & Pudentianæ. Linus Petro proximus rexit Ecclesiam. *Dominus Iesus Christus cum Spiritu tuo*, seu tecum per gratiam adsit. *Gratia vobiscum. Amen.*

Cū humana auxilia desūt, promptius diuina accurrunt.

EPISTOLA
BEATI PAVLI APOSTOLI
AD TITVM.

Titus vtroque parente Gentilis, Græcus & Corinthius ob insignem morum innocentiam, sanctitatem, & castimoniam extremè Paulo charus, vndè & suum vocat filium & fratrem: ab eo fuit creatus Cretæ vicinarúmque Insularum Archiepiscopus. Ad eúmque hanc scripsit Epistolam anno à morte Domini vigesimo sexto ex loco vicino Nicopoli Macedoniæ anno sequente, postquam Archiepiscopatui fuerat ille præfectus.

CAPVT I.

Docet Titum, quales debeat ordinare Episcopos ad pastores Vrbium sibi commissarum. Et quomodo debeat frænare Cretenses, ne in Iudaismum delabantur occasione commercij cum Iudæis, qui in Creta degebant.

1. PAVLVS seruus Dei, Apostolus autem Iesu Christi secundùm fidem electorum Dei, & agnitionem veritatis, quæ secundùm pietatem est. 2. in spem vitæ æternæ, quam promisit qui non mentitur. Deus, ante tempora sæcularia: 3. manifestauit autem temporibus suis verbum suum in prædicatione, quæ credita est mihi secundùm præceptum Saluatoris nostri Dei: 4. Tito dilecto filio secundùm communem fidem, gratia & pax à Deo Patre, & Christo Iesu Saluatore nostro. 5. Huius rei gratia reliqui te Cretæ, vt ea quæ desunt corrigas, & constituas per ciuitates presbyteros, sicut & ego disposui tibi. 6. Si quis sine crimine est, vnius vxoris vir, filios habens fideles, non in accusatione luxuriæ, aut non subditos. 7. Oportet enim episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem: non superbum, non iracundum, non vinolentum, non percussorem, non turpis lucri cupidum: 8. sed hospitalem, benignum, sobrium, iustum, sanctum, continentem, 9. amplectentem eum, qui secundùm doctrinam est, fidelem sermonem: vt potens sit exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt, arguere. 10. Sunt enim multi etiam inobedientes, vaniloqui, & seductores; maximè qui de circumcisione sunt: 11. quos oportet redargui: qui vniuersas domos subuertunt, docentes quæ non oportet, turpis lucri gratia. 12. Dixit quidam ex illis, proprius ipsorum propheta: Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri. 13. Testimonium hoc verum est. Quam obcausam increpa illos durè, vt sani sint in fide, 14. non intendentes Iudaicis fabulis, & mandatis hominum, auersantium se à veritate. 15. Omnia munda mundis: coinquinatis autem, & infidelibus nihil est mundum, sed inquinatæ sunt eorum & mens & conscientia. 16. Confitentur se nosse Deum, factis autem negant: cùm sint abominati, & incredibiles, & ad omne opus bonum reprobi.

COMMEN

COMMENTARII.

1\.

Docet Titum, quales debeat Episcopos ordinare.

VERS. 1. 2. 3. 4. *Paulus seruus Dei &c.*] Paulus Dei seruus, *Apostolus autem Iesu Christi secundum fidem electorum Dei*, seu ad hoc missus, vt iis qui sunt à Deo electi, fidem annunciem, qua effectum electionis, qui est salus æterna, consequantur, per *agnitionem veritatis* Euangelicæ, *quæ secundum pietatem est*, seu quæ edocet, vt pie viuamus, *in spem vitæ æternæ*, seu vt confidenter vitam æternam possimus sperare. * Impiè enim viuenti quænam firma salutis spes.] *Quam* quidem salutem *promittit Deus* ipse, *qui non mentitur*, *ante tempora sæcularia* ante mundi constitutionem, antequam esset temporum cursus, seu ab æterno prædestinauit apud se æternam felicitatem suis fidelibus electis impendere. *Manifestauit autem temporibus suis verbum suum in prædicatione, quæ credita est mihi secundum præceptum Saluatoris nostri Dei*, seu temporibus verò prælapsis per Prophetarum ora, & præsentibus suam promissionem illam, seu decretum de electorum salute manifestauit Deus per Euangelij præconium, ad quod proferendum ego ex Christi Domini præcepto ego sum delegatus. *Tito dilecto filio secundum communem fidem*, & spiritum, quo ego te in Christo genui, *gratia, & pax à Deo Patre, & Christo Iesu saluatore nostro* multiplicetur.

Impiè viuenti haud firma spes salutis.

Vers. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. *Huius rei gratia, &c.*] Archiepiscopum te ô Tite, Cretæ constitui, & ibi *reliqui te, vt quæ desunt*, seu quæ adhuc restant corrigenda diligenter corrigas: *& constituas* per Insulæ magnæ Cretensis, *Ciuitates presbyteros*, & Episcopos, hos quidem in maioribus vrbibus, illos verò in minoribus ad Parochale munus: *sicut & ego iam disposui*, seu præcepi *tibi*, Tales autem viros eliges ad hæc obeunda munera, quales verbo descripsi coram, & nunc rursum calamo describam. *Si quis sine crimine est*, vt nullus eum meritò in crimen vocare, boni scilicet nominis & famæ Episcopatui & præsbyterio dignus erit. Dum tamen sit *vnius vxoris vir*, seu si vxorem habeat, (à qua ei est, ad sacros Ordines recipiendos, recedendum) aut habuerit, non tamen secundam acceperit: *filios habens fideles*, seu Christi fidem professos, *non in accusationem luxuriæ, aut non subditos*, seu qui luxui non se addixerint comessationum, & compotationum: aut subiecti esse parentibus, & maioribus renuerint. * Filios fuisse aut non fuisse luxuriei addictos, aut inobedientes, quid prodest, aut officit patris electioni ad presbyterij aut Episcoparus munus? Multum quidem. Qui enim nesciuit filium regere, & corrigere, quomodo aptus erit Ecclesiæ Rector.] * Addiderim, ex filiorum, & famulorum moribus documentum sumi quales patris, seu domini mores existant.] Quod autem ad mores nominatam pertinet. Oportet Episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem, seu ministrum in Euangelij ac sacramentorum dispensationem: *non superbum*, seu audacem, elatum, *non iracundum: non vinolentum: non percussorem, non turpis lucri cupidum*, seu captantem vndique lucrum, repugnante etiam honesti ratione: sed hospitalem, *benignum, sobrium* (Græcè, *prudentem*) *iustum, sanctum*, seu qui innocentem inter homines degat, & erga Deum pius, ac religiosus existat, *continentem*, seu cupiditatum refrænatorem earum maximè, quæ sunt à libidine: *amplectentem eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem*, seu tenaciter & mordicus retinentem veræ, fidelis, & exploratæ certitudinis doctrinam. *Vt potens sit exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt, arguere*, seu qui idoneus sit exhortari ad pietatem & firmis scripturæ testimoniis hostes veritatis conuincere. * Si enim Præsul hisce virtutibus non præfulgeat, haud *potens* erit alios ad pietatem adhortari. Dum abnegat moribus, quod verbis affirmat.] *Sunt enim multi etiam inobedientes* Ecclesiæ præscriptis, *seductores*, qui errores disseminant inter fideles, vt eos à veritate abducant: *vaniloqui*, qui vana proferunt ac nugatoria verba, queis stultos venantur. Ad horum numero maximè adduco eos, *qui de circumcisione sunt*, seu qui à Iudaismo fuere conuersi, & simul cum Christiana religione Iudaismum edocent retinendum: *quos oportet redargue*. Ex Græco, quibus os obturare, est necessarium. * Eos equidem æmulantur nonnulli Proceres, qui fastum sæcularem Dei ope contemnentes, & ineuntes Regularem statum, postmodum à primo feruore deficientes, sæculares reiectos mores ad Religionem trahunt, & simul perfectioni & sæculo impossibile obsequium litare contendunt.] *Qui* quidem *vniuersas domos subuertunt, docentes, quæ non oportet, turpis lucri gratia.*

Qui filios male morigeratos habet, aptus nõ est ad regendam Ecclesiam.

Ex moribus filij mores parẽtum colligi assolent.

Qui pietate non præfulget, haud potest alios ad pietatẽ hortari.

Taxãtur proceres, qui Religionem ineunt, & sæculum ad Religionem trahunt.

Vers. 12. 13. 14. 15. 16. *Dixit quidam ex illis, &c.*] Epimenides quidam Poeta Cretensis, proprius eorum seu Cretensium propheta de eis *dixit* Græco carmine: Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri. Totus versus exameter Græcus sic vertitur:

Cres semper mendax, mala bestia venter,
Iners est.

Semper mendaces: Indè ortum prouerbium Græcorum, quibus *Cretizare*, idem est quod *mentiri*. * Annon licebit mihi τὸ *Cre* in *Cri* commutare? Certè nonnullorum oratorum *criticas* clausulas prudens *mendacia* reputabis.] *Malæ bestiæ* appellantur, quia ad nocendum procliues, bestiarum instar, quæ morsu nocent, aut cornu petunt. *Ventres* autem *pigri*, quod otio ac ventri indulgent. *Testimonium hoc verum est.* Nouerat hoc Paulus & fama publica, & experientia doctus. * Nec enim asserere ex sola fama, quæ sæpe mentitur, veram esse de Cretensium vitiis relationem illam, nisi ipse oculis experimenti lustrasset. Edocens circà famam proximi non credendum auditus testimonio singulari, nisi visus testis alter accedat.] Quæ si eris verò cur Epimenides *propheta illorum* vocitatur? An quia à suis habitus fuit Propheta? Sic Laërtius. An quia omnes Poëtæ *Vates* appellantur? An quia librum de *Oraculis* scripsit? * Crediderim prophetam fuisse nuncupatum: quia scripsit vitia agnata gentis suæ, quod perinde est, ac posterorum vitia prædicere. Nam vitia natiua parentum fere in posteros deriuantur.] *Quam ob causam increpa illos dure, vt sani sint in fide:* vt integritatem fidelis

Critizare idẽ est, quod mentiri.

Non credendũ circa proximi famam auditus singulari testimonio, nisi visus testis alter accedat.

Vitia natiua parentum fere in posteros deriuantur.

Vitia faciunt homines à fide deficere.

fidelis doctrinæ conseruent, & quidquid contrarium ei suggeritur, respuant. * Si Cretensium crimina erant mendacia, crudelitas, & ventris ingluuies, & quæ ex gula procedit luxuria: cur Paulus Titum hortatur, vt rigide cum illis agat, vt sani & constantes sint in fide, & non potius vt ab illis vitiis abstrahantur, quibus erant infecti. Certè qui nimium hisce vitiis indulgent, sic solent excæcari, sic cælestia despiciunt, vt alieni à fide omnino videantur.] Vt sani, inquam, in fide sint, *non intendentes Iudaicis fabulis, & mandatis hominum auersantium se à veritate.* Taxat hîc Apostolus non omnium hominum mandata: sed eorum, qui veritatis aduersarij ostendebantur, fabulas Iudaicas substituentes, & legis Mosaicæ cæremonias, & ciborum delectum ab illa præceptum volebant post Baptismum retinere. *Omnia munda mundis, coinquinatis autem, & infidelibus nihil est mundum: sed inquinatæ sunt eorum & mens, & conscientia.* Christianis Christi sanguine in Baptismo mundatis nullus est cibus velut immundus veritus: infidelibus autẽ Iudæis est mundus nullus est cibus. Nam vel abstinent ab illo, vel comedunt: si abstinent, peccant superstitione, quia putant se debere non comedere: si edunt, ex conscientia erronea delinquunt, cum enim putent fas non esse illis vesci, vti lex Mosaica imperat, non tamen abstinent. Hoc significant verba illa: *Inquinatæ sunt eorum mens, & conscientia. Confitentur hi se nosse Deum, factis autem negant.* Verbis profitentur fidem, facta autem minime illi professioni respondent: *cum sint abominati, & incredibiles, & ad omne opus bonum reprobi*, seu cum sint execrabiles, (Græcè sic) impersuasibiles, & vitio suo ad omne opus bonum inepti.

CAPVT II.

Edocet, quonammodo senes, anus iuniores, serui sint instituendi.

1\. TV autem loquere quæ decent sanam doctrinam: 2, Senes
vt sobrij sint, pudici, prudentes, sani in fide, in patientia:
3\. Anus similiter in habitu sancto, non criminatrices, non
multo vino seruientes, bene docentes: 4. Vt prudentiam
doceant adolescentulas, vt viros suos ament, filios suos diligant,
5\. Prudentes, castas, sobrias, domus curam habentes,
benignas, subditas viris suis, vt non blasphemetur verbum
Dei. 6. Iuuenes similiter hortare vt sobrij sint. 7. In omnibus teipsum præbe
exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in grauitate. 8. Verbum
sanum, irreprehensibile: vt is, qui ex aduerso est, vereatur, nihil habens malum
dicere de nobis. 9. Seruos dominis suis subditos esse, in omnibus placentes,
non contradicentes, 10. Non fraudantes, sed in omnibus fidem bonam ostendentes:
vt doctrinam Saluatoris nostri Dei ornent in omnibus. 11. Apparuit enim gratia
Dei Saluatoris nostri omnibus hominibus, 12. Erudiens nos, vt abnegantes
impietatem, & sæcularia desideria, sobriè, & iustè, & piè viuamus in hoc sæculo,
13\. Expectantes beatam spem, & aduentum gloriæ magni Dei, & Saluatoris nostri
Iesu Christi: 14. Qui dedit semetipsum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate,
& mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.
15\. Hæc loquere, & exhortare, & argue cum omni imperio. Nemo te contemnat.

COMMENTARII.

1\. Docet, quomodo senes, anus, & iuniores, & serui sint instruendi.

Vt senex vigilet circa suorum regimẽ. sobrietate præfulgeat.

Quod in iuuene est immaturitas, in sene est impudicitia.

VERS. 1. 2. 3. 4. 5. *Tu autem loquere, quæ decent sanam doctrinam, &c.*] Seu quæ sunt Catholicæ & vtili doctrinæ consentanea omni hominum sexui, & ætati accõmodata. *Senes* hortare, *vt sobrij sint.* Græca vox significat *sobrios, & vigilantes*, circa familiæ regimen. Non autem, vtiliter recto suorum regimini studebunt, nisi ipsi morum sobrietate præfulgeant.] Sint & *pudici, maturi* (sic Græcè) & *graues.* * Quod enim in iuuenibus est minus graue, & immaturum, in senibus est iuuenilis impudicitia.] Sint & *prudentes, sani in fide, in dilectione, & patientia.* Sani erunt in fide, si constanter eius præscripta teneant, & seruent: in dilectione autem, si Deum, & proximum feruenti affectu prosequantur; in patientia verò, si ita tolerent aduersa, vt non excidant animo. * Memores, quod labores inter Dei beneficia annumerentur, imo iustis hîc sint præmia virtutum ad vberiorem gratiam acquirendam. Vnde Paulus postquam descripsit senum grauitatem, pudicitiam, fidem, & charitatem, addidit, *In patientia.* Quasi agnatum esset his virtutibus præfulgenti, dira pati in præmium iustitiæ.] *Anus similiter in habitu sancto*, decenti scilicet, qui sanctimoniam, & religionem ei ætati congruentem redoleat. * Anus enim iuuenili amictu ornata, fuco depicta, risus populi, omniũ abominatio.] *Non criminatrices* siue calumniatrices.

Labores Dei beneficia, imò & virtutum hîc præmium.

Anus fuco vtens, & profano indumento, risus est populi.

trices, quæ lites serant: *non multo vino seruientes,* seu deditas. Certè qui ebrietati indulget, vino seruit, ei obedit impio, & noxio semper imperanti.] *Benè docentes* iuuenculas aut familiæ ministros non mala non turpia: sed bona, & honesta. * Ille *benè* docet, qui docet vtilia.] Hortare itaque anus, *vt prudentiam doceant adolescentulas.* Græce, vt moderatas, & temperantes faciant adolescentulas. Loquitur de adolescentulis tam nuptis quam innuptis: vt *viros suos ament, vt filios suos diligant.* * Quid necessum fuit matres hortari, vt diligant filios, si tam agnatus sit matribus amor in eos, quos tot cruciatibus fuerunt enixæ? Certè non omnis matrum in filios affectio est verus amor, sed odium. Illa solummodò verè diligit filium, quæ illum dirigit ad virtutem, & errantem corripit. Vnde verbum illud. *Vt diligant filios,* ego sic legerem: *Vt dirigant filios.*] Præterea eas edoce, vt sint *prudentes, castæ, sobriæ, domus curam habentes,* * Ad vxorem namque potius attinet, quàm ad maritum quotidianos sumptus ad victum dispensare. Vndè taxantur nonnulli mariti qui ex inconfidentia, vel animi laceria sibi retinent ordinarij sumptus nimiam distributionem.] *Benigna, subdita viris suis: vt non blasphemetur verbum Dei,* seu ne Christiana doctrina male audiat apud infideles, quasi contraria vitia doceat, aut foueat.

Ebrius mancipiũ est vini.

Ille benè docet, qui docet vtilia.

Non omnes matres verè filios diligũt. Illa enim solùm diligit eos, qui eos dirigit.

Taxãtur mariti, qui non fidunt vxoribus quotiani sumptus dispẽsationem.

Vers. 6. 7. 8. 9. 10. *Iuuenes similiter hortare &c.*] Hortare iuuenes, vt sobrij sint, senes æmulando. *In omnibus teipsum præbe exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in grauitate.* Seu cum doctrina Euangelium protuleris, te ipsum exhibe rectè operantem, id erit loco doctrinæ aspectantibus. Bona enim opera concionatoris vocalia sunt & efficacior doctrina, quam quæ verbis exponitur.] *Verbum sanum,* & irreprehensibile prædicans profer, doctrinam nempe orthodoxam, sanam, & integram: *vt is, qui ex aduersa est,* seu aduersarius Iudæus, aut Gentilis, vel hæreticus, *vereatur,* pudefiat, confundatur: *nihil malum habens dicere de nobis. Seruos* autem edoce *dominis suis subditos esse, in omnibus* his *placentes heris,* quæ diuinæ legi non repugnant: *non contradicentes,* D. Ambrosius legit. *Non respõsantes.* Hispane dixeris. *Que nosean respondones.* Famulus enim vel famula, queis est responsandi vsus, fiunt heris intolerabiles.] *Non fraudantes,* seu suffurantes, *sed in omnibus fidem bonam ostendentes.* Seu cum mittuntur ad victualia de more ementes fidelitatem vel in minimis sectantes. * Vilissimi animi, ne dicam Iudæ imitatoris est ille, qui de pecunia sibi credita vel teruntium detrahere audet.] *Vt scilicet doctrinam Saluatoris nostri Dei ornent in omnibus,* seu vt probis moribus suis apud heros commendabilem esse Euangelicam fidem & doctrinam ostendant.

Concionatoris bona opera efficax est auditoribus doctrina.

Famuli responsantes, heris fiũt intolerabiles.

Vilissimi animi est, de pecunia sibi credita vel teruntium detrahere.

Vers. 11. 12. 13. 14. 15. *Apparuit enim gratia Dei, &c.*] Profectò decet nos Christianos omnes senes, anus, iuuenes, iuuenculas, seruos, &c. sanctè viuere iuxta præscripta hactenus tradita, nam in Euangelij luce diuersamur. *Apparuit,* Græcè, illuxit *enim gratia,* & misericordia Dei in Christi Domini Saluatoris nostri incarnatione *omnibus hominibus, erudiens nos, vt abnegantes impietatem,* infidelitatem, idololatriam, & omnem superstitionem, & *sæcularia desideria,* seu mundanas concupiscentias. *Sobriè, & iuste, & piè viuamus in hoc sæculo: expectantes,* seu interim dum expectamus *beatam spem,* seu promissam beatitudinem, tanquam bonorum huius vitæ operum præmium. *Et aduentum gloriæ magni Dei,* seu gloriosum Christi aduentum ad iudicium, à saluatore nostro Iesu Christo die nouissima proferendum: *qui quidem dedit semetipsum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate: & mundaret sibi populum acceptabilem,* seu peculiariter electum: *sectatorem bonorum operum,* seu ingenti studio virtutis opera capessentem. * Qui igitur negligenter, & velut coactus opera pietatis exercet: indicamentum obiicit, se ad populum Christi electum non pertinere.] *Hæc loquere, & exhortare, & argue cum omni imperio,* seu plena libertate, & auctoritate. *Nemo te contemnat.* Ita te gere in tuo munere, adeo irreprehensibiliter viue, vt nemo te contemnere audeat. Sacerdos namque vti sæcularis communis despicitur, cum vitam exerit sæcularem.

Qui opera pia negligẽter agit, signum dat, se ad electum Christi populum non pertinere.

Sacerdos vt sæcularis cõmunis despicitur, cum vitã exerit sæcularem.

CAPVT III.

Pergit, morum correctionem per, & propter Christum inculcare.

1. ADMONE illos principibus & potestatibus subditos esse,
dicto obedire, ad omne opus bonum paratos esse: 2. neminem blasphemare, non litigiosos esse, sed modestos, omnem ostendentes mansuetudinem ad omnes homines.
3. Eramus enim aliquando & nos insipientes, increduli, errantes, seruientes desideriis & voluptatibus variis, in malitia, & inuidia agentes, odibiles, odientes inuicem. 2. Cùm
autem benignitas & humanitas apparuit Saluatoris nostri Dei; 5. non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundùm suam misericordiam saluos nos fecit per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus sancti, 6. quem effudit in nos abundè per Iesum Christum Saluatorem nostrum: 7. vt iustificati gratia ipsius, heredes simus secundùm spem vitæ æternæ. 8. Fidelis sermo est: & de his vo-

lo te confirmare: vt curent bonis operibus præesse, qui credunt Deo. Hæc sunt bona & vtilia hominibus. 9. Stultas autem quæstiones, & genealogias, & contentiones, & pugnas legis deuita, sunt enim inutiles, & vanæ. 10. Hæreticum hominem, post vnam & secundam correptionem deuita: 11. sciens quia subuersus est, qui eiusmodi est, & delinquit, cùm sit proprio iudicio condemnatus. 12. Cùm misero ad te Artemam, aut Tychicum, festina ad me venire Nicopolim: ibi enim statui hiemare. 13. Zenam legisperitum, & Apollo sollicitè præmitte, vt nihil illis desit. 14. Discant autem & nostri bonis operibus præesse ad vsus necessarios, vt non sint infructuosi. 15. Salutant te qui mecum sunt omnes: saluta eos, qui nos amant in fide. Gratia Dei cum omnibus vobis. Amen.

COMMENTARII.

1\. *Morum correctionē inculcat.*

VERS. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. *Admone illos, &c.*] Igitur admone Cretenses tuos *principibus & potestatibus*, Magistratibus *subditos* esse *dicto que* seu imperio eorum *obedire* ad omne opus bonum à principibus & Magistratibus iniunctum, esse paratos. * *Ad opus bonum*, ait. Nec enim possunt ad malum opus eorum imperio obedire.] Mone præterea illos, *neminem blasphemare*, seu conuitio lacerare quemquam: *non esse litigiosos*, seu rixarum amantes; *sed modestos*, mites, humanos, *omnem ostendentes mansuetudinem ad omnes homines. Eramus enim aliquando & nos insipientes*, stulti (sic Græcè) inconsulti, *increduli, errantes, seruientes desideriis, & voluptatibus variis in malitia, & inuidia agentes*, seu peruersitate affecti, *odibiles*, seu odio digni, *odientes inuicem.* * Præmittit Apostolus, *Eramus aliquando insipientes*, seu stulti: mox autem illa vitia recenset. Vt scilicet innuat, omninò esse stultos, qui audent perpetrare delicta.] * Illud pondera: *Eramus & nos insipientes, &c.*] Profitetur se etiam aliquando errasse, vt errantes Cretenses facilius ad sui erroris agnitionem alliceret, & illum profitendi animum adderet.] Sic D. Ignatius Pater meus quendam virum, qui non audebat ex rubore confiteri peccata, ad ea facile profitenda allexit, propria ei iuuentutis delicta manifestando.] *Cum autem benignitas & humanitas apparuit Saluatoris nostri Dei: non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus sancti.* Cum verò singularis Dei ergà homines amor & dilectio sese ostendit nobis offerens Filium suum, non merito operum nostrorum, sed propter suam miserationem, gratis quidem, per Baptismum, quo exterius fuimus diluti, intus regenerati sumus in Dei filios per gratiam adoptionis, & renouamur, & noui homines efficimur Dei amici per gratiam Spiritus sancti, *quem Deus effudit in nos abundè*, largè, copiose, *per Iesum Christum saluatorem nostrum: Vt iustificati gratia ipsius*, seu à peccatis abluti, & iustitia donati, *hæredes simus secundum spem vitæ æternæ.* seu iam incipiamus sperare, & tendere ad Regni cælestis hæreditatem.

Non possunt subditi Præsulum imperio malo obedire.

Omninò est stultus qui peccare audet.

Peccator facilius peccata confitetur, cum spiritualis pater se inuit se fuisse peccatorem. D. Ignatius peccata iuuētutis cuidam operuit, vt alliceret eum ad sua facilius confitenda.

Vers. 8. 9. 10. 11. Fidelis sermo est, &c.] Vera sunt, & certa, quæ dixi. *Et de his volo te confirmare*, seu iterum atque iterum monere: *Vt curent bonis operibus præesse, qui credunt Deo*, seu ita bonis operibus incumbere, vt aliis sint duces ad eadem bona opera exponentes sua vt exemplum. * Quilibet rectè operans magisterium exercet in silentio. Exemplum enim sine lingua loquitur, & efficacius quam Rhetorica diserta verba ad æmulationem persuadet. Vndè rectè operantes *præsunt* velut magistri cunctis aspectantibus.] *Hæc sunt bona & vtilia hominibus*, seu quæ præmisi agere, honestum est, & vtile. *Stultas autem quæstiones, & genealogias, & contentiones, & pugnas legis*, seu futiles Rabinorum disputationes circa legem *deuita*, respue, reiice. * Docet D. Hieronymus morem fuisse Iudiazantium, ab exordio Adami vsque ad Zorobabel omnium generationes ita memoriter, ac velociter percurrere, ac si nomen suum referrent: & hoc vt propriæ suæ progeniei originem inuenisse viderentur. Quam aptè Paulus huiusmodi genealogiarum repetitiones *stultas* vocitauit, cum omnes ex Adamo duxerimus originem?] *Hæ enim quæstiones sunt inutiles, & vanæ. Hæreticum hominem post vnam, & secundam correptionem*, seu commonitionem, quæ leniter fit, vt resipiscat, *deuita*, reiice, auersare, respue: *Sciens quia subuersus est, qui eiusmodi est, & delinquit, cum sit proprio iudicio condemnatus*, seu peccat sciens, & prudens, cum sit in hæresi obstinatus, condemnatus equidem à se ipso, quia suo vitio fit, vt ab hæresi non resipiscat.

Exemplum sine lingua loquitur disertius, quàm Rhetores, ad persuadendum.

Stulta est planè aliquorum de genealogiæ origine gloriatio.

Vers. 12. 13. 14. 15. Cum misero ad te, &c.] Cum autē ad te immisero *Artemam, aut Tychicum fratrem*, vt tui absentiam in Creta suppleant, *festina ad me venire Nicopolim.* * Non debet Episcopus, vel Parochus à sua ditione recedere, non prius prouidens gregem de apto ad eius regimē pastore, aut vicario.] Te inquam accinge, vt cito Nicopolim ineas: *ibi enim statui hiemare*, seu hiemem transigere. Nicopolis quidem ciuitas est Epiri. *Zenam legisperitum, & Apollo solicitè præmitte, vt nihil illis desit.* Cum præmittas Zenam legis Mosaicæ peritum, & Apollinem ità viatico instructi procedant, tua solicitudine, vt nihil eis in itinere desit. *Discant autem & nostri bonis operibus præesse ad vsus necessarios, vt non sint infructuosi.* Omnes debent profectui Euangelij iuuare. Te hortante, discant fideles dare aliis operum pietatis exemplum: vt etiam ipsi ad rem Christianam promouendam concurrant, & vt possunt fructum faciant, suis opibus prædicatoribus Euangelicis subueniendo. *Salutant te, qui mecum sunt omnes* familiares: *Saluta eos, qui nos amant in fide. Gratia Dei cum omnibus vobis Amen.*

Non recedat Episcopus, aut parochus à ditione, nō relinquēs vicariū aptum.

EPISTO

EPISTOLA
BEATI PAVLI APOSTOLI
AD PHILEMONEM.

EPistola hæc ſcripta fuit Romæ è primis vinculis anno à morte Dominica vigeſimo octauo & per Oneſimum tranſmiſſa ad Philemonem virum nobilem, ac inter ciues Colloceníes vt potentia, & opibus, ità & pietate conſpicuum.

1. PAVLVS vinctus Christi Ieſu, & Timotheus frater; Philemoni dilecto, & adiutori noſtro, 2. & Appiæ ſorori chariſſimæ, & Archippo
commilitoni noſtro, & Eccleſiæ, quæ in domo tua eſt. 3. Gratia
vobis & pax à Deo Patre noſtro, & Domino Ieſu Chriſto. 4. Gratias ago Deo meo, ſemper memoriā tui faciens in orationibus meis,
5. audiens charitatem tuam, & fidem, quam habes in Domino Ieſu, & in omnes ſanctos: 6. Vt communicatio fidei tuæ euidens fiat, in agnitione omnis operis boni, quod
eſt in vobis in Chriſto Ieſu. 7. Gaudium enim magnum habui, & conſolationem
in charitate tua: quia viſcera ſanctorum requieuerunt per te, frater. 8. Propter
quod multam fiduciam habens in Chriſto Ieſu imperandi tibi quod ad rem pertinet:
9. Propter charitatem magis obſecro, cùm ſis talis, vt Paulus ſenex, nunc autem &
vinctus Ieſu Chriſti. 10. Obſecro te pro meo filio, quem genui in vinculis, Oneſimo; 11. qui tibi aliquando inutilis fuit, nunc autem & mihi & ibi vtilis. 12. Quem
remiſi tibi. Tu autem illum, vt mea viſcera, ſuſcipe: 13. Quem ego volueram
mecum detinere, vt pro te mihi miniſtraret in vinculis Euangelij: 14. ſine conſilio autem tuo nihil volui facere, vti ne velut ex neceſſitate bonum tuum eſſe, ſed
voluntarium: 15. Forſitan enim ideò diſceſſit ad horam à te, vt æternum illum teciperes? 15. iam non vt ſeruum, ſed pro ſeruo chariſſimum fratrem, maximè mihi; quantò autem magis tibi, & in carne, & in Domino? 17. Si ergo habes me
ſocium, ſuſcipe illum ſicut me. 18. Si autem aliquid nocuit tibi, aut debet; hoc
mihi imputa. 19. Ego Paulus ſcripſi mea manu: ego reddam, vt non dicam tibi, quod & teipſum mihi debes: 20. Ita frater. Ego te fruar in Domino: Refice viſcera mea in Domino. 21. Confidens in obedientia tua ſcripſi tibi:
ſciens quoniam & ſuper Id, quod dico, facies. 22. Simul autem & para mihi hoſpitium: nam ſpero per orationes veſtras donari me vobis. 23. Salutat te Epaphras concaptiuus meus in Chriſto Ieſu, 24. Marcus, Ariſtarchus, Demas, & Lucas,
adiotores mei. 13. Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti cum ſpiritu veſtro. Amen.

COMMENTARII.

VERS. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. *Paulus vinctus Christi Ieſu, &c.*] Oneſimus Phryx genere mancipium, Philemonis compilatis quibuſdam domini ſui rebus Coloſſis Romam profugerat: Hunc Paulus conuerſum & baptizatum cum hac commendatitia remittit ad Philemonem eum rogans, vt in gratiam recipiat. Receptus ab illo in virum maximè inſignem euaſit poſt Timotheum Epheſi creatus eſt Epiſcopus, & ſub Traiano martyrium glorioſè Romæ conſummauit.* Ediſce de nullius quantumuis duri, rapacis, ac perditi hominis ſalute deſperandum.] *Paulus vinctus Chriſti* cauſa, per hæc vincula tibi ſupplicat, ſupplicat & Timotheus Epheſiorum Epiſcopus, & ſupplicant vnicè ſibi *dilecto Philemoni,* præ omnibus *adiutori noſtro* in fidei Chriſtianæ promotione, ad quam quod petimus ſpectat. Idem commendamus Apiæ vxori Philemonis *ſorori* noſtræ in Chriſto *chariſſimæ, & Archippo* Coloſſenſium Epiſcopo: vt illos in hac cauſa fautores habeamus, ac pro Oneſimo deprecatores. * Inuocat Apoſtolus Appiam & Archippum, vt pro ſe & Timotheo intercedant apud Philemonem agentibus Oneſimi cauſam: nos edocens cæleſtes interceſſores aduocare, cum à Deo peccatorum veniam impetrare expectimus.] * Cum vero Paulus adit Appiam Philemonis vxorem, vt ſponſi veniam mancipio impetret, nos admonet ad Deiparam accedere debere, vt apud Deum ſponſum, Patrem, & Filium ſuum pro nobis intercedat haud timens repulſam.] *Vobis* itaque ô Philemon, ô Appia, ô Archippe, ô Eccleſia ſeu Chriſtiani, qui in domo Philemonis degunt, *gratia & pax à Deo Patre noſtro, & Domino Ieſu Chriſto. Gratias ago Deo meo, ſemper memoriam tui faciens in orationibus*

1. *Pro Oneſimo mancipio eni. ad Dominum Philemonem exorat.*

De nullius quantumuis perditi ſalute deſperandum.

Vt à Deo veniam impetremus, ad interceſſionē ſanctorum accuramus.

Deiparæ Dei ſponſæ eſt apud eum potentiſſima interceſſio.

bus meis. Nunquam oro, quin tui memoriam agam coram Deo, cui tuam salutem enixè commendo. Simul ei gratias agens, cum audio *& fidem, quam habes in Domino Iesu*, seu in Iesum Dominum: & charitatem tuam, quam *in omnes sanctos*, seu Christianos exerces. *Vt communicatio fidei tuæ euidens fiat in agnitione omnis operis boni, quod est in vobis in Christo Iesu.* Vt illa tua in Christianos beneficentia ex fide perfecta exorta minimè lateat, sed euidens fiat agnoscentibus & prædicantibus cunctis iusta opera quæ à te & tuis geruntur per Christi gratiam, & in negotio eius fidei & religionis.

Fides ex rectis operibus manifestatur. * Habes hinc fidem internam externis rectis operibus manifestari.] *Gaudium enim magnum habui, & consolationem in charitate tua: quia viscera sanctorum requieuerunt per te, frater.* Ingenti gaudio & consolatione affectus fui ô frater, cum charitatem tuam declarasse te audiui, sanctos fideles inopia & miseria corporali pressos tam munifice alleuando.

Vers. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. *Propter quod multam fiduciam, &c.*] Propterea quod tam egregium in charitate ostendi, audierim multam fiduciam habens in Christo Iesu tuæ largitore charitatis, non iam supplicandi, sed *imperandi tibi, quod ad rem pertinet*, seu quod decens, conueniens, & officij tui est, nempe vt in seruum tuum pœnitentem charitatem eam, qua exundas, ostendas. Tamen quamuis tibi fidelissimo filio possem tuus Magister, ac pater imperare, *propter charitatem magis obsecro*, seu charitas, qua te vt fratrem diligo, facit, vt rogare malim: *Cum sis talis, vt Paulus senex*, seu cum sis senex æque vti ego. * Senes enim non imperandi, sed rogandi in canorum honorem.]

Senes nô imperandi, sed rogandi?

Addit: *Nunc autem vinctus in Christo Iesu.* Ac si diceret. Da hoc seni senem supplicanti: si non, da saltem hoc vinculis meis, quibus pro Christo adstringor. * Apud Deum potens admodum est oratio iusti acti laboribus: ergo potens apud Dei seruum eius pietatis æmulatorem debet esse efficax mei patientis deprecatio.

Efficax oratio hominis acti laboribus.

Obsecro itaque *te pro meo filio, quem genui in vinculis, Onesimo*, seu quem in carcere constitutus in fide instituui, & Christianum sacra vnda gessi: *qui tibi aliquando inutilis fuit, nunc autem & mihi, & tibi vtilis: quem remisi tibi.* Nomen *Onesimus* idem est ac *vtilis*. Alludens itaque Paulus ad hanc significationem ait: Qui quidem Onesimus olim tibi non solum non fuit vtilis, sed inutilis, imò valdè noxius. Iam verò *vtilis* tibi erit; quià talis nunc est, vt ab eo vtilitatem meritò possis expectare. * Saltem si ei parcis, valde tibi erit vtilis. Filius enim parcendo vocaberis, & eris Dei, cuius semper parcere, est proprium. Vtilis est *& mihi*, dum eius miseratione afficior, & pro eo te rogo. * Certe pro errantibus, qui resipiscunt, intercedere apud eum, à quo venia danda, haud modici est meriti.] Vnde valde est vtile intercessori.]

Magna est vtilitas in parcendo ei, qui gessit iniuriam.

Intercedere pro errante, valde est vtile.

Tu autem illum vt mea viscera suscipe. Dum illum suscipis perinde tibi sit ac si susciperes, filium meum: filius enim meus est, quem in Christo genui. *Quemque ego volueram mecum detinere, vt pro te mihi ministraret in vinculis Euangelij*, seu vt ipse, dum pro Euangelij prædicatione in carcere premor, id faceret, quod tu pro tua pietate procul dubio faceres, si hîc adesses. *Sine consilio autem tuo nihil volui facere*, seu nolui eum retinere, te inconsulto, & præter voluntatem tuam: *vti ne vel vt ex necessitate bonum tuum esset, sed voluntarium*, seu ne tuum beneficium in me potius ex necessitate, quam ex voluntate profectum videretur. *Forsitan enim ideo discessit ad horam à te, vt æternum illum reciperes*, seu ideo permisit Dominus à te seruum discedere ad breue tempus,, à te non amplius recessurum recuperares. * Christiana enim religio influit fidelitatem.] Vt, inquam, illum reciperes *non vt seruum, sed pro seruo charissimum fratrem, maximè mihi, quanto autem magis tibi & carne, & in Domino.* Iam Onesimum non tantum recipies vt seruum, sed etiam Christianum factum recipies vt fratrem, maximè mihi charissimum, quia meus est spiritu frater, sed magis tibi debet adhuc esse charus quia duplici titulo, seu vinculo tibi adstringitur: vno *in carne*, seu corporali seruitute, altero *in Domino*, seu spirituali fraternitate. * Hinc Domini mancipiorum discant, speciali amore prosequi debere seruum Christianum, quam adhuc in infidelitate manentem, quia & seruus eius est, & frater in Domino.]

Christiana religio influit fidelitatem.

Magis amare debêt Domini mancipium Christianum, quá infidelem.

Si ergo habes me socium, suscipe illum sicut me susciperes socium & amicum. *Si autem aliquid nocuit tibi, aut debet: hoc mihi imputa.* Seu furtum & debitum eius in me transcribe: & si repetendum est, à me repete: me pro illo sponsorem accipe. * En admirabilem Pauli charitatem Christi amoris quodammodo æmulatricem, qui pro seruis tam debitoribus voluit Deo creditori satisfacere.]

D. Pauli egregia charitas.

Vers. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. *Ego Paulus scripsi, &c.* Accipe ô Philemon has litteras, quas *mea manu scripsi*, vt chirographum, quo me fideiussorem interpono: *ego reddam* quidquid ille tibi debet: *vt non dicam tibi, quod & te ipsum mihi debes.* Neque enim volo creditum hoc tuum elidere, commemorando beneficia, quæ in te contuli, & hoc pacto rationes inter nos æquare, *ita frater*, ego sane debitum soluam. *Ego te fruar in Domino*, seu ex te, tuaque benignitate fructum hunc capiam. *Refice*, obsecro, *viscera mea in Domino*, seu recrea animum meum hoc beneficio. *Confidens in obedientia tua, scripsi tibi: sciens quoniam & super id, quod dico, facies.* Non dubito, te præstiturum esse, quod à te oro memor tuæ filialis in me patrem tuum in Domino submissionis. *Simul autem & para mihi hospitium; nam spero per orationes vestras donari me vobis*, seu à Domino concedendum, vt liber à vinculis vestro conspectu fruar, vestroque profectui doner. * Preme hoc, Donari me vobis à Domino, spero. An erat Dei donum, seu munus, Paulum ad Colossenses remeare? Ita planè. Magnum etenim Dei est beneficium, Vrbem vel exiguo tempore viri sancti præsentia frui.] *Salutat te Epaphras concaptiuus meus in Christo Iesu*, seu propter Christum. *Marcus, Aristarchus, Demas, & Lucas adiutores mei* in negotio Euangelij. *Gratia Domini nostri Iesu Christi cum spiritu vestro. Amen.* * Annon annotas quot, ac quantis precibus, ac rationibus Paulus vtatur, vt seruus ille gratiam ab hero impetret? Ascende hinc ad Dei clementiam, qui tam facilè redeuntes excipit peccatores.]

Magnû Dei beneficiû est, vrbê viri sancti præsentia vel exiguo têpore frui.

Quàm facilè Deus veniâ peccatori redeunti impendit.

LIBER QVINTVS.

EPISTOLA
BEATI PAVLI APOSTOLI
AD HEBRÆOS.

PROLVSIO.

TOto huius Epiſtolæ primo Capite Paulus Chriſti Domini Incarnationem, & Natiuitatem egregiis commendat elogiis, eíſdemq; ſimul & quaſi ex conſequentiæ vi Mariæ maternitatem celebrat. Illud ſpeciatim annotarim: *Qui cum ſit ſplendor gloriæ Dei.* Chriſtus ſplendor eſt diuinæ gloriæ pulcher ſcilicet totus? Ergo Mater eius Maria tota pulchra eſſe debet. Ipſe aſſeruit: Tota pulchra es, *amica mea, & macula non eſt in te.* Cant. 4. Audi Richardum Laurent. lib. 5. de laud. Virg. *Tota pulchra dicitur Maria ex Filij generatione, qui eſt ſplendor paternæ gloriæ ad* Hebr. 1. *Sicut enim ferrum ab igne extractum non ſolum eſt ignitum, imò totum eſt ignis: & ſicut aër illuſtratus à ſole totus quodammodo ſol efficitur, &c. Sic Maria Filio Dei ſplendore gloriæ eius, in illam deſcendente non ſolùm luminoſa eſt effecta, ſed tota eſt Deificata.* Reperiens ergo Mariam in huius Epiſtolæ veſtibulo tanto ſplendore perfuſam, quomodò non ſperem luce frui ad difficilem Tractatus expoſitionem? Fuit quidem Epiſtola hæc Romæ ſcripta anno à morte Chriſti vigeſimo octauo, cum Paulus è primis vinculis cauſam ſuam apud Neronem feliciter peregiſſet, & ſpes proximæ eſſet liberationis.

Maria tota pulchra, vt Filio, qui eſt diuinæ gloriæ ſplẽdor, aſſimilaretur.

CAPVT I.

Variis ſacræ Scripturæ teſtimoniis Paulus probat Chriſtum non ſolum Moyſe, Prophetis & Angelis cunctis maiorem, ſed Deum eſſe.

1\. MVLTIFARIAM, multiſque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis nouiſſimè: 2. diebus iſtis locutus eſt vobis in filio, quem conſtitui heredem vniuerſorum, per quem fecit & ſecula. 3. qui cùm ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius, portánſque omnia verbo virtutis ſuæ, purgationem peccatorum faciens ſedet ad dexteram maieſtatis in excelſis: 4. tantò melior Angelis effectus, quantò differentius præ illis nomen hereditauit. 5. Cui enim dixit aliquando Angelorum: Filius meus es tu, ego hodie genui te? Et rurſum: Ego ero illi in patrem, & ipſe erit mihi in filium? 6. Et cùm iterùm introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei. 7. Et ad Angelos quidem dicit: Qui facit Angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos flammam ignis. 8. Ad filium autem: Thronus tuus,

tuus, Deus, in sæculum sæculi: virga æquitatis, virga regni tui. 9. Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem: propterea vnxit te Deus, Deus tuus, oleo exultationis præ participibus tuis. 10. Et: Tu in principio Domine terram fundasti: & operà manuum tuarum sunt cæli. 11. Ipsi peribunt, tu autem permanebis, & omnes vt vestimentum veterascent: 12. & velut amictum mutabis eos, & mutabuntur: tu autem idem ipse ès, & anni tui non deficient. 13. Ad quem autem Angelorum dixit aliqando: Sede à dextris meis, quoadusque ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum; 14. Nonne omnes sunt administratorij spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hereditatem capient salutis?

COMMENTARII.

1. *Christum hominibus, & Angelis maiorem esse probat; Deus enim est omnium Dominus.*

VERS. 1..2. 3. 4.. *Multifariam multisque modis, &c.*] Græcè *Multi partite*, per multas partes *multisque modis*, quia variæ fuere visionum, ac reuelationum formæ *loquens olim Deus patribus*, seu *locutus*] Græcè sic) locutus est nouissimè nobis *diebus istis*, seu hisce *in Filio*, seu misit ad nos Filium suum, & per eum nobis locutus est. *Quem* quidem Filium *constituit heredem vniuersorum*, seu Dominum totius mundi quam hæreditatem simul cum Patre immortali in æternum tenebit, *per quem fecit & sæcula.* Ab humana Christi natura ad diuinam progreditur. Per verbum ipsa sæcula condidit, seu tempora, & temporalia cuncta, mundum scilicet, & quidquid in mundo continetur. *Qui cum sit splendor gloriæ* seu *refulgentia* (vt est in Græco) quomodo radius a sole resplendet (est enim *lumen de lumine*) *& figura substantiæ eius*, seu vera, & expressa imago Patris, quæ ipsum ad viuum repræsentat: portansque *omnia verbo virtutis suæ* seu conseruans omnia, quæ facta sunt, nutu potentiæ suæ, seu potentiæ suæ iussu, & imperio: *purgationem peccatorum faciens.* Christus enim vt homo passione sua (ad humanam Christi naturam redit Apostolus) remissionem, & abolitionem omnium peccatorum nostrorum est operatus, diuinæ iustitiæ satisfaciendo: *Sedet ad dexteram Maiestatis in excelsis*; seu in cælis, sedem præcelsam ad Dei dexteram occupat: *tanto melior Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hereditauit.* Seu tam ineffabili distantia superans vt homo Angelos, quanto *excellentius* (sic Græcè) præ illis nomen Dei scilicet, sortitus est. Est enim Deus & homo.

Vers. 5.6.7.8.9. Cui enim dixit, &c.] Dixit enim Deus *aliquandò* alicui Angelorum præstantissimo ex hierarchia suprema illud, quod canente Dauide Psal. 2.7. expressit? *Filius meus es tu: ego hodie genui te.* Particula *hodie* significat æternitas, quia vnus velut dies est, idemque totus semper præsens, in quo non est aliud post aliud, sicut in nostro tempore. *Et rursum: Ego ero illi in Patrem: & ipse erit mihi in Filium.* 2. Reg. 7.13. De nullo Angelorum dictum hoc fuit: Ergo euidenter Christus est Angelis superior. Certè verba hæc litterali sensu de Salomone dicta fuere: sed in sensu allegorico à Spiritu sancto principalius intento, de Christo Domini, vt Paulus expressit. *Et cum iterum introducit Primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei.* Psal. 96.7. vbi Dauid, *Adorate eum omnes Angeli eius.* Primo inductus est Christus homo in orbem per incarnationem passibilis, & mortalis: secundo, seu *iterum* per resurrectionem à morte gloriosus, immortalis, impassibilis. Angeli itaque tunc Christum adorarunt, hunc honorem, hoc obsequium vt maiori exhibentes. * Cur verò non dixit, cum introduxit *Vnigenitum*, sed *Primogenitum?* Certè quia Christus est Primogenitus in multis fratribus, suo enim aduentu nobis dedit potestatem, vt fieremus ob adoptionem Dei filij.] *Et ad Angelos quidem dicit: Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis*, seu quos decreuerat Deus suos esse ministros, eos fecit substantias planè spirituales lucidas cognitione, & charitate ardentes. Discrimen vero inter Christum & Angelos ex eo potissimum Paulus statuit, quod ille sit Filius, Dei, hi autem ministri. * Cum autem omne ministerium Angelorum cælestium sit circà homines: appositè in nostram vtilitatem sub flammæ nomine designantur. Nos ignea charitate amplectuntur, nos cæcos illuminant, nos ad Dei amorem accendunt, etsi salutari eorum monitu obsequi renuimus, vrente flamma nos rigidè puniunt, vt mentem meliorem resumamus. Hæc officia nobiscum Angeli custodes exercent.] *Ad Filium autem*, seu de Filio canit Dauid Psal. 44.7. *Thronus tuus Deus in sæculum sæculi, virga æquitatis, virga Regni tui. Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo exultationis præ participibus tuis.* sensus est: O Deus, ô Christe Ecclesiæ sponse, qui es Deus Dei Filius. Thronus tuus permanebit æternùm, sceptrum Regni tui est directionis, restitutionis, æquitatis, iustitiæ. Certè quia dilexisti iustitiam osor iniquitatis vsque ad credens obediens, Deus te inunxit oleo lætitiæ seu glorificauit, & exaltauit æterna exultatione potiturum supra participes, seu Regni coheredes: quia & Angeli & homines inferiorem gloriæ gradum adepti sunt: quia nullus eorum est diuinati hypostaticè vnitus.

Cum sit Christus Vnigenitus Patris, & Matris, & nascitur Primogenitus, vt nos faceret sui fratres, & Dei filios.

Piissima erga homines Angeli Custodis officia expenduntur.

Vers. 10.11.12.13.14. Et tu in principio Domine, &c.] Tu, ô Domine Deus iam inde à principio *terram fundasti*, seu terræ fundamenta iecisti, & in mundi centro constituisti stabilem: *& opera manuum tuarum*, seu potentiæ tuæ *sunt cæli. Ipsi peribunt, tu autem permanebis, & omnes vt vestimentum veterascent.* Peribunt, inquam cæli non quoad essentiam, & formam substantialem: sed quoad formam externam & accidentalem, quia scilicet quasi vestimentum immutabuntur: *& velut amictum mutabis eos*, & mutabuntur: *tu autem idem ipse es; & anni tui non deficient*, seu tu vero immutabilis æternum permanebis. Sumpsit Paulus hoc testimonium ex Psal. 101.26. vbi ad litteram precatur Dauid,

vt Sion, & Templum à Chaldæis exusta reædificentur. Allegorico autem sensu præcipuè intento, rogat, vt Ecclesia vetus peccatis obruta à Iesu liberatore instauretur, & in nouam & Christianam reformetur. Vndè constat Christum Angelis esse superiorem, imo Deum, cuius proprium cælum Ecclesiæ vetustati nunquam obnoxium sua omnipotentia condere. *Ad quem autem Angelorum dixit aliquando: sede à dextris meis, quoad vsque ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum?* Ex Psal. 109. 1. Constat hinc euidenter, Christum Angelis superiorem esse, quia nulli vel supremo Angelo Deus Pater dixit vnquã, quod dixisse Christo Dauid asserit. Sede modo à dextris ô Fili, vsque dùm in nouissimo die omnes inimicos tuos quasi scabellũ humile tuis pedibus subiiciam. *Nonne omnes Angeli sunt administratorij spiritus in ministerium missi propter eos, qui hereditatem capient salutis?* Angelorum officium est non assidere. An vllus fidelium id ignorat? Certè mitti soliti sunt à Deo tanquam eius ministri ad procurandam electorum salutem. Mittuntur quidem etiam, ad curandam salutem eorum, qui sunt damnandi. Sed memorat Apostolus solummodo ad electorum salutem ministerium: quia in eorum salute magis Angelici ministerij eminet beneficium.

Taxatur hominum ergà Angelũ Custodem ingratitudo.

Hinc hominum taxatur ingratitudo, qui tam assiduis cælestibus ministris saltem diariam portionem vnius preculæ non impendunt. Liceat vulgariter explicare. *No dan siquiera à tan assistentes ministros, racion de vna oracion pequeñã.*] Iàm euidenter patet Simonis Magi & aliorum hæreticorum dementia asserentium, Christum Deum & hominem esse Angelis inferiorem.

CAPVT II.

Christum solum legislatorem, & redemptorem habendum ostendit Apostolus.

1. PROPTEREA abundantius oportet obseruare nos ea quæ audiuimus, ne forte pereffluamus. 2. Si enim qui per Angelos dictus est sermo, factus est firmus, & omnis præuaricatio & inobedientia accepit iustam mercedis retributionem: 3. quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem? quæ cum initium recepisset enarrari per Dominum, ab eis, qui audierunt, in nos confirmata est, 4. Contestante Deo signis & portentis, & variis virtutibus, & Spiritus sancti distributionibus secundùm suam voluntatem. 5. Non enim Angelis subiecit Deus orbem terræ futurum, de quo loquimur. 6. Testatus est autem in quodam loco quis, dicens: Quid est homo quod memor es eius, aut filius hominis quoniam visitas eum? 7. Minuisti eum paulo minùs ab Angelis: gloria & honore coronasti eum: & constituisti eum super opera manuum tuarum. 8. Omnia subiecisti sub pedibus eius. In eo enim quod omnia ei subiecit, nihil dimisit non subiectum ei. Nunc autem necdum videmus omnia subiecta ei. 9. Eum autem, qui modico quàm Angeli minoratus est, videmus Iesum, propter passionem mortis, gloria & honore coronatum: vt gratia Dei, pro omnibus gustaret mortem. 10. Decebat enim eum, propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummare. 11. Qui enim sanctificat, & qui sanctificantur, ex vno omnes. Propter quam causam non confunditur fratres eos vocare, dicens: 12. Nuntiabo nomen tuum fratribus meis: in medio Ecclesiæ laudabo te. 13. Et iterùm Ego ero fidens in eum. Et iterùm: Ecce ego, & pueri mei, quos dedit mihi Deus. 14. Quia ergo pueri communicauerunt carni & sanguini, & ipse similiter participauit eisdem: vt per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium, id est, diabolum: 15. & liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxij erant seruituti. 16. Nusquam enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit. 17. Vnde debuit per omnia fratribus similari, vt misericors fieret, & fidelis Pontifex ad Deum, vt repropitiaret delicta populi. 18. In eo enim, in quo passus est ipse & tentatus, potens est & eis, qui tentantur, auxiliari.

COMMENTARII.

I. *Christum solum redeptorē habendū ostēdit.*

VERS. 1.2.3.4.5. *Propterea abundantius, &c.*] Propterea quod Christus maior est Angelis, Deus scilicet *abundantius* seu studiosius *oportet nos obseruare*. Græcè, attendere iis, quæ à Christo nobis tradita audiuimus: *ne*, si non attenderimus *fortè* pereffluamus, sed instar vasis rimarum pleni, sinamus Euangelij doctrinam recens haustam effluere. * Id accidit eis, qui non ex animi affectu, sed vel inuitati ab aliis, vel ex curiositate conciones audiunt, sicut enim vas, rimulis pleni; nihil sacro ex liquore retinent ad vtilitatē.] *Si enim qui per Angelos dictus est sermo, factus est firmus: & omnis præuaricatio, & inobedientia accepit iustam mercedis retributionem*: seu si lex vetus per Angelos olim promulgata in Sinai, confirmata fuit tonitruis, fulguribus, terræ motu: & præuaricatores illius tam grauiter fuere puniti accepta sceleribus pœna condigna: *Quomodo nos* Christiani *effugiemus pœnas, si tantam neglexerimus Salutem*, seu si contēpserimus Christi Euangelicam veritatem, *quæ cum initium accepisset enarrari per Dominum, ab eis, qui audierunt, in nos confirmata est* seu quæ Euangelij veritas cœpit à Christo Domino prædicari: deindè verò ab Apostolis & Discipulis, qui eam ex ore Dominico accepere: *contestante Deo*, seu testimonium præbente huic veritati *Signis, & portentis, & variis virtutibus*, seu miraculis, *& Spiritus sancti distributionibus secundum suam voluntatem*, seu donis linguarum, Prophetiæ, & aliis, quæ Spiritus sanctus cuique secundum suum beneplacitum assolet distribuere. *Non enim Angelis subiecit Deus orbem terræ futurum, de quo loquimur.* Seu mundum futurum, de quo locutus sum (cap. 1. 12.) voluit Deus subiectum esse Angelis, sed Christo omnium Domino, qui ab Isaia Pater futuri sæculi nuncupatur.

Taxātur, qui cōciones audiūt sine animi affectione.

Vers. 6.7.8.9.10. *Testatus est autem, &c.*] *Quis*, seu ille, quem nostis, & quotidie eius Psalmos teritis, *in quodam loco*, nempe Psal. 8. *testificatur, dicens: Quid est homo, quod memor es eius, aut filius hominis, quoniam visitas eum? Homo & filius hominis idem est.* Quid est itaque homo, quem tam studiosè curas, & tanta prouidentia prosequeris? Minuisti eum paulo minus ab Angelis, seu longè Filium hominis superiorem Angelis constituisti, sed in re parua eis minor fuit, quod corpus ei dedisti mortale, & passioni obnoxium: *gloria, & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum.* Legitimè certauit, & ideo stipatus fuit corona triumphi: vnde eum super omnes cælos, super omnes Angelos ad tuam dexteram collocasti. *Omnia subiecisti sub pedibus eius*, seu omnibus creaturis præfecisti. Colligit hinc Apostolus: *In eo enim, quod omnia ei subiecit, nihil dimisit non subiectum ei. Nunc autem necdum videmus omnia subiecta ei.* Poterant Hebræi dicere: Quomodo omnia dicuntur Christo esse subiecta, cum Christiani nunc à suis hostibus multa aduersa patiantur? Tacitæ obiectioni respondet Apostolus, nondum aduenrasse tempus, quo Prophetia omnino expleatur, in fine autem sæculi esse explendam. *Eum autem* (ait) *qui modico quam Angeli minoratus est, videmus Iesum propter passionem mortis gloria, & honore coronatum: vt gratia Dei pro omnibus gustaret mortem.* Difficilem clausulam sic ordinandam censuerim: *Iesum autem videmus gloria coronatum, qui modico* (seu paulo minus) *minoratus est propter passionem mortis, vt gratia Dei, pro omnibus gustaret mortem.* Est autem hic sensus: Nondum Christo subiecta sunt omnia (ipso id permittente:) at hoc vobis verè possum asserere, dum tempus integræ subiectionis aduenerit, illum ipsum Iesum, in quem Iudæi vsque ad mortem crucis sæuiere, gloria & honore à Patre iam esse coronatum. Illam preme particulam. *Vt gratia*, seu beneficio *Dei pro omnibus gustaret mortem.* * Cur non ait, *Mortem pateretur, sed Mortem gustaret?* Profectò tam immensa Christi erga homines charitas vt tot probra, tot vulnera, ipsa mors crucis, tot dolorum colligatio ei fuerit quasi prægustatio quædam mortis, non mors. Vt prægustatio illa myrrhati vini, *Cum gustasset, noluit bibere.* Totum Dominus tormentorum & mortis calicem epotauit, sed eius ardentissimo amori non tam fuit bibere, quam gustare.] *Decebat enim eum, propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummare.* Decebat namque, Deum Patrem, propter quem & per quem omnia sunt & fiunt, qui multos homines per Christum adducere decreuerat ad cælestem suam gloriam, vt Christum ipsum quasi auctorem, Græcè, *Principem*, Ducem omnium passione, & morte consummaret.

Tot passionis tormēta & ipsa mors immensæ Christi charitati magis fuit gustare mortē, quam mori.

Vers. 11.12.13.14.15.16.17.18. *Qui enim sanctificat, &c.*] Nam Christus, qui sanctificat, & homines *qui sanctificantur, ex vno omnes*, seu Christus quoad humanitatem eiusdem est naturæ cum cæteris hominibus: ex *vno* enim Adamo omnes oriuntur. *Propter quam causam*, seu qui decebat, vt per Christum hominem multi ex hominibus ad gloriam adducerentur, *non confunditur* seu non erubescit Christus, *fratres eos vocare* ex vno patre Adamo secum natos, dicens ore Dauidico Psal. 21, 23. *Nunciabo nomen tuum fratribus meis*, ô Pater, id est Apostolis, aliisque, quos verbi Dei præco Christianos efficiam: *in medio Ecclesiæ* Christianæ à me congregatæ *te laudabo.* Cum dicit, *fratribus meis*, ostendit se esse ejusdem cum hominibus naturæ. Et iterum per Isaiam cap. 8. *Ego ero fidens in eum.* Id est, quamuis autem obdurati fuerint Iudæi, ad quos ego missus sum, non tamen ideo diffidam, homines è me esse sanctificandos, fidens scilicet in *eum*, qui me immisit. Concisè hunc locum citauit Apostolus quià scientibus scripturas loquebatur. *Et iterum Ecce ego, & pueri mei, quos dedit mihi Deus*, ex eodem Isaiæ testimonio. *En ego*, ait & filij mei Apostoli, quos à Domino socios accepi, præsto sumus, vt per nos homines aduocentur, & ad Deum adducantur. *Quia ergò pueri communicauerunt carni, & sanguini, & ipse similiter participauit eisdem*: seu quia illi, quos Christus filios suos vocare dignatur, verè homines fuere carnem ac sanguinem habentes: etiam ipse carnis & sanguinis particeps est effectus, seu humanam naturam assumpsit morti, ac miseriis obnoxiam: *Vt per*

mortem destrueret eum qui habebat mortis imperium, id est, diabolum. Dicitur Christus diabolum destruxisse quia suum destruxit imperium, dum sua morte homines à morte præsenti, & æterna liberauit: fecitque vt illi à morte ad vitam immortalem resurgerent, *& liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxij erant seruituti*, seu eriperet homines ab horrore mortis, quæ illis semper oculis mentis obuersabatur: & efficeret, vt fidentes, & alacres ad mortem tamquam ad finem ærumnarum, & melioris vitæ initium accurrerent. * Preme particulam, Obnoxij erant (ex timore mortis) *seruituti*. Mancipij vitam agit, qui mori timet? Certe impij huiusmodi seruitute sunt *obnoxij*, quia eorum mortem temporalem expectat æterna. Iusti verò ab hac formidine liberantur.] *Nusquam enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit.* Græcè, *Nusquam* in Angelos *manus iniecit*, vt eos à se fugientes reduceret: homines vero qui se fugerant, apprehendit, vt à fuga reuocet, & ad se reducat. Præsertim verò apprehendit semen Abrahæ, cum humanam carnem assumpsit. * Vt veluti ab vtero Christus didicisset fugientes homines apprehendere.] *Vnde debuit per*

Impij timoris mortis sũt mancipia miseræ addicti seruituti.

Ab vtero traxit Christus, fugiẽtes homines apprehendere, vt ad Deum reducat.

omnia fratribus assimilari, per *omnia* inquam, seu in omnibus, quæ Redemptorem, ac sanctificatorem decent, *vt misericors fieret*, quià ipse labores nostros expertus est. * Præsul qui est ignarus mali, subditis miseris succurrere non discit. Aliter Regina illa dictitabat:

Non ignara mali miseris succurre disco.]

Et fidelis Pontifex ad Deum. Fidelis dicitur, qui verè efficit id, quod nomine & officio suo pollicetur. Christus ergò *fidelis* meritò nuncupatur, nobis enim Deum placat, quod est Pontificis officij. *Vt repropitiaret delicta populi*, seu ad expiandum hominum crimina. *In eo enim, in quo passus est ipse, & tentatus, potens est, & eis, qui tentantur, auxiliari.* Quia ipse passus est, & tentatus, seu vexatus & afflictus, aptus est, & procliuis vt tentatorum misereatur, & illis opem impendat. * At si hoc liceat nostris Pontificibus, ac Rectoribus accommodare, quilibet Præsul *potens* erit agere in subdito, quod in seipso potens fuit agere. Si potuit seipsum omnino litare virtuti: idem agere in subditis *potens* erit: quod in se non potuit efficere, nec in subditis agere potens erit.]

Præsul laborum gnarus discit miseris subditis misereri.

Præsul qui potuit se totum ad virtutẽ adducere, idẽ agere in subditis potens erit: secus qui non potuit.

CAPVT III.

Christus Dominus est? Ergò præ Moyse famulo audiendus: Vltor alioqui incredulis futurus.

1. VNDE, fratres sancti, vocationis cælestis participes, considerate Apostolum & pontificem confessionis nostræ Iesum: 2. qui fidelis est eis, qui fecit illum, sicut & Moyses in omni domo eius. 3. Amplioris enim gloriæ iste præ Moyse dignus est habitus, quantò ampliorem honorem habet domus, qui fabricauit illam. 4. Omnis namque domus fabricatur ab aliquo: qui autem omnia creauit,
Deus est. 5. Et Moyses quidem fidelis erat in tota domo eius tamquam famulus
in testimonium eorum quæ dicenda erant: 6. Christus verò tamquam filius
in domo sua: quæ domus sumus nos, si fiduciam, & gloriam spei vsque ad finem, firmam retineamus. 7. Quapropter sicut dicit Spiritus sanctus: Hodie si
vocem eius audieritis, 8. nolite obdurare corda vestra, sicut in exacerbatione
secundùm diem tentationis in deserto. 9. vbi tentauerunt me patres vestri; probauerunt, & viderunt opera mea 10. quadraginta annis: Propter quod infensus fui generationi huic, & dixi: Semper errant corde. Ipsi autem non cognouerunt vias meas, 11. sicut iuraui in ira mea: Si introibunt in requiem meam.
12. Videte, fratres, ne fortè sit in aliquo vestrum cor malum incredulitatis, discedendi à Deo viuo: 13. sed adhortamini vosmetipsos per singulos
dies, donec Hodie cognominatur, vt non obduretur quis ex vobis fallacia peccati. 14. Participes enim Christi effecti sumus: si tamen initium substantiæ
eius vsque ad fidem firmum retineamus. 15. Dum dicitur: Hodie si vocem eius
audieritis, nolite obdurare corda vestra, quemadmodum in illa exacerbatione. 16. Quidam enim audientes exacerbauerunt, sed non vniuersi qui profecti
sunt ex Ægypto per Moysen. 17. Quibus autem infensus est quadraginta annis? Nónne illis, qui peccauerunt, quorum cadauera prostrata sunt in deserto?
18. Quibus autem iurauit non introire in requiem ipsius, nisi illis, qui increduli fuerunt? 19. Et videmus, quia non potuerunt introire propter incredulitatem.

COMMENTARII.

I. *Christus Dominum eſt Ergo pro Moyſe audiẽdus. Vltor incredulis futurus.*

VERS. 1.2.3.4.5.6. *Vnde fratres ſancti, &c.*] Quare ô fratres ſacro Baptiſmo ſanctificati, *vocationis cœleſtis participes*: ſeu à Deo vocati ad Regni cœleſtis hereditatem: *conſiderate Apoſtolum, & Pontificem confeſſionis noſtræ Ieſum*, attente conſiderate Chriſtum Ieſum eſſe Dei legatum ad homines maximè ad Hebræos, vt eos doceret Deoque reconciliaret: & Pontificem, ſeu Sacerdotem ſummum fidei, ac religionis, quam confitemur, & profitemur. *Qui* quidem Ieſus *fidelis eſt ei, qui fecit illum* Apoſtolum, & Pontificem. Fuit fidelis Apoſtolus, quia fideliter nunciauit hominibus Dei legem, & voluntatem. Fuit & fidelis Pontifex, quia fideliter redemptionem, & expiationem noſtrorum criminum cum vitæ ſuæ diſpendio peregit. * Profectò Apoſtolus aut Concionator *fidelis* non eſt qui audax nudam non profert veritatem; ſed vel eam reticet, vel tam occulti ſermonis tegmine eam profert indutam, vt ab auditoribus minimè capiatur.]

Non eſt fidelis Concionator qui nudam nõ profert veritatẽ cunctis intelligibilem.

Fidelis inquam, eſt Ieſus Deo, *ſicut & Moyſes in omni domo eius*. Seu in populo Iudaico (qui eſt Dei domus ſiue Eccleſia, in qua colitur) fidelis eſt. Quoniam autem dicit, *ſicut & Moyſes*, ne quis forte ex hac ſimilitudine æqualitatem etiam intelligeret eſſe inter Chriſtum & Moyſem, addit: *Amplioris enim gloriæ iſte præ Moyſe dignus eſt habitus, quanto ampliorem honorem habet domus*, ſeu domo, *qui fabricauit illam*. Chriſtus ſcilicet, tanto præſtantiorem præ Moyſe gloriam à Patre ſuſcepit, quanto maior domo eſt, qui illam extruxit. Chriſtus enim fabricator domus, ſeu Eccleſiæ fundator, Moyſes autem ſolum eſt domus illius pars. *Omnis namque domus fabricatur ab aliquo, qui autem omnia creauit, Deus eſt*. Chriſtus autem non ſolum eſt homo, ſed etiam Deus qui fundauit Eccleſiam, & reliquas omnes creaturas ex nihilo eduxit. *Et Moyſes quidem fidelis erat in tota domo eius tanquam famulus, in teſtimonium eorum, quæ dicenda erant*, ſeu vt fideliter referret populo quæ à Deo annunciare iubebatur. *Chriſtus verò tanquam Filius in domo ſua; quæ domus ſumus nos, ſi fiduciam, & gloriam ſpei vſque ad finem firmam retineamus*. Chriſtus tanquam Filius præeſt Eccleſiæ, & eam tanquam Dominus adminiſtrat, Eccleſia enim domus Chriſti ſumus, & erimus nos, ſi *fiduciam*, Græcè, *libertatem loquendi*, habuerimus ad fidei profeſſionem, vt nec minis, nec pœnis à Chriſto auellamur. Preme illud: *Et gloriam ſpei*, cur non dicet, *ſi retineamus ſpem gloriæ*, ſed *gloriam ſpei*. * Sane quia tam immenſa eſt cœleſtis gloriæ exuberantia, vt vel ipſum illam expectare nos glorioſos efficiat. Rerum temporalium ſpes quæ differtur, noſtrum torquet animum. At gloriæ ſpes quantumuis dilata gloria animum replet, quaſi eſſet ipſa æterna felicitas.].

Vel ipſa ſpes gloriæ cœleſtis nos quodãmodo glorioſos efficit.

Verſ. 7.8 9.10.11.12.13. Quapropter ſicut dicit Spiritus ſanctus, &c.] Quare vt Spiritus ſanctus Pſal. 94.8. *Hodie ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra ſicut in exacerbatione, ſecundum diem tentationis in deſerto, vbi tentauerunt me patres veſtri, probauerunt, & viderunt opera mea.* Si igitur hodie Chriſti vocem ex preconum ſuorum ore expreſſam audieritis, eam corde molli, ac docili excipite, non duro & pertinaci, ſicut olim fuere patres noſtri, qui ſua incredulitate Deum in deſerto exacerbauerunt, & ad iracundiam excitauerunt. Ibi me tentauerunt (ait Dñs) patres veſtri, iam ex diffidentia periculum facere volentes potentiæ, & veritatis meæ: tam meis verbis obmurmurantes, nec dictis meis adhibentes fidem, cum tamen experti eſſent, & opera mea mirabilia, quæ coram eis excitaram, aſpexiſſent, *quadraginta annis*. * Illud pondera: *Hodie ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra.* Annon accommodatius diceret, ſi hodie audieritis diuinam inſpirationem, nolite in diem craſtinam executionem differre? Aptè equidem dixit. *Nolite obdurare corda veſtra.* Idem enim eſt ſæpè differre in craſtinam diem hodiernæ inſpirationis executionem, ac cor indurari.] *Propter quod infenſus fui generationi huic, & dixi: ſemper errant corde. Ipſi autem non cognouerunt vias meas, ſicut iuraui in ira mea: ſi introibunt in requiem meam.* Ideo quidem non introduxi populum durum & ingratum in Terram promiſſam per longi temporis ſpatium: ſed variis cladibus afflixi, donec omnes, qui ex Ægypto egreſſi fuerant, Ioſue, & Caleb exceptis, extinguerentur, quia præcepta mea obſeruare noluerunt. Sicut iuraui iratus; ſi ingreſſi fuerint in terram promiſſam, in qua ſedes quietas eis ſum pollicitus, non exiſtimer verax. *Videte fratres, ne forte ſit in aliquo veſtrum cor malum incredulitatis diſcedendi à Deo viuo.* Itaque fratres, videte ne forte poſt fidem Chriſti acceptam increduli, corde iterum obdurato (ſicut patres infideles olim) ab illa excidatis. *Sed adhortamini voſmetipſos per ſingulos dies, donec Hodie cognominatur, vt non obduretur quis ex vobis fallacia peccati: Hodie* Significat præſentis vitæ tempus, gratiæ, & pœnitentiæ, quod cuique à Deo datur. Adhortamini ergò vos quotidie ad perſeuerandum in fide, ſpe, charitate, & in perſecutionum tolerantia, donec *Hodie* durat, ſeu donec viuitis: nec fallacibus voluptatum illecebris capti ad Dei vocem obdureſcatis. * Omnium vita quantumcumque longa, voce *Hodie* ſignificatur: vt eius perpendas breuitatem. Centum annorum vita quaſi vna dies.]

Differre in diem craſtinam hodiernæ inſpirationis executionem, ſæpè idem eſt, ac cor obdurari.

Longa hominum vita quaſi vna dies ob breuitatem.

Verſ. 14.15.16.17.18.19. Participes enim ſumus, &c.] Agnoſcamus dignitatem noſtram; iam enim per Baptiſmum, Chriſti membra ſumus, ſpiritusque & gratiæ eius participes: *ſi tamen initium ſubſtantiæ eius vſque ad finem firmum retineamus*, ſeu ſi ſuſceptam fidem, per quam in via hac ſpirituali ſubſiſtimus, & quæ eſt fundamentum ſalutis & ſpei noſtræ, firmam vſque ad vitæ exitum retineamus. *Dum dicitur, Hodie ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra quemadmodum in illa exacerbatione.* Dum itaque dicitur. *Hodie*, dum vita durat, vos hortor, vt fidem integram vſque ad huius diei finem retineatis. *Quidam enim audientes exacerbauerunt ſed non vniuerſi, qui profecti ſunt ex Ægypto per Moyſen.* Seu non omnes, qui ex Ægypto exierunt Moſis ductu, Deum exacerbauerunt, quia non Ioſue, non Caleb, non paruuli, non mulieres], non Leuitæ: ideoque vti culpa, ita & pœna fuerunt expertes; Incolumes

lumes enim ad Terram promissam fuerunt ingressi. *Quibus autem infensus est quadraginta annis? Nonne illis, qui peccauerunt, quorum cadauera prostrata sunt in deserto? Quibus autem iurauit non introire*, seu quod non ingressuri essent, *in requiem ipsius? nisi illi, qui increduli fuerunt? Et videmus, quià non potuerunt introire propter incredulitatem.* Ac si diceret. Vti Deus iurauit, ita est factum. Multum immoratur Apostolus in incredulitatis detestatione, quia eos maxime in fide confirmare contendebat. * Innuens Concionatoribus, operæ pretium esse ad vnam virtutem persuadendam efficacius, vitij oppositi vbertim ponderare malitiam.]

Concionator volens vnam virtutē persuadere, vitij contrarij malitiam vbertim ponderet.

CAPVT IV.

Ostendit, Christum necessariò audiendum à nobis, vt æternam felicitatem assequamur.

1. TIMEAMVS ergò ne fortè relicta pollicitatione introëundi
in requiem eius, existimetur aliquis ex vobis deesse. 2. Etenim & nobis nunciatum est, quemadmodum & illis: sed non
profuit illis sermo auditus, non admistus fidei ex iis quæ audierunt. 3. Ingredimur enim in requiem, qui credidimus:
quemadmodum dixit: Sicut iuraui in ira mea: Si introibunt
in requiem meam: & quidem operibus ab institutione mundi perfectis: 4. Dixit enim in quodam loco de die septima sic: Et requieuit Deus
die septima ab omnibus operibus suis. 5. Et in isto rursum: Si introibunt in requiem meam. 6. Quoniam ergo superest introire quosdam in illam, & ij, quibus
prioribus annuntiatum est, non introierunt propter incredulitatem: 7. iterùm
terminat, diem quemdam, Hodie, in Dauid dicendo, post tantum temporis, sicut
suprà dictum est. Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra.
8. Nam si eis Iesus requiem præstitisset, nunquam de alia loqueretur, posthac,
die. 9. Itaque relinquitur sabbatismus populo Dei, 10. Qui enim ingressus est in
requiem eius: etiam ipse requieuit ab operibus suis, sicut à suis Deus. 11. Festinemus ergo ingredi in illam requiem: vt ne in idipsum quis incidat incredulitatis
exemplum. 12. Viuus est enim sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti: & pertingens vsque ad diuisionem animæ ac spiritus, compagum quoque ac medullarum, & discretor cogitationum & intentionum cordis. 13. Et non
est vlla creatura inuisibilis in conspectu eius: omnia autem nuda & aperta sunt oculis eius, ad quem nobis sermo. 14. Habentes ergo pontificem magnum qui penetrauit cœlos, Iesum filium Dei: teneamus confessionem. 15. Non enim habemus
pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris: teņtatum autem per omnia pro similitudine absque peccato. 16. Adeamus ergo cum fiducia ad thronum
gratiæ, vt misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno.

COMMENTARII.

1. Christus necessariò à nobis audiendus, vt salutem assequamur æternam.

VERS. 1. 2. 3. 4. 5. *Timeamus ergò, &c.*] Timeamus igitur ô fratres, & timendo præcaueamus, *ne* per ignauiam, vel per inconstantiam, *relicta*, seu neglecta *pollicitatione* omnibus à Deo facta de æterna requie consequenda *existimetur*, Græcè, *videatur*, seu inueniatur *aliquis* nostrum *deesse*, Græcè, *frustratus*, vel exclusus illa esse. *Etenim & nobis nunciatum est*, & prædicatum verbum Dei (nam & illis per Moysem nunciatum fuerat) *Sed* sicut non profuit illis sermo auditus auribus audiendi, quia non fuit *admissus fidei*, seu receptus fide, vel non creditus *ex iis*, seu secundum ea, *quæ audierant*, *Ingredimur enim in requiem qui credidimus.* Procul dubio requie illa potiemur æterna, si fidem viuam habuerimus; non enim est negata requies, nisi incredulis. De iis enim dictum est illud Danidicum: *Quibus iuraui in ira mea, si introibunt in requiem meam: & quidem operibus ab institutione mundi perfectis.* Docet Apostolus quænam sit requies, quam per Dauidem Spiritus sanctus promisit. Dixit quidem Deus hæc iam perfectis, & completis suis operibus à constitutione mundi. Vnde non loquitur de requie sabbati, seu septimi diei, nam hæc requies iam diù transierat: sed neque loquitur de requie, quam Israëlitis præbuit Iesus, seu Iosue in Chananitide: quia in hanc iam ingressi erant, cum per Dauidem Psal. 94. requiem de nouo promittit. *Dixit enim in quodam loco*, nempe Gen. 2. 2. de *die septimo sic: Et requieuit de die septima ab omnibus operibus suis. Et in isto* Psalmo 94. *rursum: si introibunt in requiem meam.* Ac si diceret, Præter requiem

quietem sabbati habet Deus aliam requiem, quam hominibus præparaui, & à qua incredulos exclusit.

*Vers.*6.7.8.9.10.11.*Quoniam ergò superest, &c.*] Siquidem supersunt adhuc aliqui, qui ingressuri sunt, quos scilicet Deus designauit, vt beatæ illius requiei possessores constituat: *& ij, quibus annunciatum est, non introierunt propter incredulitatem:* seu Iudæi, quibus terra Chanaan promissa fuerat, mortui sunt in deserto, ideoque illa requie materiali non fuere potiti: *iterum terminat diem quendam Hodie in Dauid dicendo post tantum temporis, sicut supra dictum est: Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra:* seu iterum præfinit, & signat quoddam spatium temporis *Hodie*, id est, tempus vitæ nostræ, quo possumus ingredi in aliam meliorem requiem à Dauide designatam tanto tempore post factam distributionem terræ promissæ. Porrò cum Dauid tanto tempore post factam illam distributionem, adhuc inuitet ad requiem capessendam verbis illis citatis: *Hodie, si vocem eius audieritis, &c.* euidens est, aliam adhuc requiem superesse ad quam tendamus, præter illam, quam populus fuit adeptus in terræ Chanaan possessione. Hæc autem cælestis patriæ est beata quies. * Illam particulam expende: *Quoniam ergò superest introire quosdam*, scilicet ad æternam requiem. Cur non dixit. Superest introire *multos*, sed *quosdam?* Sanè quia exiguus est electorum numerus, si cum pene immenso reproborum numero comparetur. Vndè vigilare te oportet, vt cum illis aliquibus Regnum æternum assequare.] *Nam si eis Iesus requiem præstitisset, nunquam de alia loqueretur posthac die.* Si aliquis obiiciat. Esto increduli ingressi non fuerint terram promissam: alij autem sunt ingressi nempe Iesus Naue, seu Iosue, Caleb, & qui vigesimum annum non attigerant, cum egressi sunt ex Ægypto: sic respondeo: si tempore Iosue consecuti fuissent requiem, de qua Dauid loquitur: non esset opus illam tam longo post tempore promittere. Ergo certum est, aliam requiem superesse, de qua loquitur Psaltes. Nec enim amplius loqueretur de quietis die, ad quem aspirare deberemus. *Itaque relinquitur Sabbatismus populo Dei*, seu illi populo, qui non est incredulus, sed fide viua Christo adhæret, relinquitur veri Sabbati celebratio, & perpetuæ in cælo quietis. *Qui enim ingressus est in requiem eius, etiam ipse requieuit ab operibus suis, sicut à suis Deus*, seu qui requiem Domini ingreditur, ab omni requiescit labore huius mortalitatis: quemadmodum de ipso Deo dicitur post creationis opera requieuisse. *Festinemus ergo ingredi in illam requiem: vt ne in idipsum quis incidat incredulitatis exemplum.* Seu nulla persecutio, afflictio nulla nostrum cursum retardet, ne quis fiat simile incredulitatis exemplum, quale fuere Hebræi, & simili clade pereat. * Cæcus enim omninò est, qui videns alium alicuius peccati reum à Deo fuisse punitum, non timeat, se simili culpa infectum eidem supplicio fore plectendum. * Aptè quidem cælestis requies *Sabbatismus* à Paulo vocitatur, qui post sex dierum opera celebratur. Quia laborantibus illa paratur requies: otio autem torpentes minime ad eam admittuntur.

Exiguus electorũ numerus, si cũ immẽso reproborum comparetur.

Cum videris, aliũ pro quodam peccato

à Deo punitũ, time te eidem crimini obnoxiũ pœna eadẽ plectendum.

Cælestis requies sabbatum est supponens labores præmiũdos ad eius assecutionẽ.

*Vers.*12.13.14.15.16. *Viuus est enim sermo, &c.*] Græcè, pro *sermone verbum* ponitur, & de Christo intelligitur, qui est viuus Dei sermo omnia considerans, & videns, *& efficax*, seu potens ad sontes muniendum, *& penetrabilior omni gladio ancipiti.* Illud dicitur penetrare, quod rei profunda ingreditur; nihil autem est tam profundum, quod Christum lateat: *& pertingens vsque ad diuisionem animæ & spiritus*, compagum quoque, ac medullarum. *Anima* dicitur inferior pars, quæ cupiditates & affectiones patitur: vnde in Scriptura dicitur, *animalis homo spiritus*, est superior pars, fide & gratia illustrata, quæ Deo obtemperat, meliora videt, ac sequitur. *Compages* sunt ligamenta illa, quibus ossa inter se ita valide colligantur, vt sine magno labore diuidi non valeant. *Medulla* est substantia in intimis ossibus latens. Porrò hac congerie verborum res abditissimas significantium docemur, nihil esse in corpore, aut in anima tam abstrusum, quò Dei cognitio non perueniat, & ibi non possit per supplicia suam exponere potentiam. Cæterum *& discretor* est *cogitationum & intentionum cordis.* Nouit quid quisque intra se cogitet, & quo animo quidque faciat, quò cogitatione, ac voluntate tendat. *Et non est vlla creatura inuisibilis in conspectu eius: omnia autem nuda, & aperta sunt oculis eius.* Nihil ei potest abscondi. *Ad quem nobis sermo*, seu cui reddituri sumus actuum nostrorum rationem. Vel, de quo Dei sermone nobis est sermo institutus. *Habentes ergo Pontificem magnum, qui penetrauit cælos Iesum Filium Dei: teneamus confessionem.* Ac si dicat: Agite Hebræi, in Christi fide persistite, ad requiem cælestem properate. Facilè eo conscendemus duce Christo, qui cælos penetrauit; dummodo confessionem, seu professionem fidei constanter retineamus. *Non enim habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris: tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato.* Fateor difficile est persecutiones, & afflictiones tolerare, quæ professione fidei sunt agnatæ. At Pontifex noster Christus nostri misertus feret opem. Ipse enim etiam pro veritate tuenda, & pro hominum salute dira sustinuit: per omnia afflictus, paratus est afflictis opitulari. Quia similis nobis dignatus est fieri, excepto peccato. *Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ, vt misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno.* Ex Græco, Adeamus non trepidi, sed cum libera quadam audacia ad Christum, ad Patris dexteram sedentem nobis misereri paratum vt à Deo per Christum assequamur misericordiam, & Christi gratiam, seu fauore donemur opportuno tempore, siue tentationis, aut persecutionis instantia.

CAPVT

CAPVT V.

Christus Pontifex noster pro nobis Patrem interpellat, & morte sua nobis vitam attulit.

1. OMNIS namque Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, vt offerat dona, & sacrificia pro peccatis: 2. qui condolere possit iis, qui ignorant, & errant: quoniam & ipse circumdatus est infirmitate: 3. & propterea debet, quemadmodum pro populo, ita etiam & pro semetipso offerre pro peccatis. 4. Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo, tanquam Aaron. 5. Sic & Christus non semetipsum clarificauit vt pontifex fieret: sed qui locutus est ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te. 6. Quemadmodum & in alio loco dicit: Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech. 7. Qui in diebus carnis suæ, preces supplicationesque ad eum, qui possit illum saluum facere à morte, cum clamore valido & lacrymis offerens, exauditus est pro sua reuerentia. 8 Et quidem cùm esset Filius Dei, didicit ex iis, quæ passus est, obedientiam: 9. & consummatus, factus est omnibus obtemperantibus sibi, causa salutis æternæ, 10. appellatus à Deo pontifex iuxta ordinem Melchisedech. 11. De quo nobis grandis sermo, & ininterpretabilis ad dicendum, quoniam imbecilles facti estis ad audiendum. 12. Etenim cum deberetis magistri esse propter tempus: rursum indigetis vt vos doceamini quæ sint elementa exordij sermonum Dei: & facti estis quibus lacte opus sit, non solido cibo. 13. Omnis enim, qui lactis est particeps, expers est sermonis iustitiæ: paruulus enim est. 14. Perfectorum autem est solidus cibus; eorum, qui pro consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni ac mali.

COMMENTARII.

1. *Christus Pontifex noster pro nobis Patrem interpellat.*

VERS. 1. 2. 3. 4. *Omnis namque Pontifex, &c.*] Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, *pro hominibus* Deo reconciliandis *constituitur in ijs* negotiis, *quæ ad*, seu apud Deum agenda *sunt*. Et *vt offerat dona, & sacrificia pro peccatis.* * Preces quidem, & Missæ celebratio sunt nostrorum Pontificum sacrificia: quænam autem sunt dona, quæ Deo debet offerre pro subditorum peccatis. Certè eleemosynæ. Deus enim donaria illa in pauperibus accipit.] *Qui condolere possit iis, qui ignorant, & errant*, seu qui seductis compati, & succurrere valeat: & ad id pronus, ac facilis sit. * Ostium Episcopi esse debet semper apertum, nec vlla vnquam obiicienda ad eum alloquendum difficultas.] Et ad ignoscendum erratis subditorum pronus sit, memor quod ipse *circumdatus* etiam *sit* carnis *infirmitate* ad piacula prona. *Et propterea debet quemadmodum pro populo, ità etiam & pro semetipso offerre peccatis.* * Non sic Præsul & Rector subditorum saluti & profectui studium debet impendere, vt suiipsius obliuiscatur.] *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron.* Hanc Pontificatus dignitatem nemo sibi eligit, sed qui à Deo eligitur. Sic Aaron præ Mose fuit electus, Eleazar præ Ithamare, & aliis, fratribus, Heli abnepos Ithamaris præ Eleazari nepotibus. * Qui ambit Præsulatum, & curat gratiam ad id aulicorum venari, non à Deo sed ab hominibus se credat electum. Vndè tardò videris vel vnum ex istis apte suo muneri satisfacere.]

Dona, quæ Episcopus Deo debet offerre pro peccatis populi, sunt eleemosynæ.

Episcopus sit facilis ad audiendum subditos.

Præsul curans subditorum salutem, propriæ non obliuiscatur.

Contrà eos qui Episcopatum ambiunt.

Vers. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. Sic & Christus non semetipsum clarificauit, &c.] Græcè, *glorificauit*. Profectò Christus Dominus gloriam Pontificatus non sibi arrogauit, aut ambiuit: sed à patre, *qui locutus est ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te*, Psal. 2. 7. accepit, *vt Pontifex* fieret. *Quemadmodum & in alio loco*, nempe Psal. 109. 4. *dicit: Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*, siue secundum ritum Regis illius. Christus igitur dicitur sacerdos secundum Melchisedech ordinem, quia caret patre, (de quo infra) nullique successit: idemque Rex est, & sacerdos: panem & vinum in suprema cœna obtulit, seu corpus suum in specie panis, & sanguinem in specie vini, nec est vnius populi, sed omnium nationum sacerdos: nec est Solymitano Templo alligatus, cum eius nomine, & auctoritate, vti ait Malachias cap. 1. in omni loco munda oblatio offeratur. *Qui in diebus carnis suæ*, seu dum in hoc mortali corpore degeret inter homines, *preces, supplicationes quoad eum, qui possit illum saluum facere à morte, cum clamore valido, & lacrymis offerens, exauditus est pro sua reuerentia.* In Græco *Preces* generale nomen est, *supplicationes* autem, sunt supplicum precatio-

nes, quales sunt eorum, qui ad pedes se adiiciunt eorum, quos orant. Christus & in horto, & in cruce infirmitate humana circumdatus pro nobis infirmis feruentissimè orauit non solùm profūdens clamorem illum validum clamorem ab Euangelistis expressum, sed & lacrymas: licet hoc Euangelistæ non expresserit: & pro reuerentia sua, seu quia reueritus est Patrem, & quia reuerenter erga Patrem semper omnia gessit, fuit exauditus. * Dixi *supplicationem* esse orationem ab eo qui se ad pedes adiicit eius, quem orat. Christus apud hortum procidit in faciem oratutus: & pro hac reuerentia exauditus est. Sæpè modus orandi magis est ad impetrandum efficax, quàm ipsa deprecatio.] Aliqui particulam *Pro sua reuerentia* passiuè sumunt, vt sit sensus, Tanta fuit Christi reuerentia erga Patrem, vt & ipse Pater eum reueritus sit, & quasi pro reuerentia non sustinuerit, quidquam illi negare.

Reuerentia humilis in oratione potentissima est ad impetrandum.

* Vt ediscas, humilem submissionem non despici ab illo, qui accipit: potius eum allicit vt reuereatur magis illum quem humilitatis cultorem aspexit. Et quando humilitas non exaltata?] *Et quidem cum esset Filius Dei, didicit ex iis, quæ passus est, obedientiam* Cum Filius Dei esset, cui propterea impassibilitas debebatur: passibili apparuit in carne: & ex iis, quæ perpessus fuit, experimentaliter didicit, seu nouo ac exactiori modo expertus est, & exercuit obedientiam, id est, virtutem, & laborem arduum obedientiæ. *Arduus* est quidem, (vt inquit Anselmus) sed obedientia habet *virtutem* ad roborandum veri obedientis animum ad difficilem laborem hunc placide subeundum.] *Et consummatus, factus est omnibus obtemperantibus sibi, causa salutis æternæ.* seu consummatis omnibus obedientiæ, patientiæ, charitatis operibus, dixit in cruce, *consummatum est*, & nobis omnibus factus est causa æternæ salutis, si eius præscriptis obtemperauerimus: *appellatus à Deo Pontifex iuxta ordinem Melchisedech:* seu denominatus constitutus à Deo summus Pontifex noster, iuxta ordinem non Aaronis, sed Melchisedechi *grandis nobis restat sermo*, seu discursus, *& interpretabilis ad dicendum*, seu difficillimus explicatu: *quoniam imbecilles facti estis, ad audiendum*, seu propter indispositionem, & incapacitatem vestram.

Non despicitur, qui alteri humiliatur, sed ab illo dignus reuerentia obiicitur.

Arduus est obedientiæ labor, sed ipsa obedientia vires dat ad laborem hunc placidè subeundum.

Vers. 12. 13. 14. Etenim cum deberetis, &c.] Cum enim *deberetis Magistri esse propter* diuturnum *tempus*, quo Deo seruistis siue in lege Mosaica, siue in Christiana religione: *rursum indigetis, vt doceamini elementa exordij sermonum Dei*, seu prima rudimenta doctrinæ Euangelicæ; *& facti estis, quibus lac opus sit, non solido cibo.* Eadem prima Christianæ doctrina rudimenta *lac* vocitat, puerile, ac facile alimentum: altiorem autem doctrinam *solidum* adultorum *cibum*. *Omnis enim, qui lactis est particeps, expers est sermonis iustitia*, seu qui prima, & puerili institutione adhuc indiget, Græcè, *inexpertus* est, rudis, incapax doctrinæ quæ de perfecta iustitia, perfectioneque Christiana prouectioribus traditur. * Errat profectò spiritualis Magister qui ætatibus agnata non aptat alimenta. Incipientibus enim, quibus lac opus est, solidus altioris perfectionis cibus prorsus erit inutilis.] Vnde ridiculum dixerim Concionatorem, qui apud rusticos legis ignaros Trinitatis beatissimæ subtilissima arcana enunciare studuerit.] Homo huiusmodi incapax est tam sublimis doctrinæ, *paruulus enim est. Perfectorum autem est solidus cibus*, eorum scilicet, qui *pro consuetudine*, seu longo vsu seu discendi, seu docendi, iam *exercitatos habentes sensus, ad discretionem boni, & mali*, seu in qua quære quid vtile sit, quid noxium, quid verum, quid falsum.

Spiritualis Magister capiui discipulorū doctrinam accommodet.

CAPVT VI.

Inchoat Apostolus altioris doctrinæ tractatum, Hebræos ad constantiam, & patientiam adhortans.

1. QVAPROPTER intermittentes inchoationis Christi sermonem, ad perfectiora feramur, non rursum iacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, & fidei ad Deum, 2. baptismatum doctrinæ, impositionis quoque manuum, ac resurrectionis mortuorum, & iudicij æterni. 3. Et hoc faciemus, si quidem permiserit Deus. 4. Impossibile est enim, eos qui semel sunt illuminati, gustauerunt etiam donum cæleste, & participes facti sunt Spiritus sancti, 5. gustauerunt nihilominùs bonum Dei verbum, virtutésque sæculi venturi, 6. & prolapsi sunt; rursus renouari ad pœnitentiam, rursum crucifigentes sibimetipsis filium Dei, & ostentui habentes. 7. Terra enim sæpè venientem super se bibens imbrem, & generans herbam opportunam illis, à quibus colitur, accipit benedictionem à Deo: 8. proferens autem spinas ac tribulos, reproba est, & maledicto proxima: cuius consummatio in combustionem. 9. Confidimus autem de vobis, dilectissimi, meliora, & viciniora saluti: tametsi ita loquimur. 10. Non enim iniustus Deus, vt obliuiscatur operis vestri, & dilectionis quam ostendistis in nomine ipsius, qui ministrastis sanctis, & ministratis. 11. Cupimus autem

tem vnumquemque vestrûm eamdem ostentare sollicitudinem ad expletionem spei
vsque in finem: 12. vt non segnes efficiamini, verùm imitatores eorum, qui fide
& patientia hereditabunt promissiones. 13. Abrahæ namque promittens Deus,
quoniam neminem habuit, per quem iuraret, maiorem, iurauit per semetipsum,
14. dicens: Nisi benedicens benedicam te, & multiplicans multiplicabo te.
15. Et sic longanimiter ferens, adeptus est repromissionem. 16. Homines enim
per maiorem sui iurant: & omnis controuersiæ eorum finis, ad confirmationem,
est iuramentum. 17. In quo abundantiùs volens Deus ostendere pollicitationis
heredibus immobilitatem consilij sui, interposuit iusiurandum: 18. vt per duas
res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habea-
mus, qui confugimus ad tenendam propositam spem: 19. quam sicut anchoram
habemus animæ tutam ac firmam, & incedentem vsque ad interiora velaminis:
20. vbi præcursor pro nobis introiuit Iesus, secundùm ordinem Melchisedech pon-
tifex factus in æternum.

COMMENTARII.

1. *Altioris doctrinæ tractatum Apostolus inchoat.*

VERS. 1.2.3.4.5.6. *Quapropter intermittentes, &c.*] Græcè, *omittentes.* Quasi dicat omittentes *inchoationis Christi sermonem*, seu doctrinam solitam initio de Christi lege tradi, & Christianismi fundamenta, v. gr. de inchoanda vita spirituali per fidem, de resurgendo *ab operibus mortuis*, seu à peccatis *per pœnitentiam*, per sacramentum Baptismi, Confirmationis per *impositionem manuum, resurrectionis mortuorum, & iudicij æterni; ad perfectiora feramur*; quia hæc omnia sat exactè iam tenetis. *Et hoc faciemus, siquidem permiserit Deus,* seu diuino enim beneplacito eodemque opitulante de perfectioribus disseremus. *Impossibile est enim*, seu difficillimum, & ordinariè non fit, *eos, qui semel sunt illuminati, gustauerunt etiam donum cæleste, & participes facti sunt Spiritus sancti, gustauerunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesque sæculi venturi: & prolapsi sunt: rursus renouari ad pænitentiam.* Difficillimum, inquam est, eos, qui insignia lumina, ac dona cælestia à Deo acceperunt, & gustauerunt diuinarum consolationum donum, & charismatum sancti spiritus sunt effecti participes, & doctrinam cælestia bona promittentem cum suauitate & gaudio perceperunt, & futuri sæculi felicitatem bonis promissam sunt contemplati: & post hæc omnia prolapsi sunt in crimina, rursum per pœnitentiam renouari. Quare? Quia gesserent id, *rursus crucifigentes sibimetipsi Filium Dei.* * Qui in peccata enim relabuntur, dicuntur iterum Christum crucifigere, quia quantum est in se nouo peccato, dat nouam causam mortis Christi, agit enim id, propter quod Christus fuit cruci suffixus.] * Hic Apostolus speciatim ad Sacerdotes & Religiosos hanc dirigit sententiam. Rarò enim videris, eos, qui perfectionis studiosi ex præcelso gradu in crimina relabi, ad eundem gradum ascendere. Licet enim pœnitentia virtutem habeat ineffabilem, haud illi hoc medicamine vtuntur vt oportet, ex peccato tepiditatem induentes.] * Illud preme: *Gustauerunt virtutes sæculi venturi.* In Græco est *potentias sæculi venturi.* Quia scilicet meditatio eorum, quæ in venturo sæculo hominem expectant nempe vel æterna felicitas, vel æternum supplicium potentissima est ad continendum nos, ne delinquere audeamus.] *& ostentum habentes*, Græcè, in *paradigma & exemplum* statuentes Christum quod ab omnibus videatur, & contemnatur, irrisioni & ludibrio eum exponentes, vti gessit Pilatus, cum producens Dominum in publicum dixit: *Ecce homo.* * Et quidem qui post pœnitentiam relabitur, quantum est in se Christi passionem, qua fuerat mundatus, obiicit irrisioni.]

Qui post pœnitentiam relabitur, iterum Christum cruci suffigit.

Rarò videris Religiosum à perfectionis gradu prolabentem in crimina perfectè ad illum regredi.

Meditatio gloriæ, & gehennæ potentissima est ad nos in virtute continendos.

Qui post pœnitentiam relabitur, passionem Christi obiicit irrisioni.

Vers. 7.8.9.10.11.12. Terra enim sæpè venientem, &c.] Bibens terra *sæpè imbrem super se venientem: & generans herbam opportunam illis, à quibus colitur*, seu semini iacto ab agricolis respondentem, *accipit benedictionem à Deo: proferens autem* loco tritici, seu hordei iacti *spinas, ac tribulos, reproba est, ac maledicto proxima, cuius consummatio in combustionem*, seu parum abest, vt illi Deus maledicat, quomodo ficui, *Mat.* 21. cuius finis erit combustio. Significat Paulus, homines, qui diuinæ gratiæ imbrem excipiunt, eique cooperantes bonorum operũ fructus referunt, à Deo benedici, seu maioris gratiæ copia cumulari. Qui autem fructum non tulerit, maledictione affectus æternum feretur in ignem. *Confidimus autem de vobis dilectissimi, meliora, & viciniora saluti.* Græcè, *pro certo habemus*, posse nos de vobis sperare meliora, nempe, per viam salutis incessuros: *tametsi ita loquimur*, licet de gehenna loquamur, imminentis impiis periculi monentes. * Hinc colligo, etiam inter iustos, & perfectos operæ pretium esse non semel de gehenna loqui, cuius memoria, si impios ad meliorem frugem allicit, pios continet in virtute.] *Non enim iniustus Deus, vt obliuiscatur operis vestri*, seu vestræ fraternæ dilectionis, ob quam vobis debitam mercedem procul dubio rependet. * Cur non dixit. *Operum vestrorum*, sed singulariter *operis vestri*, quod opus Interpretes fraternam charitatem esse dictitant? Certè qui proximum, vt fratrem diligit, exhibet testimonium se reliqua præcepta vbertim implere.] Non inquam Deus obliuioni tradet *dilectionem* vestram, *quam ostendistis in nomine ipsius, qui ministrastis sanctis, & ministratis*, seu quam dilectionem fraternam ostendistis, dum propter ipsum Deum quem diligitis, Christianis indigentibus vestris eleemosynis subleuastis, & adhuc succurritis. * Nec enim contentus esse debes opera charitatis exhibuisse, sed nunquam non ea debes præstare. Ideo Paulus dicit: *Ministrastis, & ministratis.*] *Cupimus autem, vnumquemque vestrum eandem ostentare sollicitudinem ad expletionem spei*, seu vt bonis

Etiam apud iustos, & perfectos loqui aliquando oportet de gehenna.

Qui proximum diligit, vt lex imperat, innuit, se reliqua præcepta custodire.

De bonis operibus iã actis contentus non sis, noua quotidie præsta.

bonis operibus expressis quotidie spes vestra crescat, & plenior sit, tandemque re ipsa expleatur, cum eritis æternæ compotes beatitudinis. * Certè additis bonis operibus crescit spes muneris vberioris assequendi. *Vt non segnes efficiamini* in retinendo, & prosequendo Euangelio, *verùm imitatores eorum, qui fide, & patientia hereditabunt promissiones*, seu ea assequentur, quæ Deus rectè viuentibus promisit.

Crescẽtibus operibus bonis crescit maioris præmij spes.

Vers. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. *Abrahæ namque, &c.*] Quod dixit, *Imitatores estote eorum, qui fide & patientia hereditabunt promissiones*, Abrahæ exemplo confirmo. Nam cum Deus habuerit *neminem maiorem*, per quem iuraret, *iurauit per semetipsum promittens Abrahæ* fidei ac patientiæ præmium *dicens: Nisi benedicens benedicam te, & multiplicans multiplicabo te.* Nisi beneficiis meis cumulate te affecero, verax non habear, vel Deus non existimer. Ostendit planè, promissionem Dei fore certam, & firmam, nec quenquam de ea posse dubitare, quia eam Deus iuramento confirmauit. *Et sic longanimiter ferens, adeptus est repromissionem*, seu longaminiter expectans rem promissam fuit Abraham patet adeptus. *Homines enim per maiorem sui iurant; & omnis controuersia eorum finis est iuramentum*, ad veritatis confirmationem. * Hoc quidem firmum esse debebat, sed vereor, ne aliquorum intolerabili Dei obliuione, eius nomen assumatur sacrilege ad mendacij robur. Nullus iurare audeat, nisi videat, se posse Dei iurantis veritatem imitari.] *In quo abundantius volens Deus ostendere pollicitationis heredibus immobilitatem consilij sui, interposuit iuramentum*, seu in qua promissione volens Deus veris Abrahæ filiis, qui promissionis ei factæ sunt heredes, quam firmum esset, quodquod Abrahæ, & eius filiis promittebat, præter promissionem, quæ quidem sufficeret, etiam iusiurandum interposuit. *Vt per duas res immobiles, quibus impossibile est, mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem*, seu vt per duplicem rem infallibilem, nempe promissionem & iuramentum Dei, (nam nec simplici promissione facta potest mentiri, aut fallere cum ipsa sit veritas) *solatium* Græcè, *exhortationem* habeamus, qua excitati, aggrediamur alacres ardua, & fortes feramus aduersa. *Quam* quidem spem tam firmæ promissionis *sicut ancheram habemus animæ tutam, & firmam, & incedentem vsque ad interiora velaminis.* Ex quo fidem Christi sumus amplexi, relicto amore fallaci sæculi, confugimus ad cælestium bonorum spem, quæ quidem in summo, seu in cælo, Deoque ipso defigitur immobiliter. Profectò anchora hæc spei nostræ non satis habet in vestibulum peruenisse, siue non est terrenis bonis contenta; sed penetrat vsque ad *interiora velaminis*, seu vsque ad ea, quæ inuisibilia in superis latitant. *Vbi præcursor pro nobis introiuit Iesus, secundum ordinem Melchisedech Pontifex factus in æternum*, seu ad quæ interna gaudia nobis nunc velamine obducta primus Christus Dominus die Ascensionis intrauit, vt *nobis* ad ea aditum patefaceret velamine abstracto. Ibi Pontifex noster secundum ritum Melchisedech Patri æternum assistet. * Cur *Pontifex* Patri, & non Iudex, non Legislator assidere dicitur? Sanè vt innuatur, semper promptum esse ad soluendum nos à peccatorum vinculis, & orandum pro nobis, quod Pontificis est officium.]

Peierantes taxantur.

Christus Patri assidet vt *Pontifex*, vt innuat, semper esse promptum ad soluendum nos à peccatis.

CAPVT VII.

Ostendit abrogato iam Aaronis sacrificio Christi sacrificium longè præstantius successisse.

1. HIc enim Melchisedech, rex Salem, Sacerdos Dei summi,
qui obuiauit Abrahæ regresso à cæde regum, & benedixit ei:
2. Cui & decimas omnium diuisit Abraham: primùm qui-
dem qui interpretatur rex iustitiæ: deinde autem & rex Sa-
lem, quod est, rex pacis, 3. sine patre, sine matre, sine
genealogia, neque initium dierum, neque finem vitæ habens,
assimilatus autem Filio Dei: manet Sacerdos in perpetuum.
4. Intuemini autem quantus sit hic, cui & decimas dedit de præcipuis Abraham Pa-
triarcha. 5. Et quidem de filiis Leui Sacerdotium accipientes, mandatum habent
decimas sumere à populo secundùm legem, id est, à fratribus suis: quamquam &
ipsi exierint de lumbis Abrahæ. 6. Cuius autem generatio non annumeratur in
eis, decimas sumpsit ab Abraham, & hunc, qui habebat repromissiones, benedi-
xit. 7. Sine vlla autem contradictione, quod minus est, à meliore benedicitur.
8. Et hic quidem, decimas morientes homines accipiunt: ibi autem contestatur,
quia viuit. 9. Et (vt ita dictum sit) per Abraham, & Leui, qui decimas accepit,
decimatus est. 10. Adhuc enim in lumbis patris erat, quando obuiauit ei Melchi-
sedech. 11. Si ergo consummatio per Sacerdotium Leuiticum erat (populus enim
sub ipso legem, accepit) quid adhuc necessarium fuit, secundùm ordinem Melchise-
dech alium surgere Sacerdotem; & non secundùm ordinem Aaron dici? 12. Trans-

lato enim Sacerdotio, necesse est vt & legis translatio fiat. 13. In quo enim hæc dicuntur, de alia tribu est, de qua nullus altari præsto fuit. 14. Manifestum est enim quod ex Iuda ortus sit Dominus nostet: In qua tribu nihil de Sacerdotibus Moyses locutus est. 15. Et amplius adhuc manifestum est: si secundùm similitudinem Melchisedech exurgat alius Sacerdos. 16. Qui non secundum legem mandati carnalis factus est, sed secundum virtutem vitæ insolubilis. 19. Contestatur enim: Quoniam tu es sacerdos in æternum, secundùm ordinem, Melchisedech. 18. Reprobatio quidem fit præcedentis mandati, propter infirmitatem eius, & inutilitatem; 19. Nihil enim ad perfectum adduxit lex: introductio verò melioris spei, per quam proximamus ad Deum. 20. Et quantum est non sine iureiurando Sacerdotes facti sunt. 21. Hic autem cum iureiurando, per eum, qui dixit ad illum: Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum: tu es Sacerdos in æternum. 22. In tantum melioris testamenti sponsor factus est Iesus. 23. Et alij quidem plures facti sunt sacerdotes, idcircò quòd morte prohiberentur permanere: 24. hic autem eo quod maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium. 25. Vnde & saluare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum: semper viuens ad interpellandum pro nobis. 26. Talis enim decebat vt vt nobis esset pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cælis factus: 7. Qui non habet necessitatem quotidie, quemadmodum Sacerdotes, priùs pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi: hoc enim fecit semel, seipsum offerendo. 28. Lex enim homines constituit Sacerdotes infirmitatem habentes: sermo autem iurisiurandi, qui post legem est, Filium in æternum perfectum.

COMMENTARII.

1\.

Sacrificijs Aaronis Christi sacrificiu suscepisse ostendit.

VERS. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. *Hic enim Melchisedech Rex Salem, &c.*] Hic quidem Melchisedech, de quo memoriam non semel gessi *Rex* fuit *Salem*, seu Ierusalem, *Sacerdos Dei summi, qui* obuiam processit Abrahæ regresso à cæde Regum, (cuius historiam babes Gen. 14. 18.) *& benedixit ei.* Formulam huius benedictionis loco habes citato. *Cui & decimas omnium* spoliorum, quæ cæsis quinque Regibus Abrahamus ceperat, *diuisit.* Ac si diceret: Quamuis Abtaham Sacerdos esset, & sæpè litasset sacrificium, agnouit tamen Melchisedech esse Sacerdotem, ac Pontificem suum, quare illi tanquam superiori suo decimas persoluit: *primum quidem, qui interpretatur Rex iustitia* Primum Melchisedech ipso nomine magnæ cuiusdam rei figuram prætulit: idem enim valet, quod *Rex iustitia*, seu iustus, seu iustissimus, quod optimè Regi Christo quadrat. *Deinde autem & Rex Salem, quod est, Rex pacis*, seu pacificus, quia Iesus pacificator noster est, reconcilians nos Deo, & Angelis eius. *Sine patre, sine matre, sine genealogia*, non quia iis caruerit, sed quia eius pater, mater, & genealogia in scripturis sacris non describuntur. * Addiderim sacerdotem, speciatim Pontificem, & Præsulem mox ac sacris initiantur, debere sic à parentibus ac propinquis esse alienos, ac si minime ea humano sanguine progeniti essent. Vt tota eorum cura sit non propinquos ditiores efficere, sed subuenire egenis.] *Neque initium dierum, neque finem vita habens.* Scriptura non refert, quando ortus, quando obiit Melchisedech, vt Christum adumbraret, qui vt Deus non habuit initium, nec finem dierum, cum sit æternus. *Assimilatus autem Filio Dei manet Sacerdos in æternum.* Syrus, *Sed in similitudinem Filij Dei permanet Pontificatus eius in æternum.* Dicitur verò in æternum sacerdos manere Melchisedech, quia in scriptura nulla fit mentio mortis, nec finis sacerdotij eius. * Sacerdos equidem, qui Filio Dei non assimilatur, suum munus non implet.] *Intuemini autem, quantus sit hic, cui & decimas dedit de præcipuis Abraham Patriarcha.* Seu hîc mecum expendite, quantus sit Melchisedech videlicet in typo & significatione, vt qui ipsi Abrahamo prælatus videatur. Nam dedit ei decimas de spoliis illis selectioribus. Alij legunt, vel interpretantur. *De eximijs præstantiorum, & honoratiorum.* Vt subtaxet eos, qui vti Cain, de viliotibus fructibus decimas Ecclesiæ persoluunt. Addidit opportunè *Patriarcha.* Ac si diceret: Ille pater sacerdotum legis, & omnium Tribuum, non dubitauit sacerdoti Melchisedech decimas offerre, se minorem agnoscens. Vt discant Principes quanta reuerentia debeant sacerdotibus submitti.] *Et quidem de filiis Leui sacerdotium accipientes, mandatum habent decimas sumere à populo secundum legem: id est, à fratribus suis, quanquam & ipsi exierunt de lumbis Abraha.* Ac si dicat: Deus iussit Num. 28. 26. omnibus Iudæis etiam Leuitis, vt decimas darent sacerdotibus filiis Aaron: volens vtique hac ratione sacerdotes præferre, & reliquos Iudæos illis subiicere: cum tamen Iudæi sacerdotum essent fratres, vtpote ex eodem Abrahamo, & Iacobo progeniti. Si ergò Iudæi licet fratres fratribus suis sacerdotibus subiecti sunt hoc ipso, quo eis ex lege teneantur soluere decimas: Ergò pariter Abraham dans decimas Melchisedecho, hoc ipso profitetur, se illo esse minorem. *Cuius autem generatio non annumeratur in eis, decimas sumpsit ab Abraham: & hunc, qui habebat repromissiones, benedixit.* Melchisedech, cuius genus, & genealogia non attexitur, Hebræis filiis Abtahæ, seu qui ex Hebræis non dicitur oriundus, & probabilius minimè fuit: ab Abrahamo

Pontifex, Episcopis & Sacerdos sine genealogia debent esse.

Probat Sacerdos Filio Dei debet assimilari.

hamo decimas accepit: imo & eum, cui Deus eximia bona promiserat, benedixit velut maior minorem. *Sine vlla autem* contradictione, quod minus est, a maiore benedicitur. Græcè, *à maiore, digniore. Et hic quidem decimas morientes homines accipiunt: ibi autem contestatur, quià viuit.* Alia ratione probat sacerdotium Melchisedech sacerdotio Leuitico fuisse præstantius. Hîc, ait, seu in lege, & apud Leuiticos sacerdotes homines mortales decimas accipiebant: *ibi* verò, seu in Geneseos historia & Abrahæ oblatione legimus Melchisedechum, qui eas accepit, viuere: nam introducitur viuens, nulla de morte eius, aut de successore facta mentione. *Et (vt ita dictum sit) per Abraham, & Leui, qui decimas accepit, decimatus est: adhuc enim in lumbis patris erat, quando obuiauit ei Melchisedech.* Et (vt ita loquar) etiam Leuiticus quilibet sacerdos, qui postea à Iudæis decimas erat accepturus, *decimatus est*, seu decimas soluit cum esset in lumbis Abrahæ Melchisedecho tunc, cum decimas Abrahamus illi obtulit obuiam sibi procedenti. Perindè enim Abraham se gessit eum Melchisedech Christi Domini typo, atque Princeps, qui pro se, ac sua posteritate Regi obedientiam offert. Professus itaque fuit Abraham, se, suosque posteros, Leuitas, & Aaronicos sacerdotes ex se nascituros minores ex Melchisedecho Christo, eique subiectos. * Hinc annotent parentes in ipsis quodammodò filios, ac nepotes futuros operari. Vnde submissio Abrahæ ad mysticum Christum erat quasi filiorum nondum existentium submissio. Quia scilicet plerumque filij parentum actiones iustas, vel impias æmulantur.]

Assolent æmulari filij parentum actiones.

Vers. 11.12.13.14.15.16.17.18.19. *Si ergò cõsummatio, &c.*] *Si per sacerdotium Leuiticum*, quo fungebantur filij Aaronis futura fuisset *consummatio*, seu perfectio hominum, hoc est, si sacerdotium illud vim iustificandi hòmines haberet, eos liberans à peccatis, & ad vitam æternam perducendi: *quid adhuc necessarium fuit secundum ordinem Melchisedech alium surgere sacerdotem: & non secundum ordinem Aaron dici?* seu quorsum expectabatur alius sacerdos, qui non diceretur secundum ordinem Aaron, sed secundum ordinem Melchisedech? (*Populus enim sub ipso legem accepit*) Hoc per parenthesim dicitur, & ideo additur ab Apostolo, quia non solùm probare intendit, sacerdotium fuisse trãsferendum, vt pro sacerdotio Leuitico sacerdotium Christi introduceretur; sed etiam docere legem quoque fuisse transferendam: vt pro lege Mosis, lex Euangelica induceretur. Itaque *populus sub ipso* nouo sacerdotio Christi, seu eius tempore, *legem* etiam nouam *accepit. Translato enim sacerdotio, necesse est, vt & legis translatio fiat. In quo enim hæc dicuntur, de alia Tribu est, de qua nullus altari præsto fuit.* Græcè, *In quem*, seu de quo hæc dicuntur, est quidem non de Tribu Leui, sed de Tribu Iuda, Christus enim fuit filius Dauidis è Tribu Iuda exorti, de qua nullus ministrauit altari, seu sacerdotali functus est munere. *Manifestum est enim, quod ex Tribu Iuda ortus sit Dominus noster: de qua Tribu nihil de sacerdotibus Moyses locutus est*, seu non designauit ex ea sacerdotes. *Et amplius adhuc manifestum est, si secundum similitudinem Melchisedech exurgat alius sacerdos, qui non secundum legem mandati carnalis factus est, sed secundum virtutem vitæ insolubilis.* Adhuc alia efficaciori ratione est manifestum, legem esse transferendam, atque mutandam, si sacerdos, qui exurgit, sit secundum ordinem Melchisedech. Profectò talem esse Christum, dubitari non potest, cum illi soli dictum sit: *Tu es sacerdos secundum ordinem Melchisedech:* & non secundum legem illam, quæ carnem circumcidere præcipiebat, & mundare per suas lotiones quæ carnis, non animi sordes diluebant. Ideo Moysi legem *carnalem* appellauit Apostolus. *Sed secundum virtutem vitæ insolubilis*, seu quæ dat vitam nullo tempore soluendam. Itaque sacerdotes veteris legis carnales erant, temporales, & mortales: Christus autem per potentiam Patris factus est sacerdos semper viuens, immortalis, æternus, quique vitam spiritualem gratiæ, & per eam vitam æternam gloriæ nobis elargiatur. Vnde paret Christum sacerdotes Aaronicos immenso interuallo superare. *Contestatur enim* Deus per Dauidem, *quoniam*, seu quod *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Reprobatio quidem fit præcedentis mandati propter infirmitatem eius, & inutilitatem.* Si autem velis agnoscere causam aboliti sacerdotij, ac legis: causa est legis illius infirmitas, & inutilitas; quia scilicet non poterat peccata expiare, nec beare homines. *Nihil enim ad perfectum adduxit lex*, seu nullum hominem ad perfectionem adduxit, siuè ad veram iustitiam, quæ constituit hominem Dèo gratum, & acceptum ad vitam æternam: *Introductio verò melioris spei* facta est per Christum, *per quam proximamus ad Deum.* Loco igitur præcedentis *mandati*, seu legis Mosaicæ, introducitur quid multo melius, id est lex & sacerdotium Christi *spem* nobis certissimam appropinquandi ad Deum per veram iustitiam.

Vers. 20.21.22.23.24.25. *Et quantum est, &c.*] Et quantum est hoc? quanti à nobis fieri debet, vt sacerdos noster *non sine iureiurando* factus sit sacerdos? *Alij quidem sine iureiurando sacerdotes facti sunt: Hic autem cum iureiurando per eum, qui dixit ad illum: Iurauit Dominus & non pœnitebit eum: tu es sacerdos in æternum: In tantum melioris Testamenti sponsor factus est Iesus.* Aaroni, ac posteris Deus dedit sacerdotium sine iuramento, quasi rem minoris ponderis, & temporariam, quam firmare iuramento non est Deus dignatus. * Et quidem qui ob res tam leues, quas tàm frequenter iuramento homines affirmare solet Deum testem adducit, dat indicamentum se aut nimium caduca æstimare, aut Deum, per quem iurat, modica æstimatione reuereri.]

Taxantur, qui propter res parui ponderis, audent iurare.

His autem scilicet Christus factus est sacerdos à Deo Patre iuramento interposito: *Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum* iurasse. * Haud sic hominibus accidit: rarò enim tam decenter, ac religiose iurant, vt non inueniant in quo de iuramento debeant pœnitere.] Christus ergò cum iuramento sacerdos est factus, quia hominum reconciliatio, & salus per hoc sacerdotium operata maximi est momenti. Vndè Christus tanto potioris fœderis sponsor, ac fideiussor factus est, quanto sanctiori auctoritate, hoc est, iuramento interposito. Sacerdotium iniit: cum Leuitici Sacerdotes absque iuramento inaugurarentur. *Et alij quidem facti sunt Sacerdotes idcirco, quod morte prohiberentur, permanere: hic autem eo quod*

Rarò in iuramentis hominum non est aliquid ex quo eos debeat pœnitere.

manead

maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium. Ostendit Christi sacerdotium Aaronico præstare, quantum mortali immortale præstat. In lege non erat vnus Pontifex, sed multi, quorum alter alteri succedebat: Christus autem Pontifex manet æternus. *Vnde & saluare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum: semper viuens, ad interpellandum pro nobis.* Potest æternus sacerdos perpetuò salute donare, si per fidem eius & obedientiam suæ legis ad Deum Patrem accedamus. Semper autem viuit, & suum munus est paratus exercere: vt scilicet apud Patrem pro nobis interpellet, & oret.

Sacerdotes suo non satisfaciūt muneri, si non orēt pro populo.

* Hinc Sacerdotes nostri Christi vicarij moneantur, munus suum non implere, nisi pro populo apud Christum Pontificem, & Deum intercedant.]

Vers. 26. 27. 28. Talis enim decebat, vt nobis esset Pontifex, Decebat nostram miseriam, vt Pontifex noster semper viueret Pontifex, vt semper pro nobis exoraret: Pontifex quidem *sanctus*, purus, omnis labis expers: *innocens*, seu malitia carens: *impollutus*, immaculatus, *segregatus à peccatoribus*, seu ab eorum vita, & moribus longissime distans, & nihil cum illis habens commune: *excelsior cælis factus*, nam penetrauit omnes cælos vsque ad summum: seu qui secundum naturam assumptam supremum in rebus obtinet locum. *Qui non habet necessitatem quotidie, quemadmodum Sacerdotes* Leuitici *prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi*: Nam Christus impollutus omninò non habuit piaculum, quo peteret expiari: pro peccatis autem populi *hoc fecit semel seipsum offerendo.* En aliud argumentum, quo probat Christum Aaronis sacerdotibus longè præstare. Nam hi hostias offerebant tam pro suis quam pro peccatis populi sæpius: Christus autem penitus impeccabilis vnica oblatione omnium hominum peccata expiauit. *Lex enim homines constituit Sacerdotes infirmitatem habentes: sermo autem iurisiurandi, qui post legem est, Filium in æternum perfectum.* Sacerdotes, & Pontifices mortales, peccatores, infirmos, qui non valeant suis sacrificiis expiare delicta, lex Mosaica constituit: iuramentum autem, quo Deus Christo iurauit: *Tu es sacerdos in æternum* (quod quidem iuramentum post legem erat implendum) Christum Dominum eius *Filium* in æternum constituit Pontificem haud infirmitatem habentem vt Leuitici Sacerdotes, sed omninò *perfectum.*

CAPVT VIII.

Ostendit Christum verum esse Pontificem, non typicum, & noui Testamenti mediatorem antiquato vetere sacerdotio propter imperfectionem.

1. CAPITVLVM autem super ea quæ dicuntur: Talem habemus Pontificem, qui consedit in dextera sedis magnitudinis
in cælis, 2. sanctorum minister, & tabernaculi veri, quod
fixit Dominus, & non homo. 3. Omnis enim pontifex ad
offerendum munera, & hostias constituitur: vnde necesse
est & hunc habere aliquid, quod offerat: 4. si ergo esset super terram, nec esset sacerdos: cùm essent qui offerrent secundùm legem munera, 5. qui exemplari & vmbræ deseruiunt cælestium. Sicut
responsum est Moysi, cum consummaret tabernaculum: Vide (inquit) omnia facito secundùm exemplar, quod tibi ostensum est in monte. 6. Nunc autem melius
sortitus est ministerium, quantò & melioris testamenti mediator est, quod in melioribus repromissionibus sancitum est. 7. Nam si illud prius culpa vacasset: non vtique secundi locus inquireretur. 8. Vituperans enim eos dicit: Ecce dies venient,
dicit Dominus: & consummabo super domum Israël, & super domum Iuda, testamentum nouum; 9. non secundùm testamentum quod feci patribus eorum, in
die qua apprehendi manum eorum vt educerem illos de terra Ægypti: quoniam ipsi
non permanserunt in testamento meo, & ego neglexi eos, dicit Dominus. 10. Quia
hoc est testamentum, quod disponam domui Israël post dies illos, dicit Dominus:
Dando leges meas in mentem eorum, & in corde eorum superscribam eas: & ero
eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum: 11. & non docebit vnusquisque proximum suum, & vnusquisque fratrem suum, dicens: 12. Cognosce Dominum
quoniam omnes scient me à minore vsque ad maiorem eorum: 13. quia propitius
ero iniquitatibus eorum, & peccatorum eorum iam non memorabor. 14. Dicendo autem nouum, veterauit prius. Quod autem antiquatur & senescit, propè interitum est.

COMMEN

COMMENTARII.

I. Ostēdit Christum non typicū, sed verum esse Pontificem.

VERS. 1. 2. 3. 4. *Capitulum autem super ea, quæ dicuntur, &c.*] Summa seu recapitulatio eorum, quæ dixi de præstantia sacerdotij Christi est hæc, quæ sequitur. *Talem habemus Pontificem, qui consedit in dextera sedis magnitudinis in cælis*, seu tantæ excellentiæ est Pontifex noster Christus, vt ad dexteram solij maiestatis diuinæ sedeat in superis: *sanctorum minister, & tabernaculi veri, quod fixit Dominus, & homo non.* Pontifex Christus minister est *sancti sancti sanctorum* (Syriacus sic) & tabernaculi viri in antiquo figurati, Ecclesiæ scilicet tum triumphantis, tum militantis, quam non homo, sed Deus erexit. *Omnis enim Pontifex ad offerendum munera, & hostias constituitur: vnde necesse est*, etiam hunc nostrum Pontificem Christum habere aliquam hostiam, quam Deo *offerat* in sacrificium. Profectò seipsum habet, quem semel in cruce obtulit, & adhuc quotidie offert in Missa. *Si ergò esset super terram*, seu terrenus Pontifex & eius Sacerdotium, & victima essent terrena, qualia vos requiritis: iam *nec Sacerdos esset* Christus, quia non est de Tribu Leui; & quia nullus hominum ipsum initiauit, seu consecrauit; & quia nulla terrestris hîc victima comparet; & quia Sacerdotes Aaronici ad tale sacerdotium terrenum obeundum sufficerent, nempe ad terrena bona per terrenas victimas impetranda. Tales Sacerdotes lex Mosaica sat ingenti numero sub ministrat, *qui exemplari, & vmbræ deseruiunt calestium.* Quæcumque enim Solymitano Templo fiebant, typum, & similitudinem nobis obiiciebant eorum, quæ per Christum fiunt in Ecclesia, & in cælo. *Sicut responsum est Moysi cum consummaret Tabernaculum.* Exo. 25. 40. Seu cum in monte Sinai ei idea fabricandi Tabernaculi Arcæ, Propitiatorij, Cherubim &c. ostenderetur. Tunc enim sat Moses dignouit non solum materialem formam, qua hæc omnia essent perficienda: sed etiam Formalem eorundem significationem, scilicet, quòd typi essent spiritualis, ac cælestis Tabernaculi, quod Messias aliquando esset constructurus, Ecclesiæ videlicet partim in terris (eiusque sacramentorum, & sacrificij) partim in cælis, huiusque splendoris, ac gloriæ. *Vide, inquit, omnia facito secundum exemplar, quod tibi ostensum est in monte.* * Dixi Sacerdotes Aaronis obtulisse terrena munera ad terrena beneficia impetranda. Christum autem Pontificem nostrum offerre seipsum, ad impetranda nobis cælestia. Vt nos pudeat hoc offerre sacrificium Patri ad consequutionem bonorum terrestrium, nisi ad spiritualem animæ profectum dirigantur. Munus enim infiniti valoris prodigè quidem pro rerum terrenarum vilitate impenderetur.]

Missæ sacrificium offeratur ad impetrandum bona spiritualia, non merè terrena.

Vers. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. Nunc autem melius, &c.] Profectò nunc constat, Christum sortitum esse non terrenum, sed longe *melius*, ac nobilius *ministerium* Pontificale: *quanto* scilicet nouum Testamentum seu fœdus, cuius Christus *mediator est*, præcellit Testamento veteri, quod non nisi terrena bona promittit, & præstat, cum nouum cælestia & spiritualia polliceatur, & conferat. *Nam si illud prius*, seu vetus Testamentum *culpa vacasset*, Græcè, *irreprehensibile fuisset*, id est, si nihil in eo requireretur, vt posset sufficienter hominum peccata delere: *non vtique secundi locus inquireretur*, seu nouo alio Testamento aut fœdere non esset opus. *Vituperans enim eos*, Græcè, incusans Iudæos, Ierem. 30. 31. Deus illis nouum fœdus promittit, & nouam perfectiorem legem, qua Deo redderentur obsequentiores, quam per veterem legem imperfectam, infirmam, imbecillem. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus: & consummabo*, seu percutiam *super domum Israel, & super domum Iuda Testamentum*, seu fœdus *nouum, non secundum Testamentum, quod feci patribus eorum*, seu nouum hoc Testamentum non erit tale, quale fuit vetus, cum patribus initum; (sed longe illo præstantius) *in die, qua apprehendi manum eorum, vt educerem illos de terra Ægypti.* * An tam constanter hærebant miseræ captiuitati, vt necessum fuisset Domino illorum manus fortiter apprehendere, vt eos ad viam salutarem educeret? Id equidem quotidie & in meliori accidit Israële. Nonnulli enim Christiani sic vitiorum seruituti vltronei implicantur, vt quodammodo necessum sit *compellere eos intrare* ad conuiuium salutis.] *Quoniā ipsi non permanserunt in Testamento meo*, seu pactum, quod mecum inierunt, non obseruarunt: *& ego neglexi eos, dicit Dominus.* seu ideò à Domino fuere reprobati, & omnino despecti. * Negligentia hominum Dei negligentia punitur. Homines negligunt Dei mandata implere, Deus negligit, in illos conferre beneficia: imò quasi rem vilem, abiectam à se reiicit.] *Quia hoc est Testamentum, quod disponam domui Israel post dies illos, dicit Dominus:* Postquam à me, & à mea Ecclesia Iudæos incredulos reiecero: hoc est pactum, quod sanciam, Testamentum nempe nouum, quod vetere inducam. *Dando leges meas in mentem eorum: & in corde eorum superscribam eas.* Vulgatus Ierem. 31. 33. vertit *Dabo legem meam in visceribus eius*, quia, per Christum gratia, & charitas diffusa est in cordibus nostris. *& ero eis in Deum*, seu ero eis Deus, quem ipsi fideliter colent: *& ipsi erunt mihi in populum* selectum, singularem. *Et non docebit vnusquisque proximum suum, & vnusquisque fratrem suum, dicentes: Cognosce Dominum: quia omnes scient me à minore* vsque ad maiorem *eorum.* Vt quis necessaria ad salutem percipiat, opus non erit longo labore, cum ad pauca capita reuocentur, quæ simplicibus, & pueris nota esse possint. * Attamen vereor, ne Pastorum incuria nonnulli tanta ignorantia teneantur, vt necessarium sit illis dicere: *Cognosce Dominum.* Quod quidem Societatis Iesu operariis, qui ad Oppida concionaturi mittuntur quotidie accidit.] *Quia propitius ero iniquitatibus eorum, & peccatorum eorum iam non memorabor. Dicendo autem Nouum, veterauit prius.* Cum dicit Dominus, se nouum pactum initurum, declarat primum esse abrogandum. *Quod autem antiquatur, & senescit, propè interitum est*, seu quod vetus verè dicitur, ad interitum planè festinat. Interiit equidem in Passione Dominica.

Nonnulli sic hærent vitiorum seruituti, vt quasi necessarium sit, eos à Deo violenter educi.

Qui negligit Deo obedire, à Deo vt res abiecta negligitur.

Incuria Parochi circa docendā fidei doctrinam taxatur.

CAPVT

CAPVT IX.

Probat, non potuisse vetus Testamentum iustificare : vnde abolitum per Christum cum nouo efficaciore commutatum fuit.

1. HABVIT quidem & prius, iustificationes culturæ, & San-
ctum sæculare. 2. Tabernaculum enim factum est pri-
mum, in quo erant candelabra, & mensa, & propositio pa-
num, quæ dicitur Sancta. 3. Post velamentum autem se-
cundùm, tabernaculum, quod dicitur Sancta sanctorum:
4. aureum habens thuribulum, & arcam testamenti cir-
cumtectam ex omni parte auro, in qua vrna aurea ha-
bens manna, & virga Aaron, quæ fronduerat, & tabulæ testamenti, 5. su-
pérque eam erant Cherubim gloriæ obumbrantia propitiatorium: de quibus non
est modò dicendum per singula. 6. His verò ita compositis, in priori quidem
tabernaculo semper introibant sacerdotes, sacrificiorum officia consumman-
tes: 7. in secundo autem semel in anno solus pontifex, non sine sanguine, quem
offert pro sua & populi ignorantia: 8. hoc significante Spiritu sancto, non-
dum propalatam esse sanctorum viam, adhuc priore tabernaculo habente sta-
tum. 9. quæ parabola est temporis instantis: iuxtà quam munera, & hostiæ
offeruntur, quæ non possunt iuxta conscientiam perfectum facere seruientem,
solummodo in cibis, & in potibus, 10. & variis baptismatibus, & iustitiis car-
nis vsque ad tempus correctionis impositis. 11. Christus autem assistens ponti-
fex futurorum bonorum, per amplius & perfectius tabernaculum non manufa-
ctum, id est, non huius creationis; 12. neque per sanguinem hircorum aut vitu-
lorum, sed per proprium sanguinem, introiuit semel in Sancta, æterna redemptio-
ne inuenta. 13. Si enim sanguis hircorum & taurorum, & cinis vitulæ aspersus,
inquinatos sanctificat ad emundationem carnis: 14. quantò magis sanguis Chri-
sti, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emunda-
bit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad seruiendum Deo viuenti?
15. Et ideò noui Testamenti mediator est; vt morte intercedente, in redemptione
earum præuaricationum, quæ erant sub priori testamento, repromissionem acci-
piant, qui vocati sunt, æternæ hereditatis. 16. Vbi enim testamentum est, mors
necesse est intercedat testatoris. 17. Testamentum enim in mortuis confirma-
tum est: alioquin nondum valet, dum viuit qui testatus est. 18. Vnde nec pri-
mum quidem sine sanguine dedicatum est. 19. Lecto enim omni mandato legis à
Moyse vniuerso populo, accipiens sanguinem vitulorum & hircorum, cum aqua, &
lana coccinea, & hyssopo, ipsum quoque librum, & omnem populum aspersit,
20. dicens: Hic sanguis testamenti, quod mandauit ad vos Deus. 21. Etiam ta-
bernaculum & omnia vasa ministerij sanguine similiter aspersit. 22. Et omnia penè
in sanguine secundùm legem mundantur: & sine sanguinis effusione non fit re-
missio. 23. Necesse est ergo exemplaria quidem cælestium his mundari: ipsa au-
tem cælestia melioribus hostiis quàm istis. 24. Non enim in manufacta Sancta
Iesus introiuit, exemplaria verorum: sed in ipsum cælum, vt appareat nunc vultui
Deo pro nobis: 25. Neque vt sæpè offerat semetipsum, quemadmodum Pon-
tifex intrat in Sancta per singulos annos in sanguine alieno: 26. alioquin oporte-
bat eum frequenter pati ab origine mundi: nunc autem semel in consummatione
sæculorum, ad destitutionem peccati, per hostiam suam apparuit. 27. Et quemad-
modum statutum est hominibus semel mori, post hoc autem iudicium: 28. sic &
Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata; secundò sine peccato
apparebit expectantibus se, in salutem.

COMMENTARII.

Testamentum vetus iustificare non potuit.

1. VERS. 1. 2. 3. 4. 5. *Habuit quidem &c.*] Habuit profecto *prius*, seu vetus Testamentum suas *iustificationes culturæ*, seu quibus Deum coleret, & saltem caterius hominem iustificaret. Habuit *& sanctum* seu sanctuarium, & Templum, sed *sæculare*, seu *mundanum*. (Græcè sic) terrestre, caducum, & vmbraticum. At in Ecclesia Christi omnia sunt vera, spiritualia, cælestia, æterna. *Tabernaculum enim factum est primum*, seu prior, idest, anterior pars Tabernaculi, quæ vocabatur *Sanctum, in quo erant Candelabra*, seu septem lucernæ septicipitis candelabri: *& mensa aurea*, seu altare thyiniamatis; *& propositio panum*, seu panes propositionis coram Domino *Quæ* prior Tabernaculi pars dicitur *Sancta*, seu sanctum. *Post velamentum autem secundum erat altera*, seu interior pars Tabernaculi Prius enim velum appensum erat foribus *Sancti sanctorum*, seu sanctissimæ partis Tabernaculi. Vbi erat *aureum thuribulum*, quod seruiebat suffitui, quem excitabat Pontifex semel in anno, ingrediens sancta Sanctorum: *& Arca Testamenti circumtecta ex omni parte auro. In qua*, seu iuxtà quam erat *Vrna aurea habens manna; & virga Aaron, quæ fronduerat, & tabula Testamenti.* Itaque cum Arca, seu iuxta Arcam erat vna cum manna, & Aaronis virga, & in ipsa præcisè Arca non erant nisi tabulæ Mosaicæ, vt à primæ notæ Auctoribus accepi.* Cur autem vrna mannæ ab Arca non excipitur? Quia Eucharistici Mannæ typus non indiget tabularum legis societate, vt fideles ad legis trahat obseruationem. Digna enim Eucharistiæ receptio hominem allicit vt ad vnguem facillime legi satisfaciat.] Quare vero virga Aaronis quæ floruit Sacerdotalis castitatis in Symbolum vrnæ, in qua manna absconditur, socia apparet? Sanè vt innuatur, Eucharistiæ frequentem receptionem ad puritatis custodiam apprime iuuare.] *Superque eam erant Cherubim gloriæ obumbrantia Propitiatorium* Cherubim gloriosi, augusti, splēdidi aliis suis Propitiatorium, seu tabulam auream, quæ Arcæ sursum imminebat, & quasi à longe tegebat id, obumbrabant: *de quibus non est modo dicendum per singula.*

Eucharistia dignè accepta allicit hominē ad facilem legis custodiam.

Frequenti Eucharistiæ receptione castitas conseruatur.

Vers. 6. 7. 8. 9. 10. *His verò ità compositis: in priori quidem Tabernaculo*, seu eius partem anteriorem *semper introibant Sacerdotes, sacrificiorum officia consummantes: in secundo autem*, seu in interiorem Tabernaculi partem. *Semel in anno solus Pontifex* introibat *non sine sanguine* profuso vituli *pro sua*, & hirci pro *populi ignorantia*, seu peccatis. Sunt enim peccata practicæ ignorantiæ. * Vndè Sapi. 5. 7. *Omnis peccans est ignorans:* imò dixerim, fatuus omninò, dum ob vilem, & instantaneam voluptatem, vel commodum vult Deum, & æternam gloriam cum interminabili pœna commutare.] *Hoc* Spiritus sanctus significabat, *nondum propalatam esse* tempore Mosaicæ legis *viam sanctorum* in cælum, quod vera Sancta Sanctorum est: quia nondum erat peccatorum per Christi sanguinem effecta expiatio. *Quæ parabola est temporis instantis.* Erat enim illud figura, typus, repræsentatio temporis tunc instantis, seu tunc præsentis. Designabat scilicet, quod sicut Sacerdotes non poterant sancta sanctorum ingredi: ita nec *munera*, nec *hostia*, quæ à sacerdotibus Deo offeruntur, *non possint perfectum facere seruientem*, seu offerentem iustificare, *iuxtà conscientiam*, seu secundum animam. Tantum enim illa seruiebant procurandæ iustitiæ *carnis*, seu iustificationi externæ in foro scilicet fori, non in foro poli: impositæ quidem illi populo *vsque ad tempus correctionis*, seu vsque ad aduentum Christi, qui corrigere debebat externos & carnales illos ritus, & inducere cultum Dei internum, & spiritualem.

Peccans omninò se fatuum ostentat.

Testamentum nouum Christi confirmat iustitiam.

2. *Vers.* 11. 12, 13. 14. 15. *Christus autem assistens, &c.*] Profectò Christus assistens *nobis*, Græcè, *postquam* in hunc mundum aduenit, factus Pontifex hominum, vt eis futura bona compararet, scilicet gratiam, & gloriam, ingressus est non per angustum *Sanctum* Mosaicum: sed per amplius, maius, *perfectius Tabernaculum*, per Ecclesiam scilicet hìc à se in terris collectam, quæ *non* est *huius creationis*, seu opus humani artificij (vti erat Mosis Tabernaculum) *sed diuini*. Per hanc, inquam, militarem suam Ecclesiam *introiuit in Sancta Sanctorum*, seu in Ecclesiam triumphantem, non quotannis, vt Aaronici, sed *semel* pro semper, *inuenta*, seu magno studio, labore, ac non vitulorum, vel hircorum, sed totius eius sanguinis profusione comparata nobis omnibus *æterna redemptione*, seu æternum duratura. *Si enim sanguis hircorum, & taurorum, & cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis* externam: *quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum*, seu Spiritu sancto eum ad id excitante, *semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram*, seu animum, *ab operibus mortuis*, seu peccatis *ad seruiendum Deo viuenti.* * Dixit *viuenti*, quia dixerat, *ab operibus mortuis*, Innuens Deo viuenti haud posse placere opera mortua, imò è regione aduersus eum militare.] *Et ideo noui Testamenti mediator est*, seu quia sanguis eius emundat conscientiam nostram ab operibus mortuis, quod sacrificia legis præstare non potuerunt: *ideo* mediator factus est noui Testamenti, quo iustitia, ac bona æterna promittuntur. Mediatorem testamenti dixerim illum, qui efficit, vt alij quod eis in testamento promittitur, assequantur. Id ne præstitit Dominus? Audi. *Vt morte intercedente in redemptionem earum præuaricationum, quæ erant sub priori Testamento, repromissionem accipiant, qui vocati sunt æternæ hæreditatis.* Ex Græco sic: Vt prius mortuo Testatore Christo, virtute passionis eius peccata etiam redimerentur eorum, qui sub veteri aderant, & adfuerant Testamento, dummodò fuerint ex numero electorum ad æternam hæreditatem. Certè nec Abraham, nec Isaac, nec Iacob, nec Dauid, nec reliqui sancti ad vetus Testamentum attinentes salutem fuerint assecuti sine Christi sanguine, qui fundendus erat in lauacrum criminum, & redemptionis pretium.

Quam ingrata Deo viuenti opera mortua, seu peccata.

Vers. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. *Vbi enim Testamentum est, &c.*] Ostendit necessitatem mortis Christi, quæ idcirco fidelibus non debet esse dedecori, sed gloriæ. Æternæ vitæ hæreditas Testamento fuit hominibus promissa: necessarium autem est, cum testamento bona alicui legantur,

gantur,

gantur, vt testator prius obeat, quam adeatur hæreditas. *Testamentum enim in mortuis confirmatum est, alioquin nondum valet*, nondum habet robur, ius nullum tribuit hæredi. *Vnde nec primum* testamentum Dei *sine sanguine dedicatum est.* Pactum enim, quod Deus iniit per Mosem cum populo fuit testamentum; promissio enim fuit de danda terræ Chanaam hæreditate. Quia verò Deus immortalis est, ne deesset mors ad testamentum firmandum necessaria, cæsæ sunt victimæ, quarum sanguine respersus est populus. Hoc verò pactum, & testamentum typus erat pacti, & testamenti noui, quod Christi Domini morte intercedente sancitum fuit. *Lecto enim, omni mandato legis à Moyse vniuerso populo, accipiens sanguinem & hircorum cum aqua, & lana coccinea, & hyssopo.* (Hæc non habentur in Exodi cap. 24.7. vbi historia narratur, sed ea supplevit Apostolus partim ex spiritus sancti reuelatione, partim ex praxi lustrationum recepta. Nam aquam misceri solitam in sacris aspersionibus, patet Exo. 12.22. idem constat de cocco, siue lana coccinea & hyssopo (Num. 19.6. & 18.) *ipsum quoque librum & populum aspersit, dicens: Hic sanguis testamenti, quod mandauit ad vos Deus*, seu quod Deus nobiscum sanxit. *Etiam Tabernaculum, & omnia vasa ministerij sanguine similiter aspersit.* Hoc etiam prætermisit Moses, Paulus autem supplet, & ita factum fuisse docet Iosephus lib. 3. Antiq. c. 3. Vasa ministerij vocitantur ea, quibus Deo in victimis & oblationibus ministrabatur. *Et omnia penè in sanguine secundum legem mundantur.* Dixit *penè*, quia nonnulla abluebantur aqua aspersionis, verbi gratia, illud, in quod immissæ fuerant cineres rufæ vitulæ, & sic alia quædam: *Et sine sanguinis effusione non fit remissio.* Iusserat enim Moses Leuit. 4. Vt si quis peccasset, victimam pro crimine litaret; per hanc autem cæsam victimam fiebat remissio non culpæ, & reatus coram Deo (culpa autem tollebatur contritione iuncta cum fide & spe Christi venturi) sed remissio quædam legalis, culpam, & immunditiam legalem auferens.

Vers. 23.24.25.26.27.28. Necesse est ergo &c.] Igitur necessarium est, *exemplaria quidem cælestium his mundari*, seu Mosaicum Tabernaculum, librum, seu testamentum, vasa, Iudæos ipsos. Erant enim omnia illa exemplaria, seu typi Christi Ecclesiæ, & sacramentorum cælestium. *ipsa autem cælestia melioribus hostiis, quàm istis.* seu necessarium erat, vt ipsa cælestis Ecclesia melioribus hostiis, seu Christi sanguine mundaretur. Dicit in plurali, *Melioribus hostiis*, quià hæc hostia in Eucharistico mysterio quotidie ab innumeris sacerdotibus offertur. *Non enim in manufacta sancta Iesus introiuit exemplaria verorum.* Intelligit Sancta sanctorum, in quæ summus Pontifex semel in anno ingrediebatur; & erant exemplaria seu typus Christi Ecclesiæ Triumphantis: *sed in ipsum cælum, vt appareat nunc vultui Dei pro nobis.* Introiuit in Sancta sanctorum, seu in patriam cælestem, sed inibi degens, curam nostrum non deposuit, causam enim hominum nunquam non apud Patrem agit. * Vndè Christi Ascensio valde vtilis est hominibus. Hîc nos Eucharistico cibo alit, & confortat, ibi pro nobis intercedit, vt eandem ad superos viam ineamus.] *Neque vt sæpè offerat semetipsum*, quemadmodum Pontifex intrat in sancta per singulos annos *in sanguine alieno.* Christo necessarium non est in cælum ingresso, iterum pati, quemadmodum Pontifices Mosaici repetebant sacrificia cæsis hircis, & vitulis, vt in alieno sanguine Deum placarent; quia vnica & æterna est redemptio, qua nos saluator liberauit. *Alioquin oportebat, eum frequenter pati ab origine mundi.* Nam si redemptio eius non esset æterna, sed tantum prodesset iis, qui tunc viuebant; & iterum eum pati oporteret pro iis, qui sequenti sæculo viuerent, atque sic de aliis: non satis hominum saluti esset consultum; quia illi, qui ante eius incarnationem vixerant, sine eius sanguine saluati non potuerunt. Oportebat igitur, vt in singulis generationibus *ab origine mundi* pro hominibus illius temporis moreretur: *Nunc autem semel in consummatione sæculorum, ad destitutionem peccati per hostiam suam apparuit.* Passus est Christus semel in consummatione, seu fine sæculorum, id est, in vltimo sæculo. Nam primum fuit legis naturæ, secundum legis Mosaicæ, tertium & vltimum legis Christi. Post *destitutionem demum*, seu reiectionem, profligationem peccati hominum, quos se in hostiam offerens, redemit, *apparuit* Patri ingressus in Sancta sanctorum cælestia. *Et quemadmodum statutum est hominibus semel mori, post hoc autem iudicium: sic & Christus semel oblatus est, ad multorum exhaurienda peccata: secundo sine peccato apparuit expectantibus se in salutem.* Quemadmodum ob primi hominis peccatum Deus statuit, vt singuli homines moriantur, & postea ad iudicium sistantur, vt digna actis recipiant: sic Christus, qui peccata nostra susceperat, mori voluit, vt nos à morte liberaret. Deinde ad iudicium veniet, non vt ipse iudicetur, sed vt omnes iudicet: & vt omnes, qui eius aduentum expectant, ab omnibus malis eripiat, & vita eos donet æterna.

Christi Ascensio hominibus vtilis.

CAPVT X.

Non hoſtias Aaronicas licet multas, ſed vnam Chriſti hominum expiare peccata Paulus docet. Vt in fide Chriſti conſtantes ſint hortatur Hebræos.

1. VMBRAM enim habens lex futurorum bonorum, non ipſam
imaginem rerum; per ſingulos annos eiſdem ipſis hoſtiis, quas
offerunt indeſinenter, nunquam poteſt accedentes perfe-
ctos facere. 2. Alioquin ceſſaſſent offerri: ideo quod nul-
lam haberent vltra conſcientiam peccati, cultores ſemel
mundati: 3. Sed in ipſis commemoratio peccatorum per
ſingulos annos fit. 4. Impoſſibile enim eſt ſanguine tauro-
rum & hircorum auferri peccata. 5. Ideò ingrediens mundum dicit: Hoſtiam,
& oblationem noluiſti: corpus autem aptaſti mihi: 6. Holocautomata pro pec-
cato non tibi placuerunt. 7. Tunc dixi: Ecce venio: in capite libri ſcriptum eſt
de me: Vt faciam, Deus, voluntatem tuam. 8. Superiùs dicens: Quia hoſtias,
& oblationes, & holocautomata pro peccato noluiſti, nec placita ſunt tibi, quæ
ſecundum legem offeruntur. 9. Tunc dixi: Ecce venio, vt faciam, Deus, volun-
tatem tuam: aufert primum, vt ſequens ſtatuat. 10. In qua voluntate ſanctifi-
cati ſumus per oblationem corporis Ieſu Chriſti ſemel. 11. Et omnis quidem Sa-
cerdos præſto eſt quotidie miniſtrans, & eaſdem ſæpe offerens hoſtias, quæ nun-
quam poſſunt auferre peccata: 12. Hic autem vnam pro peccatis offerens ho-
ſtiam, in ſempiternum ſedet in dextera Dei, 13. De cætero expectans donec po-
nantur inimici eius ſcabellum pedum eius. 14. Vna enim oblatione, conſummauit
in ſempiternum ſanctificatos. 15. Conteſtatus autem nos & Spiritus ſanctus. Poſt-
quam enim dixit: 16. Hoc autem teſtamentum, quod teſtabor ad illos poſt dies
illos, dicit Dominus, Dando leges meas in cordibus eorum, & in mentibus eorum
ſuperſcribam eas: 17. & peccatorum, & iniquitatum eorum iam non re-
cordabor ampliùs. Vbi autem horum remiſſio: iam non eſt oblatio pro pec-
cato. 19. Habentes itaque, fratres, fiduciam in introitu ſanctorum in ſan-
guine Chriſti, 20. Quam initiauit nobis viam nouam, & viuentem per vela-
men, id eſt, carnem ſuam, 21. & Sacerdotem magnum ſuper domum Dei:
22. Accedamus cum vero corde in plenitudine fidei, aſperſi corda à conſcientia
mala, & abluti corpus aqua munda, 23. Teneamus ſpei noſtræ confeſſionem
indeclinabilem, (fidelis enim eſt qui repromiſit) 24. & conſideremus inuicem in
prouocationem charitatis, & bonorum operum. 25. Non deſerentes collectio-
nem noſtram, ſicut conſuetudinis eſt quibuſdam, ſed conſolantes, & tantò ma-
gis quantò videritis appropinquantem diem. 26. Voluntariè enim peccanti-
bus nobis poſt acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur pro peccatis
hoſtia: 27. Terribilis autem quædam expectatio iudicij, & ignis æmulatio,
quæ conſumptura eſt aduerſarios. 28. Irritam quis faciens legem Moyſi, ſi-
ne vlla miſeratione duobus vel tribus teſtibus moritur: 29. Quantò magis pu-
tatis deteriora mereri ſupplicia, qui filium Dei conculcauerit, & ſanguinem te-
ſtamenti pollutum duxerit, in quo ſanctificatus eſt, & Spiritui gratiæ contume-
liam fecerit? 30. Scimus enim qui dixit: Mihi vindicta, & ego retribuam.
Et iterum: Quia iudicabit Dominus populum ſuum. 31. Horrendum eſt in-
cidere in manus Dei viuentis. 32. Rememoramini autem priſtinos dies, in qui-
bus illuminati, magnum certamen ſuſtinuiſtis paſſionum: 33. & in alte-
ro quidem, opprobriis & tribulationibus ſpectaculum facti: in altero autem,
ſocij taliter conuerſantium effecti. 34. Nam & vinctis compaſſi eſtis, & rapinam
bonorum veſtrorum cum gaudio ſuſcepiſtis, cognoſcentes vos habere melio-
rem & manentem ſubſtantiam. 35. Nolite itaque amittere confidentiam ve-
ſtram, quæ magnam habet remunerationem. 36. Patientia enim vobis neceſ-

ſaria

saria est: vt voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem. 37. Adhuc enim modicum aliquantulum, qui venturus est, veniet, & non tardabit. 38. Iustus autem meus ex fide viuit: quod si subtraxerit se, non placebit animæ meæ. 39. Nos autem non sumus subtractionis filij in perditionem, sed fidei in acquisitionem animæ.

COMMENTARII.

1. *Docet non Aaronicas hostias permultas, sed vnam Christi expiare peccata.*

VERS. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. *Vmbram enim habens lex, &c.*] Legis sacrificia ideo non potuerunt peccata delere, & homines sanctificare, quia lex tantum erat vmbra *futurorum bonorum* in nouo Testamento, nempè iustitiæ, gratiæ, & salutis per Christum conferendæ: vmbra verò non est res ipsa, sed eius solùm typus, & imago. Vndè per annos singulos easdem victimas offerens *indesinenter* sacerdos *non potuit accedentes perfectos facere*, seu illos perfectè expiare à peccatis. *Alioquin cessassent offerri: ideò quod nullam haberent vltra conscientiam peccati, cultores semel mundati.* Si vim habuissent Leuiticæ illæ victimæ homines à peccatis purgandi, iam pridem desiissent offerri; quia illi propter quos offerebantur, essent iam pridem expiati. Nullam, inquam, haberent vltrà *conscientiam peccati*, quia iam omninò esset pro criminibus satisfactum, si sacrificia illa essent satisfactoria. *Cultores* vocat Iudæos, qui suis victimis, lustrationibus, & cæremoniis Deum colebant. *Sed in ipsis commemoratio peccatorum per singulos annos fit.* Sed in ipsis sacrificiis diei expiationis per annum admissa crimina, & sacrificiis per anni occursum oblatis expiata, iterum purgantur, & fit illorum commemoratio, seu etiam pro illis sacrificium expiationis offertur. Ergo signum est, sacrificia illa per annum adhibita vim purgandi crimina non habuisse. Alioqui frustra in die expiationis facta fuissent sacrificia pro peccatis iam expiatis. Et idem de ipso expiationis sacrificio certum dixerim. *Impossibile enim est, sanguine taurorum, & hircorum auferri peccata. Ideò* Christus *ingrediens mundum*, vt peccata auferret, *dicit* Patri ex ore Dauidico Psal. 39. 7. *Hostiam, & oblationem* cruentam taurorum, & hircorum *noluisti* ô Pater: *corpus autem aptasti mihi*, quod tibi in sacrificium pro peccatis hominum offeram. * In vulgata ditione, vnde hæc sunt petita, dicitur, *Aures autem perfecisti mihi.* Porrò idem fuit Christum à Patre accepisse aures ad eius præscriptum percipiendum circa passionem & mortem pro peccatis hominum subeundam, ac corpus passioni, & morti offerre. Verus namque obediens habens aures, ad audiendum Dei præscripta, se totum nempe corpus & animam diuinæ aptat voluntati.] *Holocaustomata pro peccato non tibi placuerunt*, sacrificia pro expiando peccato (Leuit. 4. 2.) Scio tibi non placuisse, quasi ea per se tibi adeo grata essent, vt peccatis hominum offensum placarent. *Tunc dixi: Ecce venio*, seu quia vidi legis sacrificia tibi non omnino placere, nec illis te placari posse: ideo assumpto corpore, quod mi hi aptasti, paratum id obtuli ad tuæ voluntatis executionem. *In capite* enim *libri scriptum est de me: Vt faciam, Deus, voluntatem tuam.* Hebr. *In Volumine* totius sacræ scripturæ *scriptum est de me.* (quia summa illius) Christus est. Ioa. 5. dicebat Dominus: *Scrutamini Scripturas, quia illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me.* Scripturæ, inquam, omnes testantur, me ad hoc venturum esse in mundum; vt tuam exequar voluntatem. *Superius dicens: Quia hostias, & oblationes, & holocaustomata pro peccato noluisti, nec placita sunt tibi, quæ secundum legem offeruntur*, ideo *dixi*; *Ecce venio*, vt iuxta *tuam voluntatem* in ara crucis immoler. *Aufert primum, vt sequens statuat*, id est, vetus sacerdotium, & sacrificium aufert per hoc quod dicit, sacrificia non placere, quia peccata non auferunt: vt sequens statuat, nempe Christi obedientiam, & sacrificium ad peccatorum expiationem. *In qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Iesu Christi semel.* Per illam Patris voluntatem, ad quam implendam Christus venit, sanctificati sumus, & per vnum sacrificium obtinuimus, quod per tot legis sacrificia consequi non potuimus, Christus enim vt hanc Patris voluntatem perficeret, *semel* se ei in cruce obtulit, & vnica illa oblatione nos sanctificauit.

Verus obediens habens aures ad audiendum Dei præscripta, se totum diuinæ aptat voluntati.

Vers. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. *Et omnis quidem sacerdos, &c.*] Omnis veteris legis sacerdos *præsto est quotidie*, seu singulis diebus sistit se altari immolaturus, *& easdem sæpe offerens hostias*: quæ *nunquam possunt auferre peccata. Hic autem* Christus scilicet, *vnam pro peccatis offerens hostiam, in sempiternum sedet in dextera Dei.* Non enim fuit opus ei pluribus hostiis, nam vnica semel oblata omnia expiauit, sibique, & nobis reserauit cælum, vbi iam gloriosus Dei sedet ad dexteram: *de cætero expectans, donec ponantur inimici eius scabellum pedum eius*, quod in die iudicij complebitur. *Vna enim oblatione consummauit in sempiternum sanctificator.* Ideò iam ad Dei dexteram sedet solum expectans, vt inimici eius pedibus prouoluantur, quia vna sui oblatione omnia consummauit, & nihil reliquum sit perficiendum. * Innuit Apostolus tantam esse Christi charitatem, vt si necessarium esset sæpe in terras venire, & se morti sæpe subijcere ad peccatores iustificandos: id procul dubio ageret; siquidem ideò ad cælum ascendit, & ibi sedet immortalis, quia mori iterùm necessarium non est.] *Contestatur autem nos & Spiritus sanctus.* Græcè, Alibi Spiritus sanctus *testimonium perhibet* huius veritatis. *Postquam enim dixit* Iere. 31. 33. *Hoc autem testamentum, quod testabor ad illos post dies illos, dicit Dominus, dando leges meas in cordibus eorum, & in mentibus eorum superscribam eas: & peccatorum, & iniquitatum eorum iam non recordabor amplius.* Pactum, quod inibo cum populo meo erit huiusmodi: Postquam à me & ab Ecclesia mea Iudæos incredulos exturbauero: dabo in corda hominum charitatis legem per Christi merita, alio inito pacto: & & oblata mihi vnica ea salutari victima pro peccatis, ea omninò obliuioni committam.

Tanta Christi ergà nos charitas, vt sæpè pro nobis moreretur, si necessarium essent ad nostram salutem.

Vbi autem horum est remissio, iam non est oblatio pro peccato. Vnicæ enim oblationis applicatione omnes te ipsâ à seruitute diaboli, & peccati eripimur, iustificamur, sanctificamur, si in nobis adsit dispositio.

2\. *Vers.* 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. *Habentes itaque fratres, &c.*] Hinc incipit pars moralis Epistolæ. Cum ergò per Christum veram ô fratres, peccatorum remissionem fuerimus consecuti: & ipse redemptione nostra peracta, in cælum ascenderit. Porrò *in introitu* ipso Christi in *sancta sanctorum*, seu in cælum habemus spem nos etiam in illud ingressuros. *Quam initiauit nobis viam nouam, & viuentem per velamen, id est, carnem suam.* Quam viam ad cælum Christus primus aperuit, nullius adhuc vestigiis calcatam, permanentem semperque ad vitam æternam ducentem. Vel dicit *Viam* viuentem, quia hæc via viuens est Christi caro, seu Christus ipse, qui de se dicit: Ego sum via. *Per velamen* seu *carnem suam.* Quæ apte per velum significatur. Quia sicut velum arcana Sanctuarij operiebat, ita Christi caro diuinitatem quodammodo operiebat. * Dixerim Christi carnem in Eucharistia velamen dici, quia solummodo accidentium velum apparet. Hæc autem Dominica caro velamine obtecta via est ad cælum. Frequentia enim accipiendi Eucharistiam ad superos recta proficiscimur.] *Et sacerdotem magnum super domum Dei.* Habentes igitur Christum Pontificem magnum Ecclesiæ quæ est Dei domus: *accedamus cum vero corde in plenitudine fidei,* nihil de Christi promissionibus dubitantes, & pie viuentes. * Fides enim sine operibus haud plena potest appellari. Plenitudo itaque fidei est credere, & operari.] Vndè viuamus, *aspersi corda à conscientia mala, & abluti corpus aqua munda.* Alludit ad aspersionem sanguinis, qua in lege mundabantur, quæ erant immunda. Sanguine Christi corda nostra mundentur: & accedamus cum fiducia, siquidem purissima Baptismi aqua, quæ peccatorum maculas abstergit, abluti sumus. *Teneamus spei nostræ confessionem indeclinabilem (fidelis enim est, qui repromisit)* Nullo modo deseramus quam suscepturi Baptismum coram Ecclesia publice professi fuimus. Hanc vocat Paulus *confessionem spei nostræ,* quia fide, quam confitemur, spes nititur: & illa confessione profitemur, nos per fidem & recta opera vitam æternam sperare; Christus enim in promissis verax est, & constans. *Et consideremus inuicem in prouocationem charitatis, & bonorum operum,* seu secundum ea, quibus ad charitatem & bona opera præstanda excitemur, nos inuicem aspiciamus. Non consideremus proximum, vt illi inuideamus, aut noceamus: sed potius vt incitemur, ad recta opera imitanda, quibus ille studet: *non deserentes collectionem nostram, sicut consuetudinis est quibusdam,* seu non alienando vos à cœtibus, ad quos Christiani conueniunt, vt faciunt alii qui tepidiores. * Spiritualia enim colloquia vtilissima sunt ad fraternæ charitatis augmentum.] *Sed consolantes, & tanto magis, quanto videritis appropinquantem diem.* Consolationem, ô fratres, accipite spe vicinæ retributionis. Græcè, *exhortantes,* in his congressibus vos mutuo ad patientiam aduersorum, & ad spem bonorum, quibus potiemur cito, die mortis *appropinquante.* Longior enim humana vita breuissimo temporis interstitio terminatur.

Vt in fide fratres constantes sint, hortatur Hebræos.

Eucharistia via recta est, qua in cœlum proficiscimur.

Fides sine operibus nō est plena.

Spiritualia colloquia vtilissima sūt.

Vers. 26. 27. 28 29. 30. 31. *Voluntariè enim peccantibus, &c.*] Voluntariè namque recedentibus à Christi fide *post acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur pro peccatis hostia,* seu ægre, & vix subest eis hostia, qua illud crimen expietur: tum quia huiusmodi apostatæ indigni sunt venia, licet auxilia sufficientia illis non denegentur: tum quia sua infidelitate fontes diuinæ pietatis claudere nituntur: *terribilis autem quædam expectatio iudicij.* Seu relinquitur huiusmodi apostatis horribilis iudicij, & damnationis expectatio: *& ignis æmulatio, quæ consumptura est aduersarios.* * Ignis æmulationem vel zelum, vocat eius vehementiam peccatorum vltricem. Ignis his infideles sine consumptione consumet. Mors enim illa nunquam moritur.] *Irritam quis faciens legem Moysi sine vlla miseratione duobus vel tribus testibus moritur. Quanto magis putatis, deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcauerit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit?* Seu sanguinem, quo fœdus inter Deum & hominem fuit percussum, ita recedens à fide contempserit, ac si res esset polluta, & immunda. * Profectò qui audet indignè Eucharistiam recipere, Dei Filium quasi conculcat, eiusque sanguinem velut quid immundum se despicere profitetur.] Sanguinem inquam pollutum ducit, *in quo sanctificatus est,* seu per quem redemptus est, & à peccatis emundatus: *& spiritui gratiæ contumeliam fecerit.* Iniuria afficit Spiritum sanctum is, qui recedit à Christo, per quem venerat gratiæ auctor ad peccatorem illum sanctificandum. *Scimus enim qui dixit: Mihi vindicta, & ego retribuam.* Vobis loquor Hebræi, qui in scripturis eruditi nostis eum, qui dixit. Mihi vindictam reseruo. Deut. 32. 35. Ex eo quod Deus vindictam sibi reseruat, indicat punitionem fore terribilem. * Hinc peccatores, qui impune deliquunt, nullo eis à Deo immisso labore, credant, eis in altero sæculo horribile supplicium præparari] * Vndè pœna illa iam sumpsit initium. Magnum enim Dei supplicium est peccatori laxare frænum, seu permittere, vt impune delinquat.] *Et iterum: Quia iudicabit Dominus populum suum* (Deut. 32.) seu puniet, & plectet. *Horrendum equidem est, incidere in manus Dei viuentis,* qui scilicet, omnia peccata videt, contra illa irascitur, illa punit. Nec enim est mortuum Gentium idolum.

Tartarei ignis æmulatio ad puniendū peccatores.

Indigne recipiens Eucharistiā Dei Filium conculcat.

Qui impunè sine laborum obstaculo delinquūt, sciāt eis horribilē pœnam præparari.

Dei supplicium est, permittere, vt impune delinquas.

Vers. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. *Rememoramini autem, &c.*] Reuocate vobis in memoriam *pristinos dies, in quibus illuminati, magnum certamen sustinuistis passionum,* seu felix illud tempus, quo Baptismi lauacro è tenebris emersistis in lucem fidei, & gratiæ: tunc enim fortiter dira tribulationum tentamina superastis: *& in altero quidem opprobriis, & tribulationibus spectaculum facti.* Græcè & partim opprobria, & tribulationes sustinentes, similes facti estis iis, qui in theatrum, in publicum omnium conspectum, aut cum gladiatoriis, aut cum bestiis pugnaturi mittebantur: *in altero autem socij taliter conuersantium effecti,* seu partim verò vltrò socij fieri voluistis eorum, qui similia patiebantur, tum è Iudaismo, tum è Gentilitate conuersorum, illis compatiendo, eosque pro viribus iuuando. * Primo loco posuit eos qui

patie

Verum proximi amatorem magis cruciat alienus, quàm proprius labor.

patiebantur, secundo vero, crescente oratione, eos, qui compatiebantur proximis patientibus. Quia verum proximorum amatorem magis eorum tribulatio premit, & cruciat quam propria ipsius specialis angustia.] *Nam & vinctis compassi estis, & rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis: cognoscentes vos habere meliorem, & manentem substantiam.* Exultanti animo passi estis vestra bona diripi, scientes meliorem thesaurum vobis esse repositum in cælo, vbi fures non effodiunt, neque furantur. *Nolite itaque amittere confidentiam vestram* quæ magnam habet *remunerationem.* Nomine confidentiæ diuitias illas cælestes intelligit, quas patientia illa eximia sibi illi comparauerunt. *Patientia enim vobis necessaria est*, seu nulla re indigetis alia, quam sola patientia, cæteris omnibus abundatis: *vt voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem.* Seu vt dum vsque ad finem manseritis in fide & in studio bonorum operum participes sitis promissionis bonorum cælestium * Cum dixisset, *Patientia vobis necessari est*, mox attexit, *Vt voluntatem Dei facientes, &c.* Voluntas enim Dei est, vt sui electi patiantur. Labores enim regiam viam ad cælum constituunt.] *Adhuc enim modicum aliquantulum qui venturus est, veniet, & non tardabit.* Christus haud multum suum differet aduentum ad iudicium quià quantumlibet longa intercedat mora, totum hoc intermedium spatium Deo est perbreue. fante dauide Psal. 89. 4. *Mille anni in conspectu tuo sicut dies hesterna, quæ præteriit. Iustus autem meus ex fide viuit*, seu ex fide, dum venit illa dies, iustus solatium in tribulationibus accipit. *Quod si subtraxerit se* per incredulitatem, diffidentiam, pusillanimitatem, *non placebit animæ meæ* quæ illum intimè in Domino diligit. *Nos autem non sumus subtractionis filij in perditionem, sed fidei*, seu non sumus degeneres filij subtrahentes nos à fide, quam fuimus professi, vt pereamus: sed sumus filij fidei constantis, vt animam acquiramus, siue vt eam à morte spirituali seruemus.

Voluntas Dei est, vt sui electi hîc laboribus afficiantur.

CAPVT XI.

Describit Apostolus, quid sit Fides, qui illius fructus, & quanta efficacia? vt Hebræos in ea confirmet.

1. EST autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium. 2. In hac enim testimonium consecuti sunt senes. 3. Fide intelligimus, aptata esse sæcula verbo Dei, vt ex inuisibilibus visibilia fierent. 4. Fide plurimam hostiam Abel, quàm Cain, obtulit Deo, per quam testimonium consecutus est esse iustus, testimonium perhibente muneribus eius Deo: & per illam defunctus adhuc loquitur. 5. Fide Henoch translatus est ne videret mortem, & non inueniebatur, quia transtulit illum Deus: ante translationem enim testimonium habuit placuisse Deo. 6. Sine fide autem impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit. 7. Fide Noë, responso accepto de iis quæ adhuc non videbantur, metuens aptauit arcam in salutem domus suæ, per quam damnauit mundum: & iustitiæ, quæ per fidem est, heres est institutus. 8. Fide qui vocatur Abrahã obediuit in locum exire, quem accepturus erat in hereditatem: & exiit, nesciens quò iret. 9. Fide demoratus est in Terra repromissionis, tanquam in aliena, in casulis habitando, cum Isaac & Iacob coheredibus repromissionis eiusdem. 10. Expectabat enim fundamenta habentem ciuitatem: cuius artifex & conditor Deus. 11. Fide & ipsa Sara sterilis virtutem in conceptionem seminis accepit, etiam præter tempus ætatis: quoniam fidelem credidit esse eum, qui repromiserat. 12. Propter quod & ab vno orti sunt (& hoc emortuo) tanquam sidera cæli in multitudinem, & sicut arena, quæ est ad oram maris, innumerabilis. 13. Iuxta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus, sed à longè eas aspicientes, & salutantes, & confitentes quia peregrini & hospites sunt super terram. 14. Qui enim hæc dicunt, significant se patriam inquirere. 15. Et si quidem ipsius meminissent de qua exierunt, habebant vtique tempus reuertendi: 16. nunc autem meliorem appetunt, id est, cælestem. Ideò non confunditur Deus vocari Deus eorum: parauit enim illis ciuitatem. 17. Fide obtulit Abraham Isaac, cùm tentaretur, & vnigenitum offerebat, qui susceperat repromissiones: 18. ad quem dictum est: Quia in Isaac vocabitur tibi semen: 19. arbitrans quia & à mortuis suscitare potens est Deus: vnde eum & in parabolam accepit. 20. Fide & de futuris benedixit Isaac Iacob, & Esau. 21. Fide Iacob, moriens, singulos filiorum Ioseph benedixit: & adora-

uit

uit fastigium virgæ eius. 22. Fide Ioseph, moriens, de profectione filiorum Iſraël memoratus eſt, & de oſſibus ſuis mandauit. 23. Fide Moyſes, natus, occultatus eſt menſibus tribus à parentibus ſuis, eo quòd vidiſſent elegantem infantem, & non timuerunt regis edictum. 24. Fide Moyſes grandis factus negauit ſe eſſe filium filiæ Pharaonis, 25. magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iucunditatem, 26. maiores diuitias æſtimans theſauro Ægyptiorum, improperium Chriſti: aſpiciebat enim in remunerationem. 27. Fide reliquit Ægyptum, non veritus animoſitatem regis: inuiſibilem enim tamquam videns ſuſtinuit. 28. Fide celebrauit Paſcha, & ſanguinis effuſionem: ne qui vaſtabat primitiua, tangeret eos. 29. Fide tranſierunt Mare rubrum tamquam per aridam terram: quod experti Ægyptij, deuorati ſunt. 30. Fide muri Iericho corruerunt, circuitu dierum ſeptem. 31. Fide Rahab meretrix non periit cum incredulis, excipiens exploratores cum pace. 32. Et quid adhuc dicam? Deficiet enim me tempus enarrantem de Gedeon, Barac, Samſon, Iephte, Dauid, Samuel, & Prophetis: 33. qui per fidem vicerunt regna, operati ſunt iuſtitiam, adepti ſunt repromiſſiones, obturauerunt ora leonum, 34. extinxerunt impetum ignis, effugerunt aciem gladij, conualuerunt de infirmitate, fortes facti ſunt in bello, caſtra verterunt exterorum: 35. acceperunt mulieres de reſurrectione mortuos ſuos. Alij autem diſtenti ſunt, non ſuſcipientes redemptionem, vt meliorem inuenirent reſurrectionem. 36. Alij verò ludibria & verbera experti, inſuper & vincula & carceres: 37. lapidati ſunt, ſecti ſunt, tentati ſunt, in occiſione gladij mortui ſunt: circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, afflicti: 38. quibus dignus non erat mundus: in ſolitudinibus errantes, in montibus, & ſpeluncis, & in cauernis terræ. 39. Et hi omnes teſtimonio fidei probati, non acceperunt repromiſſionem, 40. Deo pro nobis melius aliquid prouidente, vt non ſine nobis conſummarentur.

COMMENTARII.

I. *Deſcribit Apoſtolus, quid ſit Fides, quænam eius fructus, qua efficacia.*

VERS. 1.2.3.4.5.6.7. *Eſt autem Fides, &c.*] Fides eſt *ſubſtantia*, Græcè, *ſubſiſtentia ſperandarum rerum*, ſeu quæ res ſperandas, vel quæ nondum exiſtunt, facit exiſtere in intellectu, id eſt, tam certas in animo hominis haberi, ac ſi iam de facto exiſterent. Eſt item *argumentum non apparentium*, Græcè, *conuictio, & demonſtratio.* Seu eſt lumen, quo intellectus conuincitur, ad firmiter ea credenda, quæ non videt, aut naturaliter non capit. * Fides itaque eſt *argumentum* conuincens, & demonſtrans, intellectum conuincens, cui nulla ſubeſt à Catholicis impugnatio.] *In hac enim teſtimonium conſecuti ſunt ſenes.* Seu per hanc fidem antiqui patres noſtri obtinuerunt, vt Deo placerent, per quos tam magna, ac mirabilia excitaret. *Fide intelligimus aptata eſſe ſæcula verbo Dei, vt ex inuiſibilibus viſibilia fierent.* Cognoſcimus fide, mundum, & omnia, quæ in eo adſunt, non eſſe ab æterno, ſed in tempore *aptata*, Græcè, *compaginata* fuiſſe vnico iuſſu ac nutu Dei: vt ex non exiſtentibus niſi in ideis diuinis fierent exiſtentia & viſibilia. *Fide plurimam hoſtiam Abel quam Cain obtulit Deo.* Fides, quæ maior erat in Abel, quam in Cain, excitauit eum, vt copioſiorem, ac meliorem hoſtiam Deo litaret: *per quam teſtimonium conſecutus eſt, eſſe iuſtus*, Gen. 4.4. ſeu per illam ſe eſſe iuſtum oſtendit: etſi occiſus à fratre *defunctus adhuc loquitur*, non quidem ore, ſed re, & exemplo. * Sancti enim poſt mortem ſemper loquuntur, nos exemplo ſuo ad virtutem hortantes.] *Fide Henoch tranſlatus eſt, ne videret mortem: & non inueniebatur, quia tranſtulit illum Deus.* Henoch etiam ob inſignem fidem & conformem fidei morum innocentiam fuit in paradiſum tranſlatus, vt ſimul cum Elia Anti-Chriſti tempore redeat: vnde mortem adhuc expertus non eſt: non autem inter mortales apparebat. *Ante tranſlationem enim teſtimonium habuit, placuiſſe Deo.* Gen. 5. 24. Quia de illo dicitur: *Ambulauit cum Deo*, ſeu Deo per omnia conſenſit. *Sine fide autem impoſſibile eſt placere Deo.* Henoch tranſlatus eſt, quia Deo placuit. Atqui non potuit placere Deo niſi per fidem: Ergo per fidem tranſlatus eſt. * Henoch ob fidei ac virtutum præmium tranſlatus eſt, vt ei tot ſæculis viſio beatifica differretur, & inſtante Anti-Chriſti perſecutione horribili diris pœnis affectus Martyr obiret? Ergo laborum tolerantia eſt præmium hîc iuſtitiæ? Ità planè, quia labores hi quantumuis diuturni, momentanei ſunt, cum æterna ſint felicitate munerandi.] *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia eſt*, ſeu credere quod Deus eſt, quod Deus exiſtit: & quod *inquirentibus ſe remunerator ſit*, ſeu quod ſuis cultoribus retribuat bona vitæ æternæ promiſſa. *Fide Noe reſponſo accepto de iis, quæ adhuc non videbantur, metuens aptauit arcam in ſalutem domus ſuæ, per quam damnauit mundum: & iuſtitiæ, quæ per fidem eſt, heres eſt inſtitutus.* Noë diuina reuelatione admonitus de futuro diluuio, reueritus Deum ob fidei præſtantiam, conſtruxit arcam, vt ab aquarum eluuione, ſuam ſeruaret familiam: & hac ſua fide damnauit reliquorum hominum incredulitatem, qui Noemum arcam conſtruentem irrido

Fides eſt argumentũ cõuincens, & demõſtrans.

Fidei elogia.

Sancti poſt mortem ſemper exemplo loquuntur.

Hic iuſti laborũ virtutũ præmium labores recipiunt pignus vberioris gloriæ.

irridebant; & consecutus est, & iustitiæ, seu sanctitatis patrum suorum, quæ per fidem acquiritur, & augetur heres remansit, reliquis omnibus diluuio, imò ferè cunctis peccato submersis. Addidi, *ferè*, quia ex sententia D. Hieronymi multi prius quam omnino mergerentur, resipuere. * Mortis enim aspectus horribilis pulchram assolet animo lucem ministrare.]

Mortis aspectus peccatoribus solet pœnitudinē ministrare.

Vers. 8.9.10.11.12.13.14.15.16.17.18.19. *Fide qui vocatur Abraham obediuit in locum exire, quem accepturus erat in hereditatem: & exyt, nesciens, quò iret.* Syrus, *Per fidem Abraham cum vocatus est, dico audiens*, seu obediens *fuit*: perrexit autem in terram Chanaam, quam in posteris accepturus erat in possessionem perpetuam: nesciens in qua parte illius regionis sibi esset consistendum. *Fide remoratus est in terra repromissionis, tanquam in aliena in casulis habitando*, seu in tabernaculis, vel tentoriis, *cum Isaac, & Iacob, coheredibus repromissionis eiusdem*, quibus eadem terra erat promissa sancti in terra semper veluti peregrini commorantur: omnis terra est illis *aliena.*] *Expectabat enim fundamenta habentem Ciuitatem, cuius artifex, & conditor Deus.* Expectabat se cælestis Ciuitatis, quæ æterno fundamento nititur, cuius Deus artifex, ciuem esse futurum. * Porrò habitatio terrena instar tabernaculi est fundamento carentis.] *Fide & ipsa Sara sterilis virtutem in conceptionem seminis accepit, etiam præter tempus ætatis: quoniam fidelem credidit esse eum, qui repromiserat.* Agebat Sara annum nonagesimum, & sterilis erat: attamen, repugnante sterilitate & ætate credidit Deo fœtum ei promittenti, & fœcunda est effecta Isaacum concipiens. *Propter quod & ab vno orti sunt (& hoc emortuo) tanquam sidera in multitudinem: & sicut arena, quæ est ad oram maris innumerabilis.* Seu ideo ab vno Abrahamo iam pene emortuo propter senectutem generandi inepto orti sunt Israëlitæ innumerabiles, sicut sidera cæli, & maris arena. *Iuxtà fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus.* Syrus, *In fide* omnes isti obierunt sicut in fide vixerant. * Mors enim vitæ responder.] Dei promissa non viderunt executioni mandata, dum viuerent, sed crediderunt infallibiliter implenda: *sed à longè eas aspicientes, & salutantes.* Cum hi patres obscurè & velut à longe viderent, seu crederent patriam sibi & posteris in terra promissam, & beatitudinem cælestem in ea figuratam, eam crebro appellabant, & salutabant, sumpta à nauigantibus metaphora: sic ille,

Sancti in terra velut peregrini cōmorantur.

Habitatio terrena fundamentū nō habet.

Mors vitæ responder.

Italiam Italiam primus conclamat Achates.

Et confitentes, quia peregrini, & hospites sunt super terram. Ita Iacob Gen.47. *Dies peregrinationis meæ centum triginta annorum sunt. Qui enim hac dicunt, significant se patriam inquirere.* * Obliuione se cælestem patriam tradidisse, nec eam inquirere, manifestat, qui non peregrinum, sed ciuem se hoc in sæculo profitetur.] *Et siquidem illius meminissent, de qua exierunt, habebant vtique tempus reuertendi.* Si Abraham non omninò obliuioni tradidisset Vr Chaldæorum, vnde fuerat egressus, breui temporis spatio reuerti potuisset, & eius posteri idem possent præstare. *Nunc autem meliorem appetunt patriam, id est, cælestem. Ideo non confunditur Deus vocari Deus eorum*, seu ob eiusmodi eorum fidem in cælo animum defixum habentium, non dedignatur Deus eorum Deus peculiariter appellari: & *parauit illis ciuitatem*, quam expectant; & ad quam anhelant. *Fide obtulit Abraham Isaac, cum tentaretur, & vnigenitum offerebat, qui susceperat repromissiones.* Cum Deus tentare voluit obedientiam, ac pietatem Abrahæ Gen.22.2. dicens: *Tolle filium tuum vnigenitum*, tanta fuit eius fides, vt non dubitarit Isaac filium suum Deo victimam immolare, cum tamen repromissiones, quæ ei à Deo factæ fuerant in Isaac essent complendæ. *Ad quem*, scilicet Abrahamum *dictum est. Quia in Isaac vocabitur tibi semen*, seu ex Isaac, non autem ex Ismaël tibi posteritas excitabitur, *arbitrans* fidelissimus pater, *quia & à mortuis suscitare potens est Deus* Isaacum, vt promissa implerentur; *vnde eum & in parabolam accepit*, seu in typum mortis, & resurrectionis Messiæ, sic nonnulli Interpretes. Ego autem ita expono litteræ conuenientius. Eum viuum recepit, vt esset prouerbium & exemplum promptæ obedientiæ, quòd omnes gentes omnibus sæculis celebrarent. T

Qui non gentis se in terra vt peregrinū, patriæ cælestis omninò est oblitus.

Vers. 20.21.22.23.24.25.26.27.28.29.30. 31.32.33.34. *Fide & de futuris benedixit Isaac, &c.*] Pergit Apostolus ad Isaac. Hic *de futuris benedixit Iacob & Esau.* Vbi commendabilis apparet Isaaci fides, quod filiis benedixerit *de futuris*, seu bona eis promiserit, quæ non videbat, sed quia à Deo ea futura acceperat, & ei credebat, ità eis ea promisit, ac si præsentia oculis intueretur. *Fide Iacob moriens singulos filiorum Ioseph benedixit: & adorauit fastigium virgæ eius.* Simili fide Iacob morti proximus Ephraim, & Manassem Iosephi filios donauit benedictione, vtrique magna bona promittens, quorum nihil apparebat, sed illa euentura fide credidit. Et reuerētiam exhibuit virgæ seu sceptro Iosephi, & Deum adorauit. Vnde Gen.47.31. dicitur, *Adorauit Israël Deum conuersus ad lectuli caput.* * Cur autem dicit Paulus, *Adorauit fastigium virgæ eius.* Annon virga illa seu sceptrum potestatis, seu principatus insigne? Quis dubitet. Vult Deus vt Principes, Magistratus, Præsules, qui ab eo potestatem habent sic reuereamur, ac si in eis Deum ipsum aspiceremus.] *Fide Ioseph moriens de profectione filiorum Israel memoratus est*, à Deo fuisse promissam, & simul futuram credidit. *Fide Moyses natus occultatus est mensibus tribus à parentibus suis, eo quod vidissent elegantem infantem, & non timuerunt Regis edictum.* Exod.2. Iosephus lib.2. Antiq. cap.5. affirmat, patri Mosis per quietem promissum, nasciturum ex ipso infantem, qui populum liberaret. Hac spe, & fide oraculo addicta, illum menses tres apud se occultum retinuerunt regali edicto non retardati. In hanc spem etiam venisse innuit Apostolus ex infantuli elegantia. *Occultarunt enim: eo quod vidissent elegantem infantem.* Ac si dicerent: Procul dubio hic Princeps erit potens educere à seruitute populum. *Pulchritudo* enim (quidam Gentilis dixit) *digna est imperio.*] *Fide Moyses grandis factus, negauit se esse filium filiæ Pharaonis: magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere iucunditatem*, seu quam peccare negligendo liberationem populi, ad quam sciebat, se à Deo destinatum. * Ego quidem per temporalis peccati iucunditatem vitam in deliciis,

Deus vult Præsules à nobis haberi, ac si in illis Deum ipsum aspiceremus.

Digna imperio est pulchritudo.

Vita in deliciis, & in aula via sine peccato esse potest.

ciis, in aula regia, quæ vix sine peccato esse potest.] *Maiores diuitias æstimans thesauro Ægyptiorum improperium Christi.* Videtur hinc, Mosem spiritu prophetico præuidisse Christi passionem, & opprobria: & vt ei similis fieret, maluisse opprobriis affici, quam diuitiis in Pharaonis aula abundare: *aspiciebat enim in remunerationem*, seu credebat firmiter cælestia bona pro improperiis illi sibi esse redditurum. *Præmij futuri spes labores indulcat, & ad patientiam acuit affectum.] *Fide reliquit Ægyptum non veritus animositatem Regis: inuisibilem enim tanquam videns sustinuit.* Eluxit quidem admodum fides Mosis, quod ausus est, post tot excitata miracula ad durum Regis cor emolliendum populum ex Ægypto educere, credens diuinis promissis, Pharaonis iram non timens. Profecto visibilis hominis iram contempsit, quia fide Deum inuisibilem tanquam si videret *sustinuit*, id est, expectauit adiutorem, & remuneratorem. *Fide celebrauit pascha, & sanguinis effusionem*, seu profecturus ex Ægypto occidit agnum, & profudit sanguinem, quo postes Hebræorum inungerentur, ne Angelus, qui Ægyptiorum primogenitos interimebat, ipsos quoque Hebræos inuisibili gladio necaret. Exo. 12. Nisi enim crederet Deum, quod promiserat, præstiturum, nec pascha celebraret, nec postes cruore liniret. *Fide transierunt mare Rubrum, tanquam per aridam terram: quod experti Ægyptij, deuorati sunt*, seu vndis pelagi fuere absorpti. Exod. 14. *Fide muri Iericho corruerunt circuitu dierum septem.* Credentes scilicet Iosue & populus, muros Iericho ruituros, si septem diebus cum arca, & tubis sacerdotalibus Vrbem cingerent, eam esse capiendam: vt crediderunt, accidit. Ios. 6. *Fide Rahab meretrix non periit cum incredulis, excipiens exploratores cum pace* Rahab benigniter excepit, & solicite occultauit exploratores, & cum pace, seu sine periculo illos dimisit, credens Ieruchuntem, & reliquas Chanaam à Deo, Hebræis, vti promiserat, esse tradendas: & ideò cum incredulis non deperiit. *Et quid aliud dicam?* seu quid necessum est plura commemorare? *Deficiet enim me tempus enarrantem de Gedeon, Barac, Samson, Iephte, David, Samuel, & Prophetis: qui per fidem vicerunt Regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones, obturauerunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, effugerunt aciem gladij, conualuerunt de infirmitate, fortes facti sunt in bello, castra verterunt exterorum.* Porrò Gedeon credens Deo promittenti sibi, & suis de Madianitis consequendam victoriam eam obtinuit. Iud. 7. Barac credens Debore Dei nomine imperanti, vt contra Sisaram dimicaret eum profligauit. Iud. 4. Samson Iethete. David & alij credentes Deo ad prœlium contra Philisthæos, Ammonitas, aliosque hostes excitanti, eosdem postrauerunt. Vicerunt fide Hebræi Chananæorū, Philisthæorum, Ammonitarum &c. Regna, ac Iustitiam tutati sunt Iudices iusti: & iusta ac sancta opera exercuere: & Iosue, Caleb, alijque Hebræi terram Chanaam sibi promissam possederunt. Daniel sua fide & sanctitate famelicorum leonum ora clausit. Tres Danielis socij Sidrach, Misach, & Abdenago in fornacem immissi auram in igne repererunt. Elias gladium Iezabelis effugit, Elias à cæcitate, Iobab infirmitate vlcerum conualuere. Iosue, David, Machabæi in bellos illustres triumphos reportarunt. Ionathas multis Philisthæis interemptis planctu, ac tumultu castra illorum compleuit.

Præmij spes labores indulcat.

Vers. 35. 36. 37. 38. 39. 40. Acceperunt mulieres, &c.] Sereptanam viduam & Sunamitidem mulierem intelligit, quarum illa ab Elia, hæc ab Elisæo mortuum suum filium recepit à mortuis excitatum. 3. Reg. 17. & 4. Reg. 4. *Alij autem distenti sunt, non suscipientes redemptionem vt meliorem inuenirent resurrectionem.* Græcè, pro *distenti sunt*, apponitur, *fustibus sunt contusi.* Erat tormenti genus, quo homo distendebatur, & plagis multis feriebatur instar tympanorum. Manifestè intelligitur ex 2. Macha. 6. vbi pro eo, quod nos habemus *Voluntariè præibant ad supplicium*, in Græco est, *ad tympanum.* Nec redimi aut liberari ab his suppliciis voluere vt meliorem acquirerent resurrectionem, ac vitam, quàm erat illa qua priuabantur. *Alij verò ludibria, & verbera experti, insuper & vincula, & carceres.* Sic Sāson, à Philisthæis oculis orbatus, & Elisæus, cui irridentes clamabant pueri: *Ascende calue.* Ioseph Ieremias, Michæas vinculis fuere adstricti, Michæas alapa fuit diuerberatus. *Lapidati sunt*, vt Naboth. 3. Reg. 21. & Zacharias Ioiadæ filius 2. Paral. 24. *Secti sunt.* De Isaia id intelligo, quem aiunt, à Rege Manasse serra lignea fuisse dissectum: Machabæis vero manus & pedes fuere præcisi, 2. Mach. 7. *Tentati sunt* diuturnis calamitatibus, vt Iob. *In occisione gladij mortui sunt.* Sic Prophetæ Domini sub Iezabel 3. Reg. 19 & sacerdotes in Nobe sub Saule 1. Reg. 22. *Circuiuerunt in melotis*, Græcè, ouinis pellibus cum lana, vel pellibus caprinis. Sic Elias, qui vir pilosus dictus est non tam ob barbam, & comam, quam ob melotem hirsutam, & villosam: *egentes*, vt Elias, quem pascebat coruus, 3. Reg. 17. *Angustiati* doloribus, & solicitudinibus, vt Elias fugiens Iezabelem, David Saulem, *Afflicti*, Græcè, *malè habiti*, seu dirè tractati, vt Elias à Iezabele. *Quibus dignus non erat mundus*, affligebantur, vt malefici, cum tamen tales essent, vt mundus habere eos non mereretur. *In solitudinibus errantes, in montibus, & speluncis, & in cauernis terræ.* Sic David fugiens Saulem in spelunca latebat. 1. Reg. 22. *Et hi omnes testimonio fidei probati non acceperunt repromissionem.* Profecto hi omnes licet magna fide niterentur, & sanctitate nondum acceperunt repromissionem illam quæ antonomasticè dicitur repromissio, nempè bonorum cælestium, & consummatæ beatitudinis. *Deo pro nobis melius aliquid prouidente*, seu præstantius aliquid nobis, quam priscis patribus prouidit Deus, disponens, vt tempus beatitudinis, ac resurrectionis non incideret apud illos in veteri, sed apud nos in nouo Testamento. Voluit enim Deus, vt cælum nemini pateret ante quam Christus pro nostris peccatis satisfaceret: *vt non sine nobis consummarentur.* Seu vt Testamenti antiqui patres *non sine nobis* siue antè nostrum tempus, seu noui Testamenti consummarentur. Id est, perfectè beatificarentur. Neque enim poterat lex Mosaica, seu vetus Testamentum quemquam saluare, vel beatificare, sed hoc tempori Christi, & noui Testamenti fuit reseruatum.

CAPVT XII.

Hortatur Hebræos ad patientiam, Dei cultum, concordiam fraternam, Christi, ac tot sanctorum exemplo.

1. IDEOQVE & nos tantam habentes impositam nubem te-
stium, deponentes omne pondus, & circumstans nos pecca-
tum, per patientiam curramus ad propositum nobis certa-
men: 2. Aspicientes in auctorem fidei & consummatorem
Iesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusio-
ne contempta, atque in dextera sedis Dei sedet. 3. Reco-
gitate enim, eum qui talem sustinuit à peccatoribus aduer-
sum semetipsum contradictionem: vt ne fatigemini, animis vestris deficientes.
4. Nondum enim vsque ad sanguinem restitistis, aduersus peccatum repugnantes:
5. & obliti estis consolationis quæ vobis tanquam filiis loquitur, dicens: Fili mi,
noli negligere disciplinam Domini: neque fatigeris dum ab eo argueris. 6. Quem
enim diligit Dominus, castigat, flagellat autem, omnem filium, quem recipit. 7. In
disciplina perseuerate. Tanquam filiis vobis offert se Deus: quis enim filius, quem
non corripit pater? 8. Quod si extra disciplinam estis, cuius participes facti sunt
omnes: ergo adulteri, & non filij estis. 9. Deinde patres quidem carnis nostræ,
eruditores habuimus, & reuerebamur eos: non multo magis obtemperabimus Pa-
tri spirituum, & viuemus? 10. Et illi quidem in tempore paucorum dierum, se-
cundùm voluntatem suam erudiebant nos: hic autem ad id, quod vtile est in reci-
piendo sanctificationem eius. 11. Omnis autem disciplina, in præsenti quidem vi-
detur non esse gaudij, sed mæroris: posteà autem fructum pacatissimum exerci-
tatis per eam reddet iustitiæ. 12. Propter quod, remissas manus, & soluta genua
erigite, 13. & gressus rectos facite pedibus vestris: vt non claudicans quis erret,
magis autem sanetur. 14. Pacem sequimini cum omnibus, & sanctimoniam, sine
qua nemo videbit Deum: 15. Contemplantes ne quis desit gratiæ Dei: ne qua ra-
dix amaritudinis sursum germinans impediat, & per illam inquinentur multi.
16. Ne quis fornicator, aut profanus vt Esau: qui propter vnam escam vendidit
primitiua sua. 17. Scitote enim quoniam & postea cupiens hæreditare benedictio-
nem, reprobatus est: non enim inuenit pœnitentiæ locum, quamquam cum lacry-
mis inquisisset eam. 18. Non enim accessistis ad tractabilem montem, & accensi-
bilem ignem, & turbinem, & caliginem, & procellam, 19. & tubæ sonum, &
vocem verborum, quam qui audierunt, excusauerunt se, ne eis fieret verbum.
20. Non enim portabant quod dicebatur: Et si bestia tetigerit montem, lapidabi-
tur. 21. Et ita terribile erat quod videbatur. Moyses dixit: Exterritus sum, &
tremebundus. 22. Sed accessistis ad Sion montem, & ciuitatem Dei viuentis, Ie-
rusalem cælestem, & multorum millium Angelorum frequentiam, 23. & Eccle-
siam primitiuorum, qui conscripti sunt in cælis, & iudicem omnium Deum, & spi-
ritus iustorum perfectorum, 24. & testamenti noui mediatorem Iesum, & san-
guinis aspersionem melius loquentem quam Abel. 25. Videte ne recusetis lo-
quentem. Si enim illi non effugerunt, recusantes eum qui super terram loqueba-
tur: multo magis nos, qui de cælis loquentem nobis auertimus. 26. Cuius vox mo-
uit terram tunc: nunc autem promittit, dicens: Adhuc semel; & ego mouebo
non solùm terram, sed & cælum. 27. Quod autem, Adhuc semel, dicit: declarat
mobilium translationem, tanquam factorum, vt maneant ea quæ sunt immo-
bilia. 28. Itaque regnum immobile suscipientes, habemus gratiam: per quam
seruiamus placentes Deo, cum metu & reuerentia. 29. Etenim Deus noster ignis
consumens est.

COMMENTARII.

Hortatur ad patientiam, & alias virtutes.

1. VERS. 1. 2. 3. 4. 5. 6. *Ideóque & nos, &c.*] Habentes ô Hebræi fratres, *tantam*, quantam proximè vidimus, *nubem*, seu copiam *testium* (qui per fidem, ac pro fide tam strenue pugnauerunt) nobis *impositam*, Græcè, *circumpositam*, vallantem vndique & cingentem nos. * (Exempla enim sanctorum nos quasi vallo cingunt vt virtuti tradamus voluntatis arcem.)] *Deponentes omne pondus*, omnes sarcinas, omnes remoras, quæ cursum virtutis retardant, vt sunt luxus, noxiæ cupiditates, *& peccatum nos circunstans*, seu concupiscentiam, quæ, instar retis, nos vndique cingit: *curramus* totis viribus *ad propositum nobis certamen*, seu agonem, & in eo victoribus propositum brauium. *Aspicientes in auctorem fidei* Iesum perfecti athletæ exemplar, vt ab eo vires hauriamus. Hic enim vt est author fidei nobis, docens, quæ sunt credenda, & donans, vt credamus: ita erit & consummator fidei collaturus videnda, quæ nunc credenda docet. *Qui* quidem Iesus, *proposito sibi gaudio*, quo frui poterat, passionem eligit, & *sustinuit crucem, confusione*, & ignominia tam probrosæ mortis *contempta*. Gaudium hic idem esse existimo, ac immunitatem à doloribus: *atque in dextera Dei sedet*, seu sedet ad Patris dexteram in diuinitatis throno, in confusionis præmium. * Agnata enim est humilitati exaltatio.] *Recogitate enim eum, qui talem sustinuit à peccatoribus aduersus semetipsum contradictionem*, seu irrisiones, plagas, probra, iniurias: *vt ne fatigemini, animis vestris deficientes.* Serio recogitate Christi passionem, vt persecutionibus non defatigemini, nec cedatis imbelles laboribus: *Nondum enim vsque ad sanguinem restitistis*, seu quamuis dira sustinueritis, nondum tamen sanguinem pro Christo fudistis, sicut Christus vestra causa profudit. * Leue redditur quidquid pati homo potest, si horribilis Iesu passionis recordemur.] Nondum inquam vsque ad sanguinem restitistis, *aduersus peccatum repugnantes*, seu ne peccatis pollueremini. * *Liceat* mihi hinc mei D. Francisci Xauier gloriam innuere, qui cum somno correptus somnium minus decens suam phantasiam aggrederetur, tanto affectu inuoluntario restitit motui, vt sanguinem ore profunderet. Annon hic *vsque ad sanguinem* restitit.] *Et obliti estis consolationis, quæ vobis tanquam filijs loquitur, dicens: Fili mi, noli negligere disciplinam Domini, neque fatigeris, dum ab eo argueris.* Obliti plane estis *exhortationis* (Græcè sic) illius, quæ habetur Prouer. 3. 11. quæ vobis magnam posset consolationem in ærumnis addicere: Fatur enim Spiritus sanctus: Eruditionem, quam à Domino per tribulationes ab eo immissas, aut permissas, non semel accepisti corde perpetuò retine: neque deficias animo, cum corriperis ab eo. *Quem enim diligit Dominus, castigat, flagellat autem omnem filium, quem recipit.* Deus enim iustis se gerit vt pater, qui filij mores indisciplinatos corrigit. * Delinquens immunitate frueris? Signum perspicuum est, te ad filiorum numerum minime pertinere.] Laboribus itaque immissis, vel permissis flagellat eum, quem in filium recipere dignatur.

Sanctorum exempla nos quasi vallo cingunt, vt virtuti tradamus.

Humilitati agnata est exaltatio.

Leue redditur, quidquid pati possumus, si Christi passionis recordemus.

D. Franciscus Xauier vsque ad sanguinẽ restitit inuoluntario per somniũ motui.

Qui peccans non corripitur à Deo, signum dat, se filium eius non esse.

Vers. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. *In disciplina perseuerate, &c.*] Perseuerate in disciplina, qua Magister vester Deus vos per Iudæos contribules vestros exercet. *Tanquam filijs vobis offert se Deus*, seu vestram felicitatem agnoscite, te Deus charissimum patrem vobis ostendit, dum vult, laboribus agitari. *Quis enim filius, quem non corripit pater*, si eum amore prosequatur. * Signum enim est odij, si eum relinquat, vt moribus corruptis liberè vtatur.] *Quod si extra disciplinam estis, cuius participes facti sunt omnes*, qui Dei sunt filij, *ergo adulteri*, Græcè, *adulterini*, spurij, & degeneres *filij estis*, & cælestis hereditatis exortes. *Deinde patres quidem carnis nostræ eruditores habuimus, & reuerebamur eos: non multo magis obtemperabimus Patri spirituum, & viuemus?* Est aliud à minori ad maius argumentum. Si parentes carnales nos in pueritia corripientes reuerebamur; quanto maiori affectu reuereri debemus Deo spirituali & corporis & animæ Patri nos in nostram vtilitatem corripienti, vt hac obedientia, & castigatione vere viuamus: *Et illi quidem in tempore paucorum dierum secundum voluntatem suam erudiebant nos: hic autem ad id, quod vtile est, in recipiendo sanctificationem suam.* Carnales parentes nos erudiebant, & corripiebant dum essemus pueri, vt gerere nos sciremus in rebus ad paucorum dierum vitam hanc necessariis: & id quidem iuxta eorum placitum: quia non semper nos corripiebant, vt ea sectaremur, quæ vere nobis essent vtilia. Deus vero nos corripit, vt geramus ea, quæ sunt nobis vtilia, nec cessat, donec omnino a vitiis recedentes, sanctificationem ineamus. *Omnis autem disciplina in præsenti quidem videtur non esse gaudij, sed mæroris.* Omnis castigatio, cum infertur, dolorem affere, nec videtur gaudium vnquam paritura: *postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet iustitiæ*, seu postmodum ex amara correptionis radice fructus vberes iustitiæ & pacis æternæ cum exultatione colliguntur. *Propter quod remissas manus, & soluta genua erigite*, excussa ignauia alacritatem assumite, & serio exsurgite ad patientiam, & actiones: *& gressus rectos facite pedibus vestris, vt non claudicans quis erret, magis autem sanetur.* Si quis inter vos claudicans adsit, seu pronus ad defectionem propter tribulationem, qua fidei causa afficitur: statim paterna cura adhibita per fomẽta exhortationis sanitatem recipiat, ne forte neglectus longius abducatur, & corruat. * Claudicanti in via spirituali incunctanter medicina est adhibenda: claudicationi namque vicinus est casus.] *Pacem sequimini cum omnibus: & sanctimoniam, sine qua nemo videt Deum.* Cum omnibus pacem habete, cum illis etiam, qui vos odio prosequuntur: & animi pietati studete, sine qua nulli datum, Dei visione potiri: *Contemplantes, ne quis desit gratiæ Dei*, seu inspicientes, ne quis ita tepidus Dei procedat in via, vt deficiat demum, & ab hostibus insidiantibus capiatur. Porro gratiæ Dei deesse eum dicimus, qui Dei vocationi, & inspirationibus non respondet: *ne qua radix amaritudinis*

Pater odiõ habet filium, quem errantem nõ corripit.

In spirituali via claudicãti mox medicamẽ est adhibendum.

sursum

surſum germinans impediat: & per illam inquinentur multi. Radix amaritudinis ſunt praua dogmata, & corrupti mores, qui conſcientiam amaritudine perfundunt, poſtquam ad peccatum traxerunt. Si fructus radicis ſequitur qualitatem, & amaritudinis radix peccatum eſt: ergo peccatum diffluit amaritudine. O quàm demens eſt ille, qui putat, ſe in peccato poſſe dulcedinem inuenire?] Fructus itaque huius amaræ radicis impedit delinquentem, ne progrediatur: & prauo ſuo exemplo multos ad idem trahit inquinamentum. *Ne quis fornicator, aut profanus, vt Eſau*, ſeu à fornicatione vos auertite mentem ſcilicet auertente à Deo. Haud *profani* ſitis. Ex Græco ille profanus eſt, qui ſacra violat, negligit, violat vti Eſau, qui ius primogeniorum, & Sacerdotium illi adiunctum exiguæ eſcæ vendidit appetitu, *qui propter vnam eſcam*, ait, *vendidit primitiua ſua*, ſeu primogenituræ ius. *Scitote enim quoniam & poſtea cupiens hæreditare benedictionem, reprobatus eſt*, ſeu reiectus à patre Iſaac dicente: Benedixi ei, erit benedictus: *non enim inuenit pœnitentiæ locum, quamquam cum lacrymis inquiſiſſet eam*, ſeu obtinere non potuit, vt pater facti pœniteret, & benedictionem reuocaret. Vel inutilis fuit eius pœnitentia, ſeu quod pœniteret eum venditi primogenituræ iuris. * En æternæ damnatorum pœnitudinis typum, nunquam profuturæ.]

Peccatum amara radix eſt amaritudinis.

Damnatis pœnitudo nunquã profutura.

Verſ. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. *Non enim acceſſiſtis, &c.*] Non acceſſiſtis ad Sina corporeum, & terreſtrem montem *ignem* ſpirantem, *& turbinem, & caliginem, & procellam: & tubæ ſonum* horribilem, *& vocem verborum*, quibus lex ad populum fuit promulgata: *quam* vocem *qui audierunt excuſauerunt ſe*, Græcè, *recuſarunt, ne ipſis fieret verbum*, ſeu ne amplius ſecum loquentem Deum audirent; (dicebant enim, *Ne fortè moriamur.*) *Non enim portabant, quod dicebatur.* Petierunt illi, vt non Deus loqueretur, ſed Moſes, quoniam perterriti ſuſtinere non poterant terrorem, quem vox illis Dei incutiebat. *Et ſi beſtia tetigerit montem, lapidabitur.* Græcè, *etiamſi*, ſeu non ſolùm homo, qui montem tetigerit, & ad Dei quaſi tribunal accedere auſus fuerit, lapidibus obruetur: ſed etiam bruta. *Et ità terribile erat, quod videbatur, Moyſes dixit: exterritus ſum, & tremebundus.* Adeò horribile erat, quod Hebræi audiebant, & videbant, vt ipſe Moſes Deo familiaris dixerit, ſe nimio terrore ac tremore eſſe affectum. *Sed acceſſiſtis ad Sion montem, & Ciuitatem Dei viuentis, Ieruſalem cæleſtem, & multorum millium Angelorum frequentiam, & Eccleſiam primitiuorum, qui conſcripti ſunt in cælis, & Iudicem omnium Deum, & ſpiritus iuſtorum perfectorum, & Teſtamenti noui mediatorem Ieſum, & ſanguinis aſperſionem, melius loquentem, quam Abel.* Singulis, quæ dixerat, nunc ſingula opponit; vt oſtendat legis Euangelicæ filios maiora à Deo beneficia accepiſſe, quam veteris Teſtamenti cultores. Aggregati itaque eſtis Chriſtianæ Eccleſiæ per fidem & Baptiſmum. Vt fruamini in Dei ciuitate illa beatitudine, cuius iuſti ſunt compotes. Vocatur autem Ciuitas *Dei viuentis*, quia eius conditor eſt non homo mortalis, ſed Deus viuus & verus. Et adducti eſtis non vt terroribus fulgurum, tempeſtatum, ac tubarum terreamini: ſed vt æternum cum cœtu innumerabium Angelorum viuatis. Aggregati feliciter eſtis & adſcripti in ſocietatem eorum, qui ab aliis ſeparati, tanquam primogeniti electi ſunt à Deo, & in cælis tanquàm beatitudinis heredes conſcripti. Acceſſiſtis ad Chriſtum, qui Iudex omnium eſt conſtitutus, à quo iuſtam veſtris laboribus mercedem expectatis? & qui eos, à quibus nunc diuexamini, debito afficiet ſupplicio. Ideò autem Chriſtus noui Teſtamenti *mediator* eſt, vt promiſſionem accipiant, qui electi ſunt, æternæ beatitudinis: *& ſanguinis aſperſionem*, id eſt ſanguinē ſuper vos in Baptiſmo aſperſum, imò propter vos profuſum, qui quidem melius loquitur, quam Abelis ſanguis. Ille enim vindictam loquebatur iuxta illud Gen. 4. 10. *Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Sanguis autem Chriſti miſericordiam profundi humano generi precatur.

Verſ. 25. 26. 27. 28. 29. *Videte, ne recuſetis, &c.*] Ne Chriſtum ipſum vobis è cælo loquentem recuſetis audire, ſed aures audiendi præſtate loquenti. *Si enim illi non effugerunt, recuſantes eum, qui ſuper terram loquebatur:* Nam ſi Hebræi illi non vitarunt ſupplicium, qui Angelum Dei nomine loquentem in monte audire recuſarunt: *multo magis nos, qui de cœlis loquentem nobis auertimus*, grauius ſupplicium nos experiemur, ſi Chriſtum Deum & hominem repellimus, qui è ſuperis locutus eſt nobis cum poſt aſcenſum ſuum legem Euangelicam in die Pentecoſtes promulgauit, miſſo è cœlis Spiritu Paraclito? *Cuius vox monit terram tunc: nunc autem repromittit, dicens: Adhuc ſemel; & ego mouebo non ſolùm terram, ſed & cœlum.* Chriſti vox qua Deus eſt, terram in monte Sinai concuſſit: nunc autem hæc promittit: *Adhuc ſemel.* Prima terræ motio facta eſt in Sina, cum data eſt lex: ſecunda & vltima fiet in ſecunda & vltima lege Chriſti, quæ immobilis erit, & æterna, & cui nulla alia lex ſuccedet. *Quod autem Adhuc ſemel, dicit, declarat mobilium tranſlationem tanquam factorum, vt maneant ea, quæ ſunt immobilia.* Certè τὸ Adhuc *ſemel* declarat, legem illam, quam per Moſem tulerat, fuiſſe transferendam, ſeu abrogandam, vt altera ſuccedat, lex ſcilicet Chriſti, quæ immobilis ſit, & transferri non poſſit. *Itaque Regnum immobile ſuſcipientes, habemus gratiam, per quam ſeruiamus placentes Deo cum metu, & reuerentia.* Regnum immobile eſt lex Euangelica, per quam Chriſtus regnat in nobis, non Moſes in veteri lege imperabat Dei gerens vices. Chriſto autem Rege cæleſti gratiæ munere vbertim donamur, qua adiuti Deo placere valeamus, eique hilariter cum metu, & reuerentia ſeruire. *Etenim Deus noſter ignis conſumens eſt.* Vox etenim caudam innuit, cur Deo cum metu, ac reuerentia ſeruire debeamus: quod Deus tanquam ignis punit, vrit, & conſumit eos, qui hoc metu, & reuerentia carent. * Vt non putemus, liberos nos fore à ſupplicio, quia ad legem gratiæ pertinemus; hæc enim Dei gratiæ profluxio, vt cæleſtis ros ingratis dirum vertetur in ignem.]

Ne fidas quod in lege gratiæ viuas, vt delinquere audeas: gratiæ enim ros in ignem vertetur ingratis.

CAPVT XIII.

Ad charitatem, obedientiam, & hostiam laudis Deo offerendam, Apostolus hortatur Hebræos.

1. CHARITAS fraternitatis maneat in vobis. 2. Et hospitalitatem nolite obliuisci, per hanc enim latuerunt quidam, Angelis hospitio receptis. 3. Memento vinctorum, tanquam simul vincti, & laborantium, tanquam & ipsi in corpore morantes. 4. Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus. Fornicatores enim, & adulteros iudicabit Deus. 5. Sint mores sine auaritia, contenti præsentibus: ipse enim dixit: Non te deseram, neque derelinquam. 6. ita vt confidenter dicamus: Dominus mihi adiutor: non timebo quid faciat mihi homo. 7. Mementote præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei: quorum intuentes exitum conuersationis, imitamini fidem. 8. Iesus Christus heri, & hodie: ipse & in sæcula. 9. Doctrinis variis & peregrinis nolite abduci. Optimum est enim gratia stabilire cor, non escis: quæ non profuerunt ambulantibus in eis. 10. Habemus altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deseruiunt. 11. Quorum enim animalium infertur sanguis pro peccato in Sancta per pontificem, horum corpora cremantur extra castra. 12. Propter quod & Iesus, vt sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est. 13. Exeamus igitur ad eum extra castra, improperium eius portantes. 14. Non enim habemus hîc manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus. 15. Per ipsum ergo offeramus hostiam laudis semper Deo, id est, fructum labiorum confitentium nomini eius. 16. Beneficentiæ autem, & communionis nolite obliuisci: talibus enim hostiis promeretur Deus. 17. Obedite præpositis vestris, & subiacete eis. Ipsi enim peruigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri, vt cum gaudio hoc faciant, & non gementes: hoc enim non expedit vobis. 18. Orate pro nobis: confidimus enim, quia bonam conscientiam habemus in omnibus benè volentes conuersari. 19. Ampliùs autem deprecor vos hoc facere, quò celeriùs restituar vobis. 20. Deus autem pacis qui eduxit de mortuis pastorem magnum ouium, in sanguine testamenti æterni, Dominum nostrum Iesum Christum, 21. aptet vos in omni bono, vt faciatis eius voluntatem: faciens in vobis quod placeat coram se per Iesum Christum: cui est gloria in sæcula sæculorum. Amen. 22. Rogo autem vos fratres, vt sufferatis verbum solatij. Etenim perpaucis scripsi vobis. 23. Cognoscite fratrem nostrum Timotheum dimissum: cum quo (si celeriùs venerit) videbo vos. 24. Salutate omnes præpositos vestros, & omnes sanctos. Salutant vos de Italia fratres. 25. Gratia cum omnibus vobis. Amen.

COMMENTARII.

1. *Hortatur ad charitatẽ, obedientiam, & hostiam laudis Deo offerendam.*

VERS. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. *Charitas fraternitatis maneat in vobis, &c.*] Pergite ô Hebræi, vt cœpistis, inuicem amare, iuuare, fouete. *Et hospitalitatem nolite obliuisci*, seu ab officio vobis peruio hospitalitatis nolite cessare: *Per hanc enim* hõspitalitatem quidam, vt Abraham, & Loth *latuerunt*, *Angelis hospitio receptis*, seu latenter, & inscij Angelos hospitio receperunt, homines esse putantes. * Felicius, & vtilius pauperes nunc hospitio recipimus: siquidem Deus moratur in paupere.] *Mementote vinctorum, tanquam simul vincti.* Recordamini fauere vinctis causa fidei, ac si simul vinculis vos adstringeremini. Quod vinctus tecum geri desiderares, hoc vinctis impende. * Vt enim afflictis succurramus, non afflictos consideremus.] Mementote item *laborantium, tanquam & ipsi in corpore morantes.* Græcè, *eorum, qui affliguntur*, recordamini, cogitantes, vos corpus eisdem & grauioribus incommodis obnoxium induere. Qui laboranti non miseretur, frequenter assolet simili affici incommodo. Vndè cum videris aliquem morbo affligi, recordare, corpus tuum similis afflictionis esse capacem: & time, ne simili angaris ægritudine.] *Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus.* Coniugium sit in omnibus honorabile, seu in omni re honestatem seruate: & coniugalis lectus nullius peccati labe contra fidem

Felicius quã Abrahã olim pauperẽ hospitio recipis, quia si ille Angelos, tu Deum ipsum excipis.

Vt afflicto succurras, te cõsidera afflictum.

Miserere patiẽtis ægritudinem, quia corpus habes eidem malo obnoxium.

fidem coniugij contaminetur. *Fornicatores enim, & adulteros iudicabit Deus*, siue condemnabit, & puniet. * Cur fornicarios & adulteros speciatim Dei Iudicis tribunali addicit? Certè quia horum criminum patratoris totum studium solet esse, vt oculos hominum effugiat. O stulte, qui homines effugis delicti spectatores, & non times aspectari à Deo Iudice, cum delinquis!] *Sint mores sine auaritia contenti præsentibus*, moribus vestris auaritia non adsit, his, quæ habetis estote contenti. *Ipse enim* Deus ad Iosue *dixit*, cap. 1. *Non te deseram, neque derelinquam.* Locate in Deo fiduciam, haud vobis deerunt necessaria. * Nullus Deo fidit, eique seruiit, cui ad vitam tuendam necessaria deessent.] *Ita vt confidenter dicamus* cum Dauide Psal. 117.6. *Dominus mihi adiutor non timebo, quid faciat mihi homo.* Si Deus adiutor, hominum despice impugnationem. *Mementote Præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei: quorum intuentes exitum conuersationis, imitamini fidem.* Ob oculos apponite Apostolos, Episcopos, Sacerdotes, quos habuistis fidei Doctores: & meditantes felicem vitæ eorum exitum, studete eorum fidei æmulationi, vt & exitum imitemini.

Quam stultus adulter, qui hominũ oculos fugere curat, & Dei Iudicis non veretur in conspectu delinquere.

Nullus Deo seruit, cui ad vitam necessaria desint.

Vers. 8.9.10.11.12.13.14.15.16.17. Iesus Christus heri, & hodie ipse, & in sæcula, &c.] Christus Dominus semper est idem, æquè potens, æquè beneficus erga suos. Spem ergo vestram in Christo, non in hominibus, queis agnata varietas, collocate. *Doctrinis variis, & peregrinis nolite abduci.* Nolite admittere doctrinas inter se dissidentes, & aduentitias, alienas quidem ab eis, quas ex Apostolorum, & Ecclesiæ spiritu audistis, ne seducamini, seu à veritate abducamini earum plausu. Multæ enim doctrinæ ex ingeniosa nouitate plausum excitantes solent audientes à fidei abducere puritate.] *Optimum est enim gratia stabilire cor, non escis, quæ non profuerunt ambulantibus in eis.* Exemplum adducit Apostolus ex doctrina pseudo-Apostolorum, qui suadere contendebant, adhuc Christianis necessarium esse ad salutem, ab escis lege Mosaica prohibitis (Leu. 11.) abstinere. Optimum, inquit, est *gratia*, seu legis gratiæ præscriptis stabilire cor, & non instare in abstinentia illorum ciborum, quæ abstinentes ab eis non iustificarunt, nec mentibus eorum robur gratiæ addiderunt. *Habemus altare, de quo edere non habent potestatem, qui Tabernaculo deseruiunt.* Est nobis altare, in quo corporis, & sanguinis Christi sacrificium offerimus, de quo edere licentiam non obtinent, qui adhuc legi Mosaicæ inhærent, eius præscriptis circa ciborum abstinentiam obtemperantes. *Quorum enim animalium infertur sanguis pro peccato in sancta per Pontificem, horum corpora cremantur extra castra.* Vitulorum, & hircorum, qui pro Pontificis, & totius populi peccatis immolabantur, sanguis ad illa expianda, in Sancta sanctorum inferebatur; sed horum animalium corpora igni tradebantur cremanda extra castra, dum in deserto vixerunt, & postea extra Ciuitatem Ierosolymam: quia non licebat eis hisce carnibus edere. At illæ victimæ adumbrabant corporis ac sanguinis Christi oblationem: ergo Tabernaculo seruientibus haud fas est Eucharisticum cibum manducare. *Propter quod & Iesus vt sanctificaret per suum sanguinem populum extra portam passus est.* Caluariæ mons erat extra portam Ierosolymæ, quæ *stercoris* dicebatur. Aliam causam allegoricam illius cæremoniæ cremandi cadauera victimarum extra castra, affert Apostolus. Vt scilicet significaretur, Christum extra Vrbem cremandum in ligno crucis esse, & abolito Tabernaculo & Templo, Ecclesiam Gentium per totum orbem diffundendam esse instituturum. Vt crux Christi non Templi esset ara. Sed mundi. *Exeamus igitur ad eum extra castra, improperium eius portantes.* His non contentus Paulus, etiam tropologicam eiusdem ceremoniæ causam subiungit, scilicet debere nos si cum fructu ad Christum, & ad altare Eucharisticum accedere cupimus, exire ad eum extra castra non tantum legalium ceremoniarum, sed & mundanarum voluptatum, libenterque amplexari Christi ignominias, aliaque accommoda est cruci. * Optima enim ad Eucharistiam suscipiendam dispositio labores vltroneè sustinere.] *Non enim habemus hîc manentem Ciuitatem, sed futuram inquirimus.* Subdit Paulus & causam analogicam, scilicet, vt significaretur, nos non habere in castris huius sæculi diu duraturam habitationem: sed cælestis vitæ Ciuitatem æternam inquirere, & eo esse properandum. *Per ipsum ergo offeramus hostiam laudis semper Deo, id est, fructum labiorum confitentium nomini eius.* Igitur per Christum tanquam Pontificem, & mediatorem nostrum Deo hymnos, psalmos, & gratiarum actiones semper litare studeamus. * *Semper*, inquit, quia nunquam non ab eius munificentia cælestibus beneficiis donamur: vnde nunquam debemus à gratiarum actione cessare.] *Beneficentiæ autem, & communionis nolite obliuisci.* Eleemosynæ seu communicationes bonorum vestrorum cum pauperibus, non obliuiscamini; *talibus enim hostiis promeretur Deus.* Seu hoc est genus quoddam sacrificij Deo gratissimi, quo nobis eum conciliamus. *Obedite Præpositis vestris, & subiacete eis: Ipsi enim peruigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri.* * Vnde si eorum incuria eis non obtemperatis recta amplectendo, à Christo Iudice eis imputabitur: quare eos peruigilare decet.] Humilem ergo eis obedientiam exhibete, *vt cum gaudio hoc faciant, & non gementes*, seu vt curam vestri agant cum alacritate, & non cogatis eos sub pondere gemere. * Rectoris enim officium molestum est admodum, & sub onere affliguntur, quando subditi refugiunt iugo subiacere.] *Hoc enim non expedit vobis.* Quia Prælati gemitus ob subditi inobedientiam, Deum inuocat, vt eam grauiter vlciscatur.

Doctrinæ nonnullæ ex ingeniosa nouitate solent auditores abducere à fidei puritate.

Ad Eucharistiam suscipiendam optima dispositio labores vltronei sustinere.

Semper à Deo beneficia accipientes, semper ei gratiarum actionẽ reddamus.

Rectori subditorum imputantur piacula.

Præsubatus molestus admodum cum subditi obedientes non sunt.

Vers. 18.19.20.21.22.23.24.25. Orate pro nobis, &c.] Pro me ô fratres Deum precari vos obsecro: *confidimus enim, quia bonam conscientiam habemus in omnibus bene volentes conuersari.* Seu id facere debetis vt pro amico & de vobis benemerito, qui sibi nihil conscius est aduersus vos gessisse; sed voluisse, & velle omnibus prodesse. *Amplius autem deprecor vos, hoc facere, quò celerius restituar vobis.* Obsecro autem vos pro me impensius orare, vt meum ad vos reditum à Domino impetretis mihi consolationis, vobis fortè futurum vtilitati. *Deus autem pacis, qui eduxit de mortuis Pastorem magnum ouium in sanguine Testamenti æterni Dominum nostrum Iesum Christum: aptet & vos in omni bono.* Seu Deus pacis

cis auctor, & amator, qui Christum ouilis Ecclesiæ nostræ magnum Pastorem pro ouibus occisum à mortuis suscitauit: vt sanguinis, quem profudit in passione merito nouum Testamentum obfirmaretur: vos tanquam vnius corporis membra aptet, ac perficiat in omni bonorum operum genere: *Vt faciatis eius voluntatem. Faciens* vtique seu operans *in vobis, quod placeat coram se per Iesum Christum*, seu iuuans vos, vt nunquam ab eius placito recedatis: & id meritis Christi. Patri autem ac Filio *sit gloria in sæcula sæculorum. Amen. Rogo autem vos fratres vt sufferatis verbum solatij*, seu vt libenti animo hanc meam exhortationem admittatis. * Græcum vocabulum *exhortationem*, & *consolationem* significat. Quia exhortatio ad virtutem licet acrem vitiorum correptionem includat, (vt in præsenti) affert simul consolationem, qua post resipiscentiam peccatoris animus opple-tur.] *Etenim per paucis scripsi vobis*, si rei argumentum, mysteriorum, quæ euolui, dignitatem, meumque erga vos zelum, & affectum spectetis. *Cognoscite fratrē nostrum Timotheum dimissum.* Ex Græco, Noscite, scitote fratrem nostrum Timotheum iam è vinculis, queis propter fidem arctabatur, esse dimissum, seu solutum. Indicatur hîc Timotheum fuisse alicubi in vinculis, sed id alibi non lego. *Cum quo (si celerius venerit) videbo vos.* Si Timotheus iam solutus à carcere celerius ad me redierit, antequam ad vos pergam, socium itineris illum adducam. *Salutate omnes Præpositos vestros*, seu Ecclesiarum Episcopos, maximè per Iudæam, & Syriam: *& omnes sanctos*, siue omnes fideles. *Salutant vos de Italia fratres*, seu Iudæi Christiani per varias Vrbes Italiæ dispersi. *Gratia cum omnibus vobis. Amen.* Forma hæc est condendi Epistolas consueta. Nomine gratiæ omne bonorum genus, quæ nobis à Deo per Christum proueniunt, intelligit. Cum gratia enim cuncta nobis vtilia bona à Patre cælesti obuentura expectemus.]

Exortatio, & correptio acris affert resipiscenti cōsolationem.

Cum gratia omnia nobis vtilia bona à Deo possimus expectare.

AD DEIPARAM DOMI-nam meam.

INDVCIT Paulus cap. 12. Epist. ad Hebræos Christum Dominum *meliùs loquentem, quàm sanguis* olim *Abel* loquebatur; ille enim precabatur mortem profundentis, Christus autem cœlestis Consiliarius vitæ monita tradit. *Videte* (ait Apostolus) *ne recusetis loquentem* audire, & eius consilia exequi. Hinc Richardus Laurent. lib. 2. de laud. Mar. contemplatur Mariam Consiliarij IESV Matrem esse Consiliariam. *Multa*, inquit, *sunt Consilia Mariæ, quibus consulit nobis animarum salutem. Vndè, ait Prou.* 8. Meum est Consilium. *Consilia Mariæ sunt, vt faciamus pœnitentiam, vt fugiamus diabolum volentem occidere nos, vt citò reuertamur ad Dominum, si recesserimus ab eo per peccatum, vt constantes persistamus, vt diuinæ voluntati conformemur, &c.* Et addit ad rem nostram: *Debemus ergo obedire consiliis suis, & accedere ad vocantem nos iuxta illud Pauli:* Videte, ne recusetis loquentem; *& hoc duplici causa, propter reuerentiam eius, quia Regina est: propter periculum nostrum, qui inter dæmones, & malos homines habitamus, & viuimus in peccatis.* Ita ille.

Maria Christi Consiliarij Mater Consiliaria etiā est, nobis tradēs vitæ monita.

Laus Deo, Virgini, Iosepho, Ignatio, Antonio.

R. P. AN

2.2.216

R. P. ANTONII

DE ESCOBAR ET MENDOZA,

SOC. IESV THEOLOGI,

COMMENTARIORVM

In Epiſtolas Catholicas & Ioannis Apocalypſin

PARS ALTERA.

LECTORI MEO.

LICET Epiſtolis, quæ iuxta ordinem ſacrorum Bibliorum poſt enumeratas D. Pauli Epiſtolas ponuntur, duæ tantùm in vulgatis Bibliis correctis *Catholicarum* titulum præferant, nempè Iacobi prima & vltima Iudæ: à SS. tamen Patribus, & ſacris Scriptoribus Catholicæ communiter appellantur. Et quidem (vt Oecumenius in præfat. ad Iacob. epiſt.) *Catholicæ*, id eſt, *Vniuerſales* vocitantur, quòd non vni genti, aut Ciuitati datæ fuerint, ſed vniuerſaliter fidelibus ſiue Iudæis, qui diſperſi erant, ſiue omnibus Chriſtianis ſub eadem fide degentibus. Sunt numero ſeptem, Iacobi vna, Petri duæ, Ioannis tres, vna Iudæ: quæ omnes eodem ferè ordine ab Apoſtolis fuerunt ſcriptæ, quo in ſacris Bibliis ſunt collectæ. Paſſimque vt rem compertam Græcâ linguâ dictatas fuiſſe, aſſerunt Scriptores.

De Apocalypſi autem Beati Ioannis præmiſerim, ſub Domitiano Imperatore Apoſtolum ex Epheſo vinctum Romam. Cùm verò è dolio feruentis olei illæſus exiuit, in Inſulam Pathmos fuiſſe relegatum: vbi vidit, & ſcripſit Apocalypſin, ſeu Reuelationem, quam à Chriſto acceperat anno decimo quarto Imperij Domitiani, quo ſecunda poſt Neronem excitata fuit contra Eccleſiam perſecutio, vt teſtatur Euſebius in Chron. eámque immiſit ſeptem Aſiæ ad Eccleſias. Narrat varia perſecutionum genera, quas partim in ſua prima origine Eccleſia perpeſſa fuit, & poſtmodùm perpeſſura erat: partim contra Anti-Chriſtum pugnam in ſæculi fine: ac ſimul eius illuſtriſſimas victorias, ac triumphos. Nam qui ſponſam ſuam, ad pulchritudinis incrementum, permiſit à tot hoſtibus impugnari, ei dedit & vincere.

DECEM ET SEPTEM Antilogia ex Epiſtolis Catholicis, & Apocalypſi.

Siue quæ inter ſe pugnare videntur Teſtimonia.

CAPVT I.

Ex Epiſtolis Catholicis nouem.

I. *Iacob.* 1.2. O*MNE gaudium exiſtimate, cum in tentationes varias incideritis.* Matth.26.41. *Vigilate, & orate, vt non intretis in tentationem.* Si orandum nobis vigilanter, ne tentemini, quomodò variis tentationibus agitari, omne erit *gaudium?* Preme illud verbum: *Orate vt non intretis in tentationem.* Intras vltrò in tentationem? periculoſa valdè eſt pugna, difficilis admodùm victoria. At ſi aduentante tentatione ope cæleſti vincas: omne gaudium tibi obuenire puta; quia æterno præmio omnia gaudia præſtante animæ, potieris.

Omnigaudio potitur, qui irruenti tentationi obſiſtit.

Periculoſum eſt, vltrò tentationẽ inire.

II. *Iacob.* 4.4. *Amicitia huius mundi inimica eſt Deo.* At Hebr.12.14. *Pacem ſequimini cum omnibus.* Quomodo cum omnibus pacem ſequemur in mundo, ſi amicitiam habere in mundo prohibemur? imò vt pacem in mũdo cum omnibus habeamus, eam debemus fugere amicitiam, quæ mundum ſapere videatur Deo planè inimicum. Nullum enim hominum commodum poteſt cum Dei inimicitia conſeruari.

Nullum hominis commodũ poteſt cum Dei inimicitia conſeruari.

III. 1.*Petr.*3.19. *Subiecti eſtote omni humanæ creaturæ.* An etiam domini ſeruis ſuis ſubiicientur? Certè cum Præſul Dei vices gerat, cuilibet hoc munus gerenti nos debemus dignè admodùm ſubiicere, ſiue doctus, vel indoctus: ſiue prudens vel imprudens: ſiue contigerit aliquandò, vt noſter famulus nobis præponatur: quod non ſemel accidiſſe, Regularis inſtituti profeſſores comperimus.

Cuilibet Dei vices gerẽti Prępoſito cuiuſcumq; conditionis ſit, nos debemus ſubiicere.

IV. 1.*Petr.*4.12. *Nolite peregrinari in feruore.* At 2. Corinth. 8.19. Ipſe Paulus dicit, ſe peregrinari. Et Hebr. 11.13. Adiicit de ſanctis Prophetis, quod *peregrini* fuerint ſuper terram. Cur ergo prohibet peregrinationem aſſumere, quam ipſe & Prophetæ ſuſceperunt; profectò non abſolutè peregrinari prohibet, ſed addita particula, *In feruore*, ſeu repentino deuotionis impetu. Nam licet laudabilis ſit peregrinatio ad ſacra inuiſenda loca, non omnibus, nec ſemper eſt vtilis. Vndè oportet, eam non repente ſed maturo conſilio diſponi.

Peregrinatio ad loca ſacra non omnibus nec ſemper eſt vtilis.

V. 1.*Petr.*5.13. *Salutat vos Eccleſia, quæ eſt in Babylone.* At Petrus hanc Epiſtolam Romæ ſcripſit. Quid igitur Romæ cum Babylone? An *Babylon* Roma vocitatur? Verum licet hoc metaphorico nomine Petrus vſus non eſſet, ſi Babyloni Chriſti Eccleſia aderat, fideles cuiuſuis Eccleſiæ Dominicæ adeò charitatis vinculo arctantur, vt vnum ſentiant, vnum loquantur omnes: & idem ſit eos, ad quos ſcribit Apoſtolus à Babylonis Eccleſia, quam à Romana ſalutari.

Magna eſt inter Eccleſias fidelium per charitatem vnitas, ſeu identitas.

VI. 2.*Petr.*3.9. *Deus nolens aliquos perire, ſed omnes ad pænitentiam reuerti.* At Rom. 9.18. Petrus idem inquit. Deus *cuius vult miſeretur: & quem vult, indurat.* Quomodo indurat, quem vult, ſi non vult aliquem deperire? Planè quia eo ipſo, quod nolens aliquem perire, præſtans auxilia vt poſſit pœnitere: tam ingratum ſe peccator oſtentat, vt in cordis duritie Deus in ſupplicium permittat, vt Pharaonis inſtar, omnino induretur, & quaſi lapis, in abyſſum deſcendat.

Deus vult vt nullus damnetur, ſed ob peccatoris renitentiam permittit eum indurari.

Ex

VII.
1. Ioan. 2. 16.
Ex nobis prodierunt quidam pseudo-Christiani. At mox addit. Hi quidem *non erant ex nobis*. Quomodo precor, ex vobis non erant, si ex vobis prodierunt? Certè, quia similes genere moribus differebant. Quemadmodum de prauo probi parentis filio dicimus: Hic illius patris minimè est filius. Quia licet ex eo prodierit, eo moribus est dissimilis. Non sufficit te ex Christianis prodiisse, nisi sis Christianus & moribus.

Non sufficit, te ex Christianis parentibus prodiisse, nisi morib⁹ sis Christianus.

VIII.
1. Ioan. 3. 6.
Omnis, qui in eo manet, non peccat. At ait Iacobus 3. *In multis offendimus omnes.* Si vel iusti in multis offendunt, quomodo qui in Deo manet, non delinquit. Planè, quia qui in Deo feruenter manet spirituali profectui addictus, affectate non peccat licet ex humana fragilitate, & inaduertentia alias culpabili sæpè delinquat. Verum quod plena, & affectata malitia non geritur, quodammodo peccatum non appellatur.

Quod ex affectata malitia nó geritur, quodammodo peccatum nó appellatur.

IX.
2. Ioan. 10.
Nolite recipere in domum heretricum, *nec Aue ei dixeritis.* At Mat. 5. 44. *Diligite inimicos vestros: benefacite iis, qui oderunt vos.* Annon est eis benefacere, hospitio eos excipere, & illos comiter salutare? Planè inimici nostri excipiendi à nobis, fauendi, salutandi: fidei verò inimici omnino à nobis abstertendi. Pestis enim est hæresis vel à longè inficiens.

Inimici nostri fouendi, excipiendi: inimici fidei omninò à nobis ablegandi.

CAPVT II.

Ex Diui Ioannis Apocalypsi Octo.

X.
Apoc. 1. 1.
QVÆ oportet fieri cito. Et vers. 3. *Ecce venit cum nubibus* ad iudicium. At iam lapsa sunt multa sæcula & quot ante diem illam adhuc labentur. Quomodo Ioannes asserit cito id euenturum. Certè breue est omne tempus, imò quasi nihil, si cum æternitate conferatur.

Cuncta tẽpora sæcularia respectu ęterni tatis quasi nihil.

XI.
Apoc. 2. 9.
Scio paupertatem tuam: Sed diues es. Dicunt, se Iudaos esse: Sed non sunt. At si *pauper*, quomodo *diues*: Si ex Tribu *Iuda* prognati, quomodo *Iudæi* non sunt? Planè quia qui se diuitem esse scientia, vel virtute existimat: eo ipso apud Deum pauper, ac vacuus ostenditur. Et qui sui generis nobilitati, moribus rectis non respondet, omnino ab illo alienus ostenditur.

Qui se diuitē scientia, virtute, &c. se esse putat: pauper Deo ostenditur. Filius patris nobilis, ignobilis est, si vitiis seruit.

XII.
Apoc. 3. 11.
Tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam. Arqui Ioan. 6. 39. *Omne, quod dedit mihi Pater, non perdam ex eo.* Ergo inutile est, fortiter tenere quod habeo, nempe spem ad coronam. Profectò Christus non perdet vllum electum ex iis, quos accepit à Patre. Sed supponit electos fortiter tenere coronam. Nam *Viuitur è rapto, non hospes ab hospite tutus.*

Electi coronam suã fortiter teneant, ne ab alio arripiatur.

XIII.
Apoc. 6. 4.
Datum est ei, vt sumeret pacem de terra. At Ioa. 14. 27. Christus ait: *Pacem relinquo vobis: pacem meam do vobis.* An quis potest pacem sumere, seu auferre de terra, quam hominibus iustis Dominus testamento reliquit? Certè pax Christi est, tribulationibus agitari. Vndè cum materialis pax aufertur à Tyrannis, & ingruit tribulatio, tunc Christi pax in iustis fortius stabilitur.

Cum ingruunt tribulationũ bella, tunc in iustis Christi pax fortiùs stabilitur.

XIV.
Apoc. 10. 11.
Oportet te, ô Ioannes, iterum prophetare Gentibus, & populis, & linguis, & Regibus multis. At Ioannem certum est, quadriennio post obiisse. Quomodo ergò potuit tam breui temporis intersticio tot Gentibus, tot populis, tot linguis, & tot Regibus prophetare? Certè quia veri præcones Euangelij pennis peruolant igneis. Dei & proximorum amor sacros ministros efficit tempore exiguo innumera egregia circa animarum profectum facinora excitare.

Euangelij minister Dei & animarũ amore succensus tempore exiguo multum operatur.

XV.
Apoc. 13. 8.
Agni, qui occisus est ab origine mundi. At Christus Agnus sine macula demum natus est post quatuor millia annorum ab origine mundi. Quomodò igitur à mundi origine occisus est? Certè vt Matrem suam ouem purissimam præseruaret passionis suæ vi à communi piaculo, eamque verè redimeret, vellus quidem Gedeonis suo sanguine rubricando: à mundi origine, imo ab æternitate Agnus in mente Patris iam occisus obiicitur.

Christus Agnus occisus ab origine mũdi ad Deiparæ redẽptionem.

XVI.
Apoc. 14. 4.
Hi centum quadraginta quatuor millia cum mulieribus non sunt coinquinati: virgines enim sunt. At capite 7. 4. Non modo *virgines*, verùm etiam coniugati hoc numero comprehenduntur. Quomodò ergò coniugati virgines esse possunt? Mitto Diu. Alexium, Ciciliam, & alios multos

Coniugio adstricti, si perfectè illius status leges obseruet, quodammodo

valent, virginum cœtui adscribi.

qui in coniugali statu virginitatis florem immarcescibilem retinuere. Et vlterius addiderim, vel adstrictos coniugio, si status illius perfectè leges obseruent in Dei conspectu ita puri, ità mundi apparent, vt quodammodo valeant virginum cœtui adscribi.

XVII. Apoc. 20. 14.

Infernus, & mors missi sunt in stagnum ignis. Ipse tamen infernus. Seu Tartarus quid aliud est nisi stagnum ignis? Quomodò igitur infernus in infernum detruditur? Certè quia *Inferni* vocabulo impij designantur, qui in hoc sæculo dæmonum habitatio fuere.

Impij sunt dæmonum hic infernus.

ANTO

ANTONII
DE ESCOBAR ET MENDOZA,
SOC. IESV THEOLOGI,
In Vetus, ac Nouum Testamentum.
COMMENTARII LITERALES, & Morales.

EPISTOLÆ CATHOLICÆ.

EPistolæ, quas SS. Iacobus, Petrus, Ioannes, & Iudas scripsére *Catholicæ*, siue *Vniuersales* appellantur, quia non continent particularia negotia, sed vniuersalia toti Ecclesiæ communia; & ideò per omnia loca terrarum legendæ à fidelibus immittebantur. Verùm quod ad harum septem Epistolarum ordinem spectat, non dignitatis: sed solius temporis (non quo scriptæ, sed quo in Canonem, seu Catalogum sacrorum Librorum relatæ sunt ab Ecclesia) habita est ratio. Græcè ab Apostolis omnes conscriptæ fuére, vtpotè vulgari tunc linguâ.

LIBER PRIMVS. EPISTOLÆ D. IACOBI, & D. Petri.

EPISTOLA CANONICA BEATI Iacobi Apostoli.

PROLVSIO.

EPistola prima ex septem adscribitur non D. Iacobo Zebedæi filio, vt nonnulli asserunt: sed D. Iacobo Alphæi, seu Cleophæ filio, *fratri Domini*, seu Christi cognato. Quo præcisè tempore, seu anno

Episto

Epistolam Apostolus scripserit, incertum. Certum autem eam scripsisse post editam D.Pauli Epistolam ad Romanos, scilicet post annum à morte Christi vigesimum sextum. Quia occasione quorumdam à Paulo scriptorum in illa Epistola, suam Iacobus scripsit. Qui quidem primo eius capite ex Richardi Laurentini lib. 6. de laud. Virg. accommodatione, mihi indicat, vndè ad persequendam difficilem noui Testamenti, absoluendámque feliciter expositionem, necessariam opem sim resumpturus. *Largitur* (ait Richardus) *Deipara seruis suis dona gratiarum, thesauros mentis*, seu intelligentiæ. *Ipsa enim dat* (vt ait Iacobus Epist.cap.1.) *Omnibus affluenter, & non improperat.*

Deipara largitur suis vberrim dona gratiarum.

CAPVT I.

Aduersus ingruentia mala fidelium animos confirmat. Prædicandi commendat studium. Diuini verbi auditionem, laudat, & veræ religionis officia perstringit.

1\. IACOBVS Dei & Domini nostri Iesu Christi seruus, duo-
decim tribubus, quæ sunt in dispersione, salutem. 2. Om-
ne gaudium existimate fratres mei, cùm in tentationes
varias incideritis: 3. scientes quod probatio fidei vestræ
patientiam operatur. 4. Patientia autem opus perfe-
ctum habet: vt sitis perfecti & integri, in nullo deficien-
tes. 5. Si quis autem vestrûm indiget sapientia, postulet
à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat: & dabitur ei. 6. Postulet
autem in fide nihil hæsitans: qui enim hæsitat, similis est fluctui maris, qui à ven-
to mouetur & circumfertur. 7. non ergo æstimet homo ille quod accipiat ali-
quid à Domino. 8. Vir duplex animo, inconstans est in omnibus viis suis.
9\. Glorietur autem frater humilis in exaltatione sua, 10. diues autem in humili-
tate sua, quoniam sicut flos fœni transibit. 11. exortus est enim sol cum ardore,
& arefecit fœnum, & flos eius decidit, & decor vultus eius deperiit: ita & diues
in itineribus suis marcescet. 12. Beatus vir, qui suffert tentationem: quoniam
cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligenti-
bus se. 13. Nemo cùm tentatur, dicat, quoniam à Deo tentatur: Deus enim
intentator malorum est: ipse autem neminem tentat. 14. Vnusquisque verò ten-
tatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus. 15. Deinde concupiscentia
cùm conceperit parit peccatum: peccatum verò cùm consummatum fuerit, ge-
nerat mortem. 16. Nolite itaque errare, fratres mei dilectissimi. 17. Omne
datum optimum, & omne donum perfectum, desursum est; descendens à Patre lu-
minum, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. 18. Vo-
luntariè enim genuit nos verbo veritatis, vt simus initium aliquod creaturæ
eius. 19. Scitis fratres mei dilectissimi. Sit autem omnis homo velox ad audien-
dum: tardus autem ad loquendum, & tardus ad iram. 20. Ira enim viri, iusti-
tiam Dei non operatur. 21. Propter quod abiicientes omnem immunditiam,
& abundantiam malitiæ, in mansuetudine suscipite insitum verbum, quod po-
test saluare animas vestras. 22. Estote autem factores verbi, & non auditores
tantùm, fallentes vosmetipsos. 23. Quia si quis auditor est verbi, & non factor:
hic comparabitur viro consideranti vultum natiuitatis suæ in speculo: 24. Con-
siderauit enim se, & abiit, & statim oblitus est qualis fuerit. 25. Qui autem per-
spexerit in legem perfectam libertatis, & permanserit in ea, non auditor obliuio-
sus factus, sed factor operis: hic beatus in facto suo erit. 26. Si quis autem putat
se religiosum esse, non refrænans linguam suam, sed seducens cor suum, huius
vana est religio. 27. Religio munda & immaculata apud Deum & Patrem, hæc est:
Visitare pupillos & viduas in tribulatione eorum, & immaculatum se custodire ab
hoc sæculo.

COMMENTARII.

VERS. 1.2.3.4. *Iacobus Dei, & Domini nostri, &c.*] Iacobus filius Cleophæ & Mariæ Salome Ierosolymæ Episcopus. *Dei quidem, & Domini nostri Iesu Christi seruus, duodecim Tribubus,* seu Iudæis quibuslibet qui dispersi sunt inter Gentes per varia Regna, salutem. Patet hinc, quod ex omnibus duodecim Tribubus aliqui fuerint ad Christum conuersi. *Omne gaudium existimate fratres,* seu plenam, summam exultationem vos possidere, *cum in tentationes*, seu tribulationes *varias incideritis.** Omne gaudium in terra non potest haberi, nisi ad eam cæli descendat gaudium, solummodo enim cæleste gaudium omnia gaudia complectitur. Innuit itaque Apostolus pati hic persecutiones, & labores perinde esse quodammodo, ac æterna iam beatitudine frui.] Scientes, quod probatio fidei vestræ, seu *examinatio* (Græce sic) per tribulationes, *patientiam operatur*, seu materiam patientiæ præbet. *Patientia autem opus perfectum habet.** Nam cuius patientia vinci non potest, ille perfectus esse probatur.] *Vt sitis perfecti, & integri in nullo deficientes.*

Qui labores patitur, quodammodò iā beatitudine cœlesti potitur.

Perfectus est ille, cuius patiētia aduersis vinci non potest.

Vers. 5.6.7.8.9.10.11. *Siquis autem vestrum, &c.*] Siquis autem ex vobis *sapientia* practica ad salutem necessaria *indiget*, postulet à Deo (à quo *omnis sapientia* Eccli. 1.1.) qui dat omnibus affluenter, *& non improperat*, petendi importunitatem, vt faciunt diuites nonnulli crebras pauperum petitiones repellentes: *& dabitur ei.* Qui improperat pauperum importunitatem à Dei spiritu longe recedit, cui specialis est gloria per singula instantia petentibus dona elargiri.] *Postulet autem in fide, nihil hæsitans* per diffidentiam. *Qui enim inhæsitat*, (seu dum in dubio est animus) *similis est fluctui maris, qui à vento mouetur, & circumfertur*, seu instar maris fluctuum, huc illuc impellitur ventorum impetu variorum. *Non ergo æstimet homo ille, quod accipiat aliquid à Domino*, seu qui hæsitat, qui dubitat, sibi persuadeat suas irritas fore preces. * Ex hæsitatione enim & diffidentia quasi iniuria afficit largitorem.] *Vir duplex animo, inconstans est in omnibus viis suis.* Talis est pseudo-politicus: varias enim assumit formas, vti suis commodis videtur expedire: modò se Catholicos simulant, modò produnt hæreticos. Hic Deo exosus, vt eius orationes ob hypocrisim, & impietatem execrabiles. *Glorietur autem frater humilis in exaltatione sua*, Christianus pauper abiectus debet in sua exaltatione gloriari.* Si humilis, quomodo potest in exaltatione gloriari? Certè quia agnata est humilitati exaltatio; illud enim ipsum humiliari exaltari est.] *diues autem in humilitate sua* confundatur, paráta enim est infallibiliter humiliatio: *quoniam sicut flos fœni* diuitiarum gloria *transibit.* Imò etiam cum splendet iam transiit. Vndè non dicit Apostolus *Diues in diuitiis suis*, sed *in humilitate sua*, quasi possidere diuitiarum fastum & ex confusione humiliari, idem sit prorsus.] *Exortus est enim sol cum ardore & arefecit fœnum, & flos eius decidit, & decor vultus eius deperiit.* Vultum floris metaphoricè eius formam, & speciem appellat: *ità diues in itineribus suis* difficillimis ad acquirendum opes, *marcescet.* * Allusio planè fit ad itinera periculosa, & difficilia, quæ conquirendarum pecuniarum causa ab auaris suscipiuntur. Vnde canebat ille.

Qui improperat pauperis petendi importunitatē, à Dei spiritu longè recedit.

Iniuriam Deo infert, qui diffidit cum orat, de postulati cōsecutione.

Agnata humilitati exaltatio.

Diues superbus in ipsis diuitiis habet confusionem.

Difficilis auaritiæ via.

Impiger extremos currit mercator ad Indos, &c.

Vers. 12.13.14.15.16.17.18.19.20. *Beatus vir, &c.*] Beatus plane *ille, qui* ingruenti calamitati non cedit, sed *suffert tentationem*, seu tribulationem: nec sustinet modo, sed fortiter etiam eam superat. *Quoniam cum probatus fuerit*, seu exploratus, seu perfectus, *accipiet coronam vitæ*, seu cælestem beatitudinem, *quam repromisit Deus diligentibus se.** Vocatur autem gloria *Corona vitæ*, seu viuens, quia perpetuo virens, & florens, non decidua, quales huius vitæ coronæ ex lauro, hedera, gramine consertæ, quas tanti æstimauit antiquitas.] *Nemo cum tentatur, dicat, quoniam à Deo tentatur:* Transit à probationis tentatione ad tentationem suggestionis, qua dæmon fideles oppugnat. *Deus enim intentator malorum non est*, seu suggestione praua ad malum non incitat. *Ipse autem neminem tentat. Vnusquisque verò tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus*, Græce, *inescatus.* Voluptas enim esca est turpitudinis, qua homo à bono abstrahitur, & ad malum pellicitur. Triplicem gradum tentationis, & peccati hoc vers. & sequenti distinguit Apostolus: *suggestionem*, seu cogitationem rei malæ, in qua nullum plerumque peccatum: *delectationem*, cum voluntas negligit illam reprimere, vel imperfectè consentit, & in hoc est veniale piaculum? *consensum* deliberatum in quo si materia sit grauis, mortale peccatum est: si leuis, veniale. *Deindè concupiscentia, cum conceperit* delectationem, *parit peccatum*; quia licet non sit omninò voluntarius, nec mortale peccatum, non tamen caret culpa: *peccatum verò cum consummatum fuerit*, per consensum plenè deliberatum, animæ generat mortem. *Nolite itaque errare fratres mei dilectissimi.* Cauete itaque, nè tam absurda, & impia cogitatio subeat animos vestros, vt à Deo vos tentari putetis. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est descendens à Patre luminum:* Tantum abest, vt Deus quempiam tentet, & ad malum persuadeat, vt supernaturalia omnia bona, & charismata, quibus ad virtutem omnem allicimur, ab illo nobis vbertim adueniant: apud quem Patrem luminum *non est transmutatio*, vt modo luceat, modo non luceat; vt accidit Soli & Lunæ per eclypses: *nec vicissitudinis obumbratio*, vti Soli accidit qui conuersione diurna ex vno in alterum hemisphærium per vices terræ crassitudine ita obumbratur, vt nos illius luce perfundi non possimus. *Voluntariè enim genuit nos verbo veritatis.* Naturæ necessitate Sol illuminat: at Pater luminum non necessitate coactus, sed benignitate impulsus veritatis verbo seu doctrina Euangelica nos genuit in filios: *vt simus initium aliquod creaturæ eius.* Græcè pro *initium primitiæ* scribitur, vt simus primitiæ quædam creaturarum eius. Annon primitiæ sunt primi fructus, præcipuoque honore commendati? sensus ergò est: Vt tanquam filij lucis tanto digni Parente inter omnes creaturas principatum obtineamus. *Scitis fratres mei dilectissimi.* Sa-

Gloria corona est semper viuens, seu virens.

tis ô fratres, cognoſcitis, ea quæ dixi, eſſe vera. *Sit autem omnis homo velox ad audiendum.* Pergit ad bonorum operum adhortationem. Ad quæ obeunda quaſi primus gradus eſt linguam cohibere, & diſciplinæ præcepta libenter exaudire: *tardus*, ait, *ad loquendum: & tardus ad iram.* * Nimium enim loqui ſæpè excitat iram. Quià qui multum loquitur, verbo aliquo audientem offendit, qui reſpondens iratus alterum ad iracundiam accendit.] *Ira enim viri iuſtitiam Dei non operatur*, ſeu vir iratus Dei præceptis non paret. Cohibenda igitur ira, quia magnum incitamentum eſt ad legis violationem. * Si id *viri ira*, quid ira mulieris, quæ ſinè fræno abripitur.]

Nimium loqui aſſolet iram excitare.

Iracundia mulieris effrænata.

Verſ. 21.22.23.24.25.26.27. Propter quod abiicientes, &c.] Abiicient ergo ex cordibus veſtris *omnem immunditiam*, ex Græco, omnem auaritiam, quæ iræ materiam ſuppeditare ſolet: *& abundantiam malitiæ*, ſeu quidquid malè abundat, & debet neceſſario reiici: *in manſuetudine ſuſcipite inſitum verbum, quod poteſt ſaluare animas veſtras.* Seu Euangelicam doctrinam animabus veſtris inſitam ad ſalutem ab ira omnino abſtracti ſuſcipite. * Cur correptio vocatur *verbum inſitum*, in manſuetudine ſuſcipiendum, ſeu ab ira remoti cum eſſent? Qui ingerendi norit artem Lunæ creſcentis tempore haud agit inſitionem, ſed donec Luna imminuatur expectat. Tempus feruentis iracundiæ ſpirituali doctrinæ, aut correptionis inſitioni minimæ eſt aptum: tranſeat tempus creſcentis iræ, manſuetudo cordis adueniat, & ad animarum ſalutem inſitio præualebit.]

Euangelica correptio, vt proficiat, nō eſt peccatori ingerenda in creſcente ira, ſed in decreſcente, ſeu in manſuetudine.

* Cur autem auaritia immunditiæ, ſeu impudicitiæ nomine ſignatur? An quia immunda res vili pecuniarum amore manus inficere? Apte quidem ſed aptius, quia ſicut luxuriæ vitium ſic corpori inhæret, vt difficillimè ab eo abſtrahatur: ſic auaritiæ vitium ità animæ hæreſcit, vt plerumque termino vel longæ vitæ exæquat.]

Immunda res eſt auaritiæ vitium. Auaritia animæ eſt inhærentiæ, vt luxuria, difficillimè ex animo auellitur.

Eſtote autem factores verbi, & non auditores tantùm, fallentes voſmetipſos. Plures vidi ſtudioſos conciones audiendi, nec fructum ex ſacra doctrina referentes: hi quidem, ſi exiſtimant, eſſe ſatis audire, magno in errore verſantur. *Nam ſi quis auditor eſt verbi & non factor: hic comparabitur viro conſideranti vultum natiuitatis ſuæ in ſpeculo:* conſiderauit enim ſe, ſeu natiuam faciem aſpexit in ſpeculo; *& ſtatim oblitus eſt, qualis fuerit.* Haud aliter qui Dei verbum exaudit, & non dat operi, quod audiuit: videt in doctrinæ ſpeculo maculas ſuas, ſed illas abſtergere ſtatim obliuioni tradit. *Qui autem perſpexerit in legem perfectam libertatis, & permanſerit in ea: non auditor obliuioſus factus, ſed factor operis: hic beatus in facto ſuo erit.* Qui verò legem Euangelicam, quæ libertatis eſt lex, calluerit ex Magiſtrorum doctrina, & oblitus non fuerit præceptorum, ſed illa ſtuduerit executioni addicere: beatus quidem erit in opere. * Non in nuda cognitione veritatis, ſed in *facto*, ſeu illius operatione beatitudo ſiſtitur.] *Si quis autem putat, ſe religioſum eſſe, non refrænans linguam ſuam, ſed ſeducens cor ſuum: huius vana eſt religio.* Supra monebam, vt parci eſſetis ad loquendum: nunc vobis affirmo, inaniter de ſua religione gloriari, qui habenas linguæ laxat, quidquid venit in labia effutiendi. *Religio munda & immaculata apud Deum, & Patrem hæc eſt: Viſitare pupillos, & viduas in tribulatione eorum, & immaculatum ſe cuſtodire ab hoc ſæculo*, ſeu à vitiis, quibus profanum ſæculum eſt corruptum. * Opponendum videbatur germanam religionem eſſe linguam coërcere, vt conſtaret antitheſis inter verſum vtrumque. Conſtat equidem. Nam qui viduas & pupillos in frequenti, ſeu aſſidua, viduis & orphanis agnata tribulatione, & ſe immaculatum aſſeruare ſtudet: ita continuè faciet, vt ei loquendi tempus non ſuppetat.]

Beatitudo ſiſtitur non in cognitione nuda veritatis, ſed in facto.

Qui pietatis opera ſemper agit, tempus non habet vanè loquendi.

CAPVT II.

Agit de perſonarum acceptione, de diuitum moribus, de conditione pauperum, de fide bonis operibus iungenda.

1. FRATRES mei, nolite in perſonarum acceptione habere fidem Domini noſtri Ieſu Chriſti gloriæ. 2. Etenim ſi introierit in conuentum veſtrum vir aureum annulum habens in veſte candida, introierit autem & pauper in ſordido habitu, 3. & intendatis in eum qui indutus eſt veſte præclara, & dixeritis ei: Tu ſede hic benè: pauperi autem dicatis: Tu ſta illic: aut, ſede ſub ſcabello pedum
meorum: 4. nónne iudicatis apud voſmetipſos, & facti eſtis iudices cogitationum iniquarum? 5. Audite fratres mei dilectiſſimi, nónne Deus elegit pauperes in hoc mundo, diuites in fide, & heredes regni, quod repromiſit Deus diligentibus ſe? 6. Vos autem exhonoraſtis pauperem. Nonne diuites per potentiam opprimunt vos, & ipſi trahunt vos ad iudicia? 7. Nónne ipſi blaſphemant
bonum nomen, quod inuocatum eſt ſuper vos? 8. Si tamen legem perficitis regalem ſecundùm Scripturas: Diliges proximum tuum ſicut teipſum: benè facitis: 9. ſi autem perſonas accipitis, peccatum operamini, redarguti à lege quaſi

trans

tranſgreſſores. 10. Quicumque autem totam legem ſeruauerit, offendat autem
in vno, factus eſt omnium reus. 11. Qui enim dixit, Non mœchaberis: dixit
& Non occides. Quòd ſi non mœchaberis, occides autem, factus es tranſgreſſor
legis. 12. Sic loquimini, & ſic facite, ſicut per legem libertatis incipientes iudi-
cari. 13. Iudicium enim ſine miſericordia illi, qui non fecit miſericordiam: ſu-
perexaltat autem miſericordia iudicium. 14. Quid proderit, fratres mei, ſi fidem
quis dicat ſe habere, opera autem non habeat? Numquid poterit fides ſaluare
eum? 15. Si autem frater & ſoror nudi ſint, & indigeant victu quotidiano,
16. dicat autem aliquis ex vobis illis: Ite in pace, calefacimini, & ſaturamini: non
dederitis autem eis, quæ neceſſaria ſunt corpori, quid proderit? 17. Sic &
fides, ſi non habeat opera, mortua eſt in ſemetipſa. 18. Sed dicet quis: Tu
fidem habes, & ego opera habeo oſtende mihi fidem tuam ſine operibus: & ego
oſtendam tibi ex operibus fidem meam. 19. Tu credis quoniam vnus eſt Deus:
Benè facis: & dæmones credunt, & contremiſcunt. 20. Vis autem ſcire ô ho-
mo inanis, quoniam fides ſine operibus mortua eſt? 21. Abraham pater no-
ſter, nónne ex operibus iuſtificatus eſt, offerens Iſaac filium ſuum ſuper altare?
22. Vides quoniam fides cooperabatur operibus illius: & ex operibus fides con-
ſummata eſt? 23. Et ſuppleta eſt Scriptura, dicens: Credidit Abraham Deo,
& reputatum eſt illi ad iuſtitiam, & amicus Dei appellatus eſt. 24. Videtis quo-
niam ex operibus iuſtificatur homo, & non ex fide tantùm? 25. Similiter & Ra-
hab meretrix, nónne ex operibus iuſtificata eſt, ſuſcipiens nuntios, & alia via
eiiciens? 26. Sicut enim corpus ſine ſpiritu mortuum eſt, ita & fides ſine operibus
mortua eſt.

COMMENTARII.

1. *In varijs morum monitis Iacobus perſiſtit. Ac primum perſonarum acceptionem taxat.*

Acceptio perſonarum pugnans quidem quodammodo cum fide taxatur.

VERS. 1.2.3.4.5.6.7. *Fratres mei, nolite,&c.*] Nolite ô fratres, *in perſonarum* acceptione habere *fidem Domini noſtri Ieſu Chriſti gloriæ*, ſeu *glorioſi*, noto Hebraiſmo: id eſt, Cum perſonarum acceptione nolite Chriſti fidem coniungere, vt putetis, hanc cum illa poſſe conſiſtere. * Profeſſio enim Chriſtiana non patitur in diſtributione qualibet dignitatis officij, &c. reſpicere non cauſam, ſed perſonam; ità vt verbi gratia. Si Prælatus beneficia, vel officia alicui indigno, aut minus digno impendat, quia amicus eſt, aut conſanguineus. Qui talia agit, Chriſti fidei ſinceritatem, & veritatem quodammodo violat.] *Etenim ſi introierit in conuentum veſtrum* vir quidam nobilitate conſpicuus *annulum aureum* adamante, ſaphiro, aut ſmaragdo fulgidum habens in digito, *veſte candida* ornatus: *introierit autem* tunc & pauper in ſordido habitu: *& intendatis* ſeu cum affectu benigne aſpiciatis *eum qui* veſte nitida & *præclara indutus eſt: & dixeritis ei: Tu ſede hîc bene*, ſeu locum commodum & tuæ agnatum magnitudini occupa; *pauperi autem dicatis: Tu ſta illic, aut ſede ſub ſcabello pedum meorum: nonne iudicatis apud voſmetipſos?* Annon inique agitis, dum veſtra auctoritate iudicium, quod Deo competit, vobis vſurpatis: & externa ſolum ſpecie iudice, hominum merita metiri præſumitis? * O quoties pauperi diuitem præferimus: cum tamen *quod altum eſt hominibus*, abominatio eſt *apud Deum*. Luc. 16. 15. *& facti eſtis iudices cogitationum iniquarum*, Græcè *vaticinationum*, vultis enim interna merita prophetare. An hoc non eſt iniquitas? *Audite fratres mei dilectiſſimi: Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, diuites in fide, & heredes Regni, quod repromiſit Deus diligentibus ſe.* Pauperes contemnuntur, & deſpicabiles videntur: Sed verè ipſi diuitias poſſident vera fide inſigniti, vnde filiorum Dei adepti ſunt adoptionem, & cæleſtis Patris Regnum conſequentur, quod ſe amantibus Deus pollicetur. *Vos autem exhonoraſtis pauperem*, et diuitem præferendo. *Nonne diuites per potentiam opprimunt vos, & ipſi trahunt vos ad iudicia?* Debuiſſetis potius vel veſtras, quæ circumuenimini, calumnias experti, rapinaſque bonorum, inſolentiam diuitum deteſtari, nedum illos pauperibus anteferre. Quinam vos ad iudicia trahunt niſi diuites, qui falſo teſtes pecunia conducunt? *Nónne ipſi blaſphemant bonum nomen quod inuocatum eſt ſuper vos?* ſeu nomen *Chriſtiani*, aut *Diſcipuli*, quo appellamini?

Sæpè ſedacimur, cum pauperi diuitem præferimus.

2. *Ad legis obſeruationem hortatur.*

Verſ. 8.9.10.11.12.13. *Si tamen legem perficitis,&c.*] Tacitæ occurrit obiectioni. Ergo diuitea odio habendi, aut contemnendi ſunt? Minimè. Si enim legem obſeruatis *regalem*, ſeu quæ à Deo Regum Rege lata eſt, & pauperes & diuites honorabitis. *Secundum Scripturas*, quæ, quidem præſcribunt. *Diliges proximum tuum ſicut teipſum.* Si ergo diuites & pauperes vti proximos diligitis, *bene facitis*, nec eſt, vndè reprehendi poſſitis. *Si autem perſonas accipitis*, pauperes diuitibus apoſtponentes, *peccatum operamini, redarguti in lege quaſi tranſgreſſores.* Leuitici enim cap. 19. 15. & Deut. 1. 17. perſonarum acceptio prohibetur. *Quicumque autem totam legem ſeruauerit, offendat autem in vno, factus eſt omnium reus*, ſeu perindè damnabitur, ac ſi totius legis violator exiſteret, licet non pari pœna plecteretur, ſed ſolùm ea, quæ vni illi tranſgreſſioni reſpondet. Fit etiam omnium reus, quia vel in vno delinquens iubentis contemnit auctoritatem, quæ in omnibus præceptis motiuum eſſe debet, ad illa ſeruanda. *Qui enim dixit: Non Mœchaberis, dixit: &*

Non occides. Quod si non mœchaberis, occidas autem, factus es transgressor legis. Quia siue mœcheris, siue occidas, &c. Semper Legislatoris Dei auctoritatem spernis, & integram legis obseruationem violas. *Sic loquimini, & sic facite, sicut per legem libertatis incipientes iudicari,* seu sicut per exactissimam Euangelij legem iudicandi, ne ab hac lege redarguamini, & tanquam illius transgressores pœnæ sobiaceatis.

Quasi tota Dei misericordia reseruatur ad iudiciũ illius, qui misertus est pauperis.

Iudicium enim sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam. * Quasi tota quodammodo misericordia reseruetur ad gerendum iudicium, & ferendam sententiam illius, qui misertus est pauperis.] *Super exaltat autem misericordia iudicium.* Vatablus, *Gloriatur misericordia aduersus iudicium.* * Sensus est: Misericordia pauperi exhibita contendens cum diuino iudicio, victrix euadit, illique tanquam victo (magna quidem Dei gloria) quodammodo insultat.]

Misericordia pauperi exhibita, quasi pugnat cum iudicio Dei, & vincit?

3\. *Vers.* 14.15.16.17.18.19. *Quid proderit fratres mei, &c.*] Nil profectò ô fratres proderit, *si fidem quis dicat se habere; opera autem non habeat. Numquid poterit fides* sine operibus *saluare eum?* Annon ficulnea foliis induta, fructibus vacua fuit à Domino maledicta? Mat. 21.19. *Si autem frater, & soror nudi sint, & indigeant victu quotidiano:* dicat autem aliquis ex vobis illis: nempe sorori aut fratri, siue viro Christiano vel fœminæ: *Ite in pace, calefacimini & saturamini: non dederitis autem eis, quæ necessaria sunt corpori, quid proderit? Sic fides si non habeat opera, mortua est in semetipsa,* seu per se sola, quia sine charitate, quæ est illius forma, mortua est quodammodò, & non exerit opera, quæ sunt spiritualis vitæ signum. *Sed dicit quis: Tu fidem habes, & ego opera habeo: ostende mihi fidem tuam sine operibus: & ego ostendam tibi ex operibus fidem meam.* Heus tu, qui de sola fide gloriaris, opera vero contemnis: quo argumento cõuinces, te istam habere fidem quam inaniter iactas? Nam res est prorsus abdita, & sub oculorum non cadit aspectum. Ego verò qui cum fide etiam opera adiungo, ex ipsis operibus, quæ cernuntur, probabo tibi fidem meam, quæ si sola sit, aciem fugitat oculorum. * Igitur dum Christianus pia non gerit opera, prorsus nescitur, an ille fidem habeat.] *Tu credis, quoniam vnus est Deus: Benefacis; & dæmones credunt, & contremiscunt,* ipsis profitentibus Mat. 8.29. *Venisti huc ante tempus torquere nos.*

De fide bonis operibus iungenda.

Ficulnea sine fructu, sine operibus fides.

Nescitur an fidẽ habeat, qui eam operibus nõ manifestat.

Vers. 20.21.22.23.24.25.26. *Vis autem ô homo, &c.*] Vis ô homo *inanis,* seu qui inanem iactas fidem, *quoniam,* seu quod *fides sine operibus mortua est? Abraham pater noster nonne ex operibus iustificatus est offerens Isaac filium suum super altare?* Proponit Abrahamum patrem fidei, & iustitiæ, qui non ex sola fide, sed & ex operibus fuit iustificatus. De augmento gratiæ iustificantis loquitur. Iam enim erat iustus, cum filium iussus fuit immolare, quem quidem paratus erat offerre, per eum enim non stetit, quin Isaacus immolaretur. * Porro & si de facto immolatus non fuit, dicitur: *Offerens filium suum.* Quia promptitudo offerendi Deo, quasi opus fuit consummatum.] *Vides quoniam fides cooperabatur operibus illius;* non enim erat otiosa, non deses; sed viuida, sed operans. *Et suppleta est* (Græcè *impleta*) *Scriptura dicens: Credidit Abraham Deo & reputatum est illi ad iustitiam.* Gen. 15.6. quia fidem & opus simul Deo litauit: *& ideò amicus Dei appellatus est.* Sic non lege citato, sed Iudith 8.22. *Abraham tentatus est, & per multas tribulationes probatus, Dei amicus effectus est. Videtis* (pergit Iacobus) *quoniam ex operibus iustificatur homo, & non ex fide tantum?* Ex operibus, inquam, quæ fiunt post fidem, & ex ipsa fide iustitiæ, ac sanctitatis augmentum comparatur. *Similiter & Rahab meretrix nonne ex operibus iustificata est, suscipiens nuncios, & alia via eiiciens?* Ios. 2.1. Quæ prius idolorum superstitioni studuerat, & seruierat Veneri, simul atque vera donata est fide à Deo, quam testatur dum ait Ios. 2.11. *Dominus Deus vester ipse est Deus in cælo sursum, & in terra deorsum,* simul pristinos detestata est mores per contritionem, & iustificata. Hanc autem fidem suam egregio nobilitauit opere & auxit; nam cum euidenti mortis periculo exploratores hospitio exceptos dimisit incolumes. *Sicut enim corpus sine spiritu mortuum est: ita & fides sine operibus mortua est.*

Deo obediendi promptitudo quasi opus est consummatum.

CAPVT III.

Plura alia morum monita tradit, maximè linguæ vitia subtaxat.

1\. NOLITE plures magistri fieri, fratres mei, scientes quo-
niam maius iudicium sumitis. 2. In multis enim offen-
dimus omnes. Si quis in verbo non offendit: hic perfe-
ctus est vir. potest etiam fræno circumducere totum cor-
pus. 3. Si autem equis fræna in ora mittimus ad consen-
tiendum nobis, & omne corpus illorum circumferimus.
4. Ecce & naues, cùm magnæ sint, & à ventis validis mi-
nentur, circumferuntur à modico gubernaculo vbi impetus dirigentis voluerit.
5\. Ita & lingua modicum quidem membrum est, & magna exaltat. Ecce quan-
tus ignis quàm magnam siluam incendit! 6. Et lingua ignis, est vniuersitas ini-
quitatis. Lingua constituitur in membris nostris, quæ maculat totum corpus, &

inflammat

inflammat totam natiuitatis nostræ, inflammata à gehenna. 7. Omnis enim natura bestiarum, & volucrum, & serpentium, & cæterorum domantur, & domita sunt à natura humana: 8. linguam autem nullus hominum domare potest: inquietum malum, plena veneno mortifero. 9. In ipsa benedicimus Deum & Patrem: & in ipsa maledicimus homines, qui ad similitudinem Dei facti sunt. 10. Ex ipso ore procedit benedictio, & maledictio. Non oportet, fratres mei, hæc ita fieri. 11. Numquid fons de eodem foramine emanat dulcem & amaram aquam? 12. Numquid potest, fratres mei, ficus vuas facere, aut vitis ficus? Sic neque salsa dulcem potest facere aquam. 13. Quis sapiens, & disciplinatus inter vos? Ostendat ex bona conuersatione operationem suam in mansuetudine sapientiæ. 14. Quòd si zelum amarum habetis, & contentiones sint in cordibus vestris: nolite gloriari, & mendaces esse aduersus veritatem. 15. Non est enim ista sapientia desursum descendens: sed terrena, animalis, diabolica. 16. Vbi enim zelus & contentio: ibi inconstantia, & omne opus prauum. 17. Quæ autem desursum est sapientia, primùm quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens, plena misericordia, & fructibus bonis, non iudicans, sine simulatione. 18. Fructus autem iustitiæ, in pace seminatur, facientibus pacem.

COMMENTARII.

1.

Magisterij non ambiendi occasione linguæ vitia taxat.

VERS. 1.2.3.4.5. *Nolite plures Magistri fieri, &c.*] Nolite plures munus docendi ambire. Ministerium enim hoc paucorum debet esse, & ad id ex pluribus eligendi hi pauci, doctrina eruditi, virtute conspicui. *Scientes* ô fratres, *quoniam maius iudicium sumitis*, seu damnationis periculum. Nam qui docendi, seu regendi populi curam suscipit, onus sibi imponit ipsis Angelicis humeris formidandum.] *In multis enim offendimus omnes*: & satis negotij habemus, vt Deo vitæ nostræ rationem reddamus, nisi etiam accepto ambitiosè munere docendi, aut gubernandi, vitæ quoque alienæ rationem reddendam suscipiamus. Rector enim pro se, & pro subditis est rationem supremo Iudici redditurus.] *Si quis verbo non offendit, hic perfectus est vir.* * Ardua omninò res est, & quæ virum omnibus numeris perfectum requirit, linguam prurientem coërcere adeò vt offendat in nullo.] * Perfectus, inquit, est vir. In viro, non in fœmina exemplum id exhibuit. Quia mulier, quæ in verbo non offendat non solùm perfecta, sed miraculosa admodum exponetur.] *Potest etiam fræno circumducere totum corpus*, seu qui potens est frænare linguam facillime poterit totius corporis prauos affectus infrænare. *Si autem equis fræna in ora mittimus, ad consentiendum nobis*, seu vt nobis pareant; & omne corpus illorum circumferimus, quò volumus: haud aliter frænata lingua, totius nostri corporis properant ad obsequium. *Ecce & naues cum magna sint, & à ventis validis minentur*, seu impellantur, *circumferuntur à modico gubernaculo, vbi impetus*, seu impulsus *dirigentis voluerit. Ita & lingua modicum quidem membrum est, & magna exaltat.* Vatablus, *magnifice se iactat.* Gagneius *impotenter se gerit*, instar equuli indomiti, & lasciuientis, cui proindè rationis iniiciendum est frænum. *Ecce quantus ignis, quàm magnam siluam accendit.* Seu en quantulus ignis est, & tamen parua scintilla contempta, magnum sæpè incendium excitatur, & totam Vrbem absumpsit.

Formidabile est munus docendi, aut regendi.

Rector pro se, & pro subditis rationē est redditurus.

Viri est consummati, linguam coërcere.

Quasi miraculosa erit mulier, quæ in verbo nō offendat.

Vers. 6.7.8,9.10.11.12. *Et lingua ignis est, &c.*] Profectò lingua assimilatur igni ob grauitatem nocendi celeritatem: *vniuersitas iniquitatis.* Græcè, *mundus iniustitiæ*, congeries, & promptuarium iniquitatis. * Dixerim, (si liceat anoominatione vti) linguam prauam esse Vniuersitatem, seu publicam Academiam, vbi omnis iniquitas omni malitiæ impendit operam.] *Lingua constituitur in membris nostris quæ maculat totum corpus, & inflammat totam natiuitatis nostræ, inflammata à gehenna.* Lingua illud est in corpore nostro membrum, quod si prauitate inficiatur, totum hominem peccatis maculat, & omnem vitæ circulum à cunabulis vsque ad tumulum inflammat tartareo igne succensa, à dæmone discordiarum parente afflata. * Certè qui effrænis linguæ est, difficile corrigitur. Vnde plerumque vitium hoc vsque ad obitum non conquiescit. * Lingua, quæ detractione, aut conuitio proximum lædit, gehennæ igne inflammatur. * Et quidem plerumque huiusmodi lingua, quæ gehennæ igne inflammatur in præsenti, in futuro sæculo dirius æterno inflammatur ab igne, vt cum diuite auaro semper inclamet. *Quia crucior in hac flamma*: nec quis immittitur Lazarus, qui illam *refrigeret*: Luc. 16 7. *Omnis enim natura bestiarum, & volucrum, & serpentium, & cæterorum domantur, & domita sunt à natura humana, seu ab* hominibus: *Linguam autem nullus hominum domare potest.* * *Nullus hominum* ait. Non ait, *Nullus* absolutè linguam domare potest: vt eam domatur fateantur Dei solutus misericordia, Dei adiutorio, Dei gratia fieri.] *Inquietum malum* est, seu quod ad quietem vix redigi possit, *plena veneno mortifero*, quo proximi famam, audientium animum ac sæpe multorum corpora interimit per odia, rixas ac bella, quæ suscitat. *In ipsa benedicimus Deum & Patrem*, seu Deum qui est Pater omnium: *& in ipsa maledicimus homines, qui ad similitudinem Dei facti sunt. Ex ipso itaque ore procedit benedictio, & maledictio. Non oportet, fratres mei, hæc ità fieri. Numquid fons de eodem foramine emanat dulcem, & amaram aquam? Numquid potest, fratres mei, ficus*

Praua lingua est omnium malitiarum velut Academia.

Linguæ vitium vsque ad finem vitæ solet perseuerare.

Lingua detractoris igne tartareo succenditur.

Praua lingua plerumq; hominem ad damnationē trahit, vt diuitis Epulonis supplicium imitetur.

Solus Deus efficere linguam potest reprimere.

vuas facere, Græcè, *oliuas? aut vitis ficus? Sic nec salsa dulcem potest facere aquam.* Ac si diceret: Contra naturam est, & rerum ordinem, vt ex lingua, ore, & corde ad hoc vnum à Deo & natura destinato, vt benedicàt Deum, maledictio procedat. Probat fontis similitudine, vuæ, & ficus. Nam cum natura pugnat, vt fons dulcis aquam amaram emittat, aut vitis ficus proferat, vel ficus vuas. * Insinuans scilicet, laudes diuinas ex ore in proximum maledico promanantes, reddi prorsus amaras tali maledictione, ingratasque Deo: nec tàm laudes, quam comitia censeri: & nullum diuinæ laudis præmium posse sperari.]

Lingua in proximũ maledica si Deũ laudare studeat, non tã illa erit laudatio, quam conuitium.

Versi 3. 14. 15. 16. 17. 18. *Quis sapiens, &c.*] Inter vos, qui tantopere ambitis Magistri nomen *quis sapiens* est reuera non tantum speculatiuè, sed practicè. Bene disciplinatus, & instructus? *Hoc ostendat* primò *conuersatione bona*, & laudabili: secundò *mansuetudine* non abiectionis, sed discretionis, & *sapientiæ. Quod si zelum amarum habetis, & contentiones sint in cordibus vestris: nolite gloriari, & mendaces esse aduersus veritatem.* Admonet Iacobus Magistros, nè pro tuenda falsa nominis æstimatione, & pro suis somniis obstinatè defendendis, veritatem deserant, & ne contra illam, quasi victam, & prostratam, mendaciter glorientur. *Non est enim ista sapientia desursum descendens: sed terrena, animalis, diabolica.* Sapientia eorum, qui zelum amarum, ac contentiosum habent, haud est à Patre luminum descendens: Sed terrena ob auaritiam, aut vindictam: animalis ob gulam, & luxuriam: diabolica ob superbiam, qua ambis quis præ cæteris honorari. *Vbi enim zelus & contentio: ibi inconstantia, & omne opus prauum.* Ex Græco, ibi *inquietudo*, inordinatio, turbulentia, perturbatio, tumultus, &c. *Quæ autem desursum est sapientia*, seu diuinitus donata, *primum quidem pudica est*, pura, casta, quauis prauæ doctrinæ impuritate aliena: *deinde pacifica*, non contentiosa, vel seditiosa: tertio, *modesta*, mansueta, humilis, demissa. Quarto, *suadibilis*, tractabilis, morigera, facilè reducibilis ad obsequium: quintò, *bonis consentiens*, tam bonis hominibus, quam rebus applaudens: sexto, *plena misericordia & fructibus bonis*, seu rectis operibus: septimo, *non iudicans* aliena dicta vel facta, nec ea fastidiosè contemnens: octauo, *sine simulatione*, sine fuco, sine hypocrisi. *Fructus autem iustitiæ in pace seminatur, facientibus pacem.* Ij, qui pacem sectantur, seu opera exerunt, quæ ad pacem conciliandam & augendam faciunt, semina iustitiæ spargunt, ex quibus in futuro seculo fructus metent vberrimos.

CAPVT IV.

Seuerè nonnullorum prauos mores carpit. Allicit ad humilitatem, & modestiam. Inanem rerum humanarum taxat solicitudinem.

1. VNDE bella & lites in vobis? Nónne hinc? ex concupis-
centiis vestris, quæ militant in membris vestris? 2. Con-
cupiscitis, & non habetis: occiditis, & zelatis: & non po-
testis adipisci: litigatis, & belligeratis, & non habetis,
propter quòd non postulatis. 3. Petitis, & non accipitis:
eò quòd malè petatis: vt in concupiscentiis vestris insuma-
tis. 4. Adulteri, nescitis quia amicitia huius mundi, ini-
mica est Dei; Quicumque ergo voluerit amicus esse sæculi huius, inimicus Dei
constituitur. 5. An putatis quia inaniter scriptura dicat: Ad inuidiam concu-
piscit spiritus, qui habitat in vobis? 6. Maiorem autem dat gratiam. Propter
quod dicit: Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. 7. Subditi
ergo estote Deo: resistite autem diabolo, & fugiet à vobis. 8. Appropinqua-
te Deo, & appropinquabit vobis. Emundate manus, peccatores: & purificate
corda, duplices animo. 9. Miseri estote, & lugete, & plorate: risus vester in
luctum conuertatur, & gaudium in mœrorem. 10. Humiliamini in conspe-
ctu Domini, & exaltabit vos. 11. Nolite detrahere alterutrum, fratres. Qui
detrahit fratri, aut qui iudicat fratrem suum, detrahit legi, & iudicat legem. Si
autem iudicas legem: non es factor legis, sed iudex. 12. Vnus est legislator, &
iudex, qui potest perdere, & liberare. 13. Tu autem qui es, qui iudicas pro-
ximum? Ecce nunc qui dicitis: Hodie, aut crastino ibimus in illam ciuitatem, &
faciemus ibi quidem annum, & mercabimur, & lucrum faciemus: 14. qui igno-
ratis quid erit in crastino. 15. Quæ est enim vita vestra? vapor est ad modicum pa-
rens,

rens, & deinceps exterminabitur, pro eo vt dicatis: Si Dominus voluerit: & Si
vixerimus, faciemus hoc, aut illud. 16. Nunc autem exultatis in superbiis vestris.
Omnis exultatio talis, maligna est. 17. Scienti igitur bonum facere, & non facienti,
peccatum est illi.

COMMENTARII.

1. *Prauos quorumdam mores carpit.*

VERS. 1.2.3.4.5.6.7. *Vnde bella, & lites, &c.*] Vndenam putatis ô fratres, bella & lites in vobis, seu dissensiones, & discordias oriri *Nonne hinc*, nempe *ex concupiscentiis vestris?* Græcè, ex voluptatibus, quas desideratis explere circa honores, opes, & delitias? Quando hæc scribebat Apostolus, nondum inter Christianos bella grassabantur: dissensiones autem eorum aptè vocauit *bella*, quia in animo dissidentium adest ira, odium, inquietudo, & reliquus bellorum apparatus.] Nonne, inquam, ex concupiscentiis vestris, *quæ militant in membris vestris?* In illis enim castra figunt, & tanquam strenui milites aduersus spiritum decertant. *Concupiscitis, & non habetis.* Quia ea quæ expetitis, difficile parantur. * Dixerim ego, quia omnia caduca quæ desideramus acquirere tam leuia sunt, tam inania, vt post acquisitionem non habeantur; nihil enim sunt.] *Occiditis, & zelatis*, seu lingua sæpe aliquando gladio proximum occiditis, quia zelatis seu inuidetis: *& non potestis adipisci* id propter quod occiditis, & inuidetis. * Quià per peccatum nihil vnquam vtile acquiritur. *Litigatis, & belligeratis*, contentionibus, & discordiis certatis inter vos: & non habetis propter *quod*, seu propterea quod *non postulatis* à Deo vt oportet, rei à vobis expetitæ felicem euentum. Et si aduertitis, necessarium esse orare, vt id assequamini: *Petitis, & tamen non accipitis: eo quod male petatis*: nempe *vt in concupiscentiis vestris insumatis*, seu vt abutamini rebus hisce contra Deum, & proximum, & ad vestras libidines explendas. * Malè petitur à Deo, quidquid ad Dei gloriam, & nostram spiritualem vtilitatem non conducit.] Sed potius officit.] *Adulteri*, qui mundo adhærentes Christi veri animarum sponsi fidem violatis, *nescitis, quia amicitia huius mundi inimica est Dei? Quicumque ergò voluerit amicus esse sæculi huius, inimicus Dei constituitur. An putatis, quià inaniter Scriptura dicat*, seu existimatis Scripturam sinè causa dixisse: *Ad inuidiam concupiscit spiritus, qui habitat in vobis?* Seu Spiritus diuinus, qui in iustis habitat quasi zelotypia tactus, optat, & cupit admodùm vt illi hæreamus, sæcularibus rebus posthabitis. Hîc igitur nomen inuidiæ in bonam partem nempè pro zelo accipitur. Hoc verò testimonium in sacris litteris, quæ nunc extant, non inuenio. Crediderim Apostolum ex Exo. 20.5. Iere. 2. toto, ex Naum 1.2. Summatim illam sententiam efformasse. *Maiorem autem dat gratiam*, dona & beneficia vobis confert, quam mundus potest conferre. Inuidet mundo, quod pauca & vilia donans, multùm ametur. Vndè vt hunc suum æmulum eliminet, optima ipse nobis, & selectissima dona munificentissimè impertit: Si tamen humiles fuerimus. *Propter quod dicit: Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Prou. 3.34. Iuxta LXX. editionem. *Subditi ergò estote Deo: resistite autem diabolo, & fugiet à vobis.* Deo quidem vos submittite, vt maiora in dies beneficia recipiatis: dæmoni obsistite, vt videns vos illic ad resistendum obfirmatos, hastas abiiciat, & superatus fugam arripiat. * Diabolus enim imbellis est eis, qui tentamini obsistunt.]

Dissensio inter Christianos, bellum est animorum.

Omnia terrena bona nihil sunt.

Per peccatum vtile acquiritur.

Malè petitur à Deo, quod ad animæ vtilitatem non conducit, sed officit.

Diabolus imbellis est eis, qui tentamini obsistunt.

Vers. 8.9.10.11.12. *Appropinquate Deo, &c.*] Deo non gressibus corporis, sed mentis appropinquare satagite, *&* ipse *appropinquabit vobis*, vberiora in vos accumulando beneficia. *Emundate manus ô peccatores* Manuum munditia significat morum innocentiam. Iob. 22.30. *Saluabitur innocens: in munditia manuum suarum: & purificate* (adiicit Apostolus) *corda duplices animo*, seu in diuersa studia fluctuantes. *Miseri estote.* Græcè, *affligite vos, & lugete, & plorate: risus vester in luctum conuertatur, & gaudium in mærorem. Humiliamini in conspectu Domini, & exaltabit vos.* * Vera animi humilitas perpetuò solet pœnitentiam comitari. Sic 3. Reg. 21. 29. de Achab pœnitente dicit Dominus: *Nonne vidisti Achab humiliatum coram me?* Humilitas autem debet esse non ficta, sed sincera, ita vt in conspectu Domini verax appareat. Id gerentes, exaltabimini. * Agnatum enim humilitati veræ præmium est exaltatio. *Qui se humiliat, exaltabitur.* Mat. 23.12. *Nolite detrahere alterutrum, fratres. Qui detrahit fratri, aut qui iudicat fratrem* rectè agentem, & parentem legi: *detrahit legi, & iudicat legem*, seu eo ipso contrà legem ipsam loqui videtur, ipsamque quasi malam damnare. * Vndè debent hinc frænari nonnulli, qui assolent irrisionem agere de aliis, quos vident specialia deuotionis gerere opera, ut sæpè frequenter Eucharistiam suscipere, sabbato ieiunare, legem perfectè implere: Siquidem sunt ipsius legis irrisores.] *Si autem iudicas legem non es factor legis, sed iudex.* Seu si impius iudex legem damnas tanquam malam, longè abes ab illius obseruatione. *Vnus est Legislator, & Iudex qui potest perdere, & liberare.* Quid tibi hoc abrogas, vt proximum iudices? solus Deus, qui legem tulit, nos iuxta eius præscriptum iudicabit, damnabit, aut absoluet: hominum hoc non est munus.

Vera animi humilitas debet pœnitentiam comitari.

Agnatum humilitati præmium exaltatio.

Qui detrahunt iis, qui specialia deuotionis opera gerunt, ipsius legis Dei detractores.

Vers. 13.14.15.16.17. *Tu autem quis es, &c.*] Dicito mihi obsecro, quinam tu es, *qui iudicas proximum?* Num Deus es? *Ecce nunc*, Græcè, *age*, quæ vox transitionis est nota ad nouam materiam, eamque inchoat. Agite, videte, quam exigua prudentia sit, *qui dicitis: Hodie aut crastino die ibimus in illam Ciuitatem, & faciemus ibi quidem annum, & mercabimur, & lucrum faciemus qui ignoratis quid erit in crastino.* Annon stulte existimatis setiùs fore, vt ad illam Ciuitatem proficiscamini, & ibi integro anno persistatis: cum ignoretis, an in crastino superstites eritis: *Quæ est enim vita vestra? Vapor est ad modicum parens, & deinceps exterminabitur*, seu euanescet,

nescer. *Pro eo vt discatis:* pro eò quod deberetis dicere: *Si Dominus voluerit: & si vixerimus facimus hoc, aut illud.* * Cum ergo vita hominis sit vapor leuis, qui sibi promittit se diu victurum, audiet fortè illud à Domino: *Stulte, hac nocte animam tuam repetent à te.*] *Nunc autem exultatis in superbiis vestris.* Seu iactantiis, quibus gloriamini, hoc aut illud facturos. *Omnis exultatio, seu gloriatio talis maligna est*, seu à maligno suggesta spiritu. *Scienti igitur bonum facere, & non facienti, peccatum est illi.* Quæ monui, rectè à vobis nota esse non dubito. Illa ergò opere præstate: Secus enim magnæ culpæ rei eritis.

Stultus est, qui præsumit se diù esse victurum.

CAPVT V.

Diuitum in pauperes exprimit insolentiam. Pauperes ad patientiam hortatur. Tristes iubet orare, lætos psallere, peccatores crimina confiteri, ægros oleo sancto inungi. Orationis & salutis proximorum studium commendat.

1. AGITE nunc, diuites, plorate vlulantes in miseriis ve-
stris, quæ aduenient vobis. 2. Diuitiæ vestræ putrefactæ
sunt: & vestimenta vestra à tineis comesta sunt. 3. Au-
rum & argentum vestrum æruginauit: & ærugo eorum in
testimonium vobis erit, & manducabit carnes vestras
sicut ignis. Thesaurizastis vobis iram in nouissimis die-
bus. 4. Ecce merces operariorum, qui messuerunt regio-
nes vestras, quæ fraudata est à vobis, clamat: & clamor eorum in aures Domi-
ni sabaoth introiuit. 5. Epulati estis super terram, & in luxuriis enutristis cor-
da vestra, in die occisionis. 6. Addixistis, & occidistis iustum, & non restitit
vobis. 7. Patientes igitur estote, fratres, vsque ad aduentum Domini. Ecce
agricola expectat pretiosum fructum terræ, patienter ferens donec accipiat tem-
poraneum, & serotinum. 8. Patientes igitur estote & vos, & confirmate corda
vestra: quoniam aduentus Domini appropinquauit. 9. Nolite ingemiscere, fra-
tres, in alterutrum, vt non iudicemini. Ecce iudex ante ianuam assistit. 10. Exem-
plum accipite, fratres, exitus mali, laboris, & patientiæ, Prophetas: qui locuti
sunt in nomine Domini. 11. Ecce beatificamus eos, qui sustinuerunt. Suffe-
rentiam Iob audistis, & finem Domini vidistis, quoniam misericors Dominus
est, & miserator. 12. Ante omnia autem fratres mei, nolite iurare, neque per
cælum, neque per terram, neque aliud quodcumque iuramentum. Sit autem ser-
mo vester: Est, est: Non, non: vt sub iudicio decidatis. 13. Tristatur aliquis
vestrûm? oret: Æquo animo est? psallat. 14. Infirmatur quis in vobis? indu-
cat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine
Domini: 15. & oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus: & si
in peccatis sit, remittentur ei. 16. Confitemini ergo alterutrum peccata vestra, &
orate pro inuicem vt saluemini: multum enim valet deprecatio iusti assidua. 17. Elias
homo erat similis nobis passibilis: & oratione orauit vt non plueret super terram,
& non pluit annos tres, & menses sex. 18. Et rursum orauit: & cælum dedit plu-
uiam, & terra dedit fructum suum. 19. Fratres mei, si quis ex vobis errauerit à
veritate, & conuerterit quis eum: 20. scire debet, quoniam qui conuerti fecerit
peccatorem ab errore viæ suæ, saluabit animam eius à morte, & operiet multitudi-
nem peccatorum.

COMMENTARII.

1. VERS. 1.2.3.4.5.6. *Agite nunc diuites, &c.*] Nunc ô diuites diuitiis corde addicti agite, *plorate* vlulantes more luporum rabida cruciatorum fame, *in miseriis vestris, quæ aduenient vobis.* Quales enim pauperibus vos exhibuistis, tales vobis erunt Titus & Vespasianus, imò ipse Deus vel in hoc, vel in futuro sæculo. * Ad puniendam enim crudelitatem diuitum erga pauperes non sufficiunt temporalia ab hominibus illata supplicia. Ideóque Deus ipse adiiciet æterna?] *Diuitiæ vestræ putrefactæ sunt, & vestimenta vestra à tineis comesta sunt: aurum, & argentum vestrum æruginauit.* * Diuites auari, recondunt diuitias, vestes, triticum, vinum, nec pauperibus largiti

Diuites carpit.

Ad puniendũ diuitum in pauperes crudelitatẽ non sufficiunt temporaria supplicia.

Diuitiis auari diuites nullũ profunt.

iusti

ſuſtinent, interimque omnia inutiliter corrumpuntur: & theſauro ipſi carent, quem ſibi in cœlo recondere potuiſſent.] *Et arugo eorum in teſtimonium vobis erit.* Puttefactio illa & corrupti diuitiarum veſtrarum auaritiæ veſtræ, & crudelitatis in pauperes erit euidens argumentum: nempè quod malitiis diuitias corrumpi, quam eas egenis erogare: *& manducabit carnes veſtras, ſicut ignis.* Et quia vos ex auaritia erugini maluiſtis veſtras diuitias corrodendas addicere, quàm fameſcenti pauperi vtiliſſimè vobis abſumendas: ærugo dirior in tartaro carnes veſtras æternùm ſine abſumptione deuorabit. *Theſaurizaſtis vobis iram in nouiſſimis diebus.* Voluiſtis diuitiarum theſaurum parare, ſed damnationem ab irato Numine in futuro ſæculo præparaſtis. *Ecce merces operariorum, qui meſſuerunt regiones veſtras, quæ fraudata eſt a vobis, clamat, & clamor eorum in aures Domini Sabaoth introiuit.* * Domini inquam, *Sabaoth*, ſeu *exercituum.* Ad puniendum namque diuitum crudelitatem, qui mercede debita fraudant agricolas, quaſi Dei exercitus omnes tribulationum, & ſuppliciorum procedunt in campum.] *Merces*, inquit, operatiorum *clamat.* Hac clamoris metaphora ſignatur grauitas ſceletis, quod quodammodo Caini malitiæ, & crudelitati exæquatur. Nam vt ſanguis clamabat Abelis, ſic agricolarum *merces* ablata clamat. Detractio enim hæc mercedis, eſt miſero agricolæ veluti ſanguinis profuſio.] *Epulati eſtis ſuper terram, & in luxuriis enutriſtis corda veſtra in die occiſionis.* Græcè, *ſicut in die occiſionis*, ſeu die Feſto, quo mactatis victimis fit epulum. id eſt, quotidie velut in ſolemni die feſto epulamini, inſtar illius diuitis, de quo Dominus Luc. 16. *Epulabatur quotidie ſplendidè.* * Poſt particulam *Epulati eſtis* ſequitur, *& in luxuriis enutriſtis corda veſtra.* Ex nimio enim cibo & potu diriùs luxuria accenditur.] Preme illud: *Epulati eſtis in die*, ſeu *in diem occiſionis.* Diuitibus namque voluptates id ſunt, quod furfurum plena ſagina porcis, impinguantur enim ad diem interitus.] *Addixiſtis morti & occidiſtis iuſtum, & non reſtitit vobis.* * Bonis iuſtum ſpoliaſtis, quod idem fuit, ac illum occidiſſe. Eccli. 34. 25. *Panis egentium vita pauperum eſt, qui defraudat illum, homo ſanguinis eſt: qui aufert in ſudore panem, quaſi qui occidit proximum ſuum.*

Ad puniendum diuitum crudelitatem erga agricolas, quaſi omnes Dei exercitus armantur.

Merces ablata agricolis, ſicut profuſus Abelis ſanguis.

Diuites voluptatibus ſicut porci ſagina æternũ in interitum impinguantur.

Bonis agricolas inopes ſpoliare, idẽ eſt, ac illum occidere.

2. *Verſ. 7. 8. 9. 10. 11. Patientes igitur, &c.* Itaque fratres, qui huiuſmodi exercemini incommodis, *patientes eſtote vſque ad aduentum Domini*, ſeu vſque ad mortem, & iudicium. Ecce agricola expectat pretioſum fructum terræ, patienter ferens, donec accipiat temporaneum & ſerotinum. Græcè, *pluuiam, imbrem.* Imber temporaneus eſt, qui Octobris menſe decidit, facta ſemente: ſerotinus verò ſerò, ſeu in Aprili, vel Maio fluit, ad ſegetum maturitatem. *Patientes igitur eſtote & vos*, agricolarum inſtar, *& confirmate corda veſtra, quoniam aduentus Domini appropinquauit*, poſt huius ſæculi perbreue tempus. * Nam licet extremum iudicium ab Apoſtoli temporibus multum diſtabat, certè in conſpectu Domini *mille anni ſunt ſicut dies heſterna, quæ præteriit.* Pſal. 89. 4.] * Vnde non dicit, Appropinquabit de futuro, ſed de præterito. *Appropinquauit.* Quia tam breue eſt ſæculare tempus vt antè quam veniat, iam prætetierit.] *Nolite ingemiſcere fratres, in alterutrum, vt non iudicemini. Ecce Iudex ante ianuam aſſiſtit.* In iniuriis vobis illatis, ſeu in præſſuris nolite nimium dolere ità vt impatientiam oſtendatis. Adeſt enim pro foribus Iudex Chriſtus qui ius veſtrum proteget, & iniuriatores puniet. *Exemplum accipite, fratres, exitus mali laboris, & patientiæ, Prophetas, qui locuti ſunt in nomine Domini.* Permoueant vos Prophetæ ſancti exemplo ſuo ad laborum ſuſtinentiam, qui quidem in hoc ſæculo multa ſuſtinuere incommoda, & plerique eorum *exitu malo*, id eſt morte acerbiſſima immortales ſibi coronas acquiſiere.

Ad patientiam hortatur, & à iuramentis abſtinere monet.

Perbreue huius ſæculi tempus.

Tempus ſæculi antequã veniat, iam præteriuit.

Verſ. 11. 12. 13. 14. 15. Ecce beatificamus eos, qui ſuſtinuerunt, ſeu fortunatos & felices eos exiſtimamus, & prædicamus eos, *qui ſuſtinuerunt* aduerſa. * Ipſe enim Dominus dixit Mat. 8. Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam: quoniam ipſorum eſt Regnum cælorum. *Eſt*, inquit, non *Erit*: quaſi iam & hîc beatitudine potiantur.] *Sufferentiam Iob audiſtis, & finem Domini vidiſtis.* Syrus. *& finem, quem ei Dominus præſtitit, vidiſtis*: poſt calamitates etenim eius, *Benedixit, Dominus nouiſſimis Iob magis, quàm initio eius.* Iob. 42. 24. quoniam miſericors Dominus eſt, & miſerator. * Non ſolùm in ſæculo futuro eos qui patiuntur, Deus præmio cumulat interminabili, ſed plerunque & in præſenti felicitate donantur, qui patienter calamitates ſuſtinent.] *Antè omnia autem fratres mei, nolite iurare neque per cælum, neque per terram, neque aliud quodcumque iuramentum. Sit autem ſermo veſter: Eſt, eſt: Non, non.* Deſumpſit Apoſtolus hanc ſententiam ex Matthæo cap. 5. 24. *Vt non ſub iudicio decidatis*, ſeu vt peierando non incidatis in damnationem. Qui enim habet iurandi conſuetudinem, faciliimè labitur in periurium.] *Triſtatur aliquis veſtrum? oret.* Ex Græco, *Mali aliquid*, ſeu incommodi *patitur*? ſiuè vexatio corpus, ſiuè animam tangat? Ad orationem confugiat ſolatium infallibile recepturus. Sic Dominus *factus in agonia, prolixius orabat.* Luc. 24. 43. * Oratio enim eſt omnium ægritudinum medicamen, omnium leuamen tribolationum. *Æquo animo eſt?* hilari, pacato, tranquillo? *pſallat*: cantet Deo laudes gratias agens pro tranquillitate illa accepta. * Nullum enim beneficium recipiendum eſt nobis ſine debita gratiarum actione.] *Infirmatur quis in vobis? Inducat preſbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum.* Agit de extrema Vnctione, cuius miniſter eſt ſacerdos. Orent igitur ſuper infirmum tùm aliis precibus, tùm præcipue formam deprecatoriam huius Sacramenti proferendo: *Per iſtam ſanctam Vnctionem, &c.* Orent, inquam, ſuper eum, *ungentes eum oleo in nomine Domini: Et oratio fidei* ſeu præcatio hæc, quæ fides præſcribit, & ſacramentum *ſaluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus*, ſeu reſtituet corporis ſanitatem, ſi ſaluti animæ expedierit. Vnde hic ſecundarius effectus (primus enim eſt gratiæ collatio) non certo ſemper euenit huius ſacramenti virtute; quia non ſemper, vita diuturnior expedit ad animæ ſalutem: *& ſi in peccatis ſit, remittentur ei.* Per hoc enim ſacramentum gratia infunditur

Vel hîc qui patiuntur, fruũtur beatitudine.

Vel in præſenti felicitate denique donantur, qui labores patienter ſuſtineat.

Qui iurandi habet cõſuetudinem, facilè in periurium labitur.

Oratio eſt omnium leuamen laborum.

Nullum recipiẽdum eſt à Deo beneficium ſine gratiarum actione.

ditur: & fieri poteſt vt quis bona fide alicuius peccati lethalis oblitus, cuius habet ſolum attritionem, vi huius ſacramenti primam gratiam recipiat, per quam peccatum illud deleatur.

I. *Verſ.* 16.17.18.19.20. *Confitemini ergo, &c.*] *Peccata veſtra* confitemini, fratres, non Deo ſoli, vt mentiuntur hæretici, ſed *alterutrum*, ſeu homines homini, alter alteri, oues paſtoris, laici aut ſacerdotes ſacerdoti, *& orate pro inuicem, vt ſaluemini*, ſeu vt animi, ac corporis ſalutem aſſequamini tam priuatas, quam publicas preces offerte. *Multum enim valet deprecatio iuſti aſſidua.* Græcè, vox *aſſidua efficacem* orationem ſonat. Planè enim aſſidua iuſti oratio efficax eſt ad impetrandum. Teſtor amici illius parabolam, cui panes *propter improbitatem*, ſeu inſtantiam petendi fuere conceſſi.] *Elias homo erat ſimilis nobis paſſibilis, & oratione orauit*, ſeu aſſiduè precatus eſt, *vt non plueret ſuper terram: & non pluit annos tres & menſes ſex: Et rurſum orauit: & cælum dedit pluuiam, & terra dedit fructum ſuum.* 3. Reg. 17.1. Exemplo Eliæ oſtendit Apoſtolus, quanta ſit orationis iuſti efficacia. *Fratres mei, ſi quis ex vobis errauerit à veritate, & conuerterit quis eum: Scire debet, quoniam qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ*, ſeu vitæ, morum, & actionum iniquarum, *Saluabit animam eius à morte, & operiet multitudinem peccatorum.* In Græco eſt illa particula *eius* ſignificans vtrumque ſcilicet eum qui conuertit ſua hortatione proximum: & eum, qui conuertitur. * Studere namque proximi ſaluti idem eſt ac propriæ ſaluti operam dare.]

Ad Confeſſionem hortatur.

Efficax eſt oratio aſſidua.

Studere proximorum ſaluti, idẽ eſt, ac propriæ ſaluti operam dare.

EPISTO

EPISTOLA
BEATI PETRI APOSTOLI
Prima.

ROmæ hanc Epiſtolam Apoſtolus ſcripſit anno à Chriſti morte decimo-tertio, initio eius aduentus ex Antiochia Romam. Scripta igitur eſt ante Epiſtolam D. Iacobi, & ante omnes D. Pauli Epiſtolas. Græco autem idiomate exaratam fuiſſe inde colligo, quod ad Chriſtianos per Græciam diſperſos fuerit ſcripta, nempè ad Ponticos, Galatas, Cappadoces, Aſianos, Bithynios, quos Paulo antè conuerterat, cum regiones illas illuſtraret. Immiſſa verò Epiſtola ad hos fuit per Silam, ſeu Siluanum.

CAPVT I.

Deum benedicit, quòd nos per Chriſtum regenerarit. Docet hinc, nobis in tribulatione gaudendum, ſtudendúmque ſanctitati.

1. PETRVS Apoſtolus Ieſu Chriſti, electis aduenis diſper-
ſionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Aſiæ, & Bithyniæ,
2. ſecundùm præſcientiam Dei Patris, in ſanctificatio-
nem Spiritus, in obedientiam, & aſperſionem ſanguinis
Ieſu Chriſti: Gratia vobis & pax multiplicetur. 3. Be-
nedictus Deus & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui
ſecundùm miſericordiam ſuam magnam regenerauit nos in
ſpem viuam, per reſurrectionem Ieſu Chriſti ex mortuis, 4. in hereditatem
incorruptibilem, & incontaminatam, & immarceſſibilem, conſeruatam in cæ-
lis in vobis, 5. qui in virtute Dei cuſtodimini per fidem in ſalutem, para-
tam reuelari in tempore nouiſſimo. 6. In quo exultabitis, modicum nunc ſi
oportet contriſtari in variis tentationibus: 7. vt probatio veſtræ fidei multò pre-
tioſior auro (quod per ignem probatur) inueniatur in laudem, & gloriam, &
honorem, in reuelatione Ieſu Chriſti: 8. quem cùm non videritis, diligitis: in
quem nunc quoque non videntes creditis: credentes autem exultabitis lætitia
inenarrabili, & glorificata: 9. reportantes finem fidei veſtræ, ſalutem ani-
marum. 10. De qua ſalute exquiſierunt, atque ſcrutati ſunt prophetæ, qui de fu-
tura in vobis gratia prophetauerunt: 11. ſcrutantes in quod vel quale tem-
pus ſignificaret in eis Spiritus Chriſti: prænuntians eas quæ in Chriſto ſunt paſſio-
nes, & poſteriores glorias: 12. quibus reuelatum eſt, quia non ſibimetipſis,
vobis autem miniſtrabant ea, quæ nunc nuntiata ſunt vobis per eos qui Euan-
gelizauerunt vobis, Spiritu ſancto miſſo de cælo, in quem deſiderant Angeli
proſpicere. 13. Propter quod ſuccincti lumbos mentis veſtræ, ſobrij perfectè
ſperate in eam, quæ offertur vobis, gratiam, in reuelationem Ieſu Chri-
ſti. 14. quaſi filij obedientiæ, non configurati prioribus ignorantiæ veſtræ
deſideriis: 15. ſed ſecundùm eum, qui vocauit vos, Sanctum; & ipſi in omni
conuerſatione ſancti ſitis: 16. quoniam ſcriptum eſt: Sancti eritis, quoniam

ego sanctus sum. 17. Et si patrem inuocatis eum, qui sine acceptione personarum iudicat secundùm vniuscuiusque opus, in timore incolatus vestri tempore conuersamini. 18. Scientes quod non corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vana vestra conuersatione paternæ traditionis: 19. sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi, & incontaminati: 20. præcogniti quidem ante mundi constitutionem, manifestati autem nouissimis temporibus propter vos, 21. qui per ipsum fideles estis in Deo, qui suscitauit eum à mortuis, & dedit ei gloriam, vt fides vestra, & spes esset in Deo: 22. Animas vestras sanctificantes in obedientia charitatis, in fraternitatis amore, simplici ex corde inuicem diligite attentiùs: 23. renati non ex semine corruptibili, sed incorruptibili per verbum Dei viui, & permanentis in æternum. 24. quia omnis caro vt fœnum: & omnis gloria eius tamquam flos fœni: exaruit fœnum, & flos eius decidit. 25. Verbum autem Domini manet in æternum: hoc est autem verbum, quod Euangelizadum est in vos.

COMMENTARII.

1. *Deum benedicit, quod nos per Christum regenerarit.*

VERS. 1.2.3.4.5.6.7. *Petrus Apostolus Iesu Christi, &c.*] Apostolus Christi Domini Petrus salutem plurimam dicit *electis* ad fidem, & gratiam *aduenis dispersionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ, & Bithyniæ*, seu Iudæis Christianis, qui tùm aliàs, tum recenter ob persecutionem à nece Stephani à Iudæis excitatam (Act. 8.1.) è Iudæa dispersi fugerant ad varias Orientis regiones? electis, inquam, *secundum præscientiam Dei Patris*, seu prouidentiam, & prædestinationem Dei, qua Ponticos elegit ad fidem, & gratiam Christi, illis media opportuna prouidendo, quibus præsciebat; eos Christi fidem libere amplexuros. Particulam *Patris* hîc non accipio notionaliter, vt significat primam sanctissimæ Trinitatis Personam: Sed essentialiter, vt significat Deum, qui tribus Personis est communis. Hîc enim est Pater respectu Angelorum, hominum, & reliquarum creaturarum. *In sanctificationem Spiritus*, electis scilicet, vt Spiritus sanctus vos sanctificet: *in obedientiam, & aspersionem sanguinis Iesu Christi*, seu ad hoc electis, vt sanctificatis per gratiam Spiritus sancti, diuinis præceptis obediant, memores Christi sanguinis, quo sunt aspersi, & diluti in Baptismo, atque per ipsius merita redempti. *Gratia, ô fratres, vobis, & pax multiplicentur.*

Gratia in nobis multiplicata, omnia multiplicantur bona.

* Verbum *Pax* omnia bona significat iuxta illud. *Et abundantia pacis* Psal. 71.7. Pax itaque gratiæ est pedissequa, & multiplicata gratia Dei pax cunctis bonis abundans multiplicatur.] *Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui secundum misericordiam suam magnam regenerauit nos* per Christum & Baptismum eius à morte peccati ad iustificationis vitam reuocando, *in spem* quidem *viuam*, seu hoc fine, & fructu, vt per gratiam speremus firmiter gloriam consequi: *per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis.* Nam cum Christus caput nostrum resurrexerit, concipimus spem viuam resurgendi, & vitam consequendi cælestem, *hereditatem* scilicet *incorruptibilem*, non qualem patres terreni filiis relinquunt, quæ breui tempore possidetur: *incontaminatam* ab omni sorde criminis puram, *immarcescibilem*, corona enim beatorum non quales coronæ, quæ plectuntur in terris, quæ illicò marcescunt: *Conseruatam in cælis in vobis* (Syrus, *Quæ parata est vobis,*) *qui in virtute Dei custodimini per fidem in salutem, paratam reuelari in tempore nouissimo*: parata, inquam, est vobis, qui diuinæ potentiæ virtute per fidem non mortuam, sed charitate animatam custodimini, ne in pristinos errores recidatis, sed persistenter ineatis viam salutis, quæ parata est, & nobis seposita, vt in extremo iudicij die manifestatur etiam quoad gloriosas corporis dotes: Beatorum enim animæ iam beatitudine essentiali potiuntur. *In quo exultabitis modicum nunc si oportet contristari in varijs tentationibus. In quo*, id est, si cogiteris, vos regeneratos esse in spem viuam hereditatis æternæ, exultabitis, etiamsi modico hoc vitæ tempore nonnulla aduersa vobis toleranda sint: *vt probatio vestræ fidei multo pretiosior auro (quod per ignem probatur) inueniatur in laudem, & gloriam, & honorem, in reuelatione Iesu Christi.* Vt vestra fides, quæ multo pretiosior est auro, igne tribulationis instar auri, probata sit vobis laudi, & in die iudicij in honorem cedat, & gloriam. Cur autem iudicij dies dicitur Reuelatio? Certè quià in eo Christus oculis nostris reuelabitur, qui nunc est inuisibilis. Et quia in eo cuiusque opera & merita reuelabuntur. * Vt qui iniqua actuus fugit in abscondita, ne rubore offundatur, abstineat à crimine, quod aliquando coram cunctis Angelis & hominibus est reuelandum.]

Qui in abscondita fugit, vt sine rubore peccet, abstineat à crimine, aliquando cunctis reuelando.

Vers. 8.9.10.11.12. *Quem Christum Iesum cum non videritis* adhuc multi ex vobis, *diligitis: in quem nunc quoque non videntes creditis: Credentes autem exultabitis lætitia inenarrabili, & glorificata.* Nam lætitia hæc vestra quodammodo est perfusa gloria, seu est prægustus gloriæ illius, quam post vitam caducam consequemini. * Innuit Petrus bonæ conscientiæ tantum esse solatium vt faciat iustum vel hîc quodammodo superna gloria frui.] *Reportantes finem fidei vestræ salutem animarum:* hac via reportabitis finem & mercedem fidei, nempe animarum salutem inchoatam hîc per gratiam, & iustitiam, in futuro per æternam gloriam complendam. *De qua salute exquisierunt, atque scrutati sunt Prophetæ, qui de futura in vobis gratia prophetauerunt.* Non est hoc nouum hominum inuentum, sed antiquum Dei decretum Prophetis reuelatum, qui studiose illud indagarunt, & prædixerunt: *Scrutantes, in quod, vel quale tempus significaret in eis Spiritus Christi*, seu

Solatium bonæ conscientiæ facit iustū quodammodò, vel hic gloria cœlesti frui.

innuentes

innuentes tempus, quo hæc gratia Chriſti ventura eſſet: *pranunciantes eas, quæ in Chriſto ſunt paſſiones, & poſteriores glorias.* Seu prænunciantes tam Chriſti paſſionem, quam reſurrectionis, aſcenſionis, immiſſionis Spiritus ſancti, & conuerſionis Gentium gloriam. *Quibus* Prophetis *reuelatum eſt* à Spiritu ſancto, *quia non ſibimetipſis*, id eſt, ea, quæ ipſis oſtendebantur de Chriſto, non pertinere ad tempus, in quo ipſi degebant, ſed multo poſt tempore eſſe adimplenda: *vobis autem miniſtrabant ea, quæ nunc nunciata ſunt vobis.* Prophetæ ipſi miniſtrabant vobis oracula illa per Apoſtolos, & alios, *qui Euangelizauerunt vobis, Spiritu ſancto miſſo de cælo, in quem deſiderant Angeli proſpicere.* Itaque ſicut Prophetæ per Spiritum Chriſti eum venturum prædixere: ità Apoſtoli prædicauerunt vobis eum iam præſentem inſpiratione Spiritus ſancti, quem in Pentecoſte receperunt. Illud autem *In quem deſiderant Angeli proſpicere*, ſic ex Græco legente, *In quæ*, explicandum? * In quæ, ſeu quæ Chriſti myſteria paſſionis ad ſalutem hominum, & reſurrectionem fidelium ad gloriam Angeli aſpicere cupiunt propter amorem, quo in homines à Deo dilectos flagrant.

Angeli erga homines dilectione flagrant.

Verſ. 13.14.15.16.17. *Propter quod ſuccincti, &c.*] Cum igitur cæleſtia bona nobis parata ſint, *ſuccincti lumbos mentis veſtræ*, ſeu mente prompti, & expediti, ad ea capeſſenda, & agenda, quæ ad eum finem vtilia ſint: *Sobrij perfectè, ſperate in eam, quæ offertur vobis, gratiam in reuelationem Ieſu Chriſti*, Græcè *ſobrij*, id eſt, *excitamini perfectè*. Id eſt, ſomnino, & dormitationi locus non ſit agentibus inter hoſtes: & ſperate conſequi eam quæ promiſſa eſt vobis gloriam. Sic enim *gratiam* vocitarim. Gratiæ enim tam agnata eſt gloria, vt qui gratia fruitur, quaſi gloria donatur. Rom. 6.23. *Gratia Dei vita* æterna.] Veſtram itaque ſpem extendite non ſolum vſque ad gloriam animæ conſequendam poſt mortem: ſed & vſque ad reuelationem Chriſti, ſeu aduentum eius ad iudicium, quo etiam corporis gloriam acquiretis: *quaſi filij* obedientiæ non configurati prioribus ignorantiæ veſtræ deſideriis: State expediti, & parati ſeruate Dei præcepta, vt decet obedientiæ filios, ſeu filios obedientes: non conformatos iis deſideriis, & concupiſcentiis, quibus ſeruiebatis tempore illo, quo errore tenebamini: *Sed ſecundum eum, qui vocauit vos, ſanctum.* Seu ſancti eſtote, vt eſt ſanctus ille, qui vos ad fidem, ad gratiam, & ſalutem vocauit: idque *in omni conuerſatione*, ſeu in omnibus actionibus veſtris oſtendite. *Quoniam ſcriptum eſt*, Leuit. 20.26. *Sancti eritis, quoniam ego ſanctus ſum*, ſeu mundi ab omni labe Patris cæleſtis æmulamini puritatem. Mat. 5.48. Dominus, *Eſtote perfecti, ſicut & Pater veſter perfectus eſt.* Pergit Apoſtolus: *Et ſi Patrem inuocatis eum, qui ſine acceptione perſonarum iudicat ſecundum vniuſcuiuſque opus: in timore* incolatus veſtri tempore conuerſamini, ſeu ille qui vos iudicaturus eſt ſecundum merita ſine vllius perſonæ acceptione, ſimul eſt Pater veſter, ſeruite ei cum timore filiali. Patri enim & Iudici timor debetur. Filiali confidentia coniunctus. * Ne igitur fidat peccator: *Pater* eſt, filio facile parcet delinquenti. Iudex enim ſimul eſt ſine acceptione perſonarum ſententiam ferens.]

Gratia Dei eſt velut gloria.

Ne fidat peccator, quod Deus ſit Pater: ſimul enim Iudex rectiſſimus eſt.

Verſ. 18.19.20.21.22.23.24.25. *Scientes, quod non, &c.*] En alius ad rectè viuendum ſtimulus. Scitis, ô fratres, *quod non corruptibilibus auro, & argento redempti eſtis, de vana veſtra conuerſatione paternæ traditionis*, ſeu de praua veſtra ratione viuendi, quam ſecuti eſtis vel in Iudaiſmo, poſt promulgatum Euangelium, vel in Gentiliſmo ſemper, ſic à parentibus veſtris edocti: *Sed pretioſo ſanguini quaſi Agni immaculati Chriſti*, qui quaſi Agnus immaculatus innocens, manſuetus pro vobis ſe Patri litauit *incontaminatus*, vt contaminatos puro cruore ablueret. Agni quidem ſanguine *præcogniti ante mundi conſtitutionem* prædeſtinati ſcilicet ante tempus vllum: *manifeſtati autem nouiſſimis temporibus* (quibus viuimus) per incarnationem, vitam, mortem, reſurrectionem, & prædicationem Apoſtolorum *propter vos*, quos cultores ſuos miſerator effecit. *Qui* quidem *per ipſum fideles eſtis in Deo*, ſeu in Deum creditis: *Qui ſuſcitauit eum à mortuis, & dedit ei gloriam, vt fides veſtra, & ſpes eſſet in Deo*, ſeu vt videntes Chriſtum reſurrexiſſe, qui eſt Caput noſtrum, credatis, & ſperetis, membra illius viua, quæ per fidem & charitatem adhærent, pariter à mortuis reſurrectura in gloriam. *Animas veſtras caſtificantes*, ſeu *purificantes* (ſic Græcè) *in obedientia charitatis, in fraternitatis amore, ſimplici ex corde inuicem diligite attentius.* Græcè, *intenſè*. Ac ſi dicat: caſto, ſeu puro amore fraterno inuicem intenſe ſeruite, diligite, & obedite. *Renati* enim eſtis *non ex ſemine corruptibili, ſed incorruptibili per verbum Dei viui, & permanentis in æternum.* Reddit cauſam cur Chriſtiani debeant, fraterno amore ſe inuicem proſequi. Quia ſcilicet fratres ſunt renati ex eodem verbi Dei ſemine, ſeu Euágelij Chriſti: & vt filij & heredes conſequenter eandem ſperant cæleſtis Regni hereditatem. *Quia omnis caro vt fœnum, & omnis gloria eius tanquam flos fœni: exaruit fœnum, & flos eius decidit*, Iſai 40.6. *Verbum autem Domini manet in æternum.* Vnde ait Dominus Mat. 24.35. *Cælum, & terra tranſibunt, verba autem mea non præteribunt, Hoc eſt autem verbum quod Euangelizatum eſt in vos*, ſeu vobis. Hæc inquam Iſaiæ ſententia eſt verbum Euangelij de Chriſto, eiuſque redemptione, gratia, ſalute, & gloria quæ quidem nunc vobis prædicamus.

CAPVT II.

Hortatur fideles, vt iuxta vocationis suæ magnitudinem condignè viuant, à concupiscentiis noxiis abstinentes, dominis prauis licet obtemperantes, labores patienter sustinentes.

1. DEPONENTES igitur omnem malitiam, & omnem dolum, & simulationes, & inuidias, & omnes detractiones, 2. sicut modò geniti infantes, rationabile, sine dolo lac concupiscite, vt in eo crescatis in salutem: 3. si tamen gustastis quoniam dulcis est Dominus. 4. Ad quem accedentes lapidem viuum, ab hominibus quidem reprobatum, à Deo autem electum, & honorificatum: 5. & ipsi tanquam lapides viui superædificamini, domus spiritualis, sacerdotium sanctum, offerte spirituales hostias, acceptabiles Deo per Iesum Christum. 6. Propter quod continet Scriptura: Ecce pono in Sion lapidem summum angularem, electum, pretiosum: & qui crediderit in eum, non confundetur. 7. Vobis igitur honor credentibus: non credentibus autem, lapis quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli, 8. & lapis offensionis, & petra scandali, his qui offendunt verbo, nec credunt in quo & positi sunt. 9. Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis: vt virtutes annuntietis eius, qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen suum. 10. Qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei, qui non consecuti misericordiam, nunc autem misericordiam consecuti. 11. Charissimi, obsecro vos tanquam aduenas & peregrinos abstinete vos à carnalibus desideriis, quæ militant aduersus animam, 12. & conuersationem vestram inter gentes habentes bonam: vt in eo, quòd detrectant de vobis tanquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes, glorificent Deum in die visitationis. 13. Subiecti igitur estote omni humanæ creaturæ propter Deum: siue regi, quasi præcellenti: 14. siue ducibus, tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum: 15. quia sic est voluntas Dei, vt benefacientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam: 16. quasi liberi, & non quasi velamen habentes malitiæ libertatem, sed sicut serui Dei. 17. Omnes honorate: fraternitatem diligite: Deum timete. Regem honorificate. 18. Serui subditi estote in omni timore dominis, non tantùm bonis & modestis, sed etiam dyscolis. 19. Hæc est enim gratia, si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias, patiens iniustè. 20. Quæ enim est gloria, si peccantes, & colaphizati suffertis? Sed si benè facientes patienter sustinetis, hæc est gratia apud Deum. 21. In hoc enim vocati estis: quia & Christus passus est pro nobis; vobis relinquens exemplum vt sequamini vestigia eius. 22. qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius: 23. qui cùm malediceretur, non maledicebat: cùm pateretur, non comminabatur: tradebat autem iudicanti se iniustè: 24. qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum: vt peccatis mortui, iustitiæ viuamus: cuius liuore sanati estis. 25. Eratis enim sicut oues errantes, sed conuersi estis nunc ad pastorem & episcopum animarum vestrarum.

COMMENTARII.

1. *Hortatur fideles, vt iuxta vocationis suæ magnitudinem condignè viuant.*

VERS. 1.2.3.4.5. *Deponentes igitur, &c.*] *Omnem* itaque *malitiam* è corde deponentes, *omne dolum, & simulationes, & inuidias, & omnes detractiones*, tanquàm *modo geniti* seu recens nati infantes *lac*, seu cibum *concupiscite* non carnalem, sed spiritualem, non brutis communem, sed *rationalem*, seu rationali creaturæ proprium, non dolo, fraude, vel alicuius iniuria viciatum, sed sincerum qualem Christus filiis suis præstat. * Nonnulli de cibo Eucharistico locum interpretantur, ad cuius dignam receptionem totam illam Petrus requirit puritatem, nempe omnis malitiæ, doli, simulationis, inuidiæ, & detractionis depositionem.] Ego generaliùs accipio, scilicet de omni ali-

Quanta puritas ad Eucharistiæ receptionem.

mento

mento spirituali, quo fidelis alitur, *vt in eo crescat in salutem*, seu vitam æternam. *Si tamen* Græcè, *Si quidem gustastis* iam vsu, & probastis, *quam dulcis sit Dominus*, Græcè, *suauis, benignus, bonus, vtilis, officiosus.* * Ideò huius spiritualis cibi fame non afficimur, quia ad Dei dulcedinem percipiendam nunquam nos disposuimus.] *Ad quem accedentes lapidem viuum, ab hominibus quidem reprobatum, à Deo autem electum, & honorificatum: & ipsi tanquam lapides viui superædificamini.* A natiuitatis nouæ metaphora transit ad aliam fabricæ. Vocat Christum lapidem viuum, quia viuens est, & viuificans, vnde fideles etiam viui lapides appellantur, vt viuenti congruant fundamento. Lapis hic fuit à Iudæis reprobatus, à Deo autem electus in Ecclesiæ fundamentum: & honorificatus, cum toto orbe celeberrimum, & ab omnibus adorari Regem & Deum constituit. Igitur & ipsi tanquam viuentes lapides superædificate vos Christo fundamini per charitatem, eiusque opera, quæ fidem viuificant. Vt scilicet sitit *domus spiritalis*, seu *Templum* Domini (Syrus sic) *Sacerdotium sanctum*, seu cœtus fidelium sacerdotum, & laicorum, qui quodammodo etiam sacerdotes sint Deo bonorum operum sacrificia offerentes. * Ex qua mystica quorumdam expositione elicio probos laicos in conspectu Domini quasi pro sacerdotibus reputari.] Vnde hi possunt offerre *spirituales hostias*, seu seipsos *acceptabiles Deo per Iesum Christum*. Ideò D. Paulus Rom. 12.1. *Obsecro vos fratres: vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem.*

Ideò spirituali fame non afficimur, quia non probamus, quam dulcis sit Deus.

Probi laici à Deo quasi pro Sacerdotibus reputantur.

Vers. 6.7.8.9.10.11.12. *Propter quod continet Scriptura, &c.*] Propter hoc itaque spirituale fundamentum, & ædificium ait Isaias cap. 28.16. *Ecce pono in Sion*, seu Ierusalem *lapidem summum angularem* Christum, electum, pretiosum: & qui *crediderit in eum non confundetur*, sed ipso nitens spiritualem exsurget in domum. *Vobis igitur honor credentibus: non credentibus autem, lapis, quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli: & lapis offensionis, & petra scandali his, qui offendunt verbo, nec credunt in quo & positi sunt.* Vos, ô credentes in Christum, minimè confundemini, sed à Christo honore donabimini. Incredulis autem quid? Profectò lapis Christus qui reiectus à Iudæis factus est à Deo lapis angularis capitalis, primarius & fundamentalis Ecclesiæ: erit lapis offensionis, & petra scandali in ruinam eorum. Sicut Simeon prædixit Luc. 2.34. *Positus & hic in ruinam multorum in Israël.* Erit, inquam in ruinam his, qui *offendunt verbo*, Græcè, *qui impingunt ad verbum*, Syrus, *qui offendunt ad petram, eò quod sermoni* Euangelico *non acquiescunt.* Nec credunt iam in Christum fundamentum, in quo positi sunt per Baptismum, vt domus Dei partes essent. *Vos autem* estis ô fideles, *genus electum, regale sacerdotium*, Ecclesia enim est Regnum Christi non temporale, laicum, & profanum: sed cæleste, sacerdotale, & sacrum: *gens sancta, populus acquisitionis*, seu acquisitus Dominico sanguine. Syrus, *Congregatio redempta: Vt virtutes annuncietis eius qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen suum* Christianæ fidei, & Euangelij. * Profectò digna perfectorum fidelium gentis sanctæ, & sacerdotij regalis occupatio assidua erit Deo agere gratias, quia ad Euangelij filios illos fecit.] *Qui aliquando* itaque eratis *non populus*, nunc estis *populus Dei: qui non* fueratis hanc *misericordiam consecuti, nunc misericordiam consecuti* estis. Vnde ô *charissimi, obsecro vos, tanquam aduenas, & peregrinos abstinere vos à carnalibus desideriis, quæ militant aduersus animam*, seu vt in morem peregrinorum, qui omnia quæ vident iter agentes à se ducunt aliena, rebus huius sæculi non hæreatis, & odio prosequamini omne id quod aduersus spiritum pugnans caro concupiscit. *Conuersationem vestram inter Gentes habentes bonam*, sanctam, irreprehensibilem. *Vt in eo, quod detrectant de vobis, tanquam de malefactoribus: ex bonis operibus considerantes, glorificent Deum in die visitationis*, seu vt recta vestra opera introspicientes & annotantes à sua nequissima opinione de vobis excidant: & cum Deus dignatus fuerit visitare illos, vt ad Christi fidem accedant, illum glorificent. * Dicebant aliquando inimici Ecclesiæ Christianos esse Principum contemptores, & Deorum, vesci humanis carnibus, &c. In eorum autem defensionem Clemens Alex. Cyprianus, Iustinus, & alij perdoctè scripsere, Petrus autem hîc innuit efficaciorem Apologiam ad repellendam calumniam esse vitæ nostræ sanctitatem.]

Semper gratias Deo agere, quia Christianos fecit nos, est hominis perfectissimi dignissima occupatio.

Ad repellendas calumnias, efficacior Apologia Christiano est vitæ sanctitas.

Vers. 13.14.15.16.17.18.19. *Subiecti igitur estote, &c.*] *Omni humanæ creaturæ*, seu omnibus superioribus, quibus obedientia debetur, subditi estote *propter Deum* qui in illis imperat. * Vile enim esset homini libero hominibus subiici, nisi in illis Deum præcipientem consideraret.] *Siue Regi* obediamus, quasi præcellenti, seu collocato in regiæ potestatis fastigio: *Siuè ducibus tanquam ab eo missis*, Græcè, siue *Præsidibus, Magistratibus*, qui missi sunt à Rege, vt eius vicarij sint *ad vindictam*, seu supplicium *malefactorum*, seu contra legem delinquentium: laudem vero bonorum, seu rectè agentium. * Laus enim magna est probe viuentis in Republica, nunquam eius nomen in tribunali iudiciario exaudiri, siue in lite, siue in aliorum querela.] Quià sic est voluntas Dei, vt benefacientes, obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam, qui male de vobis iudicant, & loquuntur, quasi Principibus non obtemperetis. Quod si aliquis ex vobis obiiciat: Christus nos fecit liberos: ergò nulli Principi sæculari obedire debemus: responderim. *Quasi liberi, & non quasi velamen habentes malitiæ, libertatem:* Ac si diceret: Facti estis liberi à Christo, fateor; sed à peccato, non autem à Dei lege, nec à Principum obedientia. Nolite igitur inobedientiæ, & malitiæ vestræ Christi prætexere libertatem. Gal. 5.13. ait Paulus: *Vos in libertatem vocati estis: tantùmmodo libertatem in occasionem detis carnis.* Non sic fratres, *sed sicut serui Dei*, qui obediunt non tantum Deo, sed & Magistratibus, quos Deus sibi vicarios, nostrosque superiores ordinauit. *Omnes honorate* iuxta cuiusque statum: *fraternitatem diligite*, Christianos scilicet fratres. *Deum timete, Regem honorificate*, seu ei cum honorem impendite, qui summæ huic potestati debetur. *Serui, subditi estote in omni timore dominis* valdè illos reuerentes: *non tantum bonis, & modestis, sed etiam dyscolis*, Græcè, non tantum *æquis, benignis*, moderatis, clementibus: sed

In Prælato Deo imperanti obedimus.

Laus est eius, nunquam eius nomen in Iudicis tribunali audiri.

etiam

etiam *prauis, asperis*, difficilibus, morosis. *Hæc enim gratia, si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias, patiens iniustè.* Seu hic est enim illustris diuinæ gratiæ effectus, si propter Deum, qui tuæ patientiæ, & sæuitiæ Domini tui conscius est, vel propter Deum, eiusque fidem, quem in conscientia geris, in cuius odium dirè à domini tractaris tristitia, & acerba sustines: *Quæ enim est gloria, si peccantes, & colaphizati, suffertis?* Quam enim gloriam is assequetur, qui propter sua scelera seuerè punitur? *Sed si benè facientes, patienter sustinetis, hæc est gratia apud Deum*, Syrus, *tunc crescit gloria vestra apud Deum.*

Vers. 21.22.23.24.25. *In hoc enim vocati estis, &c.*] Ad crucem enim & patientiam estis à Deo vocati ad Christi dominorum Domini imitationem; *quia & Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius.* * Memori Dominicæ passionis nulla erit intolerabilis tribulatio.] *Qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius*, etiam cum Scribæ & Pharisæi eum capere in sermone studebant. Magnum planè Christi innocentiæ elogium, cum nec malitiosi & affectati obseruatores nihil in eo reprehensibile inuenerunt. Quando nullus hominum est adeò perfectus, vt malitiosis eius obseruatoribus aliquid vel specie reprehensibile non exhibeat.] *Qui cum malediceretur, non maledicebat: cum pateretur, non comminabatur; tradebat autem iudicanti se iniustè*, seu permittebat se à Pilato iniquè iudicari. *Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum*, pœnas scilicet peccatorum nostrorum. *Vt peccatis mortui, iustitiæ viuamus: cuius liuore sanati estis*, Græce, *cuius vulneribus*, vibicibus, plagis animi recepistis sanitatem. *Eratis enim sicut oues errantes*, seu aberrantes à salutis via, & per errorum Gentilitatis, aut phari laicarum doctrinarum, & prauorum morum præcipitia ruentes: *Sed conuersi estis* per gratiam Dei ad se vocantis, *nunc ad Pastorem, & Episcopum animarum vestrarum*, seu ad Christum qui est *Pastor bonus* Ioa. 10. 11. & Episcopus, seu speculator, dirigensque oues suas in vitam æternam.

Memori Christi passionis nulla intolerabilis erit tribulatio.

Vix inuenies virum adeò perfectum, in quo malitiosi eius obseruatores aliquid reprehensibile nō inueniant.

CAPVT III.

Maritis, & vxoribus monita propria indicit. Et omnes fideles ad cunctarum virtutum exercitamenta adhortatur.

1. SIMILITER & mulieres subditæ sint viris suis: vt & si qui non credunt verbo, per mulierum conuersationem sine verbo lucrifiant, 2. considerantes in timore castam conuersationem vestram. 3. Quarum non sit extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus: 4. sed qui absconditus est cordis homo, in incorruptibilitate quieti & modesti spiritus, qui est in conspectu Dei locuples. 5. Sic enim aliquando & sanctæ mulieres, sperantes in Deo, ornabant se, subiectæ propriis viris. 6. Sicut Sara obediebat Abrahæ, dominum eum vocans: cuius estis filiæ benefacientes, & non pertimentes vllam perturbationem. 7. Viri similiter cohabitantes secundùm scientiam, quasi infirmiori vasculo muliebri impartientes honorem, tanquam & coheredibus gratiæ vitæ: vt non impediantur orationes vestræ. 8. In fine autem, omnes vnanimes, compatientes, fraternitatis amatores, misericordes, modesti, humiles. 9. non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, sed è contrario benedicentes: quia in hoc vocati estis, vt benedictionem hereditate possideatis. 10. Qui enim vult vitam diligere, dies videre bonos, coërceat linguam suam à malo, & labia eius ne loquantur dolum. 11. Declinet à malo, & faciat bonum: inquirat pacem, & sequatur eam: 12. Quia oculi Domini super iustos, & aures eius in preces eorum: Vultus autem Domini super facientes mala. 13. Et quis est qui vobis noceat: si boni æmulatores fueritis? 14. Sed & si quid patimini propter iustitiam, beati. Timorem autem eorum ne timueritis, & non conturbemini. 15. Dominum autem Christum sanctificate in cordibus vestris, parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quæ in vobis est, spe. 16. sed cum modestia, & timore, conscientiam habentes bonam: vt in eo, quod detrahunt vobis, confundantur, qui calumniantur vestram bonam in Christo conuersationem. 17. Melius est enim benefacientes (si voluntas Dei velit) pati, quàm malefacientes. 18. quia & Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, iustus pro iniustis, vt nos offerret Deo, mortificatus quidem carne,

ne, viuificatus autem spiritu. 19. In quo & his, qui in carcere erant, spiritibus
veniens prædicauit: 20. qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant
Dei patientiam in diebus Noë, cùm fabricaretur arca: in qua pauci, id est, octo ani-
mæ saluæ factæ sunt per aquam. 21. Quod & vos nunc similis formæ saluos facit
baptisma: non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum
per resurrectionem Iesu Christi, 22. qui est in dextera Dei deglutiens mortem vt
vitæ æternæ heredes efficeremur: profectus in cælum? subiectis sibi angelis, & pote-
statibus, & virtutibus.

COMMENTARII.

1\. *Maritis & vxoribus propria monita indicit.*

VERS. 1.2.3.4.5.6. *Similiter & vxoribus, &c.*] Loquutus fuerat de seruorum obedientia & subiectione erga dominos suos, & pergit ad vxorum subiectionem ad maritos, & ideo ait: *Similiter* (sua seruata proportione) *mulieres subditæ sint viris suis* quæ coniugale ius exigit, aut permittit: vt mariti *si qui nondum credunt verbo* Euangelij, *per mulierum* gratiosam *conuersationem*, & submissionis modestiam, etiam *sine verbo* prædicationis *lucrifiant*, & Ecclesiæ addicantur. * Profectò sæpe vxorum vitæ sanctitas efficacior est ad maritos ad virtutem adducendos, quam feruens prædicatio verbi; illæ enim exemplo prædicant ad suadendum efficaciori.] *Considerantes castam*, & innocentem conuersationem vestram ô vxores, *cum timore*, ac reuerentia, amore, & cultu solent mariti vestri à Deo auersi, ad illum adduci. Annon sic Monica Patricium, Cecilia Valerianum, Clotildis Clodouæum, & Natalia Adrianum lucrifecit? At eæ vxores maritos ad virtutem allicient. *Quarum non sit extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus:* id est, quarum ornatus sit non externus, qui situs est in plicatura capillorum, aut in circumpositione auri, gestando vestes, auro intextas, monilia, &c. aut in amictu profano, quem mulierum abusus nouum quotidie profert, quo maritorum opes exhauriuntur: *Sed qui absconditus est cordis homo, incorruptibilitate quieti, & modesti spiritus, qui est in conspectu Dei locuples*, seu sed interior mens & animus virtutibus ornetur, in hoc enim sistit interioris hominis ornatus. Porrò huiusmodi spiritus quietus, modestus, incorruptus in Dei conspectu est admodum locuples; quia super terrena se eleuans, Deum possidet. *Sic enim aliquando & sanctæ mulieres sperantes in Deo*, & consequenter diligentes eum *ornabant se, subiectæ propriis viris*, seu minime studentes alienis placere. * Proprius enim vir ex ornatu externo non amat vxorem, sed ex subiectionis & modestiæ interno animi amictu.] *Sicut Sara obediuit Abrahæ, dominum eum vocans*, eum è patria Chaldæa abeuntem sequuta, relictis parentibus & cognatis, *cuius estis filiæ benefacientes.* Syrus, seu *in operibus bonis.* Scilicet imitando Saræ in cultu corporis modestiam, in pauperes munificentiam. Hisce virtutibus vos Saræ esse filias comprobatis. * Filius enim nequitia infectus proborum parentum mendaciter dicitur esse filius.] *& non*

Sanctitas vxoris efficacius solet maritum ad virtutem allicere, quam prædicatio.

Vir nō amat vxorem ob externum ornatū, sed ob virtutum internum.

Prauus filius iusti parentis mendaciter dicitur illius filius esse.

pertimentes vllam perturbationem. Si quæ existant domi perturbationes, moderate, ac fortiter ferantis vestra prudentia mariti iram mitigando. * Nec enim vociferationibus immodestis vxor viri iracundiam extinguit, sed magis accendit.]

Non extinguit vxor iram mariti vociferando, sed sufferendo.

Vers. 7.8.9.10.11.12.13.14.15.16.17. Viri similiter, &c.] Viri similiter *cohabitantes secundum scientiam, quasi infirmiori vasculo muliebri impartientes honorem, tanquam & coheredibus gratiæ vitæ* Viri ne ab vxoribus seu domo, seu thoro separentur: sed illis cohabitent iuxta regulas prudentiæ, quæ dictat viro, vt infirmitati fragilioris sexus se debeat accommodare, & vxori tanquam sociæ debitum honorem deferre. Esto enim vxor qualitatibus naturæ & sexus sit viro impar, tamen gratia & vocatione sunt pares, vocata scilicet vxore ad eandem vitæ gratiam, seu beneficium vitæ æternæ hereditandum. * Illa particula *infirmiori vasculo* non tam corpus muliebre signatur (quod asserit Doctor Angelicus) sed ipsa mulier; quia idiotismo Hebraico omne adiutorium *vas* assolet vocitari: & mulier viri est *adiutorium* Gen. 2. Porro mulieres infirmæ sunt tum corporis constitutione, tum animo, iudicio, industriaque & prudentia ad res gerendas.] Honorate, inquam, ô mariti vxores, *vt non impediantur orationes vestra* ob iurgia quæ nascuntur inter coniuges; si vxor à viro non honoretur.* Orationis exercitium animum requirit ab omni prauo affectu repurgatum. Vnde vna in sede morari non possunt oratio & ira.] *In fine autem.* Græcè, *Ad extremum* in summa: *Omnes vnanimes* estote, seu eiusdem animi & mentis: *compatientes* cum iis, qui patiuntur: *fraternitatis amatores* seu fraternæ charitatis: *misericordes: modesti: humiles: non reddentes malum pro malo:* nec maledictum *pro maledicto; sed è contrario benedicentes iis*, qui vobis male precantur: vituperia laudibus compensantes. * Ex eis enim, qui nos iniuria afficiunt, beneficium patientiæ præmio æterno donandæ accipimus.] *Quià in hoc vocati estis, vt benedictionem hereditate possideatis.* Seu ad hoc vocati estis, vt per iniuriarum tolerantiam, maledicentibus scilicet benedicendo, Dei benedictionem tum per gratiam in præsenti, tum futuram per gloriæ possessionem recipiatis. * Preme particulam: *In hoc vocati estis.* Certè qui vocatur ad gloriam consequenter ad sufferentiam laborum vocatur? hæc enim *est via*, qua iustis Dei salutare ostenditur.] *Qui enim vult vitam diligere, & dies videre bonos:* Qui optat vitam vel in hoc sæculo longam, ac felicem, & in futuro beatam possidere: *coërceat linguam suam à malo*, seu ab omni linguæ piaculo: *& labia eius nè loquantur dolum.*

Mulier infirmum est corpore & animo vasculum.

Oratio requirit animū ab omni prauo affectu repurgatum.

Beneficium accipis ex eo, qui te iniuria afficit.

Qui vocatur ad gloriā, consequēter ad labores sufferendos vocatur.

Declinet à malo, & faciat bonum: inquirat pacem cum Deo, secum, & cum proximis: *& sequatur eam.* Græcè, *persequatur*, seu quasi fugientem insectetur, & conetur apprehendere. * Facilè enim pax solet aufugere, & sine pace nulla hîc potest felicitas stabiliri.] *Quia oculi Domini super iustos, & aures eius in preces eorum*, seu Dominus paternis oculis aspicit iustos: & eorum preces exaudit, eis quæ munificus respondet. *Vultus autem Domini* iratus & minax *super facientes mala. Et quis est, qui vobis noceat, si boni æmulatores fueritis? Boni* est genitiui casus hoc sensu: Ab omni molestia immunes eritis. Si quæ bona sunt, & grata Deo semper studueritis æmulari, & efficere. * *Sed & si quid patimini propter iustitiam*, quia iusti, quia Christiani *beati* estis. Christus enim dixit. Mat. 5. 10. *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam.*] *Timorem autem eorum ne timueritis, & non conturbemini*, seu terrorem, minas eorum, qui vos diuexant ob iustitiam omninò repellite, Deo vtique protectore. *Dominum autem Christum sanctificate in cordibus vestris, parati semper ad satisfactionem*, seu prompti infidelibus fidei vestræ rationem reddere intrepidè; *& omni poscenti vos rationem de ea, quæ in vobis est, spe*, seu de fide vestra, quæ bona cælestia speranda proponit. *Sed* tamen interrogantibus vos rationem reddite *cum modestia & timore*, seu reuerenter, non arroganter, ac sine vrbanitate. Non autem ideò velim vos animo cadere: sed *conscientiam habentes bonam*, intrepidè respondere. * Bona enim conscientia nihil timet, & efficaciam dat defensioni.] *Vt eo, quod detrahunt vobis, confundantur, qui calumniantur vestram in Christo conuersationem*, seu vt obloquuntur de vobis tanquam de malefactoribus confusione afficiantur, & pudeat illos mendaciorum, quæ contra vos spargunt.

Sine pace nullum bonum, nulla felicitas.

Laborum beatitudo.

Bona conscientia nihil timet, & vim dat sermoni.

Vers. 18. 19. 20. 21. 22. *Melius est enim, &c.*] Est quidem melius (si *voluntas Dei velit*,) *benefacientes pati: quam malefacientes.* Illud enim est iustitiæ præmium: hoc malitiæ supplicium. *Quia & Christus semel pro peccatis nostris mortuus est: iustus pro iniustis.* Particulam *semel* Dominicæ passionis denotat efficaciam, cum semel tantum exhibita omnium hominum crimina cuncta deleuit. Mortuus autem est, vt nos iam à se redemptos, purificatos, & sanctificatos *Deo offerret mortificatus quidem carne*, seu corpore mortuus: *viuificatus autem spiritu*; quando Christi anima corpus repetente, à mortuis resurrexit. *In quo & his, qui in carcere erant, spiritibus veniens prædicauit.* In quo spiritu seu anima ad limbum descendit, & his, qui inibi aderant quasi vinctis spiritibus prædicauit, antiquam eorum incredulitatem arguens: *qui increduli fuerant aliquando.* Eos intelligit Petrus incredulos, qui Noë non crediderunt peccata corripienti, & diluuium minitanti: postea verò cum re ipsa aspexere diluuium; tunc compuncti, & pœnitentes mentem, & vitam correxerunt. Hinc D. Hieronymus opinatur multos eorum, qui diluuio fuere submersi, animo minimè periisse. Mortis enim aspectus potentissimus est ad peccatorum reductionem.] Increduli itaque fuerant, *quandò expectabant Dei patientiam in diebus Noë, cum fabricaretur arca.* Seu quando qui credebant, expectabant, vt Dei patientia peccatis, & incredulitate prouocata tandem sceleribus vinceretur, & per diluuium erumperet in vindictam. Perfecta demum post tot Dei patientiæ annos fuit arca, *in qua pauca, id est, octo animæ saluæ factæ sunt per aquam* reliquis hominibus pereuntibus. *Quod & vos nunc similis formæ factos facit Baptisma.* Quemadmodum vero illæ octo animæ per aquam salux factæ fuere: & num saluos nos efficit Baptismi aqua, si est externè similis formæ: *non carnis depositio sordium sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum per resurrectionem Iesu Christi*: id est, Baptismus nos saluos facit, non quatenus est carnis seu corporis ablutio, vt ex ea sordes eluat: sed quatenus est animæ lauacrum. Baptismus enim conscientiam pessimam licet reddit bonam adeò, vt ipsa audeat interrogari à Deo, eiusque tribunali iudiciario confidenter sistar, non metuens damnationem: sed intrepide ad interrogata audens respondere. Hanc autem vim conscientiam bonam efficiendi habet Baptismus per passionem, *& resurrectionem Iesu Christi, qui est in dextera Dei deglutiens mortem*, seu postquam mortem suam & nostram moriens & resurgens aboleuit: & vitæ æternæ heredes efficeremur: *profectus in cælum, subiectis sibi Angelis, & Potestatibus & Virtutibus*, seu super omnes Angelorum choros euectus.

Mortis aspectus potentissimus est ad peccatorum reductionem.

CAPVT

CAPVT IV.

Vt Christo passo se conforment, abdicantes vitia, virtutes amplectentes fideles hortatur.

1. CHRISTO igitur passo in carne, & vos eadem cogitatione armamini: quia qui passus est in carne, desiit à peccatis: 2. Vt iam non desideriis hominum, sed voluntati Dei, quod reliquum est in carne viuat temporis. 3. Sufficit enim præteritum tempus ad voluntatem Gentium consummandam, his qui ambulauerunt in luxutiis, desideriis, vinolentiis; comessationibus, potationibus, & illicitis idolorum cultibus. 4 In quo admirantur non concurrentibus vobis in eamdem luxuriæ confusionem, blasphemantes. 5. Qui reddent rationem ei, qui paratus est iudicare viuos & mortuos. 6. Propter hoc enim & mortuis Euangelizatum est: vt iudicentur quidem secundùm homines in carne, viuant autem secundùm Deum in Spiritu. 7. Omnium autem finis appropinquauit. Estote itaque prudentes, & vigilate in orationibus. 8. Ante omnia autem, mutuam in vobismetipsis charitatem continuam habentes: quia charitas operit multitudinem peccatorum. 9. Hospitales inuicem sine murmuratione. 10. Vnusquisque, sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei. 11. Si quis loquitur, quasi sermones Dei: si quis ministrat, tanquam ex virtute, quam administrat Deus: vt in omnibus honorificetur Deus per Iesum Christum: cui est gloria, & imperium in sæcula sæculorum: Amen. 12. Charissimi, nolite peregrinari in feruore, qui ad tentationem vobis fit, quasi noui aliquid vobis contingat. 13. Sed communicantes Christi passionibus gaudete, vt & in reuelatione gloriæ eius gaudeatis exultantes. 14. Si exprobamini in nomine Christi, beati eritis: quoniam quod est honoris, gloriæ, & virtutis Dei, & qui est eius Spiritus, super vos requiescit. 15. Nemo autem vestrûm patiatur vt homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor. 16. Si autem vt Christianus, non erubescat: glorificet autem Deum in isto nomine. 17. quoniam tempus est vt incipiat iudicium à domo Dei. Si autem primùm à nobis: quis finis eorum, qui non credunt Dei Euangelio? 18. Et si iustus vix saluabitur, impius & peccator vbi parebunt? 19. Itaque & hi, qui patiuntur secundùm voluntatem Dei, fideli Creatori commendent animas suas in benefactis.

COMMENTARII.

1. *Hortatur Petrus fideles, vt Christo passo se conforment.*

VERS. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. *Christo igitur passo in carne, &c.*] Christo itaque Domino tàm piè, tam misericorditer, pro vobis *passo*, & cruci suffixo, vt vos à peccatis expediret: *vos quoque eadem*, seu simili *cogitatione*, & animali affectu, animique resolutione *armamini*, vt velitis vitia vestra pari modo crucifigere amore Christi, & si id fiat cum carnis dolore, & afflictione. *Quia qui*, instar Christi, *passus, & crucifixus est*, carnem suam cruci suffigendo cum vitiis, & concupiscentiis, iam *desiit*, & abstinet à peccatis. *Vt* deinceps, etsi in carne viuat, *non* tamen *viuat*, aut seruiat *desideriis hominum*, seu passionibus corrupti cordis humani; *sed viui. voluntati*, & legi *Dei*, vt ei tanquam Reginæ suæ in cunctis obtemperet: *quod reliquum est in carne viuat temporis*. Seu vt reliquum temporis, quo viuet spirituali viuendi rationi impendat, sufficit enim, quod omne *præteritum* vitæ *tempus* impenderitis obsequio carnis, & vitiorum, *ad consummandam*, seu complendam *voluntatem Gentium*, sed desideria profanorum Gentilium perpetuò in carnalibus sordibus volutantium. Sufficit, inquam, *his qui ambulauerunt in luxuriis, desideriis, vinolentiis, comessationibus, potationibus, & illicitis idolorum cultibus.* * Quod quidem dixerim iis, qui ad senectutem vsque voluptatibus seruiere: sufficit vobis tot annis concupiscentiis indulsisse, saltem arida ossa prælapsorum criminum pœnitudini impendite.] *In quo* cum vident Gentiles, qui ad fidem venire detrectant vos adeò virtuti addictos, *admirantur non concurrentibus vobis*, seu quod non concurratis in eandem luxuriæ confusionem; non tamen imitantur, sed *blasphemantes*, vestram viuendi rationem quasi sibi impossibilem, & studiis suis contrariam reiiciunt, & contemnunt. *Qui* quidem *reddent* huius blaspemiæ *rationem*

Corripiuntur, qui adhuc in senectute voluptatibus seruiunt.

si non hîc, certè in altera vita *ei, qui paratus est iudicare viuos & mortuos* Christo Iesu. Qui quidem iudicaturum se esse viuos & mortuos, dedit specimen aliquod, imo initium illius sui iudicij, quando statim à morte secundum animam descendit ad inferos, ibique *Euangelizatum est*, seu euangelizauit patribus mortuis, Prophetis, aliisque iustis ad id vsque tempus in limbo reclusis, afferens illis pro vita piè ante peracta lætissimum æternæ beatitudinis præmium, ità *vt licet illi secundum homines*, seu ab hominibus mundanis *iudicentur*, & æstimentur mortui esse *in carne* & plene interiisse (secundum Epicureorum sententiam) ideoque stulti fuisse, quod dum viuerent, carnis voluptates spreuerint; tamen re vera, *viuant spiritu*, seu anima *secundum Deum. Omnium autem* hominum siue piorum, siue impiorum *finis appropinquauit*, seu mors & iudicium in propinquo est. *Estote itaque prudentes: & vigilate in orationibus. Prudentes* scilicet, ne repente veniente sponso, cum stultis virginibus pereatis. Stultus enim est, qui non vigilat. Iudicem cælestem semper spectans.]

Stultus est qui non semper Iudicem cœlestẽ spectat.

Vers. 8.9.10.11.12.13.14. *Ante omnia autem &c.*] Primum autem omnium mutuã in vobismetipsis, Græcè, *in vos*, seu inter vos inuicem colite *charitatem continuam*, cordialem, intensam, vehemẽtem, *Quia charitas* huiusmodi *operit multitudinem peccatorum* tum propriorum, tum alienorum. Charitas enim proximi propter Deum vt animam sanctificat, ita eam à peccatis expurgat. Operit etiam & tegit, excusat, condonat proximi offensas. * Addiderim ità etiam charitatem eorum quos diligis, peccata operire, vt nec tibi vllum sit manifestum. Omnes enim amati defectus tibi quasi specie virtutis præsentantur.] Vulgare Hispanum prouerbium. *Quien à feo ama hermoso le parece*. Imo sacrum hoc prouerbium dixerim esse. *Vniuersa delicta operit charitas* Prou. 10. 12.] *Hospitales inuicem sine murmuratione.* Excludit murmurationem ab hospitalitate. Assolent enim qui auaritia afficiuntur queri de hospitum multitudine, diuturnitate, edacitate, ingratitudine. * Charitatis veræ hospitalitas ab omni est murmuratione abstracta.] *Vnusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei.* Ac si dicat: Dona & talenta vobis à Deo collata in proximorum vtilitatem exponite: nec enim huiusmodi talentorum multiformis gratiæ Dei, qui variis varia partitur, tam domini estis, quam administratores. * Qui ergò talentum à Deo acceptum doctrinæ, prædicationis, &c. ad proximorũ salutem non impendit, sed sibi retinet, furem se ostendit, non dispensatorem.] *Si quis loquitur, quasi sermones Dei*, seu Deo digna & viro Christiano agnatum proferat sermonem. *Si quis ministrat, tanquam ex virtute, quam administrat Deus.* Si cui aliquod ministerium creditum est in Ecclesia, v. gr. Sacramentorum administratio, eleemosynarum diuisio, &c. non tantum fideliter, non acceptando personas, sed se exerant strenuè, valenter, generosè: scientes se esse Dei ministros, & ab eo agi, regi, ac protegi. *Vt in omnibus honorificetur Deus per Iesum Christum*, seu qui per Christi merita hæc dona suis ministris elargitur. *Cui* quidem tam Deo quam Christo est gloria in sæcula sæculorum. Amen. *Charissimi; nolite peregrinari in feruore, qui ad tentationem vobis fit.* Græcè, *nolite admirari*, nec videatur vobis res noua, & peregrina, cum *in feruore*. Græcè, *in vstione* tribulationis probamini velut aurum per ignem: quæ quidem vstio *ad tentationem vobis fit*, seu est, siue ad exercendam virtutem ac constantiam vestram: *quasi noui aliquid vobis contingat.* * Non enim est nouum, & peregrinum pios tentari, tribulationibusque exerceri: imo agnata est iustitiæ sustinentia laborum.] *Sed communicantes Christi passionibus gaudete.* Seu exultate, cum vobis contigerit, passionis Christi esse participes: *vt & in reuelatione gloriæ eius gaudeatis exultantes*, seu vt exultetis, cum diuina eius gloria palam omnibus in extremo iudicio apparebit *Si exprobramini in nomine Christi*, seu quia Christiani estis: *beati eritis: quoniam quod est honoris, gloriæ, & virtutis Dei, & qui est eius spiritus, super vos requiescit.* Seu quia gloria, virtus, & spiritus Dei super vos requiescens, vos quidem ad heroïcam patientiam obarmat.

Peccata eorum quos diligis, tibi quasi specie virtutis præsentantur.

Charitatis hospitalitas est sine murmuratione.

Qui talentum à Deo acceptum ad proximorum salutem non expendit, ille est fur, non dispensator.

Agnata est iustitiç laborum sustinẽtia.

Vers. 15.16.17.18.19. *Nemo autem vestrum, &c.*] Nullus vestrum Iudicum potestate plectatur, quod sit *homicida, aut fur, aut maledicus*. Græcè, *malefactor, aut alienorum appetitor*, seu quia ad res alienas cupidos adiiciat oculos, & consequenter cupiditate victus illas inuadat. *Si autem vt Christianus* patiatur, addicatur vinculis, capitis damnationem excipiat: *non erubescat: sed Deum glorificet in isto nomine*, seu alacriter patiatur, & Deo gloriam moduletur, quia dignum eum fecit pro Iesu nomine dira pati. * Tam insigne enim Dei beneficium est, nos eius causa sustinere labores, vt nos ad gratiarum actionem continuam impellat.] *Quoniam tempus est, vt incipiat iudicium à domo Dei.* Iudicium hic non condemnationem, seu examinationem significat cum punitione aliqua, & tribulatione salutari, vt expurgetur Ecclesia, erudiatur, & perficiatur. Tempus itaque commodum est, vt Index suam primus examinet, quam alienam. * Erudiuntur hinc Iudices debere prius familiam suam à vitiis repurgare, si velint vtiliter ciuibus rectè viuendi præscribere leges.] *Si autem primum à nobis, quis finis eorum, qui non credunt Dei Euangelio?* Si Deus suos fideles, & sanctos ita iudicat, examinat scilicet, & exercet: quid expectent ab eo infideles, quæ pœna, qui finis illos maneat? *& si iustus vix* seu cum labore, molestia, per multas tribulationes incedens, *saluabitur: impius & peccator, vbi parebunt?* qui locus eos excipiet? Annon tartarus? *Itaque & hi, qui patiuntur secundum voluntatem Dei, fideli Creatori commendent animas suas in benefactis.* Cum igitur vix iustus saluabitur, & nonnisi per multas tribulationes: par est, vt qui patiuntur, Deo se commendent, tum vt verè suggerat ad patiendum: tum vt difficilem agonem vitæ sine salutis periculo obeant. Securi autem erunt, si continuò secundum Dei voluntatem viuentes rectis operibus studeant.

Pro Deo pati tantum beneficium est, vt nos ad gratiarum actionem impellat.

Iudex propriæ domus vitia reformet; si velit alienis leges præscribere rectè viuendi.

CAPVT

CAPVT V.

Pastoribus Ecclesiæ, adolescentibus, cunctisque fidelibus apposita eorum statui monita suggerit.

1. SENIORES ergo, qui in vobis sunt, obsecro consenior & testis Christi passionum: qui & eius, quæ in futuro reuelanda est, gloriæ communicator: 2. pascite qui in vobis est gregem Dei, prouidentes non coactè, sed spontaneè secundùm Deum: neque turpis lucri gratia, sed voluntariè: 3. neque vt dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo. 4. & cùm apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcescibilem gloriæ coronam. 5. Similiter adolescentes subditi estote senioribus. Omnes autem inuicem humilitatem insinuate, quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. 6. Humiliamini igitur sub potenti manu Dei, vt vos exaltet in tempore visitationis: 7. Omnem sollicitudinem vestram proiicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis. 8. Sobrij estote, & vigilate: quia aduersarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret: 9. Cui resistite fortes in fide: scientes eandem passionem ei, quæ in mundo est, vestræ fraternitatis fieri. 10. Deus autem omnis gratiæ, qui vocauit nos in æternam suam gloriam in Christo Iesu, modicum passos in se perficiet, confirmabit, solidabítque. 11. Ipsi gloria, & imperium in sæcula sæculorum: Amen. 12. Per Syluanum fidelem fratrem vobis, vt arbitror, breuiter scripsi: obsecrans & contestans, hanc esse veram gratiam Dei, in qua statis. 13. Salutat vos Ecclesia, quæ est in Babylone collecta, & Marcus filius meus. 14. Salutare inuicem in osculo sancto. Gratias vobis omnibus qui estis in Christo Iesu. Amen.

COMMENTARII.

1. *Pastores Ecclesiæ sui muneris admonet.*

VERS. 1.2.3.4. *Seniores, &c.*] Seniores *ergo, qui in vobis sunt* tum ætate, tum dignitate & sacerdotio siue minori, vt Sacerdos simplex, siue maiori, vt Episcopus, *obsecro*, Græcè, *hortor.* * Exhortatio enim & admonitio tam modesta debet esse, & vrbana, vt obsecratio possit appellari.] Seniores, inquam, ego *consenior*, Syrus, *presbyter socius* vester, *& testis Christi*, passionum (passioni enim Dominicæ interfuerat) *qui & eius, quæ in futuro reuelanda est gloriæ communicator*, seu quique diuinæ gloriæ, quæ aliquando cunctis est reuelanda, particeps fui, cum in monte Tabor Christum transfiguratum aspexi: hæc obsecrans hortor, *Pascite qui in vobis est, gregem Dei*, seu regite fideles vestræ curæ commissos: *prouidentes non coactè, sed spontaneè secundum Deum.* Græcè, *super speculantes*, superintendentes non inuitè, non ægrè, sed spontaneè, sed alacriter, sed strenuè gregi commisso, illum spirituali cibo pascendo iuxtà Dei voluntatem: *neque turpis lucri gratia, sed voluntariè*, adhibentes scilicet eam diligentiam & promptitudinem, quam affecta voluntas assolet adhibere, & non ob aliquam temporalem commoditatem. * Quodlibet enim lucrum acceptum ob prædicationem Euangelij *turpe* ad modum est.] * *Voluntariè* dixit appositè. Nam affecta voluntas ad aliquod opus, impensè, constanter, efficaciter illius perfectioni studet.] *Neque vt dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo.* Haud imperiosè Ecclesiam, quæ est clerus, seu sors & hæreditas Domini, regatis. (Potest etiam per *clerum* peculiariter intelligi clericorum ordo, cui Episcopi præsunt.) Sed ita vos in vitæ ratione exhibete, vt forma & exemplar subditis verè & sincere sine fictione, illi hilariter vos imitentur, nec sit necessarium eos imperiosè monere. * Exemplum enim Præsulis subditis esse assolet fortius imperio, monito efficacius, correptione vtilius.] *Et cum apparuerit Princeps pastorum, percipietis immarcescibilem gloriæ coronam.* Cum Christus *Pastor bonus* Ioan. 10. 11. pastorum Princeps Episcoporum summus Pontifex singulorum particulari iudicio ostendetur sollicitudinis vestræ præmium recipietis.

Exhortatio tam Vrbana sit, vt obsecratio videatur.

Turpe est lucrũ acceptũ ob prædicationem Euãgelij.

Voluntas affecta ad opus, illud efficaciter exequitur.

Exemplum Præsulis fortius est correptione, ad subditos virtuti addicendum.

2. *Verſ. 5.6.7.8.9, Similiter adolescentes*, Græcè, *iuniores*, qui vel ætate, vel muneris gradu senioribus subestis, *subditi estote senioribus. Omnes autem inuicem humilitatem insinuate*, seu intrà sinum vestrum fouete, vt sit ex animo, non ex fuco submissio. *Quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam*, seu contra superbos pugnax exsurgit: humilibus suæ gratiæ dona excelsa largitur. *Humiliamini igitur sub potenti manu Dei*, ne suam potentiam ad vestram superbiam contundendam exerat: *vt vos exaltet in tempore visitationis*, seu cum præmia largiturus appareat. *Omnem solicitudinem vestram proiicien-*

Singulis fidelibus agnatā statui virtutem commendat.

tes in eum. Nihil de rebus vestris solliciti sitis, dum enim sub potenti manu Dei humiliamini, manus ipsa potentissima vos largitet necessario victu donabit, fancte Dauide: *Iacta cogitatum tuum in Domino, & ipse te enutriet.* Psal. 54.23. * Nec enim vnquam Dei famulis necessaria ad victum, & indumentum defuere, nisi aliquando modica fides diuinæ obturet fontem largitatis.] *Quoniam ipsi cura est de vobis*, dum vobis cura est de ipsi placendo. *Sobrij estote, & vigilate*, Græcè, *prouidè, & cautè vos gerite.* * In Latina autem lectione aptè duo hæc verba iunguntur, *Estote sobrij, & Vigilate* Sobrietas enim mater est vigiliæ: sicut crapula somnij.] *quia aduersarius vester diabolus*, qui de salute animæ nostræ nobiscum litigat, *tanquam leo rugiens circuit*, seu circumambulat assiduè, *quærens quem deuoret*, seu ad tartara trahat. *Cui resistite fortes in fide:* Græcè, *obfirmati, solidi.* Hanc namque fidei firmitatem diabolus nobis infirmare conatur, vt ea destituti, facilè illius laqueis implicemur. *Scientes eandem passionem ei, quæ in mundo est, vestra fraternitati fieri.* Græcè, *easdem passiones*, resistite diaboli tentaminibus, scientes similes tentationes, & persecutiones sustinere vestros fratres, siue Christianos, qui in variis mundi plagis commorantur. Ad Dei enim gloriam & animorum salutem Christiani instituti crux & laborum sustinentia est pedissequa.]

Dei famulis non defuere vnquam necessaria ad vitam subsidia.

Sobrietas mater est vigilantiæ.

Christiani instituti pedissequa est laborũ sustinentia.

Vers. 10.11.12.13.14. *Deus autem omnis gratia, &c.*] *Deus* verò, ô fratres, *omnis gratiæ* auctor, & largitor, *qui vocauit nos in æternam suam gloriam in Christo Iesu*, seu vt per Christi merita eius æternæ felicitatis essemus participes, *modicum passus ipse perficiet*, paucis & non diuturnis afflictionibus actos non demùm perfectos esse efficiet. * Ad perfectionem enim valde confert laborum sustinentia.] *confirmabit, solidabitque*, seu in dies magis ac magis faciet in fide ac virtute constantes. *Ipsi* debetur, *gloria & imperium in sæcula sæculorum. Amen. Per Siluanum fidelem fratrem vobis, vt arbitror, breuiter scripsi.* Vel significat, se Epistolam Siluano dictasse, vel perferendam ad illos dedisse. Hic Siluanus est Silas, cuius in Actis Apost. frequenter fit memoria: *obsecrans, & contestans, hanc* fidem, & religionem, Dei quidem *gratiam*, seu quam Dei gratia complexi estis, & *in qua statis*, seu constanter persistitis, veram esse ad æternæ salutis viam. *Salutat vos Ecclesia, quæ est in Babylone collecta*, seu in Roma, quam Babylonem vocat ob magnificentiæ similitudinem: & speciatim *Marcus filius meus* ita Euangelistam vocat, quia eum sua fide ac doctrina imbuerat., *Salutate inuicem in osculo sancto. Gratia vobis omnibus, qui estis in Christo Iesu. Amen.*

Ad perfectionem valde confert laborum sustinentia.

EPISTO

EPISTOLA
BEATI PETRI APOSTOLI
Secunda.

CVm anno trigeſimo-ſeptimo à morte Chriſti, Imperij Neronis decimo-tertio, vitæ Apoſtoli vltimo; eſſet in carcere Mamertino, in quo nouem vltimos vitæ menſes exegit: hanc ſcripſit Epiſtolam Romæ, circiter viginti-quatuor annis poſt primam: occaſione Simonis Magi, eiúſque ſequacium hæreticorum aduerſus Chriſtum inſurgentium.

CAPVT I.

Docet, per Chriſtum (quem mirificè extollit) præclara nobis dona cælitus obtigiſſe: Vnde par eſſe, vt abſtracti ab omnibus vitiis acquirendis ſtudium impendamus.

1. SIMON Petrus, ſeruus & Apoſtolus Ieſu Chriſti, iis
qui coæqualem nobiſcum ſortiti ſunt fidem in iuſtitia Dei
noſtri, & Saluatoris Ieſu Chriſti. 2. Gratia vobis & pax
adimpleatur in cognitione Dei, & Chriſti Ieſu Domi-
ni noſtri: 3. quomodo omnia nobis diuinæ virtutis ſuæ,
quæ ad vitam & pietatem donata ſunt, per cognitionem
eius, qui vocauit nos propria gloria & virtute, 4. per
quem maxima & pretioſa nobis promiſſa donauit: vt per hæc efficiamini di-
uinæ conſortes naturæ: fugientes eius, quæ in mundo eſt, concupiſcentiæ cor-
ruptionem. 5. Vos autem curam omnem ſubinferentes, miniſtrate in fide ve-
ſtra virtutem, in virtute autem ſcientiam, 6. in ſcientia autem abſtinen-
tiam, in abſtinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem, 7. in pie-
tate autem amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis charitatem.
8. Hæc enim ſi vobiſcum adſint, & ſuperent; non vacuos, nec ſine fructu
vos conſtituent in Domini noſtri Ieſu Chriſti cognitione. 9. Cui enim non
præſtò ſunt hæc, cæcus eſt, & manu tentans, obliuionem accipiens purgationis
veterum ſuorum delictorum. 10. Quapropter, fratres, magis ſatagite, vt per
bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis: hæc enim facien-
tes, non peccabitis aliquando. 11. Sic enim abundanter miniſtrabitur vobis in-
troitus in æternum regnum Domini noſtri, & Saluatoris Ieſu Chriſti. 12. Prop-
ter quod incipiam vos ſemper commonere de his; & quidem ſcientes & confirma-
tos vos in præſenti veritate. 13. Iuſtum autem arbitror quamdiu ſum in hoc ta-
bernaculo, ſuſcitare vos in commonitione: 14. certus quòd velox eſt depo-
ſitio tabernaculi mei, ſecundùm quod & Dominus noſter Ieſus Chriſtus ſigni-
ficauit mihi. 15. Dabo autem operam & frequenter habere vos poſt obitum
meum, vt horum memoriam faciatis. 16. Non enim doctas fabulas ſecuti, no-
tam fecimus vobis Domini noſtri Ieſu Chriſti virtutem & præſentiam: ſed ſpecula-
tores facti illius magnitudinis. 17. Accipiens enim à Deo Patre honorem & glo-
riam, voce delapſa ad eum huiuſcemodi à magnifica gloria: Hic eſt Filius meus di-
lectus,

lectus, in quo mihi complacui, ipsum audite. 18. Et hanc vocem nos audiuimus de cælo allatam, cùm essemus cum ipso in monte sancto. 19. Et habemus firmiorem propheticum sermonem: cui benefacitis attendentes, quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec dies elucescat, & lucifer oriatur in cordibus vestris: 20. hoc primùm intelligentes, quòd omnis prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit. 21. Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia: sed Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines.

COMMENTARII.

Christi gloriam mirifice extollit.

1. VERS. 1.2.3.4. *Simon Petrus, &c.*] Ego Simon Petrus *seruus & Apostolus Iesu Christi iis, qui coæqualem* seu eandem, *nobiscum sortiti sunt fidem*, seu profitentur eandem religionem Christianam, *in iustitia Dei nostri & saluatoris Iesu Christi*, seu illius singularis iustitiæ merito, qua Christus Deus & seruator noster pro hominum genere Patri satisfecit, nobisque gratiam meruit, & salutem: *Opto vt Gratia vobis & pax adimpleatur*, seu multiplicetur, *in cognitione Dei, & Christi Iesu Domini nostri.* Crescente enim Dei & Christi cognitione, crescit pariter gratia & pax: & quo magis Dei & Christi bonitas dignoscitur, magis etiam amatur, & colitur.

Cuncta delicta ex tepiditate cognitionis Dei ortum habent.

* Vnde existimo, cuncta delicta ex tepiditate cognitionis Dei ortum habere. Quis enim cognitam Dei bonitatem, & eius erga nos munificentiam contemnere piaculo auderet?] *Quomodo omnia nobis diuinæ virtutis suæ, quæ ad vitam, & pietatem donata sunt, per cognitionem eius, qui vocauit nos propria gloria & virtute.* Seu Ideò opto vos crescere in cognitione Dei & Christi, per eam crescetis pariter in reliquis Dei donis. Nam vti hæc omnia per eam cognitionem vobis primum donata sunt, ita in dies vberiori cognitione eius In dies magis ac magis augentur, gloriosa gratia, & misericordia eius qui nos ad fidem aduocauit. *Per quem maxima, & pretiosa nobis promissa donauit.* Pretiosa illa dona, quæ Deus per Mosem, & Prophetas promisit, se per Christum hominibus daturum, se licet, remissionem peccatorum, gratiam, sanctitatem, virtutem, iam munificentissimus exhibuit. *Vt per hæc efficiamini diuinæ consortes naturæ.* Seu vt per hæc dona consortes diuinæ naturæ effici valeatis non solum per gratiam vobis inhærentem, quæ est quædam diuinæ naturæ participatio: sed etiam quia iustis substantialiter Spiritus sanctus exhibetur. Rom. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Dum tamen reperiamini *fugientes eius, quæ in mundo est, concupiscentiæ corruptionem.* Hæc enim concupiscentia cum carnalis sit, diuinæ naturæ repugnat, quæ purissimus, & sanctissimus est spiritus.

Vers. 5.6.7.8.9. Vos autem curam omnem, &c.] Vt autem otiosa non sint dona, quæ accepistis, sed vtilia admodum, *vos curam omnem subinferentes*, seu conferentes, *ministrate in fide vestra virtutem* fidei vestræ virtutem, vigorem, quod Hispane dixerim, *Valor* ad omnia ardua fortiter superanda. Quo quidem Petrus exigit nostri liberi arbitrij cooperationem. *In virtute autem ministrate*, seu adhibere *scientiam*, seu discretionem. Hæc enim nascitur ex virtute, seu fortitudine.

Animi fortitudo discretionem adiuuandum suppeditat.

* Fortis enim, & masculus animus rectus est, & rectè de agendis indicat: mollis verò & effœminatus, quia in suas voluptates, & cupiditates nimis propendet, male de agendis sentit, & pronunciat.] *In scientia autem abstinentiam*, seu temperantiam. Virtus enim discretionis edocet abstinentiam & temperantiam in cibo, potu, & voluptatibus. Certè scientia & abstinentia hæc adeo sunt comites, vt vna sine alia vix valeat reperiri.

Qui voluptatibus carnis indulget, insipientem se ostendit.

* Nam qui scientia pollet à voluptatibus abstinet: & qui has appetit, & sectatur plerumque vacuus scientia reperitur: Intemperantia enim brutalitatem animo inducit]

Abstinentia seu temperantia reddit animum patientem.

Sobrietas enim & temperantia sicuti corpus, ita & animum patientem & hilarem efficit.] *In patientia autem pietatem.* Græcè, *Dei cultum.*

Labores pietatem ingenerant in patiente.

* Afflictiones enim hominem faciunt humilem, & ad Deum confugere compellunt, vt fetas opens patienti.] *In pietate autem amorem fraternitatis.*

Sine amore fraterno non potest esse vera pietas.

* Deo enim non placet pietas, nisi amore fraterno condiatur, iuxta illud: *Misericordiam volo, & non sacrificium.* Sine amore fraterno vbi misericordia? sine misericordia autem, vbi pietas sacrificij?] *In amore autem fraternitatis charitatem.* Vt scilicet diligamus fratres seu proximos ex charitate, id est, propter Deum non autem propter commoda nostra, aut propter humanas rationes.

Diligendus proximus nō ob commoda nostra, sed propter Deū.

* Proximum namque diligere ob commoda nostra, magis est nostri quam proximi dilectio.] *Hæc enim si vobiscum adsint, & superent: non vacuos, nec sine fructu vos constituent in Domini nostri Iesu Christi cognitione.* Si vobis adsint virtutes, quas expressi: & eas non solum habeatis, sed & illis abundetis, continuo eis augmentum recipientibus: efficient, vt vestra fides & Christi cognitio non sit vacua, inanis, otiosa, ac meriti magni expers: sed plena, frugifera, & meritorum diuitiis abundans.

Quodammodo nō est vocanda virtus, ea, quæ continuò nō crescit.

* Verbum illud: *& superent*, ex Græco sonat, *& crescunt.* Non enim quodammodo *virtutem* vocitarim eam, quæ sistit, & continuo augmentum non recipit.] *Cui enim non præsto sunt hæc*, seu cui desunt virtutes memoratæ, *cæcus est, & manu tentans*, quià non habet practicæ fidei & cognitionis oculos, nempe illas recensitas virtutes: *obliuionem accipiens purgationis veterum suorum delictorum.* Fidelis enim, qui hasce virtutes à se reiicit, facile in vitia relabitur, & consequenter obliuioni tradit Baptismum, quo purgationem & remissionem criminum aurea patratorum accepit: & quo se sanctè victurum promisit.

Qui facile peccat, videtur omnino exuisse memoriā, quod sit Christianus.

* Certè tanta est aliquorum ad peccandum facilitas, vt videantur, se omnino exuisse memoriam, quod Christianismum profiteantur.]

Vers. 10.11.12.13.14. Quapropter, fratres, &c.] Ideo ô fratres, *magis satagite*, seu omnem conatum

conatum adhibete, *vt per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis.* Græcè, *stabilem, firmam.* Quasi dicat: Sedulo virtutes colite, dantes sic operam, vt perceptam diuinæ vocationis, & electionis vi, gratiam constantet ad extremum vsque spiritum retineatis: ita viuentes, vt ex probis vestris actionibus possitis moralem quandam certitudinem concipere, quòd sitis ad æternam salutem electi. * Recta enim vita securius est diuinæ prædestinationis indicamentum.] *Hæc enim facientes, non peccabitis aliquando.* * Qui enim virtutum exercitamento studet, longe quidem est à peccandi periculo.] *Sic enim abundanter*, seu largiter (Græcè quasi *diuiter*) *ministrabitur vobis introitus in æternum Regnum Domini nostri, & saluatoris Iesu Christi.* Continuum enim virtutum exercitium auget æternum gloriæ pondus. *Propter quod incipiam vos semper commonere de his.* Seu ideo *non negligam* (sic Græcè) hæc vobis in memoriam reuocare, scilicet, vt præfatis virtutibus insistatis: *& quidem scientes, & confirmatos vos in præsenti veritate*, tametsi sciatis iam hanc veritatem, & in ea confirmati sitis. * Operæ pretium enim est, etiam ea, quæ sciunt auditores circa morum compositionem, sæpe ad eorum memoriam à Concionatore reuocari.] * Preme verbum *incipiam vos semper commonere.* Verus enim Euangelij præco nunquam debet finem prædicationi imponere vsque ad vitæ terminum: Sed semper *incipere*, seu nouo halitu prædicationem instituere. Vndè Petrus morti proximus se incœpturum eos monere affirmat.] *Iustum autem arbitror, quamdiu sum in hoc tabernaculo*, seu dum viuo, *suscitare vos in commonitione*, seu adhortando vos excitare, ne torpeatis: *certus, quod velox est depositio tabernaculi mei*, seu quod breui cruci suffigar: *secundum quod Dominus noster Iesus Christus significauit mihi* per reuelationem. Non satis autem mihi constat, quando hæc reuelatio Petro obtigerit. Verisimile reor in carcere Mamertino obtigisse per Christi apparitionem. * Nam cum iusti laboribus aguntur, tunc comes eorum diuina esse assolet consolatio.]

Signum prædestinationis est proba vita.

Longe est à peccandi periculo, qui exercitio virtutis studet.

Etiam ea, quæ auditores sciũt circa morũ cõpositionẽ debent à Concionatoribus sæpè memorari.

Cõcionator vsque ad vitæ finem Dei verbum proferat, & semper quasi incipiat.

Cum iusti laboribus agũtur, assolet cõsolatio diuina eis affulgere.

Vers. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. Dabo autem operam, &c.] Cæterum procurabo, *frequenter habere vos in memoria*, vt pro vobis exorem, *post obitum meum vt horum memoriam faciatis*, exorans scilicet à Domino, vt quæ vobis Euangelij Magister, aperui è memoria, ac mente vestra non cadant. *Non enim doctas fabulas secuti, notam fecimus vobis Domini nostri Iesu Christi virtutem, & præsentiam.* Si illas fabulas quæ ingeniosè, & artificiosè componi solent ad decipiendum, vobis tradidissem, operæ pretium esset eorum memoriam aboleri. At ab his omnino abstinens, vobis sincere aperui Christi Domini *virtutem* seu potentiam, expiandi peccata, corrigendi mores, patrandi miracula, & eius *præsentiam* seu aduentum aperui, & apud homines conuersationem. Circa hanc verò non feror ex audito: *Sed speculatores facti illius magnitudinis*, sed testis oculatus quod annotaui, scribo, præcipue id quod ad eius magnitudinem, & gloriam spectant. *Accipiens enim à Deo Patre honorem, & gloriam voce delapsa ad eum huiuscemodi à magnifica gloria: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite.* Quod in Thabori monte vidi, annotare. Christus tunc accepit à Patre honorem, & gloriam ex eo, quod facies eius sicut sol resplenduerit, & vestimenta eius versa fuerint in candorem, Moses & Elias affuerint, & Patri insonuerit illa vox à magnifica gloria, seu è nube corusca. *Hanc vocem nos* scilicet Iacobus, Ioannes & ego *audiuimus de cælo allatam*, seu de nube, & aëre celsiore delapsam, *cum essemus cum ipso Iesu in monte sancto*, seu Thabor, quem sua præsentia, & hoc insigni Transfigurationis miraculo Christus sanctificauit. * Vt rubore attaminentur illi, qui post innumerabiles Eucharistiæ in pectore susceptiones, nondum Christi tam intima præsentia eos sanctificauit, de merito accipientis hominis, quod sine merito operatus fuit in monte.] *Et habemus firmiorem propheticum sermonem*, opinioni autem hominum, qui nostrum testimonium tanti non faciunt, firmius de Christo testimonium sint Prophetarum oracula: *cui benefacitis attendentes*, seu intendentes, eorumque studentes intelligentiæ, *quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco.* Omnis namque Scriptura sacra est instar lucernæ fulgentis in huius vitæ tenebris: *donec dies elucescat, & lucifer oriatur in cordibus vestris*, seu donec euidens notitia fulgoret vobis clare aspicientibus, quod fidei inter tenebras certum profitemini. *Hoc primum intelligentes, quod omnis prophetia scripturæ propria interpretatione non fit*, seu propria vaticinantium intentione. *Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia: sed Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines*, seu non voluntate, & arbitrio hominum oracula prophetica eduntur: sed sancti Prophetæ cum occulta pandunt, aut futura prædicunt, diuino spiritu aguntur, & quæ ab illo eis suggeruntur, annunciant.

Pudeat te singulari Christi præsentia mons sanctificatus fuit, dũ tu crebra Eucharistiæ receptione nondum es sanctificatus.

CAPVT II.

Pseudopro-phetas carpit. Eisque dira supplicia edocet imminere.

1. EVERVNT verò & Pseudo-prophetæ in populo: sicut & in vobis erunt magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis, & eum, qui emit eos, Dominum negant, superducentes sibi celerem perditionem. 2. Et multi sequentur eorum luxurias, per quos via veritatis blasphemabitur: 3. & in auaritia fictis verbis de vobis negotiabuntur: quibus iudicium iam olim non cessat, & perditio eorum non dormitat. 4. Si enim Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni

detractos in tartarum tradidit cruciandos, in iudicium reseruari. 5. Et originali mundo non pepercit, sed octauum Noë iustitiæ præconem custodiuit, diluuium mundo impiorum inducens. 6. Et ciuitates Sodomorum & Gomorrhæorum in cinerem redigens, euersione damnauit: exemplum eorum, qui impiè acturi sunt, ponens: 7. & iustum Lot oppressum à nefandorum iniuria ac luxuriosa conuersatione eripuit: 8. Aspectu enim, & auditu iustus erat habitans apud eos, qui de die in diem animam iustam, iniquis operibus cruciabant. 9. Nouit Dominus pios de tentatione eripere: iniquos verò in diem iudicij reseruare cruciandos: 10. Magis autem eos, qui post carnem in concupiscentia immunditiæ ambulant, dominationémque contemnunt, audaces, sibi placentes sectas non metuunt introducere blasphemantes: 11. Vbi Angeli fortitudine & virtute cum sint maiores, non portant aduersum se execrabile iudicium. 12. Hi verò velut irrationabilia pecora, naturaliter in captionem, & in perniciem in his quæ ignorant blasphemantes in corruptione sua peribunt, 13. Percipientes mercedem iniustitiæ, voluptatem existimantes diei delicias: coinquinationes, & maculæ deliciis affluentes, in conuiuiis suis luxuriantes vobiscum, 14. Oculos habentes plenos adulterij, & incessabilis delicti. Pellicientes animas instabiles, cor exercitatum auaritia habentes, maledictionis filij: 15. Derelinquentes rectam viam errauerunt, secuti viam Balaam ex Bosor, qui mercedem iniquitatis amauit: 16. Correptionem verò habuit suæ vesaniæ: subiugale mutum animal, hominis voce loquens, prohibuit Prophetæ insipientiam. 17. Hi sunt fontes sine aqua, & nebulæ turbinibus exagitatæ, quibus caligo tenebrarum reseruatur. 18. Superba enim vanitatis loquentes, pelliciunt in desideriis carnis luxuriæ eos, qui paululùm effugiunt, qui in errore conuersantur: 19. Libertatem illis promittentes, cum ipsi serui sint corruptionis: à quo enim quis superatus est, huius & seruus est. 20. Si enim refugientes coinquinationes mundi in cognitione Domini nostri, & Saluatoris Iesu Christi, his rursus implicati superantur: facta sunt eis posteriora deteriora prioribus. 21. Melius enim erat illis non cognoscere viam iustitiæ, quàm post agnitionem, retrorsum conuerti ab eo, quod illis traditum est, sancto mandato. 22. Contigit enim eis illud veri prouerbij: Canis reuersus ad suum vomitum, &, Sus lota in volutabro luti.

COMMENTARII.

I. *Pseudo-Prophetas, seu hæreticos carpit, docens, eos dira immanere supplicia.*

VERS. 1. 2. 3. *Fuerunt verò & pseudo-prophetæ, &c.*] *In populo* Iudaico fuerunt pseudo-prophetæ, qui ad idololatriam homines inducebant: *sicut & in vobis erunt magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis*, seu hæreses, quæ ad extremum adducunt exitium: *& eum qui emit eos* pretio sanguinis sui Christum *Dominum negant*, seu negent. Ita Arriani negarunt Christum esse Deum, *super ducentes sibi celerem perditionem.*

Celer & infamis hæresiarcharum finis.

* Plerique enim Hæresiarchæ celeri, & infami morte fuere sublati. Ipsum Arrium in exemplum adduco, cuius infamem exitum nullus non horrens exaudiuit.] *Et multi* (heu!) *sequentur eorum luxurias*, Græcè, *petulantias*, intemperantias.

Raro hæresis non nititur luxuria.

* Rarò enim hæresis luxuriæ licentia non nititur.] *Per quos* prauos magistros *via veritatis blasphemabitur*. Causa enim erunt mendaci doctrina, vt multi de Christiana vera religione, quæ recta est ad Deum, & salutem via, inique sentiant, & loquantur. *Et in auaritia fictis verbis de vobis negotiabuntur.* Sicut autem mercatores verbis arte compositis merces supra veritatem laudant, vt emptores alliciant: ita hi hæretici verbis fictis sua falsa dogmata ornabunt, vt facilius parum constantes in fide seducant. Qua arte *de vobis negotiabuntur*, seu mercaturam facient: vos tradentes perditioni, & in auaritia pecunias vestras, quibus inhiabunt, emungentes.

Suspecta tibi sit doctrina, quæ de auari, qui eã vendit, ore procedit.

* Suspecta tibi sit doctrina, quæ ex auari magistri eam vendentis ore procedit: erit enim emptoris placito accommodata.] *Quibus iudicium iam olim non cessat*, seu quorum supplicium, vt ex euentibus iam olim prælapsis apertè conspicimus, non cessat, non ibi terminatur: sed simili afficientur damnatione, qui deinceps eorum æmulatores fuerint: *& perditio eorum non dormitat*; quia non dormitabit, neque dormiet Deus qui suam custodit Ecclesiam.

Vers. 4. 5. 6. 7. 8. Si enim Deus Angelis, &c.] Nam si Deus Angelis *peccantibus non pepercit: sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, in iudicium reseruari*, seu si Deus delinquenti lucifero & eius angelis non ignouit, sed detractos è superis rudentibus, seu catenis tartari tradidit, æternoque carcere mancipauit, ibique ad extremum vsque iudicium tanquam in custodia inclusit, vt tunc exeant ad communem audiendam sententiam, ad æternam gehennam cum damnatis hominibus redituri. Si igitur Angelis non pepercit Deus, multo minus ignoscet hominibus improbis, cuiusmodi sunt hæretici. *Et originali mundo non pepercit, sed octauum Noe iustitiæ præconem custodiuit, diluuium mundo impiorum inducens*: Græcè, *prisco mundo.* Priscum, & primæuum mundum, qui ante diluuium fuit, Deus vndis obruit, Noë cum aliis

septem

septem domesticis asseruato, qui quidem Dei iustam scelerum vindictam mundo imminentem per diluuium instans prænunciauit. Et fuit etiam iustitiæ præco, verbo, & exemplo proferens sanctitatem. Vocat autem Petrus Noë *octauum*, quia fuit vnus ex illis octo qui salutem in arca fuere assecuti. * Vel octauus vocatur, quia pater & Præsul illorum octo, vnica cum illis erat essentia. Vnde in Noë totus octauus numerus includitur.] * Quæsieris, an septem illi, qui cum Noë fuere asseruati, iustitiam sectarentur? Affirmatiue respondeo. Nam qualis familiæ caput, tales assolent familiares existere.] *Et ciuitates Sodomorum, & Gomorrhaeorum in cinerem redigens, euersione damnauit: exemplum eorum, qui impiè acturi sunt, ponens:* easque ciuitates omninò euersas suæ iustitiæ documentum esse voluit, & exemplum iis, qui earum nequitiam imitarentur. *Et iustum Loth oppressum à nefandorum iniuria, ac luxuriosa conuersatione eripuit.* Dicit Apostolus Lothum oppressum fuisse Sodomitarum *iniuria*: & crescente oratione, adiicit oppressum fuisse luxuriosa illorum *conuersatione*. Quia plus opprimit iustum conuersari & habitare cum impiis, quam ab illis grauissima quaque iniuria affici.] *Aspectu enim, & auditu iustus erat, habitans apud eos, qui die in diem animam iustam iniquis operibus cruciabant.* Cum enim Loth nihil turpe auribus, aut oculis haurire sustineret, quippe iustus, & innocens: inter scelestos degens, eorum moribus mirum in modum sauciabatur. * Et quidem frigidum Dei seruum duxerim eum, qui audiens aut videns proximum aliquod aut verbo, aut opere patrantem peccatum mœrore non afficitur, & dolore.]

Præsul est quasi vna cũ subditis essentia.

Qualis familiæ caput, tales solent familiares esse.

Quantus labor sit iusto, cum impiis habitare.

Tepidus Dei seruus est, qui videns proximum peccare, dolore non afficitur.

Vers. 9.10.11.12.13.14.15.16. Nouit Dominus, &c.] Scit autem Dominus, potest, & vult, *pios de tentatione eripere*, de periculis liberare: *iniquos verò in diem iudicij* particularis & nouissimi *reseruare cruciandos*. In iudicio enim generali non tantum in anima, vt nunc, sed & in corpore, quo resurgent, æternùm cruciabuntur: *magis autem eos, qui post carnem in concupiscentia immunditiæ ambulant*: eos præcipuè dira damnatio expectat, qui corporis voluptatibus addicti, impuris ac nefariis cupiditatibus obsequuntur: *dominationémque contemnunt*: seu Deum omnium Dominum, & scelerum vindicem aspernantur, *sibi placentes* sui sensus, & iudicij tenaces, contumaces, quique *sectas non metuunt introducere blasphemantes*, seu hæreses, Græcè, *glorias non verentur conuitiari*, seu Præsules Ecclesiæ, quorum est gloriosa potestas. * Preme illud. *In concupiscentia immunditiæ ambulant, dominationemque contemnunt.* Seu contemnentes dominari, malunt seruire. Nam qui luxuriæ vitio studet, tyranni dirè seruituti mancipatur.] *Vbi Angeli fortitudine, & virtute cum sint maiores, non portant aduersum se execrabile iudicium.* Contemnunt inquam Deum Iudicem, eumq; blasphemare audent, cum tamen Angeli purissimi & sanctissimi non audent vel nominare aliquid, quod aliquomodo sonet blasphemiam, seu maledictionem. Vndè nec diabolo maledicere audent. Annon Michaël altercans cum diabolo de Mosis corpore ausus non fuit *inferre iudicium blasphemiæ*, seu diabolum maledicere? Iudæ vers. 9. sed dixit: *Imperet tibi Dominus.* * Vn-

Qui luxuriei vitio studet, seruus omnino est, contemnens dominari.

de valde taxabiles ostenduntur homines, qui tam facilè proximum maledictionibus diris afficiunt.] *Hi verò velut irrationabilia pecora naturaliter in captionem; & in perniciem in his, quæ ignorant blasphemantes in corruptione sua peribunt.* Hi quidem magistri mendaces pecudum more, quæ suapte natura prædæ, ac exitio sunt obnoxiæ, cum his, quæ minime capiunt mysteriis fidei maledicant, & putent esse errores: male peribunt, *percipientes mercedem iniustitiæ*, seu suæ iniquitatis supplicium referentes: *voluptatem existimantes diei delitias*, seu pro singulari voluptate ducentes, si vel vnius diei deliciis potiantur. * Vnius diei appellantur deliciæ ob perbreuem earum durationem.] Hos quidem homines *coinquinationes, & maculas* populi Christiani appellare licet, *deliciis affluentes*, dum affluunt deliciis, quando veri Christicolæ affluunt laboribus: *In conuiuiis suis luxuriantur vobiscum.* Hi quidem in vestra conuiuia moderata, & casta se ingerunt ad luxuriam, mulierum vestrarum castitati insidiantes: *oculos habentes plenos adulterij*, oculos ad vestras vxores adiicientes, quas viciare student: *& incessabilis delicti*, seu perpetui. Nunquam enim eorum luxuria dicit: sufficit. *Pellicientes animas instabiles*, seu *inescantes* (sic Græcè) homines non benè in fide & castitate solidatas: *cor exercitatum auaritia habentes*, seu dediti rapinis, planè *maledictionis filij*, digni æterna maledictione. Hi *derelinquentes rectam viam errauerunt, secuti viam Balaam ex Bosor*, seu Balaam filij Bosor, nempe illius, qui *Beor*, dicitur Num. 22.5. *Qui* quidem Balaam *mercedem iniquitatis amauit*, nimirum munera Regis Moabitarum Balac quæ munera amans voluit populo Dei maledicere Num. 22.23. *Correptionem verò habuit suæ vesaniæ subiugale mutum animal hominis voce loquens.* Suæ autem *preuaricationis* (sic Græcè) redargutionem habuit ex ore asinæ iugum ferre assuetæ humanam vocem efformantis Angelo eas articulante. Hæc vox *prohibuit Prophetæ insipientiam.* * Haud dignatus est Angelus ei immediatè loqui, quia brutalitate se teneri ostentabat, qui pro vili mercede Deum decreuit commutare.]

Taxantur ij, qui maledicunt proximum.

Quam breuis est voluptatum sæcularium duratio!

Irrationalis est, qui Dei gratiam pro temporali mercede permutat.

Vers. 17.18.19.20.21.22. Hi sunt fontes sine aqua, &c.] Hi quidem magistri mendacij sunt sine aqua fontes, quia vitalis aquæ seu doctrinæ sanæ sunt expertes: *& nebulæ turbinibus exagitatæ*: sunt & nebulæ steriles, quæ desideratum imbré non emittunt, cum tamen illum polliceri videantur. Quia hæretici à dæmone spiritu vertiginis, & ab errorum turbine aguntur; & inter se contraria docent. *Quibus caligo tenebrarum reseruatur* in tartaro. *Superba enim vanitatis loquentes pelliciunt in desideriis carnis luxuria eos, qui paululum effugiunt, qui in errore conuersantur.* Seu hi fastuosa verba crepantes, eos, qui nuper ad fidem conuersi fuerant, ad suam hæresim pelliciunt, obtrudendo illis escam priscarum libidinum, quibus cum hæretici erant, indulserant. * Rarò videris hæresim, quæ non in vna sede cum luxuria moretur.] *Libertatem illis promittentes, cum ipsi serui sint corruptionis.* * Quæ libertas potest esse corruptionis mancipiis, qui sunt magis serui, quanto liberius libidini indulgent?] *A quo enim quis superatus est, huius & seruus est*, seu à quo quis

Frequenter luxuria hæresim comitatur.

Luxuria est seruitus.

quis vincitur, cui ſuccumbis, illi ſeruus efficitur. *Si enim refugientes coinquinationes mundi in cognitione Domini noſtri, & ſaluatoris Ieſu Chriſti, his rurſus implicati ſuperantur: facta ſunt eis poſteriora deteriora prioribus.* * Et quia grauiùs eſt malum recidiui. Et quia ſe profundius priſtinis vitiis immergunt, habitumque ad peccandum validiorem inducunt. Ad illud Chriſti apud Matthæum cap. 12. 45. *Fiunt nouiſſima hominis illius peiora prioribus.*] *Melius enim, erat illis, non cognoſcere viam iuſtitiæ, quàm poſt agnitionem retrorſum conuerti ab eo, quod illis traditum eſt, ſancto mandato.* Seu minus malum erat religionem Chriſtianam non cognouiſſe, quàm à via hac iuſtitiæ deficientes, retrorſum agi, Euangelicam legem contemnendo. *Contigit enim eis illud veri prouerbij: Canis reuerſus ad ſuum vomitum.* Seu ad reſorbendum, quod euomuerat quod quidem eſt abominabile, nec in ſumma fame à quoqam vſurpatum. *Et ſus lota in volutabro luti*, ſeu ſemel & iterum à ſua domina mundata, rediens, & rurſum ſe volutabro inficiens. * Canem itaque & ſuem imitantur, qui poſtquam auerſi fuére à deliciis noxiis, rurſum ad eas reuertuntur fœdius equidem.]

Mala recidiui in peccatum.

Canem & ſuem imitatur, qui ad relicta peccata reuertitur.

CAPVT III.

Refellit errorem eorum, qui aſſerebant, nullum fore die nouiſſima iudicium.

1. HANC ecce vobis, chariſſimi, ſecundam ſcribo epiſtolam, in
quibus veſtram excito in commonitione ſinceram mentem:
2. vt memores ſitis eorum, quæ prædixi, verborum à ſanctis
Prophetis, & Apoſtolorum veſtrorum, præceptorum Domi-
ni & Saluatoris. 3. Hoc primùm ſcientes, quòd venient in
nouiſſimis diebus in deceptione illuſores, iuxta proprias con-
cupiſcentias ambulantes, 4. dicentes: Vbi eſt promiſſio,
aut aduentus eius? ex quo enim patres dormierunt, omnia ſic perſeuerant ab ini-
tio creaturæ. 5. Latet enim eos hoc volentes, quòd cæli erant priùs, & terra, de
aqua & per aquam conſiſtens Dei verbo: 6. per quæ, ille tunc mundus aqua inun-
datus periit. Cæli autem qui nunc ſunt, & terra: eodem verbo repoſiti ſunt, igni re-
ſeruati in diem iudicij, & perditionis impiorum hominum. 8. Vnum verò hoc
non lateat vos, chariſſimi, quia vnus dies apud Dominum ſicut mille anni, & mil-
le anni ſicut dies vnus. 9. Non tardat Dominus promiſſionem ſuam, ſicut quidam
exiſtimant: ſed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, ſed omnes ad
pœnitentiam reuerti. 10. Adueniet autem dies Domini vt fur: in quo cæli ma-
gno impetu tranſient, elementa verò calore ſoluentur, terra autem & quæ in ipſa
ſunt opera, exurentur. 11. Cum igitur hæc omnia diſſoluenda ſint, quales opor-
tet vos eſſe in ſanctis conuerſationibus & pietatibus, 12. expectantes & prope-
rantes in aduentum diei Domini, per quem cæli ardentes ſoluentur, & elementa
ignis ardore tabeſcent? 13. nouos verò cælos, & nouam terram ſecundùm pro-
miſſa ipſius expectamus, in quibus iuſtitia habitat. 14. Propter quod, chariſſimi,
hæc expectantes, ſatagite immaculati & inuiolati ei inueniri in pace. 15. Et Do-
mini noſtri longanimitatem, ſalutem arbitremini: ſicut & chariſſimus frater noſter
Paulus ſecundùm datam ſibi ſapientiam ſcripſit vobis, 16. ſicut & in omnibus
epiſtolis, loquens in eis de his: in quibus ſunt quædam difficilia intellectu, quæ in-
docti & inſtabiles deprauant, ſicut & cæteras Scripturas ad ſuam ipſorum perditio-
nem. 17. Vos igitur fratres præſcientes cuſtodite: ne inſipientium errore tra-
ducti excidatis à propria firmitate. 18. Creſcite verò in gratia, & in cognitio-
ne Domini noſtri, & Saluatoris Ieſu Chriſti. Ipſi gloria & nunc, & in diem æterni-
tatis. Amen.

COMMEN

COMMENTARII.

1. *Refellit errorem eorum, qui futurum iudicium negabant.*

VERS. 1.2.3.4.5.6.7. *Hanc ecce vobis, &c.*] En vobis ô *charissimi secundam scribo Epistolam, in quibus* prima & secunda, *vestram excito* à somno torporis, & obliuionis *in commonitione* seu recordatione vestram *sinceram mentem*, puram, & incorruptam, Vt memores sitis eorum, quæ prædixi, verborum à sanctis Prophetis prædictorum: *& Apostolorum vestrorum præceptorum Domini & Saluatoris*, seu in memoriam etiam reuocetis præcepta Christi vobis per Apostolos, & Apostolicos viros promulgata. *Hoc primum scientes, quod venient in nouissimis diebus in deceptione illusores iuxta proprias, concupiscentias ambulantes.* Ante omnia autem velim aduertatis, quod omnibus futuris temporibus, & maximè sub mundi terminum Antichristi tempestate exurgent illusores ad fideles decipiendum, indulgentes gulæ, libidini, cæterisque vitiis. * Cum enim hæresis ex intellectus superbia ortum habeat, frequenter videris, ei luxuriam admisceri. Solet namque superbia irrationali hoc vitio humiliari.] Venient, inquam, *dicentes: Vbi est promissio, aut aduentus eius?* Vbi est aduentus Christi ad iudicium illa promissio: Quomodò impleta non est *ex quo patres dormierunt.* Ac si dicant: Iam olim Adamus Eua, Abel, Abraham, aliique patres, à quibus genus hominum prosemi natum est, & innumerabiles eorum filij mortui sunt: & promissio venturi Christi ad iudicium, & mortuorum resurrectionis nondum effectum habet: Ergo mendax promissio. *Omnia enim sic perseuerant ab initio creaturæ. Latet enim eos, hoc volentes, quod cæli erant prius, & terra de aqua, & per aquam consistens Dei verbo.* Volentes & vltrò illi irrisores hoc nesciunt, quia scire nolunt. Videtur planè latere eos, quod cæli, & terra Dei verbo consistant: ac proindè ignorare quod eodem Dei verbo ante iudicij diem, quem venturum abnegant, occidi & aboleri possint. Dicitur verò terra de aqua consistere, quia cum aquis omni ex parte operiretur, die tertia Dei iussu aquas ab arida separantis, terra emersit. Addit Apostolus, terram per aquam consistere, aqua enim terram compingit, & conglutinat, vt vna eius pars alteri adhæreat: *per quæ* cælum & terram *tunc mundus aqua inundatus periit.* Cælum enim & terra aquas diluuij Noëmi tempore ministrarunt, ad orbem terrarum obruendum. *Cæli autem, qui nunc sunt, & terra eodem verbo repositi sunt igni reseruati in diem iudicij, & perditionis impiorum hominum.* An sint noui cæli, quos nunc intuemur? Certè cæli, qui tempore diluuij erant, eò periere, quoad partem terræ viciniorem, seu quoad aërem tam infimæ, quam mediæ regionis. Aqua namque diluuij omnes montes excessit, & consequenter mediam aëris regionem quindecim cubitis. Gen. 7.20. Constitit itaque cælum, & terra post diluuium eodem imperio, quo olim aquis obruti fuere: & repositi sunt quasi diuinæ prouidentiæ thesauro, & nouissimæ conflagrationi reseruati. Ex his itaque sic Apostolus arguit. Haud est, quod quis difficilis ad credendum reddatur iudicij, & conflagrationis mundi promissionem implendam, cum haud dissimilem mutationem in mundo certum sit extitisse, cum Deus homines per diluuium aquæ deleuit, qui per ignis diluuium eos rursum est deleturos. * Nè homines sine fræno delinquant, oportet eis præ oculis frequenter exponere Dei supplicia inflicta peccatoribus.]

Superbia luxuriæ irrationali vitio solet humiliari.

Ne homines sine fræno delinquant, Dei supplicij peccatoribus inflicti recordentur.

Vers. 8.9.10.11.12.13. *Vnum verò hoc &c.*] Iam obiectioni factæ ab illusoribus respondet Apostolus, cur tamdiù Christus ad iudicium venturus tardat? cùr tamdiù scelera tolerat: & suos ab impiis sinit affligi? Velim ait ô charissimi, vt *vos vnum hoc non lateat, quia vnus dies apud Dominum sicut mille anni: & mille anni sicut dies vnus.* Nam apud Deum, qui immensus est, & æternus, mille anni adeò sunt exiguum temporis spatium, vt velut vna dies esse videantur. * Non sic damnatis accidet, quibus dies vna mille annos patiendi esse videbuntur: & post annos mille, nec dies vna eis numerantur ad pœnam, quam sinè respectu ad annos æternùm sustinebunt.] *Non tardat Dominus promissionem suam* implere, *sicut quidam existimant.* Ille enim non dicitur tardare, qui tempore constituto adest, & ea exhibet, quæ pollicitus est. *Sed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire.* Tardat, vt hominibus spatium pœnitentiæ indulgeat, nè æternùm depereant. *Adueniet autem dies Domini vt fur: in quo cæli magno impetu transient*, veniet iudicij dies improuisus & inexpectatus furis instar: in quo cælum aëreum cum sibilo horribili, & in morem procellæ excurret quasi ad interitum: *elementa verò* alia *calore soluentur*, non ità vt pereant, & euanescant; sed vt purgentur, & transeant in melius: *terra autem & quæ in ipsa sunt, opera exurentur*, scilicet, Vrbes, & magnæ ædificiorum molitiones. *Cum igitur hæc omnia dissoluenda sint, quales oporter vos esse in sanctis conuersationibus, & pietatibus*, seu in bonorum operum studio: *expectantes, & properantes in aduentum diei Domini, per quem cæli ardentes soluentur, & elementa ignis ardore tabescent?* Quanam pietate oportet vos ô fratres fulgere debetis, qui non solùm expectatis, sed etiam expetitis, extremum illum iudicij diem adesse, in quo præfatam elementorum immutationem intuebimur? *Nouos verò cælos, & nouam terram secundum promissa ipsius expectamus, in quibus iustitia habitat.* Expectamus autem videre nouos cælos ineffabili splendore exundantes, & terram illam viuentium, seu patriam à Deo promissam, vbi iusti æternùm habitabunt. Promissionis enim huius memor Isaias in promittentis persona profatur cap. 65. 17. *Ecce enim ego creo cælos nouos, & terram nouam.*

Damnatorum pœnæ duratio ponderatur.

Vers. 14.15.16.17.18. *Propter quod charissimi, &c.*] Cum ergò ô fratres, hæc expectetis infalli biliter euentura, *satagite immaculati & inuiolati ei inueniri in pace*, seu ita viuere, vt à cælesti Iudice, cum venerit, immaculati & irreprehensibiles inueniamini: & pacato ac tranquillo animo mortem ac iudicium expectetis. * Hæc est iusti felicitas, mortem non timere, dum eius memoria mirum in modum peccatorem excruciat.] *Et Domini nostri longanimitatem salutem arbitremini*, seu existimate, & pro certo

Magna est iustorum felicitas, mortem non timere.

to habere eam longaminitatem, qua tolerat peccatores, ideò aduentum suum ad iudicium differre, vt resipiscentes salutem assequantur: *Sicut & charissimus frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis* Rom. 2. 4. & Hebr. 10. 36. *Sicut & in omnibus aliis Epistolis, loquens in eis de his. In quibus* Epistolis *sunt quadam difficilia intellectu, quæ indocti, & instabiles* in fide *deprauant: sicut & cateras scripturas ad suam ipsorum perditionem.* Quia violantes, & corrumpentes oracula ea ad libertatem attrahunt delinquendi. *Vos igitur, fratres, præscientes custodite,* seu præmoniti à me de periculo, cauete: *nè insipientium errore traducti, excidatis à propria firmitate*, seu nè decepti ab his hæreticis à firmitate & constantiâ, quam habetis in fide, miserè excidatis. *Crescite verò in gratia, & in cognitione Domini nostri & saluatoris Iesu Christi.* * Tanta enim sunt Christi Domini merita, tot magnalia, vt crescentes per momenta singula in eorum cognitione nunquam ea exhaurire poteritis.] *Ipsi gloria nunc & in diem æternitatis*, seu quamdiu æternitatis sine nocte dies perdurabit. *Amen.*

Tanta sunt Christi merita, vt à nullo possint adæquatè cognosci.

LIBER

LIBER SECVNDVS. EPISTOLÆ D. IOANNIS, & Iudæ.

PROLVSIO.

DIuus Ioannes *cap.* 1. suæ Epistolæ 1. mihi ostendit, vndè attraham spiritum ad tres eius Epistolas & vnam D. Iudæ aptè exponendas. Ait enim: *Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt vllæ.* Hinc colligit Richardus Laurenton. lib. 3. de laud. Virg. Peccata tenebræ sunt. Vndè Ioannes ipse Euang. cap. 3. ait, *Dilexerunt homines tenebras magis, quàm lucem. Non est autem conuentio lucis ad tenebras. Ideò in Maria nullæ peccati tenebræ. Ipsa enim erat sicut vitrum, quod illuminatum à sole non recipit nubilum. Ideo ei competit, quod de Sapientia dicitur:* cap. 7. *Sincera est, & ideò nihil coinquinatum incurrit in illam.* Videtur Richardus nouo iam Ecclesiæ plausui morem gerere, cum à sua circa immaculatam Deiparæ Conceptionem pristina opinione recessisse videatur.

EPISTOLA

BEATI IOANNIS APOSTOLI PRIMA.

PAulò post scriptum à D. Ioanne Euangelium Epistola hæc scripta fuit biennio scilicet ante mortem. Emerserat sub id tempus duplex hæresis, prior Cherinti, & Abionis Christi negantium Diuinitatem. Altera Basilidis, negantis veram Christi humanitatem. Vtramque Ioannes hâc Epistolâ euertit. Scribit verò ad Parthos Christicolas.

CAPVT I.

De Christi humanitate testis oculatus Ioannes disertè loquitur.

1. QVOD fuit ab initio, quod audiuimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectauerunt de verbo vitæ: 2. & vita manifestata est, & vidimus, & testamur, & annuntiamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis: 3. Quod vidimus & audiuimus, annuntiamus vobis, vt & vos societatem habeatis nobiscum, & societas nostra sit cum Patre, & cum Filio eius Iesu Christo. 4. Et hæc scribimus vobis vt gaudeatis, & gaudium vestrum sit plenum. 5. Et hæc est annuntiatio, quam audiuimus ab eo, & annuntiamus vobis: Quoniam Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt vllæ. 6. Si dixerimus quoniam

niam ſocietatem habemus cum eo, & in tenebris ambulamus, mentimur, & veritatem non facimus: 7. Si autem in luce ambulamus, ſicut & ipſe eſt in luce; ſocietatem habemus ad inuicem, & ſanguis Ieſu Chriſti, Filij eius, emundat nos ab omni peccato. 8. Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. 9. Si confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt, & iuſtus. vt remittat nobis peccata noſtra, & emundet nos ab omni iniquitate. 10. Si dixerimus quoniam non peccauimus, mendacem facimus eum, & verbum eius non eſt in nobis.

COMMENTARII.

VERS. 1.2.3.4.5. *Quod fuit ab initio, &c.*] *Annunciamus vobis*, ô Parthi, ô Chriſtiani, *de verbo vitæ*, ſeu Verbum vitæ (vt Syrus vertit.) Quale & quod ſit hoc Verbum, & omnia eò ſpectantia diximus iam Euangelij noſtri *initio*. Et id quidem eſt, *quod audiuimus* à diuinis oraculis, *quod vidimus oculis noſtris*, cum in carne nobiſcum degit: *quod manus noſtræ contrectauerunt*, ſeu euidenti experimento didiſcimus. *Verbum vitæ vocatur*, ſeu verbum viuum, vel viuificum; nam idem met Chriſtus ait Ioan. 10. 10. *Ego veni, vt vitam habeant, & abundantius* habeant. *Et vita manifeſtata eſt*, ſeu verbum, quod eſt vita, *& vidimus, & teſtamur*. Itaque nos, qui Chriſtum vidimus, idonei teſtes ſumus, *& annunciamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis*, ſeu annunciamus vobis Chriſtum, qui eſt vita æterna, quæ apud Patrem erat. Nam & verbum erat apud *Deum*. Ioan. 1. 1. & per incarnationem nobis apparuit. *Quod*, inquam, *vidimus, & audiuimus, annunciamus vobis, vt & vos ſocietatem habeatis nobiſcum*, ſeu *communionem* (ſic Græcè), in eadem fidei religione, & Eccleſia Chriſti: *& ſocietas noſtra ſit cum Patre, & cum Filio eius Ieſu Chriſto*, ſeu nos verò vna vobiſcum cum Patre & Filio Ieſu Chriſto arctiſſimè coniungamur. *Et hæc ſcribimus vobis, vt gaudeatis* in ſocietate Eccleſiæ Chriſti, eiuſque gratiæ quæ percipitis: & gloriæ quæ ſperatis: *& gaudium veſtrum ſit plenum*, ſeu ſolidum, & perfectum. Hoc eſt, vt veſtrum gaudium ex cæleſtium bonorum poſſeſſione, aut ſpe procedat. * Hæc enim ſolummodò plena ſunt gaudia, terrena vacua ſemper.] *Et hæc eſt annunciatio, quam audiuimus ab eo*. Seu id, quod vobis annunciamus, ab ipſo Chriſto audiuimus: *& vti audiuimus*, fideliter *annunciamus vobis*. *Quoniam Deus lux eſt, & tenebræ in eo non ſunt vlla*. Vt autem hoc gaudium verum, & plenum ſit debemus non in tenebris infidelitatis, & peccati conuerſari, ſed in fidei, & gratiæ luce. Nam cum Deus natura ſua lux ſit, expers prorſus tenebrarum: ſi velimus illi aſſociari, neceſſario debemus tenebris valedicere.

Terrena gaudia vacua sũt ſemper.

Verſ. 6.7.8.9.10. Si dixerimus, &c.] Porrò ſi dicere audeamus, *quoniam ſocietatem habemus cum eo, &* adhuc *in tenebris* infidelitatis aut peccati *ambulamus: mentimur, & veritatem non facimus*, ſeu mentimur verbo, & veritatem, quam ore profitemur, opere non præſtamus. * Ergo qui dicit ſe Chriſtianum, ſe Religioſum, ſe ſacerdotem eſſe, & Chriſtiani, Religioſi, aut ſacerdotis actiones non exponit, ingenuè mentitur.] *Si autem in luce ambulamus, ſicut & ipſe eſt in luce: ſocietatem habemus ad inuicem: & ſanguis Ieſu Chriſti Filij eius emundat nos ab omni peccato*. At ſi in luce fidei Euangelicæ, virtutis & gratiæ degimus, quemadmodum Deus ipſe in luce adeſt, imo lux ſubſtantialis eſt, & diuina: cum Deo & inter nos ſocietatem habemus. Ideo autem ſocietate huiuſmodi fruimur, quia ſanguis Chriſti nos ab omni peccato emundauit. Itaque illa coniunctio *Et* eſt cauſalis. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus: ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt*. Habuimus enim peccatum originale, & habemus, vel habebimus aliquod actuale piaculum, ſi diù vixerimus. *Si confiteamur peccata noſtra: fidelis eſt, & iuſtus*; in promiſſis fidelis. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur ei*. Iuſtus autem, ſeu æquus. Æquum enim eſt, Deoque dignum, vt reſipiſcenti peccata remittat. Et quia Chriſtus ſuo ſanguine nobis hanc remiſſionem promeruit. Vnde debita eſt ex iuſtitia, venia hæc non nobis, ſed Chriſto pro nobis morienti. Fidelis itaque eſt, & iuſtus, *vt remittat nobis peccata noſtra, & emundet nos ab omni iniquitate. Si dixerimus, quoniam non peccauimus: mendacem facimus eum: & verbum eius non eſt in nobis*. Quia Deus in Scriptura aſſerit, omnes homines eſſe peccatores Eccli. 7.21. Prou. 24. 16. Pſal. 141. 2. Iaco. 3. 2. & alibi. Vndè non intelligimus, non amplectimur, non retinemus veram eius doctrinam.

Mentitur, qui dicit, ſe Chriſtianum eſſe, ſi Chriſtiani opera non agit.

CAPVT

CAPVT II.

Monet fideles, vt in societate, quam cum Deo contraxerant, constanter perseuerent: Singulas, hominum ætates instruit, ad probè viuendum.

1, FILIOLI mei, hæc scribo vobis, vt non peccetis. Sed & si
quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem, Ie-
sum Christum iustum: 2. & ipse est propitiatio pro pec-
catis nostris; non pro nostris autem tantùm, sed etiam
pro totius mundi. 3. Et in hoc scimus quoniam cogno-
uimus eum, si mandata eius obseruemus. 4. Qui di-
cit se nosse eum, & mandata eius non custodit, mendax
est, & in hoc veritas non est. 5. Qui autem seruat verbum eius, verè in hoc
charitas Dei perfecta est: & in hoc scimus quoniam in ipso sumus. 6. Qui di-
cit se in ipso manere, debet, sicut ille ambulauit, & ipse ambulare. 7. Cha-
rissimi, non mandatum nouum scribo vobis, sed mandatum vetus, quod ha-
buistis ab initio: Mandatum vetus, est verbum quod audistis. 8. Iterùm
mandatum nouum scribo vobis, quod verum est & in ipso, & in vobis: quia te-
nebræ transierunt, & verum lumen iam lucet. 9. Qui dicit se in luce esse, &
fratrem suum odit, in tenebris est vsque adhuc. 10. Qui diligit fratrem suum,
in lumine manet, & scandalum in eo non est. 11. Qui autem odit fratrem suum,
in tenebris est, & in tenebris ambulat, & nescit quò eat: quia tenebræ obcæca-
uerunt oculos eius. 12. Scribo vobis, filioli, quoniam remittuntur vobis pec-
cata propter nomen eius. 13. Scribo vobis, patres, quoniam cognouistis eum,
qui ab initio est. Scribo vobis, adolescentes, quoniam vicistis malignum.
14. Scribo vobis, infantes, quoniam cognouistis patrem. Scribo vobis, iuue-
nes, quoniam fortes estis, & verbum Dei manet in vobis, & vicistis mali-
gnum. 15. Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Si quis di-
ligit mundum, non est charitas Patris in eo: 16. quoniam omne quod est in
mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ:
quæ non est ex Patre, sed ex mundo est. 17. Et mundus transit, & concupiscen-
tia eius. Qui autem facit voluntatem Dei, manet in æternum. 18. Filioli, nouissima
hora est: & sicut audistis quia Antichristus venit, & nunc Antichristi multi facti
sunt: vnde scimus, quia nouissima hora est. 19. Ex nobis prodierunt, sed non
erant ex nobis; nam, si fuissent ex nobis, permansissent vtique nobiscum: sed vt
manifesti sint quoniam non sunt omnes ex nobis. 20. Sed vos vnctionem
habetis à Sancto, & nostis omnia. 21. Non scripsi vobis quasi ignorantibus
veritatem, sed quasi scientibus eam: & quoniam omne mendacium ex verita-
te non est. 22. Quis est mendax, nisi is qui negat quoniam Iesus est Christus?
Hic est Antichristus, qui negat Patrem, & Filium. 23. Omnis qui negat Fi-
lium, nec Patrem habet: qui confitetur Filium, & Patrem habet. 24. Vos quod
audistis ab initio, in vobis permaneat: si in vobis permanserit quod audistis ab ini-
tio, & vos in Filio & Patre manebitis. 25. Et hæc est repromissio, quam ipse pol-
licitus est nobis, vitam æternam. 26. Hæc scripsi vobis de his, qui seducunt vos.
27. Et vos vnctionem quam accepistis ab eo, maneat in vobis. Et non necesse habe-
tis vt aliquis doceat vos: sed sicut vnctio eius docet vos de omnibus, & verum est,
& non est mendacium. Et sicut docuit vos: manete in eo. 28. Et nunc filioli, ma-
nete in eo: vt cùm apparuerit, habeamus fiduciam, & non confundamur ab eo in
aduentu eius. 29. Si scitis quoniam iustus est, scitote quoniam & omnis qui facit
iustitiam, ex ipso natus est.

COMMENTARII.

VERS. 1. 2. 3. 4. 5. 6. *Filioli mei, &c.*] *Hæc* ô filioli dilectissimi, *vobis scribo, vt non peccetis*, seu vt totis adhibitis viribus a peccatis abstineatis. *Sed & si quis peccauerit* humana illectus fragilitate, non desperet. *aduocatum* enim *habemus apud Patrem Iesum Christum iustum*, innocentem sanctum, qui sua sanctitate Patri gratissimus meretur exaudiri, quique iustè pro nostris criminibus satisfecit. * Quàm ineffabilis Christi charitas, quæ eum ex Iudice efficit aduocatum!] *Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris*, siquidem se in cruce offerens immaculatam victimam Patris iram extinxit: *non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi* delictis. Deo enim fuit victima infiniti valoris oblata. *Et in hoc scimus, quoniam cognouimus eum: si mandata eius obseruemus*, seu ex hoc colligemus, cum nos cognoscere, non solùm speculatiua, sterili prorsus cognitione: sed practica, & frugifera: si eius præscriptorum nos præstemus obseruatores. * Nam qui male operantur, abnegant, se verè Deum cognoscere. Quis enim ineffabilem Dei agnoscens bonitatem, pietatē, potentiam, delinquere audebit, & non potius contremiscet, se ingratum bonitati, ac pietati, potentiæ committere, qui tam acriter solet peccata punire. *Qui ergo dicit, se nosse eum, & mandata eius non custodit, mendax est, & in hoc veritas non est. Qui autem seruat verbum eius*, seu mandata custodit, *verè in hoc charitas Dei perfecta est*: seu hic perfectè, non ore tenus, Deum agnoscit, & diligit: *& in hoc scimus, quoniam in ipso sumus*, seu quod ei adhæremus, & arctè cum eo sumus adstricti. *Qui dicit, se in ipso manere*, vti membrum in corpore, & palmes in vite: *debet sicut ille ambulauit*, dum apud nos degit, *& ipse ambulare*. * Perspicuum enim est nostræ vnionis cum Christo documentum, si eius actiones æmulari studeamus.]

Charitas Christum ex Iudice efficit peccatorum aduocatum.

Deum minimè cognoscit, qui delinquere audet.

Qui manet in Christo, eius actiones æmulari studet.

Vers. 7. 8. 9. 10. 11. *Charissimi, non mandatum nouum, &c.*] Non vos hortor ad mandati noui obseruationem, loquor enim de mandato dilectionis Dei, & proximi; quod *mandatum* antiquū est, scilicet legis naturalis, & indictum etiam Iudæis in veteri lege. Leu. 19. 18. *quod* quidem mandatum *habuistis ab initio*, seu in quo ab initio vestræ conuersionis ad Christum instituti estis. *Verbum* itaque, *quod audistis* de dilectione Dei, & proximi, mandatum est non nouum, sed *vetus*. *Iterum mandatum nouum scribo vobis, quod verum est & in ipso, & in vobis*. Iterum vobis inculco mandatum hoc de dilectione Dei, & proximi, quod quidem vetus est, sed cum in desuetudinē abiisset, à Christo est renouatum, ideoque merito nouum appellatur. * Vnde licet Concionator quotidie vitia corripiat, quæ correcta non videt, non dicendus est vetera inculcare, sed semper noua proferre.] Mandatum itaque hoc vetus esse simul & nouum, verum plane est, & verificatur *in ipso* mandato, quod est legis naturalis & scriptæ esse vetus: & esse nouum *in vobis*, cum noua vita in Christo illud ex eius ore amplexi estis. *Quia tenebræ transierunt, & verum lumen iam lucet*. Tenebræ ignorantiæ, concupiscentiæ, & peccatorum quibus dilectio hæc impediebatur, euanuerunt: & Euangelij, fidei, gratiæque luminare rutilat, quod simul ignis est ardorem renouans charitatis. *Qui dicit, se in luce esse, & fratrem suum odit, in tenebris est vsque adhuc*, seu adhuc cæcitatis tenebris suffunditur. *Qui diligit fratrem suum, in lumine manet* fidei Christianæ qui etiam monet nos inimicos diligere: *& scandalum in eo non est*, seu nunquam impingit, sed inoffenso pede viam Dei mandatorum peragit. *Qui autem odit fratrem suum*, in tenebris est, & in tenebris ambulat, & nescit, quo eat, quia tenebræ obcæcauerunt *oculos eius*. * Profectò ira, odium, inuidia mentis oculos ità obtenebrant, vt impossibile sit in multis non errare.]

Quotidiana reprehensio de peccato non emendato, semper est noua.

Ira, odium, inuidia intellectus lumina obcæcant.

Vers. 12. 13. 14. 15. 16. 17. *Scribo vobis, filioli, &c.*] Hisce tribus versiculis proximis cum pueris, adolescentibus, & senibus loquitur. O filioli, seu pueri, hortor vos, vt gaudeatis, *quoniam remittuntur vobis peccata vestra propter nomen eius* Christum scilicet, per Baptismum: Deóque pro tanto beneficio gratias agite. *Scribo vobis, patres, quoniam cognouistis eum, qui ab initio est*. Vobis ô senes dierum antiquis gratulor, quod cognoueritis illum vere *antiquum dierum*, Deum scilicet, qui ab æterno est. *Scribo vobis, adolescentes, quoniam vicistis malignum*, seu dæmonem cum concupiscentiam superastis quibus ab illo iuuenilis ætas assolet oppugnari. *Scribo vobis infantes, quoniam cognouistis Patrem*. Ad vos redeo ô filioli, ô infantes, & vobis gratulor, quod verum Patrem Deum agnoueritis, & quod illum inuocare estis edocti. *Scribo vobis iuuenes*, & gratulor, *quoniam fortes estis*, auxilio superno; *& verbum Dei manet in vobis*, seu eius præcepta custoditis: *& vicistis malignum*, seu diabolum superastis. * Egregia plane Christianæ fidei victoria adolescentiam adeo agnatam vitiorum seductioni virtuti litare.] *Nolite* ergo *diligere mundum, neque ea, quæ in mundo sunt*, seu fugite à mundana vita, qualem sectantur ij, qui fluxis seruiunt cupiditatibus. *Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo*. Nam vti ait Apostolus, *Amicitia mundi inimica est Dei*, Iacob. 4. 4. *Quoniam omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ, quæ non est ex Patre, sed ex mundo est*. Dixerat. *Nolite diligere ea, quæ in mundo sunt*, iam exponit quænam sunt ea, quæ in mundo adsunt & debeant iuuenes minimè diligere. Quidquid igitur est in mundo hoc visibili aut voluptatum illecebris animum emolliunt, aut diuitiarum cupiditate inflammant, aut ambitu, & fastu extollunt. Cuius quidem corruptionis ac vitiis Deus auctor non est, sed ortum *omne*, id est, ex Adamo concupiscente, & peccante, cuius culpam mundus, seu mundani homines imitantur. *Et mundus transit, & concupiscentia eius*. * Ideo autem stultus est, qui mundum diligit, quia tempus peruolat, homines tempori subiecti eius lapsu senescunt, ex hac vita abripiuntur, & cum ipsis bonorum mundi spectabilium pereunt cupiditates: solum permanet rationis Iudici reddendæ formido.] *Qui autem facit voluntatem Dei, manet in æternum*, beati, ac interminabilis æui compos in cœlo effectus.

2\. Singulas hominum ætates instruit, ad rectè viuendum.

Victoria illustris Christianæ fidei est, adolescētes in virtute contineri.

Stultus est, qui bonum amat transiturum.

Vers. 18. 19. 20. 21. 22. 23. *Filioli, nouissima hora est*, seu vltima mundi ætas: *& sicut audistis*,

ſtis, quia Antichriſtus venit, & nunc Antichriſti multi facti ſunt. In hac vltima mundi ætate nouiſſimæ illius horæ ſeu finis ſæculi imaginem nunc habetis. Nam audiſtis extrema mundi ætate Antichriſtum futurum: & videtis iam non illum vnum perſecutorem, ſed multos Antichriſtos Chriſto contrarios, & veri Antichriſti præcurſores, qui Chriſti religionem impugnant. Hæreticos illius temporis ſubtaxat, quorum alij negabant Chriſtum Deum eſſe, alij eſſe verum hominem: vnde ſcimus, *quia nouiſſima hora eſt*, ſeu perſpicua quædam temporis illius nouiſſimi imago. *Ex nobis prodierunt, ſed non erant ex nobis.* Ex noſtro fidelium cœtu prodiere, à Chriſti fide ſemel ſuſcepta recedentes, ſed non erant veri, ac conſtantes fidei Chriſtianæ filij. Nam *ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent vtique nobiſcum: ſed vt manifeſti ſint, quoniam non ſunt omnes ex nobis.* Si fideles eſſent fidelium fratres, conſtanter in Eccleſia perſtitiſſent; *ſed egreſſi ſunt è nobis*, (Syrus ſic) *vt innoteſcat, eos ex nobis non fuiſſe.* * Qui in Religione irreligiosè viuunt, ſæpè permittuntur, ad ſæculum retrocedere, vt ſi eorum immodeſtiam, cum in Religione degebant ſæculares annotarant: videntes eos à Religione exturbatos, dignoſcerent, ex veris Religioſis ſociis minimè fuiſſe. Raro videris aliquem è Religione egreſſum, in cuius moribus non agnoſcas, cur ipſe deſeruit, vel coactus fuit regulare inſtitutum deſeruiſſe.] *Sed vos vnctionem habetis à ſancto, & noſtis omnia.* At vos à Spiritu ſancto edocti, ampliſſimam de rebus diuinis, & ad Eccleſiam pertinétibus aſſecuti eſtis, notitiam vt pluribus inſtruere haud ſit neceſſarium. *Non itaque ſcripſi vobis quaſi ignorantibus veritatem: ſed quaſi ſcientibus eã*, id in memoriam adduxi: *& quoniam omne mendacium ex veritate non eſt*; imò ſcripſi ſcientibus errores, & hæreſes, quæ circumferuntur, veritati omninò Chriſtianæ Religionis aduerſari. *Quis enim eſt mendax, niſi is, qui negat, quoniam*, ſeu quod *Ieſus eſt Chriſtus? Hic eſt Antichriſtus, qui negat Patrem, & Filium*, ſeu poteſt verè Antichriſtus appellari, qui abnegat Chriſtum eſſe Meſſiam: vnde tam Patrem, quam Filium negat. Quia negando Chriſtum eſſe Filium, Dei, negat Deum eſſe eius Patrem. Pater namque & Filius ſunt correlatiua, quorum lex eſt, vt mutuo ſe ponant, & tollant. *Omnis, qui negat Filium, nec Patrem habet*, ſeu Patrem non credit eſſe: *qui confitetur Filium, & Patrem habet*, ſeu Patrem credit eius Filij, quem confitetur, exiſtere.

Permittit Deus prauos Religioſos Religionem deſerere, vt conſtet ſolo indumento Regulares fuiſſe.

Qui Religionem deſerit, in moribus exponit, cur exierit.

Verſ. 24. 25. 26. 27. 28. 29. Vos quod audiſtis, &c.] *In vobis*, autem permaneat, ô fratres id *quod vos audiſtis ab initio*, ſeu perſiſtite in fide, & doctrina, quam primitus didiciſtis. *Si in vobis permanſerit, quod audiſtis ab initio: & vos in Filio, & Patre manebitis*, ſeu per veram fidem, & charitatem Patri, ac Filio adhærebitis. *Et hæc eſt repromiſſio, quam ipſe pollicitus eſt nobis, vitam æternam.* Et quidem vitam æternam Deus promiſit nobis, ſi ſcilicet in ipſo maneamus: *Hæc ſcripſi vobis de his, qui ſeducunt vos*, ſeu ſeducere ſatagunt. *Et vos vnctionem, quam accepiſtis ab eo, maneat in vobis*, ſeu hortor, vt in vobis permaneat vnctio, ſeu ſapientia & gratia; quam à Spiritu ſancto accepiſtis. *Et non neceſſe habebitis, vt aliquis doceat vos. Sed ſicut vnctio*, ſeu Sapientia Dei *eſt, docet vos* vberrim *de omnibus, & verum eſt, & non eſt mendacium* quodcumque pertinens ad doctrinam ab Eccleſiæ doctoribus exaudiſtis ab Spiritu ſancto edoctis. Vnde qui illos audit, doctrinam ſe putet ab ipſo Spiritu ſancto accepiſſe. *Et ſicut docuit vos, manete in eo*, ſeu nihil aliud credatis, niſi quod Spiritus ſanctus vos docuit, in eaque doctrina permanete. *Et nunc filioli, manete in eo, vt cum apparuerit* in gloria mundum iudicaturus, *habeamus fiduciam* ſiſtendi nos illi, conſcientia nos non accuſante: *& non fundamur ab eo in aduentu eius. Si ſcitis, quoniam iuſtus eſt*, ſeu cum ſciatis Chriſtum eſſe iuſtum, imo ipſam iuſtitiam, *ſcitote*, ſeu conſequenter ſcietis, *quoniam & omnis, qui facit iuſtitiam*, ſeu iuſte viuit, *ex ipſo natus eſt*, per gratiam, & cæleſtis hæreditatis poſſeſſionem obtinebit.

CAPVT III.

Extollit ineffabile diuinæ adoptionis beneficium. Ad illam retinendam, media præſcribit.

1. VIDETE qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei
nominemur & ſimus. Propter hoc mundus non nouit nos:
quia non nouit eum. 2. Chariſſimi, nunc filij Dei ſumus:
& nondum apparuit quid erimus, Scimus quoniam cùm ap-
paruerit, ſimiles ei erimus: quoniam videbimus eum ſicuti
eſt. 3. Et omnis qui habet hanc ſpem in eo, ſanctificat ſe,
ſicut & ille ſanctus eſt. 4. Omnis qui facit peccatum, &
iniquitatem facit: & peccatum eſt iniquitas. 5. Et ſcitis quia ille apparuit vt pec-
cata noſtra tolleret: & peccatum in eo non eſt. 6. Omnis qui in eo manet, non
peccat, & omnis qui peccat, non vidit eum, nec cognouit eum. 7. Filioli, nemo
vos ſeducat. Qui facit iuſtitiam, iuſtus eſt: ſicut & ille iuſtus eſt. 8. Qui facit pec-
catum, ex diabolo eſt: quoniam ab initio diabolus peccat. In hoc apparuit Filius
Dei, vt diſſoluat opera diaboli. 9. Omnis qui natus eſt ex Deo, peccatum non fa-

cit; quoniam ſemen ipſius in eo manet, & non poteſt peccare, quoniam ex Deo natus eſt. 10. In hoc manifeſti ſunt filij Dei, & filij diaboli. Omnis qui non eſt iuſtus, non eſt ex Deo, & qui non diligit fratrem ſuum, 11. quoniam hæc eſt annuntiatio, quam audiſtis ab initio, vt diligatis alterutrum. 12. Non ſicut Caïn, qui ex maligno erat, & occidit fratrem ſuum. Et propter quid occidit eum? Quoniam opera eius maligna erant: fratris autem eius, iuſta. 13. Nolite mirari, fratres, ſi odit vos mundus. 14. Nos ſcimus quoniam tranſlati ſumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. Qui non diligit, manet in morte: 15. omnis, qui odit fratrem ſuum, homicida eſt. Et ſcitis quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in ſemetipſo manentem. 16. In hoc cognouimus charitatem Dei, quoniam ille animam ſuam pro nobis poſuit: & non debemus pro fratribus animas ponere. 17. Qui habuerit ſubſtantiam huius mundi, & viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo: quomodo charitas Dei manet in eo? 18. Filioli mei, non diligamus verbo, neque lingua, ſed opere & veritate. 19. In hoc cognoſcimus quoniam ex veritate ſumus: & in conſpectu eius ſuadebimus corda noſtra. 20. Quoniam ſi reprehenderit nos cor noſtrum: maior eſt Deus corde noſtro, & nouit omnia. 21. Chariſſimi, ſi cor noſtrum non reprehendit nos, fiduciam habemus ad Deum: 22. & quidquid petierimus, accipiemus ab eo: quoniam mandata eius cuſtodimus, & ea quæ ſunt placita coram eo, facimus. 23. Et hoc eſt mandatum eius: vt credamus in nomine Filij eius Ieſu Chriſti: & diligamus alterutrum, ſicut dedit mandatum nobis. 24. Et qui ſeruat mandata eius, in illo manet, & ipſe in eo: & in hoc ſcimus quoniam manet in nobis de Spiritu, quem dedit nobis.

COMMENTARII.

1. *Ineffabile diuinæ adoptionis beneficiū extollit.*

VERS. 1. 2. 3. 4. 5. 6. *Videte, qualem charitatem, &c.*] Videte igitur, *qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur, & ſimus.* Perpendite quanta à Patre cæleſti dilectione fuerimus donati, vt non ſolum Dei filij per adoptionem nominemur, ſed & reipſa ſimus. *Propter quod mundus non nouit nos, quia non nouit eum.* Ideo homines mundi amatores deſpiciunt hanc Chriſtianorum filiationem, quia Deum non nouerunt practice ſaltem, ſeu eum non colunt. *Chariſſimi, nunc filij Dei ſumus, & nondum apparet, quid erimus.* Erimus enim Deo ſimiles, vt mox exponit. *Scimus, quoniam cum apparuerit, ſimiles ei erimus.* Compertum habemus fide magiſtra: quod cum Chriſtus Dei Filius ad iudicandum venerit, Deo ſimiles erimus non natura, ſed gloria æterna, quæ in eo conſiſtit, quia *videbimus eum, ſicuti eſt. Et omnis, qui habet hanc ſpem in eo, ſanctificat ſe, ſicut & ille ſanctus eſt.* Profectò qui ſpem habet illa felicitate potiendi, ſe purificat, luſtrat, expiat à peccatorum labe, vt ſanctus reddatur, vt Deum, qui infinite eſt ſanctus, pro humano modulo æmuletur. Dixit ipſe Leuit. 11. 44. *Sancti eſtote, quia ego ſanctus ſum. Omnis, qui facit peccatum, & iniquitatem facit, & peccatum eſt iniquitas.* Qui peccat, agit iniquitatem, ſeu ab æquitate recedit: nam peccatum quid eſt niſi à diuinæ legis æquitate receſſus? *Et ſcitis, quia ille apparuit, vt peccata noſtra tolleret: & peccatum in eo non eſt.* Cum autem Chriſtus in mundum propterea venerit, vt pro peccatis noſtris ſatisfaceret, eaque aboleret: æquum non eſt, vt nos in crimina relabamur. * Rurſum enim peccantes videntur infinitum redemptionis pretium contemnere.] *Omnis*, qui in eo manet, non peccat,

Qui peccat, videtur infinitum redēptionis pretium contemnere.

quamdiu ſcilicet, manet in Chriſto, illiuſque ductum ſequitur: *& omnis, qui peccat, non vidit eum, nec cognouit eum* practice ſcilicet. Nam qui practicè perpendit immenſum Chriſti amorem & acceptorum ab eo beneficiorum magnitudinem præcipuè redemptionis, à peccandi affectu omninò abſtinebit. Quomodo enim quis Chriſtum pro eo cruci ſuffixum dirior crimine vulnerare poteſt.]

Qui beneficium redemptionis perpendit, quaſi impeccabilis redditur.

Verſ. 7. 8. 9. 10. 11. 12. *Filioli, nemo vos ſeducat.* Haud vos, ô chariſſimi ſeducamini ab his hæreticis, qui edocent, homines fide ſola iuſtificari, nec iuſtitiam bonam requiri operationem. *Qui* enim *facit iuſtitiam, iuſtus eſt*, non qui ſolummodo credit, eſt iuſtus; ſed qui iuſta opera gerit. *Qui facit peccatum, ex diabolo eſt: quoniam ab initio diabolus peccat.* Ex diabolo eſt qui delinquit gremio, quia eius ſuggeſtiones ſequitur, & actiones æmulatur, nam ille paulo poſt ſuam creationem deliquit ingratus. Peccat etiam ab initio peccati, & peccatorum: quia ipſe primò peccauit. Adæquè cæteriſque peccandi ſuggeſſit initium. Profectò dicitur de præſenti: *Ab initio peccat*, ſeu ſemper quodammodo delinquit, quia cum magiſter peccandi fuerit cunctis hominibus qui deliquerunt, cum hi delinquunt, quaſi cum diſcipulis ille delinquere videtur. Vnde corripiendi ſunt errorum, vel criminum magiſtri, vel calamo, vel lingua. Quoties enim qui audierunt, aut legerunt peccant, magiſter quodāmodo deliquiſſe præſumitur.] *In hoc apparuit Filius Dei, vt diſſoluat opera diaboli.* Venit enim Chriſtus, vt peccata noſtra tolleret, quæ quidem ſunt diaboli opera, ſeu quæ diaboli inſtigatione ab homine fuere patrata. *Omnis, qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit, quoniam ſemen ipſius in eo manet, & non poteſt peccare, quoniam ex Deo natus eſt*, ſeu peccare non poteſt quatenus ex Deo natus eſt, & quamdiu natiuitatem hanc, & ſemen gratiæ Dei, qua renatus eſt, conſeruat, eiuſque ductum ſequitur. * Aptius dixerim.

Magiſtri peccati peccare videntur, quoties diſcipuli delinquunt.

Filius

Filius Dei effectus per peccati remissionem,& diuinam adoptionem, tam obæratum homo tanto se largitori recognoscit, vt sibi minimè posse iam peccare videatur,nè ingratum se Deo exhibeat: affectu quidem, quo Patriarcha Ioseph Ægyptiæ dicebat: *Quomodo possum hoc malum facere, &c.*] *In hoc manifesti sunt filij Dei, & filij diaboli*, seu hisce duobus indicamentis filij Dei, & diaboli filij agnoscuntur, seu iusti secernuntur ab iniquis: *Omnis,qui non est iustus, non est ex Deo: & qui non diligit fratrem suum: quoniam hæc est annunciatio, quam audistis ab initio,vt diligatis alterutrum.* Qui iustè non operatur,& proximum non diligit, præsertim Christianum, filius Dei non est, sed diaboli; quia hæc est res annunciata, & annuncianda semper, seu nuncium è cælo, vbi est verus Pater, à Christo allatum, & quod nos eius Apostoli vobis indicimus: Diligite inuicem. *Non sicut Cain, qui ex maligno* diabolo *erat*, *& occidit fratrem suum* Abelem. *Et propter quid occidit eum? Quoniam opera eius maligna erant; fratris autem eius iusta.* Ideo Deus ad Abelis munera respiciens, Caïni despexit oblationem; vndè orta est inuidia, quæ in homicidium erupit.Gen.4.

Beneficium adoptionis in Dei filios nos quodammodò impeccabiles efficit.

Vers. 13.14.15.16.17. *Nolite mirari, fratres, &c.*] Non miremini ô fratres,*si odit vos mundus,* Id enim, quod est deterius, semper odio prosequitur id quod melius est, illique insidiatur vti Cain fratri suo Abel.] *Nos scimus,quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres.* Nos quidem certitudine quadam morali, & coniecturali ex bonæ conscientiæ testimonio concepta existimamus,de morte peccati ad vitam gratiæ esse translatos,quoniam fratres seu proximos dilectione prosequimur. * Dilectio enim proximi signum est,& effectus gratiæ sanctificantis.] *Qui* fratrem seu proximum *non diligit*, quandò, & quomodo debet, *manet in morte* peccati. *Omnis* enim *qui odit fratrem suum, homicida est*, saltem ex affectu. Vix enim qui plene odio afficitur, suum inimicum deleri desiderat.] *Et scitis,quoniam omnis homicida non habet vitam æternam*, seu non habet gratiam, quæ semen est gloriæ, *in semetipso manentem. In hoc cognouimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit: & nos debemus pro fratribus animas ponere*, cum lex charitatis præscribit, vt vitam temporalem pro vita spirituali proximi Deo offeramus. *Qui habuerit substantiam huius mundi*, seu diues fuerit, *& viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo*, seu indurato animo, noluerit illius inopiam subleuare; *quomodo charitas Dei manet in eo?*

Iniustus odio habet iustum.

Signum est, quòd in gratia sumus, fraterna proximi dilectio.

Vix datur odium sine homicidio.

*Vers.*18.19.20.21.22.23.24. *Filioli mei,&c.*] *Non diligamus*, ô filij, proximum *verbo & lingua*: sed opere, *& veritate*, seu non ore, sed manu munifica: *in hoc cognoscimus, quoniam ex veritate sumus.* Si dilexerimus non lingua,sed opere, dignoscemus, in veritate nos ambulare: *& in conspectu eius suadebimus corda nostra*; seu in conspectu Dei & Christi omnia cernenti persuadebimus, corda nostra esse ex veritate. *Quoniam reprehenderit nos cor nostrum: maior est Deus corde nostro, & nouit omnia.* Si conscientia nos arguat, & condemnet: etiamsi hoc celare nitamur,frustra laborabimus: Deus enim scrutator cordium omnia in eis abditissima aspectat, & seduci non valet. *Charissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum accedendi, & quidquid petierimus ab eo, quoniam mandata eius custodimus, & ea, quæ sunt placita coram eo, facimus.* * Si petens non accipis,vereor, ne causa sit, te à corde, seu à conscientia reprehendi.] *Et hoc est mandatum eius: Vt credamus in nomine Filij eius Iesu Christi*: Dixerat Apostolus, nos accepturos quidquid postulauerimus, quia eius custodimus mandata: nunc quænam illa mandata sint,exponit. Hoc itaque est primum mandatum, vt credamus in Christum, illumque colamus. *Et diligamus alterutrum.* Et alterum de fraterna dilectione mandatum. Profectò in duobus hisce mandatis *vniuersa lex pendet*. Matth. 22. 40. Addit Ioannes: *Sicut dedit mandatum nobis*,cum dixit: *Hæc mando vobis, vt diligatis inuicem.* * Cur non dixit. Hoc mando,Sed *Hæc?* Certè, quia in vno dilectionis mandato omnium mandatorum vis continetur.] *Et qui seruat mandata eius, in illo manet, & ipse in eo: & in hoc scimus, quoniam manet in nobis*, seu hoc id agnoscimus indicio, *de spiritu,quem dedit nobis*, seu quia spiritum ab illo accepimus filiorum, in quo clamamus *Abba Pater*, & eum retinere curamus, confidimus in nobis perseuerare. Vndè vt filij confidenter à Deo possumus postulare.

Qui petens à Deo, non accipit. Videat, num à conscientia reprehendatur.

In vno mandato dilectionis omnia mandata continentur.

CAPVT IV.

Disserit de fide, ac fraterna charitate. Quàm multis nominibus commendat, & extollit.

1. CHARISSIMI, nolite omni spiritui credere,sed probate spiritus si ex Deo sint: quoniam multi pseudoprophetæ exierunt in mundum. 2. In hoc cognoscitur spiritus Dei: omnis spiritus qui confitetur Iesum Christum in carne venisse,
ex Deo est: 3. & omnis spiritus, qui soluit Iesum, ex Deo
non est; & hic est Antichristus,de quo audistis quoniam venit, & nunc iam in mundo est. 4. Vos ex Deo estis, filioli,
& vicistis eum, quoniam maior est qui in vobis est, quàm qui in mundo. 5. Ipsi
de mundo sunt: ideò de mundo loquuntur, & mundus eos audit. 6. Nos ex Deo

ſumus. Qui nouit Deum, audit nos: qui non eſt ex Deo, non audit nos: in hoc
cognoſcimus ſpiritum veritatis, & ſpiritum erroris. 7. Chariſſimi, diligamus nos
inuicem: quia charitas ex Deo eſt. Et omnis qui diligit, ex Deo natus eſt, & co-
gnoſcit Deum. 8. Qui non diligit, non nouit Deum: quoniam Deus charitas
eſt. 9. In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam Filium ſuum vni-
genitum miſit Deus in mundum, vt viuamus per eum. 10. In hoc eſt cha-
ritas: non quaſi nos dilexerimus Deum, ſed quoniam ipſe prior dilexit nos,
& miſit Filium ſuum propitiationem pro peccatis noſtris. 11. Chariſſimi, ſi
ſic Deus dilexit nos: & nos debemus alterutrum diligere. 12. Deum nemo
vidit vnquam. Si diligamus inuicem, Deus in nobis manet, & charitas eius
in nobis perfecta eſt. 13. In hoc cognoſcimus quoniam in eo manemus,
& ipſe in nobis: quoniam de Spiritu ſuo dedit nobis. 14. Et nos vidimus,
& teſtificamur, quoniam Pater miſit Filium ſuum Saluatorem mundi. 15. Quiſ-
quis confeſſus fuerit quoniam Ieſus eſt Filius Dei, Deus in eo manet, & ip-
ſe in Deo. 16. Et nos cognouimus, & credidimus charitati, quam habet
Deus in nobis. Deus Charitas eſt: & qui manet in charitate, in Deo ma-
net, & Deus in eo. 17. In hoc perfecta eſt charitas Dei nobiſcum, vt fidu-
ciam habeamus in die iudicij: quia ſicut ille eſt, & nos ſumus in hoc mundo.
18. Timor non eſt in charitate: ſed perfecta charitas foras mittit timorem: quo-
niam timor pœnam habet, qui autem timet, non eſt perfectus in charitate. 19. Nos
ergo diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos. 20. Si quis dixerit quo-
niam diligo Deum, & fratrem ſuum oderit, mendax eſt. Qui enim non diligit
fratrem ſuum quem videt, Deum quem non videt, quomodo poteſt diligere?
21. Et hoc mandatum habemus à Deo: vt qui diligit Deum, diligat & fratrem
ſuum.

COMMENTARII.

1. *De fide ac fraterna charitate differit.*

VERS. 1.2.3.4.5.6. *Chariſſimi, nolite, &c.*] Nolite, ô fratres, ſi ab errore liberi eſſe velitis, *credere omni ſpiritui*, ſeu omni ſuggeſtioni, inſpirationi, ſuaſioni, doctrinæ: *ſed probate ſpiritus, ſi ex Deo ſint*, ſeu illam doctrinæ traditionem ad examen vocate, vt videatis an congruens ſit Apoſtolorum, ſeu Eccleſiæ dogmatibus. *Quoniam multi pſeudo-Prophetæ exierunt in mundum*, falſam, & noxiam doctrinam proferentes, ad decipiendum. *In hoc cognoſcetur ſpiritus Dei*, ſeu regulam hanc vobis trado, ad cognoſcendum, num ſpiritus ex Deo ſit, annon. *Omnis ſpiritus*, ſeu inanis doctrina quæ *confitetur Ieſum Chriſtum in carne veniſſe, ex Deo eſt Et omnis ſpiritus, qui ſoluit Ieſum, ex Deo non eſt.* Ieſus quippe eſt quid colligatum, & compoſitum ex diuino ſuppoſito & humana natura per vnionis hypoſtaticæ vinculum: & inſeparabiliter illi annexum eſt imperium totius vniuerſi, & dignitas mediatoris, Doctoris, & legiſlatoris. Quicumque compoſitum hoc *ſoluerit*, negans vel Ieſum eſſe Deum (vt Cerinthus, Ebion) vel eſſe verum hominem (vt Simon Magus) vel vnicam eſſe perſonam (vt Neſtorius) vel meritum, & gratiam eius eſſe neceſſariam (vt Pelagius) vel legem illius, & doctrinam contempſerit; (vt contemnunt omnes hæretici) *ex Deo non eſt*, ſed ex diabolo, *& hic eſt Antichriſtus, de quo audiſtis, quoniam venit*, ſeu venire debet, & certo veniet: *& nunc iam in mundo eſt*, non in perſona, ſed in ſpiritu, ſeu in ſuis præcurſoribus, qui Anti-Chriſti vocitantur, ſicut Ioannes vocatur Elias, Mat. 17.12. *Vos ex Deo eſtis, filioli, & viciſtis eum*, ſpiritum Anti-Chriſti, ſpiritum erroris, & hæreſis; *quoniam maior eſt, qui in vobis eſt, quam qui in mundo*, ſeu Chriſtus, qui in vobis viuit, & operatur, potentior eſt Anti-Chriſto potentiſſimo cuique, imò & toto mūdo aduerſus doctrinam Euangelicam decertāte. *Ipſi* omnes qui Euangelium deſpiciunt, *de mundo ſunt, & ideo de mundo loquuntur: & mundus eos audit.* Hæretici non ſunt ex Deo, ſed ex mundo amant opes, honores, & voluptates mundi: eaque prædicant: & a mundanis, qui quæ ſunt mundi ſolummodo ſapiunt, libenter audiuntur. Concionator, quem ſectatores mundi acclamant, indicamentum dat, de mundo proloqui.] *Nos ex Deo ſumus. Qui nouit Deum, audit nos: qui non eſt ex Deo, non audit nos; in hoc cognoſcimus ſpiritum veritatis, & ſpiritum erroris.* Nam qui nos audit, & monitis noſtris obtemperat, exponit ſe ſpiritu veritatis illuminari: qui verò doctrinæ noſtræ aures obturat, ſpiritu erroris ſe obtenebrari, manifeſtat.

Concionator, quem mundi ſectatores acclamant, de mūdo loquitur.

Verſ. 7.8.9.10.11.12.13. *Chariſſimi, diligamus nos inuicem, &c*] Inuicem nos ô chariſſimi, diligamus: *quia charitas ex Deo eſt*, ſeu præſtantiſſimum Dei donum ex lege Dei præſcripta, & ſæpiſſimè à Deo commendata. Et omnis, qui diligit, ſeu fraternæ charitatis præceptum implet, *ex Deo natus eſt*, ſeu verè ſe Dei filium exponit: *& cognoſcit Deum.* Nam qui non diligit Deum, & proximum, licet ſpeculatiuè Deum agnoſcat, practice tamen minimè agnouit. *Qui non diligit; non nouit Deum; quoniam Deus charitas eſt.* Æquè poterat dicere, Deus iuſtitia eſt iniquos puniturus. Aſt noluit eum ex iuſtitia, ſed ex charitate, & miſericordia definire, vt eius erga peccatores pietatem oſtendat.] *In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam Filium ſuum vnigenitum miſit Deus in mundum, vt viuamus per eum.* Seu in hoc Deus oſtendit ſuum

Deus non ex iuſtitia, ſed charitate vult definiri.

erga

erga nos charitatis ineffabilis affectum, quia suum Filium vnigeoitum misit ad terras, vt nunc vita gratiæ, & postmodum vita gloriæ donemur. * Charitas enim munifica est: & dum non extat munus, charitas non patescit.] *In hoc est charitas: non quasi nos dilexerimus Deum,* seu diuinus amor in hoc eluxit, quod nos prius eum diligentes, ipsius amorem prouocauerimus; *sed quoniam ipse prior dilexit nos, & misit Filium suum propitiationem pro peccatis nostris,* seu quia Deus præueniens amorem nostrom suis auxiliis, gratia, & beneficiis, ad nos Christum immisit hostiam pro criminibus nostria abolendis, & pro Patre nobis propitiando litandam. *Charissimi, si sic Deus dilexit nos: & nos debemus alterum diligere.* Nam cum Deo, qui rebus nostris non eget, quidquam rependere non valeamus: reliquum est, vt Dei amore in proximos oostram beneficentiam, & amoris effectus deriuemus. *Deum nemo vidit vnquam. Si diligamus inuicem, Deus in nobis manet, & charitas eius in nobis perfecta est.* Diligite proximos; hanc enim dilectionem quasi in se collatam Deus reputat. Vndè licet eum non videamus, tamen si proximum diligimus, adeo nobis præseos aderit, vt eum quodammodo videamus. * Itaque qui Deum, quem nemo hîc nunquam videt, hîc cupit videre, seu ita præsentire, ac si plane aspiceret, proximum diligat.] *In hoc cognoscimus, quoniam in eo manemus, & ipse in nobis: quoniam de Spiritu suo dedit nobis.* Id nobis indicamentum erit, quod Deo per gratiam, & charitatem hæreamus; quia amando proximum nos spiritus sui fecit æmulatores.

Charitas est, munifica.

Dilectio proximos facit Deū vel hîc quodāmodo videre.

Vers. 14.15.16.17.18.19.20.21. Et nos vidimus, &c.] Nos verò testes oculati *testificamur, quoniam Pater misit Filium suum saluatorem mundi. Quisquis* autem *confessus fuerit, quoniam Iesus est Filius Dei: Deus in eo manet, & ipse in Deo:* in eo quidem Deus per veram fidem, & professionem illam, quæ includit charitatem: ipse in Deo, quia ei per charitatem adhæret. *Et nos cognouimus, & credidimus charitati, quam habet Deus in nobis.* Seu nos re ipsa comperimus, & fide complexi sumus singularem Dei in nos charitatem, qua rebus humanis per Christum saluatorem subuenit, *Deus charitas est.* Dat causam, cur dixerit: & nos *credimus charitati.* Porrò Deus est charitas, & amor increatus in se: in nobis autem causalis, quia charitatem in nobis producit: *& qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Particula *Et* pro *Idcircò* ponitur. Infertur enim hæc quasi conclusio ex antecedenti: ac si dicat: Deus charitas est: Ergo qui manet in charitate, manet in Deo, cum sint vnum ac idem, Deus & charitas. *In hoc perfecta est charitas Dei nobiscum, vt fiduciam habeamus in die iudicij,* seu ex hoc signo dignoscimus perfectam nos charitatem habere, si abiecta formidine, extremi iudicij diem magna spe, ac confidentia præstolemur. *Quia sicut ille est, & nos sumus in hoc mundo.* Fiducia nostra in eo stabilitur, quia sicut Christus est sanctus, & immaculatus: ita & nos conamur esse ab omni peccati labe omninò immunes, & illius charitatis fieri imitatores. *Timor non est in charitate: sed perfecta charitas foras mittit timorem.* Charitas seruiliter non timet, sed pœnitus eum excludit timorem: *quoniam timor pœnam habet; qui autem timet non est perfectus in charitate.* Qui seruiliter timet expectatione pœnæ qua affici formidat, excruciatur: vndè patet haud esse in charitate perfectum. *Nos ergò diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos.* & par est nos amori amorem rependere, maximè cum Deus nos sua ineffabili charitate præuenerit. *Si quis dixerit: Quoniam diligo Deum, & fratrem suum oderit: mendax est.* Quia charitas ergà Deum se ad proximi amorem extendit, qui est Dei imago, eamque complectitur. *Qui enim non diligit fratrem suum, quem videt: Deum, quem non videt, quomodò potest diligere?* Quià natura compertum est, vt amor, & affectus in sensibilia quæ aspicimus, abripiatur. *Et hoc mandatum habemus à Deo: vt qui diligit Deum, diligat & proximum suum.* Diuina lex, quæ iubet, Deum diligere, iubet etiam, diligere proximum: & *in his duobus mandatis tota lex pendet.* Mat. 22. 40.

CAPVT V.

Confirmat, quæ de fide & amore in Deum, in Christum & in proximum dixerat. Huius amoris fructus enunciat.

1. OMnis qui credit, quoniam Iesus est Christus, ex Deo na-
tus est. Et omnis qui diligit eum qui genuit, diligit & eum
qui natus est ex eo. 2. In hoc cognoscimus quoniam di-
ligimus natos Dei, cùm Deum diligamus, & mandata eius
faciamus. 3. Hæc est enim charitas Dei, vt mandata eius
custodiamus: & mandata eius grauia non sunt. 4. Quo-
niam omne quod natum est ex Deo, vincit mundum: &
hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra. 5. Quis est, qui vincit mun-
dum, nisi qui credit quoniam Iesus est Filius Dei? 6. hic est, qui venit per a-
quam & sanguinem, Iesus Christus: non in aqua solùm, sed in aqua & sanguine.
Et Spiritus est, qui testificatur, quoniam Christus est veritas. 7. Quoniam tres
sunt,

ſunt, qui teſtimonium dant in cælo: Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus, & hi tres
vnum ſunt: 8. Et tres ſunt, qui teſtimonium dant in terra: Spiritus, & aqua,
& ſanguis: & hi tres vnum ſunt. 9. Si teſtimonium hominum accipimus, teſti-
monium Dei maius eſt: quoniam hoc eſt teſtimonium Dei, quod maius eſt, quo-
niam teſtificatus eſt de Filio ſuo. 10. Qui credit in Filium Dei, habet ei teſtimo-
nium Dei in ſe. Qui non credit Filio, mendacem facit eum: quia non credit in
teſtimonium quod teſtificatus eſt Deus de Filio ſuo. 11. Et hoc eſt teſtimonium,
quoniam vitam æternam dedit nobis Deus. Et hæc vita in Filio eius eſt. 12. Qui
habet Filium, habet vitam: qui non habet Filium, vitam non habet: 13. Hæc
ſcribo vobis: vt ſciatis quoniam vitam habetis æternam, qui creditis in nomine Fi-
lij Dei. 14. Et hæc eſt fiducia, quam habemus ad eum: Quia quodcumque petie-
rimus ſecundum voluntatem eius, audit nos. 15. Et ſcimus quia audit nos quid-
quid petierimus: ſcimus quoniam habemus petitiones quas poſtulamus ab eo.
16. Qui ſcit fratrem ſuum peccare peccatum non ad mortem petat, & dabitur ei vita
peccanti non ad mortem. Eſt peccatum ad mortem: non pro illo dico vt roget quis.
17. Omnis iniquitas, peccatum eſt: & eſt peccatum ad mortem. 18. Scimus
quia omnis qui natus eſt ex Deo, non peccat: ſed generatio Dei conſeruat eum, &
malignus non tangit eum. 19. Scimus quoniam ex Deo ſumus: & mundus totus
in maligno poſitus eſt. 20. Et ſcimus: quoniam Filius Dei venit, & dedit nobis
ſenſum vt cognoſcamus verum Deum, & ſimus in vero Filio eius. Hic eſt verus
Deus, & vita æterna. 21. Filioli, cuſtodite vos à ſimulacris. Amen.

COMMENTARII.

1. *Cõfirmat, quæ de fide, & amore in Deũ, in Chriſtum & in proximũ dixerat.*

VERS. 1.2.3.4.5.6.7.8. *Omnis, qui credit, &c.*] Qui credit fide viua quæ ad charitatem ſe extendit, & per dilectionem operatur, *quoniam* vel quia *Ieſus eſt Chriſtus*, ſeu *Meſſias*, *ex Deo natus eſt*; ſeu ad filiationem adoptiuam eleuatur, qua homo fit non ſolùm amicus, ſed & diuinæ naturæ conſors, vt aiebat D. Petrus Epiſt. 2. cap. 1. 5. *Et omnis, qui diligit eum, qui genuit, diligit eum, qui natus eſt ex eo.* Seu qui Deum omnium Patrem diligit, debet etiam diligere filios ab eo genitos, ſeu fideles, qui eiuſdem Patris filij cum ſint, ſunt & fratres noſtri. *In hoc cognoſcimus*, ſeu cognitum facimus, quoniam ſeu quia diligimus proximos *natos Dei*, *cum Deum diligamus, & mandata eius faciamus.* Nam ſi Dei præſcripta implemus, diligemus proximum, quia hoc eſt vnum ex diuinis mandatis: & ex hoc conſtabit Deum nos diligere.

Quãtũ à proximi amore recedis, tantũ à Dei amore abſceſſiſti.

* Quantum igitur à proximi amore receſſeris, tantum te à Dei amore abſceſſiſſe non dubites.] *Hæc eſt enim charitas Dei, vt mandata eius cuſtodiamus: & mandata eius grauia non ſunt.* Charitas erga Deum in hoc conſiſtit, vt eius præſcripta obſeruemus, quæ quidem grauia amanti non ſunt, ſed admodum leuia iuxta illud: *Iugum meum ſuaue eſt, & onus meum leue.* Matth. 11. 30. Eſt enim lex gratiæ & amoris.

Amanti nihil difficile.

* Nihil difficile, nihil graue eſt amanti.] *Quoniam omne, quod natum eſt ex Deo, vincit mundum:* Filij Dei, ſeu veri Chriſtiani facilè vincunt mundi cupiditates quæ charitati obſiſtunt, & iugum mandatorum Dei grauæ reddunt. *Et* quidem *hæc eſt victoria, quæ vincit*, ſeu, quæ victrix euadit, *fides noſtra* non nuda, ſed charitatis actionibus ornata, *Quis eſt, qui vincit mundum, niſi qui credit, quoniam Ieſus eſt Filius Dei?* credendo enim ſperat, ſperando inuocat, inuocando virtutem accipit, qua roboratus mundum debellat: *hic eſt qui venit per aquam & ſanguinem, Ieſus Chriſtus*, ſeu Meſſias, qui venit in mundum, vt ſanguine ſuo homines redimeret, & aqua Baptiſmatis expiaret: *non in aqua ſolùm, ſed in aqua & ſanguine.* Satis non fuiſſet eius charitati nos aqua diluere, niſi & lauachrum ſanguinis addidiſſet. Quaſi ſe vere amantem non reputaret, niſi pro amatis pateretur.]

Agnatum eſt vero amanti pro amato velle pati.

* Simul nos docet, ad diluenda crimina aqua vſuros, & ſanguine, hoc eſt, lacrymarum profluxui addendam eſſe ieiunij, flagelli, & cilicij aſperitatem.]

Aqua & ſanguine peccata abluenda.

Et ſpiritus eſt, qui teſtificatur, quoniam Chriſtus eſt ſpiritus, ſeu Spiritus ſanctus teſtatus eſt, (dum Chriſtus viueret) per miracula, poſt eius mortem, & reſurrectionem, per ipſius deſcenſum in Apoſtolos, & eorum prædicationem, Chriſtum eſſe veritatem. *Quoniam tres ſunt, qui teſtimonium dant in cælo: Pater Verbum, & Spiritus ſanctus: & hi tres vnum ſunt.* Omnes tres SS. Trinitatis Perſonæ in cælo, & de cælo tum Angelis, tum maximè hominibus teſtimonium perhibent de Chriſto, quod ſit verus Meſſias, Deique Filius. Pater in Baptiſmo, & transfiguratione proclamauit: *Hic eſt Filius meus dilectus.* Matth. 3. 17. & cap. 17. 5. Spiritus ſanctus dum ſpecie columbæ in illum deſcendit. Filius autem, qui ſæpè dixit, & miraculis probauit, ſe eſſe Meſſiam. Certe Pater, Filius & Spiritus ſanctus natura, eſſentia, & diuinitate ſunt vnum. *Et tres ſunt, qui teſtimonium dant in terra, Spiritus, & aqua, & ſanguis.* Sicut tres primi de cælo, teſtimonium de Chriſto protetunt hominibus in terra agentibus: alia teſtium terna trinitas teſtimonium reddit de Chriſto, quod Deus ſit, & Dei Filius. Hi quidem ſunt ſpiritus, quem Chriſtus clamans emiſit in cruce mira vocis fortitudine, vt *videns centurio, quia ſic clamans expiraſſet, ait: Vere hic homo Filius Dei erat.* Mar. 15. 39. Aqua & ſanguis, quæ de latere Ieſu profluxerunt, verum Deum & hominem eſſe oſtenderunt: *& hi tres vnum ſunt*, ſeu in vnum & idem teſtimonium conſpirarunt: probantes

Chri

Christum verum Deum esse, & hominem verum.

Vers. 9. 10. 11. 12. 13. 14. Si testimonium hominum, &c.] *Si accipimus* hominum testimonium, & ei fidem damus: *testimonium Dei maius est* dignitate, certitudine: idcóque illi multo magis fidem debemus adhibere. *Quoniam hoc est testimonium Dei, quod maius est, quoniam testificatus est de Filio suo*, eius confirmans diuinitatem. *Qui credit in Filium Dei, habet testimonium Dei in se*, seu habet in se per fidem veritatem hanc testatam à Deo, quod scilicet Christus sit Filius. *Qui non credit Filio, mendacem facit eum*, seu Patrem, qui testimonium de illo perhibuit; *quia non credit in testimonium, quod testificatus est Deus de Filio suo*, tanquam si esset à veritate alienum. *Et hoc est testimonium, quoniam vitam æternam dedit nobis Deus.* Hæc est pars diuini testimonij iam dicti, Deus enim testificatur consequenter, Christum vitam æternam nobis dedisse, cum sit noster redemptor, & saluator. *Et hæc vita in Filio eius est*, seu per fidem in Filium sumus à Deo hac vita donandi. *Qui habet Filium, habet vitam: qui non habet Filium, vitam non habet.* Qui Christum habet per fidem, amorem, & obedientiam, possidet vitam gratiæ in re, & gloriæ in spe: à qua omninò alienus est, qui à Christo recedit per incredulitatem, aut peccatum. *Hæc scribo vobis; vt sciatis*, quoniam vitam *habetis æternam* in spe quidem, *qui creditis in nomine Filij Dei*, seu in Dei Filium. * Vt nominis Iesu virtutem agnoscas, quod pro ipsius Christi persona sumitur: & quasi persona videtur operari. Vnde ait Lucas: *Vocatum est nomen eius Iesus*, quasi ipsum nomen, instar personæ, nomen acceperit.] *Et hæc est fiducia, quam habemus ad eum. Quia quodcumque petierimus secundum voluntatem eius, audit nos.* Hanc autem fiduciam per fidem concipimus, quod à Deo assequemur quod petierimus, modo sit eius voluntati, ac legi conforme. * Nunquam non erit efficax deprecatio tua, si Dei voluntati subiiciatur. Quia vel cum tibi abnegatur, quod postulas, certum est, satius tibi esse non accipere postulata.]

Nomen Iesu est velut persona Christi potentissimũ ad operãdũ.

Qui preces iuxta Dei voluntatem fundit, semper consequitur quod postulat.

Vers. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. Et scimus quia audit nos, &c.] Hoc certum esse credimus à Deo preces nostras audiri: & quidquid petierimus, scimus quoniam habemus *petitiones, quas postulamus à Deo*, seu scimus, quod semper recipimus, quodcumque postulamus, quia eius voluntati effectum submittimus. Et cum optemus Dei fieri voluntatem, etiam cum negat, nostris precibus annuit. *Qui scit, fratrem suum peccare peccatum non ad mortem: petat, & dabitur ei vita peccanti non ad mortem.* Dixi, eum qui credit in Christum, omnia precibus impetrare: excipio peccatum proximi ad mortem; pro quo expiando, si quis orauerit, certam impetrandi spem dare non audeo. Per peccatum enim ad mortem intelligo quoduis peccatum grauissimum, quod ob sui enormitatem, consuetudinem, obstinationem & malitiam iuxta legem communem, per gratiam quam Deus ordinariè dare solet, est quasi immedicabile. Peculiariter videtur Apostolus loqui de apostasia à Christi fide, in quam quis incidit, & vult in ea vsque ad mortem permanere. *Est ergo peccatum ad mortem, non pro illo dico, vt roget quis. Omnis iniquitas peccatũ est & peccatũ ad mortem*, seu est alia species peccati ad mortem. Quasi dicat: Duæ sunt peccatorum species: altera est ad mortem, altera non. *Iniquitas* enim, Græcè *iniustitia* peccatum graue est, sed non ad mortem. *Scimus quia omnis, qui natus est ex Deo, non peccat. Sed generatio Dei conseruat eum*, seu gratia per generationem diuinam accepta, per quam factus est filius Dei adoptiuus: *& malignus*, seu diabolus *non tangit eum. Scimus, quoniam ex Deo sumus*, seu à Deo regenerati per Baptismum, *& mundus totus in maligno positus est*, seu quod improbitate redundat. *Et scimus, quoniam Filius Dei venit, & dedit nobis sensum*, seu mentis illustrationem, *vt cognoscamus verum Deũ, & simus in vero Filio eius* per fidem, gratiã, & charitatẽ. *Hic est verus Deus, & vita æterna.* Vndè filioli, custodite *vos à simulachris*, seu idolis.

EPISTOLA
BEATI IOANNIS APOSTOLI Secunda.

EPistolam hanc eodem, quo prima & tertia tempore Ephesi scriptam creor, missamque vel in Parthiam, vel in aliam Asiæ prouinciam fuisse immissam ad fœminam quandam pietate illustrem, Electam nomine.

ARGVMENTVM.

Commendat Electam, eiúsque familiam à fide, & Christiana charitate. Hortatúrque, vt constanter persistat hæreticósque subnascentes diligenter caueat.

1. SENIOR Electæ, dominæ, & natis eius, quos ego diligo in
veritate, & non ego solus, sed & omnes qui cognouerunt
veritatem. 2. Propter veritatem quæ permanet in nobis,
& nobiscum erit in æternum. 3. Sit vobiscum gratia, miseri-
cordia, pax à Deo Patre, & à Christo Iesu Filio Patris, in ve-
ritate & charitate, 4. Gauisus sum valde, quoniam inueni
de filiis tuis ambulantes in veritate, sicut mandatum acce-
pimus à Patre. 5. Et nunc rogo te, domina, non tanquam mandatum nouum
scribens tibi, sed quod habuimus ab initio vt diligamus alterutrum. 6. Et hæc
est charitas, vt ambulemus secundum mandata eius. Hoc est enim mandatum, vt
quemadmodum audistis ab initio, in eo ambuletis: 7. Quoniam multi seducto-
res exierunt in mundum, qui non confitentur Iesum Christum venisse in carnem:
hic est seductor, & Antichristus. 8. Videte vosmetipsos, ne perdatis quæ operati
estis: sed vt mercedem plenam accipiatis. 9. Omnis qui recedit, & non permanet
in doctrina Christi, Deum non habet: qui permanet in doctrina, hic & Patrem &
Filium habet. 10. Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite re-
cipere eum in domum, nec AVE ei dixeritis. 11. Qui enim dicit illi AVE, com-
municat operibus eius malignis. 12. Plura habens vobis scribere, no-
lui per chartam & atramentum: spero enim me futurum apud vos, & os
ad os loqui: vt gaudium vestrum plenum sit. 13. Salutant te filij sororis tuæ
Electæ.

COMMENTARII.

I. *Commendat Electam eiúsque familiam à fide, & charitate.*

VERS. 1.2.3.4.5. *Senior Electa domina, &c.*] Senior ætate, (agebat tunc Ioannes annum nonagesimum septimum) Græcè pro *senior* legitur *Præsbyter*, & *senex*. Ego senex Præsbyter omnibus Apostolis solus superstes, & cunctis Episcopis iam *senior, domina Electa & natis eius, quos ego diligo in veritate* Christianæ religionis; *& nō ego solus, sed & omnes, qui cognouerunt veritatem* seu Christiani omnes eos diligunt, quia in veritate ambulant: *& propter veritatem, qua permanet in nobis, & nobiscum erit in æternum.* Diligo, inquam, eos, & à sociis meis diliguntur, quia ipsi constanter Christianæ veritati adhærent, & charitati, quæ permanent nobiscom in hac vita, & in cælesti patria permanebunt. * Electa appellatur à Ioanne *domina*, & quia nobilis fœmina, & quia cunctis fulgebat virtutibus. Nam qui vitiis dominatur contrariis, verè Dominus est vocitandus: qui enim passionibus noxiis deseruiunt, non Domini, sed mancipia debent appellari.] *Sit vobiscum gratia, misericordia, pax à Deo Patre, & a Christo Iesu Filio patris, in veritate,*

Qui dominatur vitiis verè Dominus est: qui eis seruit, debet mancipiū appellari.

veritate, & charitate, seu vt permaneatis & crescatis in veritate, siue in fide, & in charitate. * Nomine *pacis* Hebræorum more omne genus prosperitatis significatur. Sicut *belli* nomine omnis notatur infelicitas.] *Grauis sum valde, quoniam inueni de filiis tuis ambulantes in veritate*, seu cognoui filios tuos ad Euangelij normam vitam instituere: *sicut mandatum accepimus à patre*, qui per Filium suum rectè sentiendi, & viuendi regulam præscripsit. *Et nunc rogo te Domina, non tanquam mandatum nouum scribens tibi.* Mandatum enim dilectionis, est vetus mandatum, iam Hebræis in veteri lege indictum Leu. 19. 18. *Sed quod habuimus ab initio: vt diligamus alterutrum*, seu vt ab initio Christianismi sumus instituti.

Pacis nomine omnis felicitas, belli nomine infelicitas omnis significatur.

2\. Hortatur eã, vt constanter in fide, & charitate persistat, & hæreticos caueat.

Vers. 6. 7. 8. 9. Et hæc est charitas, &c.] In hoc autem charitas effulget, in hoc consistit, *vt ambulemus secundum mandata eius. Hoc est enim mandatum, vt quemadmodum audistis ab initio, in eo ambuletis.* Hoc mandatum est charitatis: vt quemadmodum à principio Christianismi audistis in charitate Christiana progrediamini. Dixerat: *Vt ambulemus secundum mandata eius*; mox adiicit; *Hoc est mandatum.* Cur non dixit. Hæc sunt mandata, sed singulariter, Hoc est mandatum? Certè quia charitatis mandatum omnium mandatorum est epilogus. Qui enim verè Deum & proximum amat, totam legem se obseruare quis dubitet? *Quoniam multi seductores exierunt in mundum, qui non confitentur venisse in carnem.* Monui, vt in mandato charitatis, ac veritatis perseueretis, quia scio multos seductores in publicum processisse, qui hanc veritatem, & Christi charitatem euertere student. *Hic est seductor, & Anti-Christus.* Quicumque huiusmodi doctrinam proseminat, Anti-Christus proculdubio est appellandus. *Videte vosmetipsos, ne perdatis, quæ operati estis*, seu vobis cauete, ne bonorum operum hactenus factorum iacturam faciatis: *Sed vt mercedem plenam*, seu copiosam *accipiatis. Omnis, qui recedit, & non permanet in doctrina Christi. Deum non habet; qui permanet in doctrina Christi: hic & Patrem, & Filium habet*, & consequenter Spiritum sanctum, qui est amor, & Patris ac Filij nexus.

Præceptum charitatis est quasi omniũ præceptorũ epilogus.

Vers. 10. 11. 12. 13. Si quis venit ad vos, &c.] Quisquis ad vos aduentat, *& hanc doctrinam non affert*, sed ei contraria docere præsumpserit: *nolite recipere eum in domum* vestram; *nec Aue ei dixeritis*, aut eum salutate. *Qui enim dicit illi Aue, communicat operibus eius malignis.* Quia videtur eius errores aliquomodo probare, qui eum amicè salutat. Hinc edisca; qui virtuti studet, ab impiorum consortio abstinere, ne socius in crimine illorum appareat.] *Plura habens vobis scribere, nolui per chartam, & atramentum*, sed nolui chartæ committere; *spero enim, me futurum apud vos, & os ad os loqui. Vt gaudium vestrum sit plenum*, seu abundans. * Probo enim discipulo gratus admodum est magistri qui eum salutis viam docuit, aspectus.] Imò & vberior consolatio ouium, cum à Pastoribus ipsis inuisuntur, quàm cum per epistolas eas adit. * Episcoporum Visitatores dixerim esse epistolas ad subditos absentes, quæ quidem ad eorum solatium parum conferre assolent. Vnde operæ pretium est, vt frequenter vocem viuam Pastoris audiant. *Salutant te filij sororis tuæ Electæ.* Biblia Gauthica sic: *salutant te filij sororis tuæ, Electa*, seu ô Electa in vocatiuo. Scio, meum seratium, & alios existimare, nomine *Electæ* Ecclesiam aliquam intelligi, quorum mentem non probo.

Qui studet virtuti, à societate impiorum separetur, ne etiã impius videatur.

Probo discipulo gratus est magistri aspectus.

Vox viua Episcopi efficacior est ad subditorũ absentiũ solatium, quàm cum visitatorum ore loquitur.

EPISTOLA
BEATI IOANNIS APOSTOLI
Tertia.

NOnnulli asseruére hanc Epistolam tertiam, & secundam haud fuisse ab Euangelista Ioanne scriptam, sed ab alio quodam Ioanne. Alij dubitant. Ego autem nec ausus fuerim dubitare, cum pro scripta ab Euangelista recipiendam Concilium Carthaginense III. Laodicenum, & Tridentinum definierint. Eodem tempore fuit Ephesi scripta, quo prima, & secunda.

EPISTOLÆ ARGVMENTVM.

Laudat Caium sibi familiarem ab insigni in hospites charitate: ex aduerso carpit Diotrephis inhospitalitatem, & arrogantiam. Demetrium publico Ecclesiæ, suóque commendat testimonio.

1. SENIOR Gaio chatissimo, quem ego diligo in veritate.
2. Charissime, de omnibus orationem facio prospere te io-
gredi & valere, sicut prospere agit anima tua. 3. Gauisus
sum valde venientibus frattibus, & testimoninm perhiben-
tibus veritati tuæ, sicut tu in veritate ambulas. 4. Maiorem
hotum oon habeo gratiam, quàm vt audiam filios meos in
veritate ambulare. 5. Chatissime, fideliter facis quidquid
operáris in frattes, & hoc in peregrinos, qui testimonium reddiderunt charitati tuæ
in conspectu Ecclesiæ: quos benefaciens, deduces dignè Deo. 7. Pro nomine
enim eius profecti sunt, nihil accipieotes à Geutibus. 8. Nos ergo debemus suf-
cipere huiusmodi, vt cooperatores simus veritatis. 9. Scripsissem forsitan Eccle-
siæ: sed is, qui amat primatum gerere in eis, Diotrephes, non tecipit oos. 10. Pro-
pter hoc si venero, commonebo eius opera, quæ facit, verbis malignis garriens
io nos: & quasi noo ei ista sufficiant; oeque ipse suscipit fratres; & eos, qui
suscipiunt, prohibet, & de Ecclesia eiicit. 11. Charissime, noli imitari ma-
lum, sed quod booum est. Qui benefacit, ex Deo est: qui malefacit,
non vidit Deum. 12. Demetrio testimonium tedditut ab omnibus, & ab
ipsa veritate, sed & nos testimonium perhibemus: & nosti quoniam testimo-
nium nostrum verum est. 13. Multa habui tibi scribere: sed nolui per
atrameotum & calamum scribere tibi. 14. Spero autem protinus te vide-
re, & os ad os loquemur. Pax tibi. Salutant te amici. Saluta amicos nomi-
natim.

COMMENTARII.

VERS. 1. 2. 3. 4. *Senior Gaio charissimo, &c.*] Senior ætate, & omnibus Episcopis & presbyteris fratribus meis *Gaio*, seu Caio *charissimo, quem ego in veritate*, seu ex animo, & sincere *diligo*. Existimo Caium hunc esse Corinthium illum, de quo Paulus Rom. 16. ait: *Salutat vos Caius hospes meus.* & 1. Cor. 1. 14. *Neminem vestrûm baptizaui, nisi Crispum, & Caium. Charissime, de omnibus orationem facio, prospere te ingredi, & valere, sicut prospere agit anima tua.* Sicut animo bene habes, ita opto te per omnia bene habere. * Optat Ioannes fieri, quod Temporalis felicitas sequitur animi virtutem comitari.
plerumque hominibus accidit. Felicitas enim seu prosperitas in rebus temporariis assolet virtutem animi comitari. Diligentibus nam-

que

que Deum omnia in bonum cooperantur. Qualem te Deo præſtiteris, talem tibi Deus ſe oſtendet.] *Gauiſus ſum valde venientibus fratribus, & teſtimonium perhibentibus veritati tuæ,* ſeu fidei, charitatis, beneficieotiæ, & morum piiſſimorum, præcipue circa hoſpitalitatem. * Hæc eſt enim virtus, quæ maximè Chriſtianum commendat, vel erga alios homines. Nam qui eleemoſynam huiuſmodi accipiunt, miſericordiæ illius fiunt præcones. Ideò Ioannes ait: *Venientibus fratribus, & teſtimonium perhibentibus charitatis tuæ.*] *Maiorem horum non habeo gratiam, quam vt audiam, filios meos in veritate ambulare.* Græcè, *maius gaudium.* Syrus, *Nulla* mihi lætitia maior eſt illa, nempe qnando de vobis audio, ad Euangelij normam pie viuere.

Ex eleemoſynæ virtute maximè homo commẽdabilis, vel erga homines obiicitur.

Verſ. 5.6.7.8. Chariſſime, fideliter facis, &c.] Facis ô chariſſime rem tua fide dignam: *quidquid operaris in fratres* & hoc in peregrinos, ſeu quidquid facis in fratrum obſequium, ac præcipuè peregrinorum; *qui teſtimonium reddiderunt charitati tuæ in conſpectu Eccleſiæ.* Qui peregrini ad ſuas Eccleſias in patriam reuerſi laudibus celebrarunt cunctis audientibus tuam charitatem. Quemadmodum inopes, quibus diuites non ſuccurrunt, vbique eorum prædicãt auaritiam. Vnde parui proprium faciunt honorem, qui pauperes à ſe vacuos repellunt.] *Quos benefaciens, deduces dignè Deo.* Quos ſi inſtruere volueris deinceps ſubſidiis neceſſariis ad iter, & addideris comites contra latrones, ages, vt decet eum, qui Dei amore ad id allicitur, & ſcit, Deo tribui ipſi, quidquid egeoti proximo tribuitur. *Pro nomine enim eius profecti ſunt, nihil recipientes à Gentibus.* Propter prædicationem enim Euangelij per varias Vrbes peregrinationes inſtituunt, nec quidqoam à Gentilibus ad victus & veſtitus neceſſaria recipiunt, ne illis graues ſint, & ne impiis quæſtum ex prædicatione aucupari videantur. * Docentes Euangelij præcones, gratis offerre proximis, quod à Deo gratis accepere.] *Nos ergo debemus ſuſcipere huiuſmodi, vt cooperatores ſimus veritatis,* miniſtrando neceſſaria illis, qui veritatem prædicant. * Profectò qui Euangelij miniſtros neceſſariis ſumptibus donant, etiamſi ſæculares ſint, in Euangelij miniſtros quodammodo conuertuntur.]

Famam propriam obſcurat, qui auarus erga pauperes oſtenditur.

Concionatores non ex prædicatione quæſtum ambiant.

Qui neceſſaria miniſtris Euangelij prouident, ſe Euangelij miniſtros quodammodò efficiunt.

21

Verſ. 9.10.11.12.13.14. Scripſiſſem forſitan Eccleſiæ: ſed is, qui amat primatum gerere in eis Diotrephes, non recipit nos. Diotrephes vir potens fuit inſolens, & arrogans, qui in Eccleſia dominari, fidelibus præeſſe, ſibique ius Epiſcopale arrogare ſatagebat. Crediderim Epiſcopum fuiſſe, (ex ſententia aliorum) qui S. Ioannis Apoſtolatum non recipiebat, nec illi volebat ſubmitti, nec illius litteras, ac monita ſuſcipere. *Propter hoc, ſi venero, commonebo eius opera, quæ facit, verbis malignis garriens in nos.* Indicabo fidelibos eius praua opera. * Nam qui publicè peccat, publicè eſt corripiendus.] calumnias enim in me coniicit, ſed prorſus ioanes. * Pro particula *Garriens* eſt in Græco, *Nugatur.* Nam impiorum calumniæ contra iuſtos, à cordatis nugæ inanes exiſtimantur.] *& quaſi non ei ita ſufficiant; neque ipſe ſuſcipit fratres,* ſeo Chriſtianos: *& eos, qui illos ſuſcipiunt, prohibet, & de Eccleſia eiicit:* tum de loco, & cœtu Eccleſiæ præſertim in Agape, & conuiuio poſt Euchariſtiam: tùm de ipſa fidelium congregatione per excommunicationem. *Chariſſime, noli imitari malum, ſed quod bonum eſt,* ſeu noli exemplum Diotrephis æmulari. *Qui benefacit, ex Deo eſt: qui malefacit, non vidit Deum.* Qui recte operatur Dei eſt filius & parte eius ſeu Dei cultor oſtenditur: qui impie viuit, Deum practicè noo agnoſcit. *Demetrio* autem *teſtimonium redditur ab omnibus, & ab ipſa veritate: ſed & nos teſtimonium perhibemus.* Porrò de hoſpitalitate, probitate Demetrij omnes ſocij ab ipſo hoſpitio recepti, & cuncti fideles, qui apud ipſom habitant, magnificè loquuntur: & ab ipſa veritate commendatur, quia eius facta famæ apprimè reſpondent: etiam de eius pietate nos tibi teſtimonium perhibuimus: *& noſti, quoniam teſtimonium noſtrum verum eſt. Multa habui tibi ſcribere, ſed nolui, per atramentum & calamum ſcribere tibi. Spero autem protinus te videre, & os ad os loquemur. Pax tibi. Salutant te amici. Saluta amicos nominatim.* Nonnulli exiſtimant Ioannem noluiſſe Caium certiorem facere per litteras de rebus ad Diotrephis nequitiam pertinentes de qua *multa* habebat, quæ noluit chartæ fidere. Poterat enim Epiſtola in alienas incidere manus, quod famæ proximi poſſet officere.

Carpit Diotrephis inhoſpitalitatem: Demetrium laudat.

Qui publicè peccat, publicè eſt corripiendus

Calumniæ impiorũ contra iuſtos prorſus ſunt inanes.

Epiſtolæ fidẽdum non eſt, quidquid famæ alicuius poſſit officere.

EPISTOLA CATHOLICA
BEATI IVDÆ APOSTOLI.

ANno trigesimo-primo à morte Christi Epistola hæc scripta fuit, quo quidem anno S. Iudas cum fratre suo Simone in Perside fuit à Deo martyrij corona donatus: scripta fuit circiter sexennio ante secundam D. Petri Epistolam, qui plurima ex Iudæ Epistola sententias in suam transcripsit. Nonnulli dubitarunt, an Canonica sit; sed pro Canonica Concilia Carthaginense Romanum sub Damaso, Florentinum, & Tridentinum eam agnoscunt.

EPISTOLÆ ARGVMENTVM.

Improbos hæreticorum mores describit. Supplicia eis cælestia minatur. Fideles hortatur ad vitiorum fugam, ac virtutum studium.

1. IVDAS Iesu Christi seruus, frater autem Iacobi, his qui
sunt in Deo Patre dilectis, & Christo Iesu conseruatis, &
vocatis. 2. Misericordia vobis, & pax, & charitas
adimpleatur. 3. Charissimi, omnem sollicitudinem fa-
ciens scribendi vobis de communi vestra salute, ne-
cesse habui scribere vobis: deprecans super certari semel
traditæ sanctis fidei. 4. Subintroierunt enim quidam ho-
mines (qui olim præscripti sunt in hoc iudicium) impij, Dei nostri gratiam
transferentes in luxuriam, & solum Dominatorem & Dominum nostrum Ie-
sum Christum negantes. Commonere autem vos volo, scientes semel om-
nia, quoniam Iesus populum de terra Ægypti, saluans secundò eos, qui non cre-
diderunt, perdidit: 6. Angelos verò, qui non seruauerunt suum principatum
sed dereliquerunt suum domicilium, in iudicium magni diei, vinculis æternis,
sub caligine reseruauit. 7. Sicut Sodoma, & Gomorrha, & finitimæ ciuitates
simili modo exfornicatæ, & abeuntes post carnem alteram, factæ sunt exem-
plum, ignis æterni pœnam sustinentes. 8. Similiter & hi carnem quidem ma-
culant, dominationem autem spernunt: maiestatem autem blasphemant. 9. Cùm
Michaël Archangelus cum diabolo disputans altercaretur de Moysi corpore, non
est ausus iudicium inferre blasphemiæ: sed dixit: Imperet tibi Dominus. 10. Hi
autem, quæcumque quidem ignorant, blasphemant: quæcumque autem natura-
liter, tanquam muta animalia, norunt, in his corrumpuntur. 11. Væ illis, quia in
via Cain abierunt, & errore Balaam mercede effusi sunt, & in contradictione Core
perierunt. 12. Hi sunt in epulis suis maculæ conuiuantes sine timore, semetipsos
pascentes, nubes sine aqua, quæ à ventis circumferuntur, arbores autumnales, infru-
ctuosæ, bis mortuæ, eradicatæ, 13. fluctus feri maris, despumantes suas confusio-
nes, sidera errantia: quibus procella tenebrarum seruata est in æternum. 14. Pro-
phetauit autem & de his septimus ab Adam Enoch, dicens: Ecce venit Dominus in
sanctis millibus suis, 15. facere iudicium contra omnes, & arguere omnes impios
de omnibus operibus impietatis eorum, quibus impiè egerunt, & de omnibus du-
ris, quæ locuti sunt contra Deum peccatores impij. 16. Hi sunt murmuratores
querulosi, secundùm desideria sua ambulantes, & os eorum loquitur superba, mi-
rantes personas quæstus causa. 17. Vos autem charissimi, memores estote verbo-
rum, quæ prædicta sunt ab Apostulis Domini nostri Iesu Christi, 18. qui dice-
bant

bant vobis, quoniam in nouissimo tempore venient Illusores, secundùm deside-
ria sua ambulantes in impietatibus. 19. Hi sunt, qui segregant semetipsos, anima-
les, Spiritum non habentes. 20. Vos autem charissimi, superædificantes vosmet-
ipsos sanctissimæ vestræ fidei, in Spiritu sancto orantes, 21. vosmetipsos in dilectio-
ne Dei seruate, expectantes misericordiam Domini nostri Iesu Christi in vitam æter-
nam. 22. Et hos quidem arguite iudicatos: 23. illos verò saluate, de igne rapientes.
Alijs autem miseremini in timore: odientes & eam, quæ carnalis est, maculatam tu-
nicam. 24. Ei autem, qui potens est vos conseruare sine peccato, & constituere an-
te conspectum gloriæ suæ immaculatos in exultatione in aduentu Domini nostri Ie-
su Christi? 25 soli Deo Saluatori nostro, per Iesum Christum Dominum nostrum,
gloria & magnificentia, imperium & potestas ante omne sæculum, & nunc, & in om-
nia sæcula sæculorum. Amen.

COMMENTARII.

1. *Improbos hæreticorum mores describes, visque Dei supplicia minatur.*

VERS. 1.2.3.4.5.6.7.8. *Iudas Iesu Christi seruus, &c*] Iudas Thadæus, & Lebæus Iesu Christi seruus, *frater autem Iacobi*, minoris, & Simonis *his, qui sunt in Deo Patre dilectis*, ex charitate, inquam, qua propter Deum proximos amamus: *& in Christo Iesu conseruatis, & vocatis*, seu qui per Christi gratiam vocantur ad fidem, & in ea conseruantur. * Magnum Dei beneficium est, vocari ad virtutem, ad Religionem, sed in ea firmiter conseruari, maximum.] *Misericordia vobis, & pax, & charitas adimpleatur.* Seu impleatur in vobis Dei misericordia, vt suam pacem & charitatem, reliquaque cælestia munera in vos effundat. * Certè Apostolos apposìtè dixit, *Adimpleatur in vobis misericordia & pax.* Plena enim pace homines frui, plena admodum Dei misericordia est.] *Charissimi omnem sollicitudinem faciens scribendi vobis de communi vestra salute, necesse habui scribere vobis*, seu tantum mihi studium fuit ad vos de rebus ad communem animi salutem attinentibus, vt non potuerim non scribere vobis: *deprecans supercertari semel traditæ sanctis fidei*, seu hortans, vt viriliter decerretis (verbum actiuum pro deponente vsurpauit Interpres) pro fide, quam semel accepistis, & sanctis, seu Christianis magistris, & fratribus promisistis, semper profiteri. *Subintroierunt enim quidam homines* (qui olim præscripti sunt in hoc iudicium) *impij.* Furtim se insinuarunt quidam impij homines de quorum iniquitate & iudicio seu condemnatione ante me scripsit Paulus, imo Christus ipse eos depinxit Matth. 24.24. præmonens vt eos quasi lupos caueretis. *Dei nostri gratiam transferentes in luxuriam*, seu Christiana religione abutuntur ad libidinem, asserentes legem Christianam legem esse libertatis, ideoque licitum esse eam profitentibus gulæ ac veneri indulgere; *& solum Dominatorem & Dominum nostrum Iesum Christum negantes*, seu abnegantes diuinitatem Christi, qui verus est & *solum* Dominus noster. Est enim Christus Deus, Deus autem vnus est, quem Dominum, & rerum omnium Dominum, ac Dominatorem agnoscimus. *Commonere autem vos volo, scientes semel omnia*, seu prorsus callentes fidei mysteria: *Quoniam Iesus*, seu *Iosue populum de terra Ægypti saluans*, seu cum saluasset, *secundò eos, qui non crediderunt, perdidit.* Ac si diceret: Deus semel saluauit populum cum se sequen-

Magnũ Dei beneficiũ vocari ad virtutem, sed in ea conseruari, maximũ.

Pace frui plena admodũ Dei misericordia est.

tem de Ægypto eduxit, Mose ac Iosue ducibus: at *secundo*, seu alia vice eum perdidit, cum incredulus ab eo recessit. Hoc exemplum D. Iudas applicandum nobis reliquit. Simili enim modo Deus fideles, quos primo salute donauit in Baptismo, dum Christum secuti sunt: secundo perdet, si à Christo per crimina deficiant, ad hæreticos accurrentes. * Supplicium alijs peccatoribus à Deo illatum, nobis debet esse adhortatio, quod eorum imitatores, eidem iudicio subiacebimus.] *Angelos verò, qui non seruauerunt suum principatum* Græce, *originem, sed dereliquerunt suum domicilium, in iudicium magni diei vinculis æternis sub caligine reseruauit.* Seu Angelos, qui non seruauerunt originalem suam excellentiam, statum, gratiam, & dominium in res omnes corporeas, sed quia Deitatis thronum ambierunt, è cælo Empyreo deturbati sunt: in caliginosis tartari locis cruciandos reclusit, reseruatos quidem ad extremum iudicij diem, quo etiam dæmones tanquam rei Christi tribunali sistentur, & damnationis æternæ ferientur sententia. *Similiter & hi carnem quidem maculant, dominationem autem spernunt, maiestatem autem blasphemant.* Impij homines hi similiter delinquunt, infandis libidinibus suum corpus maculantes. * Nam sicut dixit Paulus 1. Cor. 6.18. *Omne peccatum quodcumque fecerit homo, extra corpus est: qui autem fornicatur, in corpus suum peccat.* Id fœdis ægritudinibus exponens.] Nec verentur blasphemias in ipsam diuinam Maiestatem iactare.

Quodlibet supplicium cæteri illatũ nobis est exhortatio.

Qui veneri dat operam, in corpus suũ peccat.

Vers. 9.10.11.12.13. *Cum Michael Archangelus cum diabolo disputans altercaretur de Moysi corpore, non est ausus iudicium inferre blasphemiæ.* Voluit diabolus corpus Mosis in loco cognito sepeliri, vt Hebræi in idololatriam proni, veluti Numen id colerent. Michaël verò ei restitit, & curauit, vt secreto loco sepeliretur. Vnde Deut. 34.6. dicitur: *Non cognouit homo sepulchrum eius vsque in præsentem diem.* Ausus itaque tunc Archangelus non fuit diabolum maledicere, diris eum deuouere: *Sed dixit: Imperet tibi Dominus*, seu tuam insolentiam comprimat. Archangelus itaque non audet maledicto vel diabolum percutere: & hi autem in Deum ipsum iacere maledicta, iactare blasphemias. *Hi autem, quæcumque ignorant, blasphemant: quæcumque autem naturaliter tanquam muta animalia norunt, in his corrumpuntur.* Michaël cum pro imperio posset Diabolum increpare, & illi maledicere, præ modestia tamen noluit. At Simonici & Gnostici intolerabili impudentia ea blasphemiis impetunt, quæ ignorant, nempe

Dauid,

Deum, & eius attributa, Christi mysteria, res cælestes, &c. & in morem brutorum, sola natura, ac sensibili duce, sua corpora, & mētes turpissima ingluuie, & obscenis admodum libidinibus corrumpunt. *Væ illis, quia in via Caïn abierunt: & errore Balaam mercede effusi sunt, & in contradictione Core perierunt. Via* in sacris literis idem est, quod vitæ institutum. Sensus est. Væ illis, qui instar Caïn, Deum contemnunt, inuidi, homicidæ, hæretici, athei. Væ illis, qui sicut Balaam lucri spe, & munerum Regis Balac populo Dei voluit maledicere: ita hi toti in luctum effusi, in maledicta ac impia consilia aliaque scelera sese profundunt. Væ illis, qui seditiosi Core in morem, sua in seditione pereuntis, misere in errore, in hæresi pereunt. *Hi sunt in epulis suis maculæ*, seu in Agapis, vel in epulis, quæ post Eucharistiam Christiano more instruuntur, se corpus crapula, mentem libidine, conuiuas praua doctrina maculant impudenter. *Conuiuantes sine timore* Dei, sine hominum reuerentia: *semetipsos pascentes*, Græcè, *regentes*, nolentes scilicet aliis subiacere: *nubes sine aqua, quæ à vento circumferuntur*: seu nubes steriles, quæ videntur, aquam ad terræ fœcunditatem promittere; sed eam profundere non possunt. Sic Gnostici inane nomen doctrinæ ac sapientiæ præ se ferebant; sed eam non præstabant: *arbores autumnales infructuosæ*, seu arbores, quæ fructum afferunt corruptum, macidum, immaturum. Sic hæretici opera non solùm non vtilia sunt, sed etiam noxia: *bis mortuæ eradicatæ*, quia primo in se moritur arbor, cum arescit: deinde rursus moritur, cum eradicatur, vel succiditur. En desperata hæreticorum salus. *Fluctus feri maris*, Syrus, *fluctus vehementis maris*; nam hæritici sunt turbulenti, & seditiosi: *despumantes suas confusiones*, siue sua dedecora. Omnia enim turbant, & miscent, superbiunt, & attolluntur, fluctuum instar, sed hæc superbia detumescit, abitque in pudendæ libidinis spumam. Et quandonam superbia sine socia luxuria graditur.] *Sidera* errantia, seu igneæ exhalationes discurrentes in aëre. Hæretici enim videntur aliquem splendorem doctrinæ fulgurare: sed statim euanescit: *quibus procella tenebrarū seruata est in æternum*: errantibus stellis istis æterna tartari caligo est præparata. * Merito in tenebras tormentorum mittentur æternas, qui in Ecclesia Dei sub nomine lucis tenebras inducebant errorum. Solet enim Deus supplicium qualitati delicti accommodare. Vnde procelloso *procella*: fictæ luci vera caligo torquens adiicitur.]

Superbia & luxuria pariter incedunt.

Qualitati delicti supplicium à Deo accōmodari solet.

Verſ. 14.15.16.17.18 19. *Prophetauit autem, &c.*] *Enoch* autem *septimus ab Adam de his prophetauit, dicens*: Adam quidem genuit Seth, hic Enos, hic Cainan, hic Malaleel, hic Zareth, hic Enoch: est ergo septimus, ipsis Adam, & Enoch annumeratis. Quid dicebat Enoch? *Ecce venit Dominus in sanctis millibus suis, facere iudicium contra omnes, & arguere omnes impios, de omnibus operibus impietatum eorum, quibus impiè egerunt: & de omnibus duris, quæ locuti sunt contra Deum peccatores impij*. Probat Apostolus, impiis hæreticis procellam tenebrarum reseruatam esse, Enoch testimonio, cuius prophetiam, vel traditione maiorum ipse accepit, vel ex aliquo libro, qui tunc extaret, cum hæc scribebat. Prædixit ergo Enoch Christum Dominum innumeris Angelorum, & sanctorum legionibus aduenturum ad genus humanum iudicandum: & contra blasphemos hæreticos dura, & non ferenda docentes exitialem sententiam proferet. *Hi sunt murmuratores querulosi, secundum desideria sua ambulantes* Obmurmurant enim impij, & queruntur, quia nunquam sunt sua sorte contenti; sed plura, aut maiora desiderant. * Nec mirum, quia omnia, quæ in mundo sunt, nihil omninò esse constat, quia corda non implent. Vndè verè ea dixerim desideria non possessiones: *secundum* (ait Apostolus) *desideria sua ambulantes*.] *& os eorum loquitur superba: mirantes personas quæstus causa*, seu laudantes eas adulatoriè ob quæstus spem alicuius. *Vos autem charissimi, memores estote verborum, quæ prædicta sunt ab Apostolis, Domini nostri Iesu Christi*. Vt à D. Petro epist. 2. cap. 3. 2. à D. Paulo 1. Timot. 4. 1. *Qui dicebant vobis: quoniam in nouissimo tempore venient illusores, secundum desideria sua ambulantes in impietatibus*, quia eorum desideria erunt impiissima. *Hi sunt, qui segregant semetipsos* ab Ecclesia Christi: *animales*, animæ enim vegetatiuæ, ac sensitiuæ seruiunt: *Spiritum non* habentes. *Animalis* enim *homo* (vti ait Paulus 1. Cor. 2. 14.) non percipit *ea, quæ sunt spiritus*.

Omnia mūdi bona, desideria sēper sunt, nūquam possessio.

Verſ. 20.21.22.23.24.25. *Vos autem charissimi, &c.*] O charissimi, vos *superædificantes vosmetipsos sanctissimæ vestræ fidei*, seu iecistis fidei fundamentum, nunc reliquam substructionem erigite per virtutum actiones: *in Spiritu sancto orantes*, seu per Spiritum sanctum. Ipse enim *spiritus postulat*, seu postulare nos facit *gemitibus inenarrabilibus*. Rom. 8. 27. *Vosmetipsos in dilectione Dei seruate, expectantes misericordiam Domini nostri Iesu Christi in vitam æternam*, seu Christi pietatem, quæ vos in felicitatem cęlestem adducat. *Et hos quidem arguite iudicatos*. Seu hos hæreticos per se damnatos, re ipsa, & facti euidentia fortiter arguite, & conuincite: *illos verò saluate de igne rapientes*, gehennæ, ad quem tendunt velociter. *Aliis autem misereamini in timore*. Alios verò qui in fide nutauerunt, & timore eis supplicij obiecto, resipuere, paterna miseratione recipite: *Odientes & eam, quæ carnalis est, maculatam tunicam*. Græcè, *tunicam à carne maculatam*. Hoc est, cauete, ne candidam innocentiæ vestem, quam accepistis in Baptismo, libidine, seu corruptis moribus inficiatis: sed hæc execramini. *Ei autem, qui potens est, vos conseruare sine peccato, & constituere ante conspectum gloriæ suæ immaculatos in exultatione*, seu cum exultatione. *in aduentu Domini nostri Iesu Christi*, cum scilicet ad iudicandum venerit; *Soli Deo saluatori nostro per Iesum Christum Dominum nostrum, gloria, & magnificentia imperium, & potestas ante omne sæculum & nunc & in omnia sæcula sæculorum*. Dei solius agnoscatur *gloria*, quam habet: *magnificentia*. Syrus, *potentia*. Græcè, *maiestas, magnitudo*; *imperium*, Græcè, *robur*: *potestas*, Syrus, *dominatio*, quæ ante omne sæculum constitere, & constant, & æternùm consistent. Dei, inquam, agnosci gloriam, potentiam, maiestatem, magnitudinem, robur, dominationem, & ab omnibus celebrari ardenter ex opto. *Amen*.

ANTO

ANTONII

DE ESCOBAR ET MENDOZA,

SOC. IESV THEOLOGI

COMMENTARII LITERALES, ET MORALES

In Vetus, ac Nouum Testamentum.

APOCALYPSIS BEATI IOANNIS Apostoli.

PROLVSIO.

OMnium Scripturarum Apocalypsis est obscurissima, plura continens secreta quàm verba, in verbis namque singulis plures intelligentiæ latent. Vndè immensæ difficultatis opus. Vndè prorsùs desperarem consequi ænigmatis intelligentiam, nisi primi capitis initio illa verba legissem: Et à septem spiritibus, *qui in conspectu Throni eius sunt.* Apocal. 1. 4. Dei Thronus est Maria, ipsâ proclamante, *& qui creauit me, requieuit in Tabernaculo meo.* Ait verò Richardus à Sancto Laurent. lib. de Laud. Virg. *Septem sunt spiritus, qui sunt ante Thronum Dei Mariam Apocal. 1. Spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus scientiæ, &c.* Igitur etsi in Ioannis ex ore Dominico filius Mariæ: *Ecce Mater tua*, Apocalypsi tanta difficultatum moles indoctum expositorem terreat: ad opus aggrediendum alliciunt tot sapientiæ, intelligentiæ, ac scientiæ Spiritus Deiparæ Dei Throno assidentes: quibus ad Apocalypsis explicationem, in filij Ioannis gratiam, opem præstabunt.

Maria spiritum sapientiæ, & intellectus Scriptoribus sacris infudit.

Profectò Ioannes Apocalypsin scripsit in Insula Pathmos (in quam fuerat à Domitiano relegatus) anno quarto ante obitum suum, à morte Christi sexagesimo-quarto, ab excisa Ierosolyma vigesimo-quarto, Imperij Domitiani quarto post decimum.

LIBER PRIMVS.

Reuelatio facta Ioanni de futuris Ecclesiæ euentibus, à Capite primo vsque ad duodecimum.

CAPVT I.

Libri Titulus. Epistola dedicatoria ad septem Asiæ Episcopos. Prologus omnia, quæ in tota continentur Apocalypsi, repræsentans.

1. APOCALYPSIS Iesu Christi, quam dedit illi Deus palàm facere seruis suis, quæ oportet fieri citò: & significauit, mittens per Angelum suum seruo suo Ioanni, 2. Qui testimonium perhibuit verbo Dei, & testimonium Iesu Christi, quæcumque vidit. 3. Beatus, qui legit & audit verba Prophetiæ huius: & seruat ea, quæ in ea scripta sunt: tempus enim prope est. 4. Ioannes septem Ecclesiis, quæ sunt in Asia, Gratia vobis & pax ab eo, qui est, & qui erat, & qui venturus est: & à septem spiritibus, qui in conspectu throni eius sunt; 5. & à Iesu Christo, qui est testis fidelis, primogenitus mortuorum, & princeps regum terræ: qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo. 6. & fecit nos regnum & Sacerdotes Deo & Patri suo: ipsi gloria, & imperium in sæcula sæculorum: Amen. 7. Ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt. Et plangent se super eum omnes tribus terræ: Etiam: Amen. 8. Ego sum *Alpha* & *Omega*, principium & finis, dicit Dominus Deus, qui est, & qui erat, & qui venturus est, omnipotens. 9. Ego Ioannes frater vester, & particeps in tribulatione, & regno, & patientia in Christo Iesu, fui in insula, quæ appellatur Patmos, propter verbum Dei, & testimonium Iesu: 10. Fui in spiritu in Dominica die, & audiui post me vocem magnam tanquam tubæ, 11. Dicentis: Quod vides, scribe in libro: & mitte septem Ecclesiis, quæ sunt in Asia, Epheso & Smyrnæ, & Pergamo, & Thyatiræ, & Sardis, & Philadelphiæ, & Laodiciæ. 12. Et conuersus sum, vt viderem vocem quæ loquebatur mecum: Et conuersus vidi septem candelabra aurea; 13. & in medio septem candelabrorum aureorum similem filio hominis, vestitum podere, & præcinctum ad mamillas zona aurea: 14. Caput autem eius & capilli erant candidi tanquam lana alba, & tanquam nix, & oculi eius tanquam flamma ignis: & pedes eius similes aurichalco, sicut in camino ardenti, & vox illius tanquam vox aquarum multarum: 16. & habebat in dextera sua stellas septem; & de ore eius gladius vtraque parte acutus exibat: & facies eius sicut Sol lucet in virtute sua. 17. Et cum vidissem eum, cecidi ad pedes eius tanquam mortuus. Et posuit dexteram suam super me, dicens: Noli timere: ego sum primus, & nouissimus; 18. & viuus, & fui mortuus: & ecce sum viuens in sæcula sæculorum: & habeo claues mortis, & inferni. 19. Scribe ergo quæ vidisti, & quæ sunt, & quæ oportet fieri post hæc. 20. Sacramentum septem stellarum, quas vidisti in dextera mea, & septem candelabra aurea: septem stellæ, Angeli sunt septem Ecclesiarum: & candelabra septem, septem Ecclesiæ sunt.

COMMENTARII.

1\. *Libri Titu lus.* Laboribus Ecclesia roboratur.

VERS.1.2. *Apocalypsis Iesu Christi,&c.*] Reuelatio seu patefactio persecutionum Ecclesiæ imminentium, quæ *cito* fieri incipient. * Quia laboribus adolescit fides, Ecclesia roboratur.] Hanc reuelationem primò *dedit Deus Iesu Christo* recens concepto, ad cuius officium pertinebat præscire, ac præuidere omnia, quæ Ecclesiæ sponsæ ipsius erant obuentura: vt ex his quæ sciri ab aliis oporteret, suo tempore *palam faceret seruis suis* Apostolis, sicut nunc significauit ea *seruo suo Ioanni*, immittens ad eum legationem *per Angelum* suum. *Qui* quidem Ioannes ab hoc Angelo instructus *de verbo Dei, testimonium* hoc Ecclesiæ perhibuit eidem Dei verbo, seu testificatus est esse verbum Dei, *& testimonium Iesu Christi.* * Reuelationes enim minimè credendæ, nisi valido testimonio roborentur.] *Quacumque* igitur *vidit* toto hoc volumine exarauit.

Reuelationes non facilè credendæ.

Vers.3. Beatus qui legit, &c.] Beatus quidem est, qui hanc prophetiam, & doctrinam, quæ in ea innuitur *legit, & audit, & seruat* ea, quæ in ea scripta sunt. * Nihil enim legere, & audire prodest spiritualia monita, nisi seruentur.] *Tempus enim propè est,** Instant persecutiones, in quibus sine præmisso virtutum exercitamento vires deficiunt ad certamina. Vndè cum exundant labores, vberiorem virtutum exercitationem adiici oportet.] Titulus Libri explicit.

Nihil prodest legere, & audire spiritualia monita nisi seruentur.

Laborum tempore virtutum exercitatio crescat, oportet.

2\. *Epistola dedicatoria.*

Vers.4.5.6. Ioannes septem Ecclesiis,&c.] Septem Ecclesiis, *quæ sunt in Asia*, Ioannis prædicatione ad fidem conuersis, *gratia* Dei, *& pax*, seu omnium bonorum abundantia à Iehoua, seu ab eo, qui est, & *qui erat, & qui venturus*, seu futurus *est* æternus. Id est, à Deo, cui essentiale est esse æternum, infinitum, & immutabile. *Et à septem spiritibus*, seu Angelis, *qui in conspectu throni*, seu ante eius thronum stantes *sunt*, Dei scilicet administratorij, cælestis aulæ principes. Sunt qui asserant B. Amadeo horum Angelorum nomina fuisse reuelata: sunt verò: *Michael, Gabriel, Raphael, Vriel, Sealtiel, Iehudiel, & Barachiel.* Ab his septem gratiam Ioannes Ecclesiæ postulat quasi à Dei administris. * Nos docens eosdem Angelos pari modo inuocare, & eorum intercessione opem à Deo precari.] *& à Iesu Christo, qui est testis fidelis*, seu eximius Martyr ille, qui pro veritate tam fortiter ad mortem vsque decertauit, *primogenitus mortuorum*, seu qui primus à mortuis in vitam beatam resurrexit. Cur Ioannes hic Angelos Christo præposuit; Certè quia voluit sermonem de Christo vt homine longiori filo continuare: *& Princeps Regum terræ: qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo.* * Christi enim dilectio non fuit ex vacuo nomine, sed ex re. Operibus namque dilectionis veritas comprobatur.] *Et fecit nos Regnum* spirituale, in quo Deus regnet nunc per gratiam, postea per gloriam: & Sacerdotes proprie dictos, si Ecclesiæ Pastores spectes: & mysticos, si laicis adaptes. * Profectò Sacerdotes verè Reges sunt. Qui enim eos Sacerdotio donauit, pariter donauit & Regno: *Fecit nos Regnum & Sacerdotes.* Vnde spiritu Reges dominari debent, non prauis affectibus inseruire.] Fecit nos inquam Sacerdotes *Deo, & Patri suo: ipsi gloria & imperium in sæcula sæculorum. Amen.* Optare enim debemus, vt omnes eum adorent, & colant.

Gratia à Deo interuentu Angelorum postulanda.

Dilectionis veritas operibus comprobatur.

Sacerdotes Reges sunt: ideò non debent prauis affectibus inseruire.

Vers.7.8. Ecce venit,&c.] *Ecce*, seu cito veniet ad iudicium Christus, & iam prophetico spiritu eum venientem aspicio *eum*, seu in *nubibus*: *& videbit eum* omnis oculus, *& qui eum pupugerunt* in crucifixione. Citat Zachariæ cap.12.10. locum, vbi pro *pupugerunt* in Hebræo est דקרו *dageru*, quod non tantum compungere sed etiam transfigere significat. * Horribilis admodum erit improbis Domini vulnerum aspectatio.] *Et plangent se super eum omnes Tribus terræ.* Non Iudæi solum increduli, sed omnes terræ nationes, quæ Christum non receperunt, vel opera fidei agnata non fecere; misere tunc plangent. *Etiam Amen*, omninò ita erit, *Ego sum α & ω. Principium & finis.* Tota loquitur Trinitas. *Ego Alpha & Omega:* quemadmodum primus omnium sum, & omnes homines creaui, ita etiam sum finis, ad quem omnes tandem venturi sunt, vt iudicentur, & factis digna recipiant: quod tunc fiet, cum in fine sæculi Christus apparuerit, cui potestatem commisi iudicandi. Hæc *dicit Dominus Deus, qui est, & qui erat, & qui venturus est, omnipotens* quidem, vt intelligatis, & credaris, omnino futurum, quod prædicitur. Dei enim omnipotentis voluntati quis resistet?

Horribilis improbis in die iudicij erit vulnerum Christi aspectus.

3\. *Libri Prolôgus, omnia, quæ in eo continentur repræsentans.*

Vers.9.10.11. Ego Ioannes, &c.] Ego *frater vester* in fide, *& particeps in tribulatione*, sæuitiam enim Domitiani Christianos persequentis etiam experior in hanc Insulam relegatus: & particeps *in Regno*, idem enim cælorum Regnum spero, quod vos. Seu particeps in Regno tribulationis, & laborum. Pati enim pro Christo regnare est & iam quodammodo cælorum Regno frui. Domino fante Mat.8. *Beati, qui persecutionẽ patiuntur, quoniam ipsorum est* iam quodammodo *Regnum cælorum.*] particeps quoque *in patientia in Christo, Iesu.* Etiam enim ipse pro Iesu nomine patior. Ego inquam, *fui in Insula, quæ appellatur Patmos*, (in mari Icario sita, vna ex Sporadibus, non longe à Creta) in exilium à Domitiano pulsus *propter verbum Dei* à me prædicatum, *& propter testimonium*, quo affirmabam Christum esse Messiam. *Fui* inibi *in spiritu Dominica die*, seu extasin sum passus: *& audiui post me vocem magnam* ab Angelis efformatam tanquam tubæ vehementis sonitu hæc dicentis, seu proferentis: *Quod vides, scribe in libro: & mitte septem Ecclesiis, quæ sunt in Asia* minore: nempe *Epheso, & Smyrnæ, & Pergamo, & Thyatiræ, & Sardis, & Philadelphiæ, & Laodiceæ.*

Qui labores hîc pro Deo sustinet, iam quodammodò Regnum cælorum possidet.

Vers.12.13.14.15.16. Et conuersus sum,&c.] *Vt viderem vocem*, seu loquentẽ faciem conuerti. *Vt viderem vocem.* Vox non videtur, sed auditur, sed videre hîc idem est, ac cognoscere, quod ad omnes sensus potest referri. * Nisi dixerim, quod cælestes voces non tam sunt verba, quam opera; vnde magis ad visum, quam ad auditum terminantur. Ideo Exo. 20. 18. dicitur, *Omnis populus videbat voces.*] Cum igitur me conuertissem vt agnoscerem eum, qui loquebatur mecum: *Conuersus, vidi septem candelabra*

Cælestia verba non tã sunt verba, quam opera.

labra aurea, quæ quidem septem Ecclesiæ sunt; conuenienter quidem, nam Ecclesia est conspicua, lucem mundi Christum, & eius doctrinam mundo præfert: aurea autem ob charitatem. *Et in medio septem candelabrorum aureorum similem Filij hominis vestitum podere*, seu Angelum, qui Christi personam agebat, aspexi indutum veste talari ad pedes vsque demissa sacerdotali quidem vel linea, vel hyacinthina, quæ propria erat Pontificis. Hîc enim Angelus Christum repræsentat munus Pontificis gerentem circa Ecclesiam, vt fideles doceat, & corripiat: *& præcinctum ad mamillas zona aurea.* Alludit veterum sacerdotum & Pontificum cingulum. Hi enim adeo altè se succingebant, vt linea vestis accingi erat solita circa pectus.

Castitas Sacerdotalis ad pectus præcingitur.

* Linea & candida sacerdotalis puritas non affectuatur immaculata, nisi vel à cogitationibus otiosis cingulum accipiat initium.]

Leuis luxuriæ scintilla magnum solet incendiũ excitare.

* Vel lenis enim luxuriæ scintilla admissa sæpè assolet horribile incendium excitare.] *Capus autem eius & capilli erant candidi*, (vt canis Christi Filij, seu Verbi æternitas signaretur.) *tanquam lana alba, & tanquam nix, & oculi eius tanquam flamma ignis*, vt Christi ira, & vindicta contra Ecclesiæ persecutores, & impios exprimeretur: *& pedes eius similes aurichalco, sicut in camino ardenti.* Pro *aurichalco*, Græcè est *Chalcolibano*, seu ære libano, eo quod è libano eruatur. Pedes Christi similes aurichalco pretioso admodum metallo obiiciuntur.

Gressus Sacerdotalis debet esse pretiosus.

* Gressus enim sacerdotalis debet esse pretiosus, seu tardò in plateis, nisi ad opus charitatis aspectabilis.] Non frigidi sed candentes & coruscantes sunt Christi pedes, quale esse aurichalcum solet cum in fornace liquatur.

Præsules feruẽtes ad subditorum curã procedant.

* Vt edoceat Præsules ardentem feruorem ad pastorale munus implendum.] Ardens caminus signat persecutiones Ecclesiæ imminentes ex Patrum sententia.

Quasi Christus nunc patitur, cum iusti patiuntur.

* Sed quomodo Christus iam gloriosus, impassibilis igne illo succendi innuitur? An quia cum iusti patiuntur, Christus compati quodammodo queritur? Ità Saulo querulus Christus ait. *Saule*, cur me persequeris?] *Et vox illius tanquam vox aquarum multarum*, seu vox Christi vehemens erat, & sonora, quasi solet esse aquarum multarum cum impetu diffluentium, signat hæc vox prædicationem Euangelicam ita sonoram, vt ab hominibus in remotissimis orbis angulis degentibus, audiatur. *Et habebat in dextera sua stellas septem.* quibus septem Episcopi significantur.

Præsules, instar stellarũ subditis exẽplo præfulgeant.

* Præsules enim subditis exemplo, & doctrina præfulgere tenentur.] Sunt in dextera Christi, quia à Deo præ ceteris proteguntur, & fouentur: *& de ore eius gladius vtraque parte acutus exibat*, quo signatur extrema illa sententia, qua dæmones, & impios homines, dire feriet adigetque in gehennam.

Sententia damnatis ferẽda gladius est vtraque parte acutus.

* Acutus est vtraque ea parte gladius ob pœnam damni & sensus, cui æternum subiacebunt. *Et facies eius, sicut sol lucet in virtute sua*, seu cum maximè viget Iulij mense meridianus. Corporis Christi gloria significatur, qua fulget in cælo, & qua iudicij die omnibus ostentabitur.

Vers. 17. 18. 19. 20. Et cum vidissem eum, &c.] Cum igitur eum aspectarem, *cecidi ad pedes eius tanquam mortuus*, seu ex reuerentia, & ingenti pauore velut exanimatus. *Et posuit dexteram suam* super me, seu me præ stupore collabentem èrexit, *dicens: Noli timere: ego sum primus, & nouissimus.* Alpha, & Omega, principium, & finis, creator omnium: *& viuus*, seu nunc viuo: *& fui mortuus* in cruce propter hominum vitam: *& ecce sum viuens in sæcula sæculorum*, per resurrectionem vitæ restitutus, quæ vita persistet æternùm: *& habeo claues mortis & inferni*, seu potestatem viuificandi, & occidendi. Vndè tyranni haud sint vobis formidini: penes me sunt claues vitæ & mortis, nec vobis nocere poterunt, me inuito. *Scribe ergo, quæ vidisti*, & quæ sunt, & quæ oportet fieri post hæc: seu quæ in præsenti accidunt in Ecclesia; & quæ sub Traiano, & aliis Imperatoribus, maximè sub mundi finem dira subibit. Sacramentum septem stellarum, quas vidisti in dextera mea, & septem candelabra aurea, seu mysterium, & secretum septem stellarum, & totidem aureorum candelabrorum tibi in primis aperiam. *Septem stellæ Angeli sunt septem Ecclesiarum: & candelabra septem Ecclesiæ sunt.* Seu septem stellæ sunt Episcopi septem Ecclesiarum.

Episcopos decet Angelica puritas.

* Qui quidem apposite Angeli vocitantur ob puritatem vitæ, qua decet Præsules Ecclesiæ nitere.] Candelabra septem sunt totidem Asiæ Ecclesiæ, quas deinceps nominabit.

CAPVT II.

Christi Iesu Ioannes scribit Angelis, seu Episcopis quatuor, nempe Ephesi, Smyrnæ, Pergami, & Thyatiræ.

1. ANGELO Ephesi Ecclesiæ scribe: Hæc dicit, qui tenet septem stellas in dextera sua, qui ambulat in medio septem candelabrorum aureorum: 2. Scio opera tua, & laborem, & patientiam tuam, & quia non potes sustinere malos: & tentasti eos, qui se dicunt Apostolos esse, & non sunt: & inuenisti eos mendaces: 3. & patientiam habes, & sustinuisti propter nomen meum, & non defecisti. 4. Sed habeo aduersum te, quòd charitatem tuam primam reliquisti. 5. Memor esto itaque vnde excideris: & age pœnitentiam, & prima opera fac: sin autem, venio tibi,

& mouebo candelabrum tuum de loco suo, nisi pœnitentiam egeris. 6. Sed hoc
habes, quia odisti facta Nicolaitarum, quæ & ego odi. 7. Qui habet aurem, au-
diat quid Spiritus dicat Ecclesiis: Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in
Paradiso Dei mei. 8. Et Angelo Smyrnæ Ecclesiæ scribe: Hæc dicit primus, &
nouissimus; qui fuit mortuus, & viuit. 9. Scio tribulationem tuam, & pauperta-
tem tuam, sed diues es: & blasphemaris ab his, qui se dicunt Iudæos esse, & non
sunt, sed sunt synagoga satanæ. 10. Nihil horum timeas quæ passurus es. Ecce mis-
surus est diabolus aliquos ex vobis in carcerem vt tentemini: & habebitis tribula-
tionem diebus decem. Esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.
11. Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis: Qui vicerit, non lædе-
tur à morte secunda. 12. Et Angelo Pergami Ecclesiæ scribe: Hæc dicit qui ha-
bet rhomphæam vtraque parte acutam: 13. Scio vbi habitas: vbi sedes est sata-
næ: & tenes nomen meum, & non negasti fidem meam. Et in diebus illis Anti-
pas testis meus fidelis, qui occisus est apud vos, vbi satanas habitat. 14. Sed habeo
aduersus te pauca: quia habes illic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Ba-
lac mittere scandalum coram filiis Israël, edere, & fornicari: 15. Ita habes & tu
tenentes doctrinam Nicolaitarum. 16. Similiter pœnitentiam age: si quominùs
veniam tibi citò, & pugnabo cum illis in gladio oris mei. 17. Qui habet aurem,
audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis: Vincenti dabo manna absconditum, & dabo illi
calculum candidum: & in calculo nomen nouum scriptum, quod nemo scit, nisi qui
accipit. 18. Et Angelo Thyatiræ Ecclesiæ scribe: Hæc dicit Filius Dei, qui ha-
bet oculos tanquam flammam ignis, & pedes eius similes aurichalco: 19. Noui
opera tua, & fidem, & charitatem tuam, & ministerium, & patientiam tuam, &
opera tua nouissima plura prioribus. 20. Sed habeo aduersus te pauca: quia per-
mittis mulierem Iezabel, quæ se dicit propheten, docere, & seducere seruos meos,
fornicari, & manducare de idolothytis. 21. Et dedi illi tempus vt pœnitentiam
ageret: & non vult pœnitere à fornicatione sua. 22. Ecce mittam eam in le-
ctum: & qui mœchantur cum ea, in tribulatione maxima erunt, nisi pœniten-
tiam ab operibus suis egerint. 23. & filios eius interficiam in morte, & scient
omnes Ecclesiæ, quia ego sum scrutans renes & corda: & dabo vnicuique ve-
strûm secundùm opera sua. Vobis ante dico, 24. & cæteris qui Thyatiræ estis:
Quicumque non habent doctrinam hanc, & qui non cognouerunt altitudines sa-
tanæ, quemadmodum dicunt, non mittam super vos aliud pondus: 25. tamen
id, quod habetis, tenete donec veniam. 26. Et qui vicerit, & custodierit vsque
in finem opera mea, dabo illi potestatem super Gentes, 27. & reget eas in virga
ferrea, & tanquam vos figuli confringentur, 28. sicut & ego accepi à Patre meo:
& dabo illi stellam matutinam. 29. Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat
Ecclesiis.

COMMENTARII.

I. *Epistola ad Episcopum Ephesi.*

VERS. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. *Angelo Ephesi, &c.*] Ephesi Episcopo Timotheo hæc *scribe*: Erat Ephesus minoris Asiæ Metropolis. *Hæc dicit, qui tenet septem stellas in dextera sua, qui ambulat in medio septem candelabrorum aureorum.* Hæc dicit Pontifex, cui commissæ sunt à Patre septem Ecclesiæ & earum Episcopi: & mei muneris est, sollicitè recognoscere an luceant stellatæ lucernæ, vtque magis splendeant, eas frequenter emungere. * Hæc quilibet Episcopus erga Sacerdotes suos & Parochos præstare debet, & quidem per seipsum; ne lucernæ ob Præsulis desidiam extinguantur.] *Scio*, ô charissime Timothee, *opera tua, & laborem, & patientiam tuam.* Opera tua bona, & Ecclesiæ vtilia, & laborem in salutem animarum impensum in laboribusque tolerantiam recognosco: *& quia non potes sustinere malos*, seu publicos peccatores, quin aut corrigas aut ex Ecclesia exturbes: *Et tentasti eos, qui se dicunt Apostolos esse, & non sunt*: redarguisti Pseudo-Apostolos, quos nomen id falsò iactare post diligens examen comperisti: *& inuenisti eos mendaces: & patientiam habes, & sustinuisti propter nomen meum*, seu propter me, & Euangelium, persecutiones, & victus labore *non defecisti*, sed fortiter cuncta tolerasti. *Sed habeo aduersum te, quod charitatem tuam primam reliquisti*, seu quod de primo illo feruore in Gentilium conuersione & promotione Christianorum ad meliora aliquantulum remisisti. Porrò Timotheus hîc de mortali crimine non arguitur. * Annota prudentissimam Christi correptionem: prius illum modestè commendat, posteà illum de remissione feruoris benignè, & vrbanè reprehendit.] *Memor esto itaque vnde excideris: & age pœnitentiam, & prima opera fac.* Recognosce gradum è quo recessisti, & resipiscens ad illum rursus eleuari contende. * *Memor*, ait, *esto vnde excideris.* Memoria enim perfectionis, ac feruoris primæui, de imperfe

Episcopi frequenter recognoscant, an Sacerdotes sui sint verè Ecclesiæ lucernæ.

Præsules subditos debent vrbanè reprehendere.

Memoria feruoris pri-

[...]itij facit nos feruorem acuere iā remissum.

perfectionibus præsentibus nos pudere facit,& ad priorem statum recurrere.] * Hoc quidem efficiunt Exercitia spiritualia, quæ annis singulis agimus Iesuitæ, vt memores primi feruoris, eum resumere cum auctuario studeamus.]

Exercitia spiritualia societatis Iesu restituunt animo antiquum feruorem.

Sin autem, venio tibi, & mouebo candelabrum tuum de loco suo, nisi pœnitentiam egeris. Si verò non resipueris,& primo feruori nō studueris,ad te accedam vt puniam,& Ecclesiam à te auferam,ne sis eius Episcopus,eamque alteri committam. Ecclesia per candelabrum , vt vidisti, significatur; hoc autem mouetur de loco seu statu suo, cum ab vno Episcopo ad alium transfertur. * Frequenter enim videris, nouum Gubernatorem præcedentis modum regiminis immutare.]

Nouus Gubernator assolet præcedentis modū regiminis immutare.

Sed hoc habes, quia odisti facta Nicolaitarum quæ & ego odi. Profiteor tamen te hoc præcipuè bonum mihi gratum habere, quod odio semper persequeris Nicolaitarum opera mihi admodum inuisa. Dicti sunt Nicolaitæ ab eius hæresis Magistro Nicolao : horum verò hæresis erat, licere fornicari, & fœminis etiam coniugatis abuti. * Rarò hæreticum videris libidinis licentia non infectum.]

Rarò hæreticus non inficitur luxuria.

* Annon annotasti Christum ob veniale piaculum adeò innectiuum in Timotheum sanctum insurgere, vt minitetur, se cum ab Episcopatu deturbaturum, si non resipiscat? Profectò Præsulatus munus tantam exigit perfectionem, vt leuia piacula veluti grauia crimina punienda videantur.]

In Præsule venialia piacula velut grauia puniri videntur, ob muneris perfectionem.

Qui habet aurem, audiat, quid Spiritus dicat Ecclesiis, seu qui audiendi, siue intelligendi, & obediendi aures habet, percipiat quid Spiritus sanctus tuo calamo indicat fidelibus. *Vincenti dabo, edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei.* Vincenti torporem per seriam animi applicationem ad pristinum charitatis feruorem, impertiam beatitudinis cælestis paradisi fruitionem. * Nonnulli de sacerrima Eucharistia exponunt, cuius frequens sumptio confert ad resumendum, augendum, & conseruandum animi feruorem.]

Eucharistiæ sumptio cōfert ad augēdum animi feruorem.

2.
Epistola ad Smyrnæ Episcopum.

Vers. 8.9.10.11. Et Angelo Smyrnæ, &c.] Episcopo Smyrnæ Episcopo Policarpo hæc scribe. Smyrna est Asiæ minoris Vrbs. *Hæc dicit primus & nouissimus, qui fuit mortuus, & vixit: Scio tribulationem tuam,* qua ab Ecclesiæ persecutoribus afficeris: *& paupertatem tuam,* ad quam redactus es ex bonorum tuorum spoliatione propter Euangelij præconium; *sed diues es* bonis spiritualibus : *& blasphemaris ab his, qui se dicunt Iudæos esse, & non sunt:* seu contumeliis afficeris ab his, qui iactitant se veros esse Iudæos, & mentiuntur; cum nolint profiteri Christum esse Deum, quem veteres Iudæorum Patriarchæ, & Prophetæ coluerunt, & prædicauerunt: *sed sunt Synagoga satanæ,* seu impia congregatio diabolo obtemperans, & eius instinctu in Christi Ecclesiam rebellans. *Nihil horum, ô Policarpe, timeas, quæ passurus es. Ecce enim missurus est diabolus aliquos ex vobis in carcerem, vt tentemini,* seu variis cruciatibus tanquam igne vestræ charitatis aurum probetur: *& habebitis tribulationem diebus decem,* seu multis diebus imò & annis, siue multis vicibus. Iob. 19.3. *En decies confunditis me,* id est, diù, & multis vicibus. * Si diuturna est tribulatio cur diebus decem annumeratur? * Quia momentanei sunt iustorum labores, qui æternitatis requie sunt munerandi]

Momentanei sunt iustorum labores, qui æternitatis requie sunt munerandi.

Esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ, à pietate non deficias, & vitam cælestem accipies pro lauro certaminis. *Qui habet aurem, audiat, quid Spiritus dicat Ecclesiis. Qui vicerit, non lædetur à morte secunda.* Mors prima est corporis, secunda est animæ, cum æternæ damnationi addicitur. * Hæc mors secunda potest lædere, prima non lædit, sed potiùs fauet iustis, qui ad vitam veram sunt adducendi.]

Mors corporis non lędit, sed potiùs fauet iustis.

3.
Epistola ad Episcopum Pergami.

Vers. 12.13.14.15.16.17. Et Angelo Pergami, &c.] Pergamus perillustris fuit Asiæ minoris, vel Troadis ciuitas. Quisnam autem fuerit hic Pergami Episcopus, non inuenio. Hæc scribe Pergami Præsuli: *Hæc dicit, qui habet rhomphæam vtraque parte acutam:* Scio, vbi habitas, vbi sedes est satanæ, scio qualiter affecta sit ciuitas, in qua Episcopi munus agis: inibi enim diabolus partim per Gentes, partim per Nicolaitas dominatur: *& tenes nomen meum, & non negasti fidem meam,* sed in Vrbe, vbi thronum diabolus habet, constans in fide persistis. * Magnæ virtutis documentum, probum esse inter improbos.]

Magnæ virtutis signum probum esse inter improbos.

Et in diebus illis Antipas testis meus fidelis, qui occisus est apud vos, vbi satanas habitat. Inde magis commendo te ex fidei constantia, quod in ea perstiteris illis diebus, quibus magis sæuiebat hostium persecutio; cum videlicet Antipas Martyr meus fidelis fuit interemptus apud vos, instinctu Satanæ, qui sanctos vult à viuis arripi, vt liberiùs seducat. Fuerat Antipas Pergami Episcopus, de quo Aprilis die vndecima Surius. *Sed habeo aduersus te pauca; quia habes illic tenentes doctrinam Balam, qui docebat Balac mittere scandalum coram filiis Israël, edere, & fornicari.* Nonnulla habeo, quæ tibi obiiciam. Permittis namque, in vrbe fideli commorari doctrinæ Balaami sectatores. Quia sicut Balaamus auctor fuit, vt Hebræi ederent de immolatis Beelphegor, & cum alienigenis illicitum gererent consortium: ita Nicolaitæ, quos tu permittis Pergamo vagari, ita fornicari cum omnibus fœminis, & vxores esse communes prædicant. Et sicut Balaam docebat Regem Balac mittere scandalum in Israël seu mulieres immittere, quæ Hebræos in peccatum pellicerent: Num. 24. ita Nicolaitæ docent, licitum esse de idolotytis *edere; & fornicari.* * Et quando post gulam libidinis ignis non flagrat?]

Post gulam luxuria.

Similiter pœnitentiam age, seu quomodò Ephesino Præsuli præcepi, resipisce: *si quominus veniam tibi citò,* alioqui ad te veniam, vt negligentiam vindicem: *& pugnabo cum illis gladio oris mei,* seu feram in illos, qui doctrinam Nicolaitarum sectantur, mortis æternæ sententiam. *Qui habet aurem audiat, quid Spiritus* sanctus *dicat Ecclesiis. Vincenti dabo manna absconditum: & dabo illi calculum candidum: & in calculo nomen nouum scriptum, quod nemo scit, nisi qui accipit.* Tibi superanti, & debellanti Nicolaitarum errores, & propriam pusillanimitatem vincenti, quæ te impedit, quominus contra illos strenuè decertes: impertiam manna absconditum spiritualis consolationis, quæ pugnantibus fortiter contra vitia à Deo offertur. Dicitur manna *absconditum,* seu inexpertis ignoratum. Addam calculum candidum, seu felicitatis æternæ sententiam. Veteribus quidem calculus candidus erat signum felicitatis, & absolutionis in iudicio: *& nomen nouum,* scilicet, vt sit, & dicatur Dei filius, & heres.

Eucharistia præmiũ vincenti quia æternæ felicitatis pignus.

heres. * Quod si ex aliquorum mente io calculo candidu Eucharistia signetur i appositè vincentibus promittitur; dignè eoim recepta æternæ est pignus felicitatis.]

4. *Vers.* 18. 19. 20. *Et Angelo Thyatyra Ecclesia scribe, &c.*] Thyatyra erat Vrbs vltima Mysorum Macedonum colonia ad Pergami Austrum. Sunt, qui existiment, hunc Episcopum fuisse S. Carpum. *Hac dicit Filius Dei, qui habet oculos tanquam flammam ignis i & pedes eius similes aurichalco.* * Mentio fit pedum Christi simillimo aurichalco in camino ardenti, vt Episcopum consoletur in afflictionibus, quibus pro Christo affici-batur: innuens se in eadem ignea fornace versari cum patiente, cum illoque ambulare.]

Epistola ad Thyatira Episcopum.

Vbi iusti igne laborũ probantur, Christus adest consolator.

Inambulat Christus cũ iustis patientibus.

* Quemadmodum in fornace Babylonis enim tribus viris inibi inclusis deambulabat quartus vir ille similis *Filio Dei*: En pedes Christi in camino ardenti, seu in fornace vbi Corpus sicut aurum probatur, Christum inambulantem.] *Noui opera tua, & fidem, & charitatem tuam, & ministerium, & patientiam tuam, & opera tua nouissima plura prioribus*, seu quod in omnibus te strenuè gesseris circa ministerium tunc, scio etiã plura opera gratiora Deo adiecisse. *Sed habeo aduersus te pauca: quia permittis mulierem Iezabel, qua se dicit propheten, docere, & seducere seruos meos, fornicari, & manducare de idolothytis.* Permittis fœminam eam hæreticam, quam Iezabelem nomino, quia antiquæ illius Reginæ mores æmulatur. Nam prophetissam se mentiendo sectam Nicolaitarum confirmat, edocens licere fornicari, & de idulothytis edere: Sicut illa Iezabel Baal cultum propagare curauit. Malum ex sua natura nõ erat, de idolothytis vesci: sed ob scandalum non licebat, ne comedens idololatra crederetur. * Vel à licitis abstinendum, cum propter paruulorum scandalum redduntur illicita.]

Vel à licitis abstinẽdum, si non possint sine scãdalo fieri.

Vers. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. *Et dedit illi tempus, vt pœnitentiam ageret: & non vult pænitere à fornicatione sua.* * Vitium enim fornicationis maximæ adhærentiæ est, & difficillimè eradicatur maximè in mulieribus.] *Ecce mittam eam in lectum: & qui mœchantur cum ea, in tribulatione maxima erunt, nisi pœnitentiam ab operibus suis egerint:* Vt resipiscat, eam graui morbo percutiam. * Magna Dei pietate impij laboribus agitantur: vt amens pœna mentem recipiat.] Vnde vulgare illud: Phyx plagis emendatur.] Libidinis verò illius consortes ingentibus vexabuntur ærumnis: *& filios eius interficiam in morte*, seu diro mortis genere percutiam: *& scient omnes Ecclesia, quia ego sum scrutans renes, & corda*, seu occultissima istius mulieris arcana dignosco: *& dabo vnicuique vestrum secundum opera sua. Vobis autem dico, & cæteris, qui Thyatira estis.* Ad vos iam conuerto sermonem ô fideles, qui Thyatiræ habitatis. *Quicumque non habent doctrinam hanc, & qui non cognouerunt, altitudines satana, quemadmodum dicunt*; Porrò qui non recipiunt Iezabelis & Nicolaitarum doctrinam, nec agnouerunt vel assecuti sunt *altitudines*, Græcè *profunditates* illius doctrinæ, vti loqui hæretici hi assolent vt eam commendent & verè eam profundam appellant, cum eam satanas è profundo ad terram transtulerit; hi verè sunt fidei Christi cultores. *Non mittam autem super vos aliud pondus*, nec grauabo alia legis veteris ceremonia: *tamen id, quod habetis, tenete, donec veniam*, nempe vt abstineatis ab idolothytis; semper enim erit illicitum his vti cibis si adsit scandalum. *Et qui vicerit, & custodierit vsque in finem opera mea, dabo illi potestatem super Gentes.* Qui terroribus ac blanditiis istius impudicæ fœminæ non cesserit, & præcepta mea quæ opere impleri iubeo custodierit; dabo illi potestatem iudiciariam super omnes impios in extremo iudicio: & vna mecum *reget* imo conteret eos *in virga ferrea*, seu seuera, & irreuocabili damnationis sententia: *& tanquam vas figuli confringentur.* Alludit ad Psalmum. 2. *Reges eos in virga ferrea, & tanquam figuli confringes eos. Sicut & ego accepi à Patre meo* hanc iudiciariam potestatem, hic à me accipient: *& dabo illi stellam matutinam*, seu gloriæ lumen, claram Dei visionem, quæ instar luciferi, post huius vitæ noctem illucescet vnicuique fideli animæ, simul atque è corpore demigrabit. * Quod si liceat de Eucharistia locum interpretari. Christus infrà dicit cap. 22. 16. *Ego sum stella splendida, & matutina.* Hæc equidem iustis, omnium præceptorum obseruatoribus pro illustrium victoriarum præmio confertur. Ineffabilis namque pro immensis laboribus merces est, vel semel dignè Eucharistiam recipere.]

Difficilè eradicatur luxuriæ vitium.

Magna Dei pietate impius laboribus cõstringitur, vt amens pœnã mentem recipiat.

Immensorũ laborum ineffabile præmium erit, si vel semel detur nobis dignè recipere Eucharistiam.

CAPVT III.

Tres reliquæ Epistolæ ad Episcopum Sardensem, Philadelphiensem, & Laodicensem.

1. ET Angelo Ecclesiæ Sardis scribe: Hæc dicit qui habet septem Spiritus Dei, & septem stellas: Scio opera tua, quia nomen habes quòd viuas, & mortuus es. 2. Esto vigilans, & confirma cetera, quæ moritura erant. Non enim inuenio opera tua plena coram Deo meo. 3. In mente ergo habe qualiter acceperis, & audieris, & serua, & pœnitentiam age. Si ergo non vigilaueris, Veniam ad te tanquam fur, & nescies qua hora veniam ad te. 4. Sed habes pauca nomina in Sardis, qui

non

non inquinauetunt vestimenta sua, & ambulabunt mecum in albis, quia di-
gni sunt. 5. Qui vicerit, sic vestietur vestimentis albis, & non delebo no-
men eius de Libro vitæ, & confitebor nomen eius coram Patre meo, & coram
angelis eius. 6. Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis. 7. Et
Angelo Philadelphiæ Ecclesiæ scribe: Hæc dicit Sanctus & Verus, qui habet cla-
uem Dauid, qui aperit, & nemo claudit: claudit, & nemo aperit. 8. Scio opera
tua. Ecce dedi coram te ostium apertum, quod nemo potest claudere: quia mo-
dicam habes virtutem, & seruasti verbum meum, & non negasti nomen meum.
9. Ecce dabo de synagoga satanæ, qui dicunt se Iudæos esse, & non sunt, sed
mentiuntur: Ecce faciam illos vt veniant, & adorent ante pedes tuos: & scient
quia ego dilexi te. 10. quoniam seruasti verbum patientiæ meæ, & ego seruabo
te ab hora tentationis, quæ ventura est in orbem vniuersum tentare habitantes in
terra. 11. Ecce venio citò: tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam.
12. Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei, & foras non egre-
dietur amplius: & scribam super eum nomen Dei mei, & nomen ciuitatis Dei mei
nouæ Ierusalem, quæ descendit de cælo à Deo meo, & nomen meum nouum.
13. Qui habet autem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis. 14. Et Angelo Lao-
diciæ Ecclesiæ scribe: Hæc dicit: Amen, testis fidelis, & verus, qui est principium
creaturæ Dei: 15. Scio opera tua, quia neque frigidus es, neque calidus; vtinam
frigidus esses, aut calidus, 16. sed quia tepidus es, & nec frigidus, nec calidus, in-
cipiam te euomere ex ore meo. 17. quia dicis: Quòd diues sum, & locupleta-
tus, & nullius egeo: & nescis quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus,
& nudus. 18. Suadeo tibi emere à me aurum ignitum probatum, vt locuples fias,
& vestimentis albis induaris, & non appareat confusio nuditatis tuæ, & collyrio
inunge oculos tuos, vt videas. 19. Ego quos amo, arguo, & castigo. Æmulare
ergo, & pœnitentiam age. 20. Ecce sto ad ostium, & pulso: si quis audierit vo-
cem meam, & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, &
ipse mecum. 21. Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut & ego
vici, & sedi cum Patre meo in throno eius, 22. Qui habet autem audiat quid
Spiritus dicat Ecclesiis.

COMMENTARII.

1. *Epistola ad Episcopum Sardis.*

VERS. 1.2.3.4.5.6. *Et Angelo Ecclesiæ Sardis, &c.*] Sardis erat Lydiæ Metropolis, incertum autem est, quinam Episcopus. Hæc ô Ioannes Sardicensi. *Scribe: Hæc dicit, qui habet septem spiritus Dei, & septem stellas.* Seu qui septem Episcopos in septem Angelis: & septem Ecclesias in septem stellis adumbratas subditas Pontifex summus meæ regiminis dextera teneo. *Scio opera tua, quia nomen habes, quod viuas, & mortuus es,* seu tuos mores apertè calleo. Fama viuentis est, sed opera mortui; excidisti enim à gratia per graue peccatum. * Ex hoc capite Episcopus hic minus malus ostenditur, quòd viuentis nomen habeat, piaculum cautela dissimulans, vt vitaret scandalum.] Existimo huius Episcopi peccatum fuisse negligentiam in Episcopali munere, in docendo, monendo, & corripiendo populo, scandalis auertendis, reprimendis hæreticis. Nonnulli Doctores hunc Episcopum nominant. Aureolus putat fuisse *S. Melithonem.* Erasmus credit fuisse *Luciferum* Sardum. Sed apertè ab aliis errasse in vtraque opinione ex differentia temporis conuincuntur. * Et quidem Dei prouidentia Episcopi huius nomen occultatur, & quia lethaliter deliquisse asseritur. Vult enim Deus nullum proximum maximè Præsulem licet vitiis infectum publicè infamari.] *Esto vigilans, & confirma cætera, quæ moritura erant.* Excute negligentiam, & diligens esto in extirpandis primum tuis, dein & tuorum defectibus: & reliquum tibi commissum gregem in fide, & virtute confirma, tua alioqui incuria etiam spiritualiter moriturum. * A cura vel incuria Pastorum sæpe subditorum vel salus, vel damnatio pendet.] *Non enim inuenio opera tua plena coram Deo meo.* Haud plene viuis, vt debes: opera muneri non respondent. *In mente ergo habe qualiter acceperis, & audieris. & serua, & pœnitentiam age.* Perpende qualem te vitam agere docuerint, qui te isti Ecclesiæ præposuere, & ita viue de præteritis resipiscens. *Si ergò non vigilaueris, veniam ad te tanquam fur: & nescies, quâ hora veniam ad te,* seu cum minime opinaberis morieris, & vocaberis ad iudicium. *Sed habes pauca nomina* in Sardis, seu paucos Christianos, *qui non inquinauerunt vestimenta sua,* seu qui criminis labe suam innocentiam minimè infecerunt: *Et ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt:* seu mecum incedent cælestis gloriæ stola induti in eorum fidei, & charitatis præmium. *Qui vicerit, sic vestietur vestimentis albis,* seu stola gloriæ induetur: *& non delebo nomen eius de Libro vitæ: & confitebor nomen eius coram Patre meo, & coram Angelis eius,* seu in Patris mei, & beatorum omnium conspectu illum agnoscam, & gloriabor, me talem seruum habere. Christiani omnes in Baptismo in Libro vitæ scribuntur inchoatè, & quoad præsentem iustitiam: qui ergo peccando gratiam amittunt, de Libro vitali quoad præsentem iustitiam

Peccator minus malus ostenditur, cum cautè delinquit.

Præsulis peccata debent diligenter ab omnibus operiri.

A cura, vel incuria Præsulum sæpè salus, vel dānatio subditorum pendet.

tiam

tiam delentur. Sententia itaque est: Pergami illum in Libro vitæ scriptum habere. *Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis.*

2. Epistola ad Episcopū Philadelphiæ.

Vers. 7.8.9.10.11.12.13. Et Angelo Philadelphiæ, &c.] Philadelphia est Vrbs in Mysia iuxta Lydiam subiacens sita dicta ab eius conditore Attalo Philadelpho. Hunc Episcopum fuisse S. Quadratum probabilitet existimo. Et ô Apostole, *scribe: Hæc dicit sanctus, & verus, qui habet clauem Dauid*, seu qui habet plenum dominium & Regni, & domus, & Templi Dauidis quo quidem Ecclesia intelligitur: *qui aperit, & nemo claudit: claudit, & nemo aperit:* seu quos ipse ad Ecclesiam adducit, nemo potest excludere: & quos propter incredulitatem ipse excludit, nemo eacipere valet. *Scio opera tua*, strenuè enim pro me laborasti. *Ecce dedi coram te ostium apertum, quod nemo potest claudere.* Clauem habens Ecclesiæ, pandi eius tibi fores, vt ex Gentibus multos ad cælestem hanc Dei domum adducas: *quia modicam habes virtutem*, quia virtus tua infirma est, ego aperiam ostium, difficultates vincens, id est, tibi vires suffi. iam, vt obstantes difficultates valeas superare. * Nil difficilè vel intendentibus propter Deum tes ferè impossibiles, quia ipse illis impertit ad huiusmodi opus vires, quæ naturæ deficiunt.] *Seruasti* quidem *verbum meum*, doctrinæ Euangelicæ hæsisti: *& non negasti nomen meum*, imo professus es te eius esse sectatorem. *Ecce dabo de Synagoga Satanæ, qui dicunt se Iudæos esse, & non sunt: sed mentiuntur* En tibi ttadam, vt tuo labore conuertantur, nonnullos ex iudaizantibus, qui sunt Synagoga non Dei, sed satanæ. *Ecce faciam illos, vt veniant, & adorent ante pedes tuos*, parati præstare, quidquid imperaueris: *& scient, quia ego dilexi te*. Seu tune agnoscent, te veracem, ac pium fuisse, Deoque charum. *Quoniam seruasti verbum patientiæ meæ*, seu scient te à me dilectum fuisse, quia æquo animo multa incommoda pro me tolerasti. * Dilectionis verum est testimonium labores pro dilecto Domino patienter sustinere.] *Et ego seruabo te ab hora tentationis, quæ ventura est, in orbem vniuersum tentare, habitantes in terra*, seu te protegam, ne succumbas in ventura Traiani persecutione, quæ horribilis, & vniuersalis erit. *Ecce venio citò*, te protectutus, & muneraturus: *tene quod habes*, perge, vt cœpisti, *vt nemo accipiat coronam tuam*, seu ne si succubueris, alius tuo muneri substituatur, qui coronâ vitæ æternæ referat, quam tibi parauerain. *Qui vicerit, faciam illum columnam in Templo Dei mei, & foras non egredietur amplius; & scribam super eum nomen Dei mei, & nomen Ciuitatis Dei mei nouæ Ierusalem, quæ descendit de cœlo à Deo meo: & nomen meum nouum.* Efficiam, vt qui firmus in iustitia perstiterit, magnus in Ecclesia, & in cælo persistat, ab ea glotia nunquam decidet, instar validissimæ columnæ, super quam apponam Dei nomen, vti inscribi assolent columnis nomina victorum, seu eorum, quibus eriguntur, vel dedicantur: & nomen cælestis Ierosolymæ (vt sciatur, columnam illam ad æternam felicitatem pertinere) & nomen Iesu, vt constet, victoriam, & gratiam illam per Iesum esse assecutos. * Humana enim infirmitas nihil sine Iesu cooperatore potest. Vndè omnis victoria non nobis, sed Iesu semper est adscribenda.] *Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis.*

Nihil difficile intendēti Dei obsequium. Deo necessarias vires semper sufficiente.

Nihil sine Iesu possumus.

3. Epistola ad Laodiciæ Episcopum.

Vers. 14.15.16.17.18. Et Angelo Laodiciæ, &c.] Laodicia Vrbs est Cariæ. Quisnam eius hic Episcopus, prorsus ignotum, ad eum hoc tenore litteras *scribe: Hæc dicit Amen, testis fidelis, & verus*. Hæc dicit Christus, cuius nomen est, *Amen*, id est, *stabilis*, (sic Græcè) fidelis, & verax. Inculcat hic Dominus suam fidelitatem, & veracitatem, vt dictis suis mox proferendis, minis, & promissis plane admirandis fidem conciliet. *Qui est principium creaturæ Dei*, seu causa efficiens & exemplaris rerum creatarum (à qua scilicet ducunt conditæ omnes creaturæ exordium) & maximè reparatarum, seu hominum per suam mortem redemptorum. Siue facilius dixeris. Qui in cunctas creaturas tenet principatum. *Scio opera tua, quia nec frigidus es, neque calidus* sed tepidus. Tepidus ille dicitur, qui lethaliter peccare non audet, sed perfectioris vitæ negligit studium, & quævis piacula perpetrat, quæ sibi solùm venialia videntur. *Vtinam frigidus esses, aut calidus.* An bonum est hoc desiderium? Affirmatiue respondeo. Cum enim quis in Socordia obfirmatus, & tuinæ proximus, in aliquod peccatum grauius incidit, assolet illius status periculum agnoscere, & serio corrigitur. Vndè cum D. Augustino lib. 14. de Ciu. cap. 13. dicere audeo superbis (ex. gr.) vtile esse cadere in aliquod peccatum manifestum vnde sibi displiceant, qui placendo sibi ceciderant.] *Sed quia tepidus es, & nec frigidus, nec calidus, incipiam te euomere ex ore meo.* Sumpta est metaphora ab aquâ tepente, quæ si bibatur, vomitum eacitat. Tepidus ergo euomi incipit; cum permanens in tempore suo suam miseriam non agnoscit, vnde venialia piacula addens tandem à Deo separatur incidens in lethale. * Plures vidi ex lethalibus criminibus surgere ad feruotem spiritualis vitæ, quam ex tepiditate, quia tepidus difficile suam miseriam recognoscit.] *Quia dicis. Quod diues sum, & locupletatus, & nullius egeo*, seu bonis spiritualibus abundo mihi ipse sufficiens: *& nescis, quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus.* Miser quidem & miserabilis ideò es quia pauper es ea defectu charitatis: & cæcus ob imprudentiam in actionibus: & nudus, seu bonorum operum carens amictu. *Suadeo tibi, emere a me aurum ignitum probatum*, seu probatum igne. Etiam cum voluptatum dispendio cura vt aurum ardentia charitatis emas, quâ à tepiditate liberaberis *vt locuples fias, & vestimentis albis induaris*, seu puritate vitæ, quâ nuditatem spiritualem operias: *& non appareat confusio nuditatis tuæ.* Confusio etenim magna est Religioso, quæ statum perfectionis iniit, post multos annos tepiditatis statui adhuc hærescere.] *Et collyrio innunge oculos tuos, vt videas.* * Collyrium è puluetibus efformatur. Humilitatis puluis nos efficiet videre humanam fragilitatem, quam ex obcæcante superbia non aspicimus.]

Quomodò licitū sit desiderare, vt tepidus in grauē piaculū incidat vt à tepiditate resipiscat.

Difficilè tepidus emendatur.

Religiosi confusio magna est, tepiditatis statui hærescere.

Spiritualis oculorū collyriū est humilitas.

Vers. 19.20.21.22. Ego, quos amo, &c.] Cum proptium verè amantis sit dilectum errantem corripere: ego quos diligo, *arguo, & castigo.* Vndè ô Præsul, hæc monita accipe, sicut amantis animi argumentum. * Pater quidem odio verè prosequitur filium, quem errantem non corripit.] *Æmulare*

Pater, qui filium errantē nō corripit, eū verè odio prosequitur.

lare ergo, seu zelum ô tepide ; feruens salutis propriæ & subditorum tuorum assume: *& pœnitentiam* de prælapsis piaculis *age. Ecce sto ad ostium, & pulso.* Etiamsi à te fuerim exclusus, ad te iterum salutis tuæ anxius redeo,& & velut hospes cordis ostio hærens, pulso, vt aperias, immissis quidem inspirationibus. *Si quis audierit vocem meam, & aperierit mihi ianuam introibo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum.* Hospitis noctu aduenantis metaphoram persequitur. Iniuriarum oblitus, repulsæ non memor, non dedignabor ad mensam meam illum admittere. Loquitur vt hospes, sed vt maior, qui veniens in domum tuam, ô homo, potiùs dat beneficium, quàm accipit obsequium, * Vt agnoscas magno te Dei affici beneficio, cum domum tuam ingredi in paupere dignatur. *Qui vicerit*, seu teporem excusserit, & feruenter laborauerit, *dabo ei sedere mecum* in throno meo, seu participem Regni mei fieri ; *Sicut & ego vici, & sedi cum Patre meo in throno eius.* Seu quemadmodum ego, qui plura pro Patris gloria,& salute hominum toleraui, à Patre fui exaltatus, & ad dexteram suam me fecit sedere. *Qui habet aurem, audiat quid spiritus dicat Ecclesiis.*

Magno Dei beneficio, in domo tua excipis pauperem.

CAPVT IV.

Per ostium in cælo reseratum Deus Ioanni apparuit assidens Throno. Viginti quatuor seniores sedent, & procidunt. Quatuor animalia Dei gloriam concelebrant.

1. POST hæc vidi; & ecce ostium apertum in cælo : & vox
prima quam audiui, tanquam tubæ loquentis mecum, di-
cens: Ascende huc, & ostendam tibi quæ oportet fieri post
hæc. 2. Et statim fui in spiritu : & ecce sedes posita erat in
cælo, & supra sedem sedens. 3. & qui sedebat, similis erat
aspectui lapidis iaspidis & sardinis : & iris erat in circuitu se-
dis, similis visioni smaragdinæ. 4. Et in circuitu sedis se-
dilia vigintiquatuor: & super thronos vigintiquatuor seniores sedentes, circum-
amicti vestimentis albis, & in capitibus eorum coronæ aureæ. 5. Et de throno
procedebant fulgura, & voces, & tonitrua: & septem lampades ardentes ante
thronum, qui sunt septem spiritus Dei, 6. Et in conspectu sedis tanquam mare
vitreum simile crystallo : & in medio sedis, & in circuitu sedis, quatuor animalia
plena oculis antè & retrò. 7. Et animal primum simile leoni, & secundum ani-
mal simile vitulo, & tertium animal habens faciem quasi hominis, & quartum
animal simile aquilæ volanti. 8. Et quatuor animalia, singula eorum habebant alas
senas: & in circuitu, & intus plena sunt oculis : & requiem non habebant die ac
nocte, dicentia : Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens, qui erat,
& qui est, & qui venturus est. 9. Et cum darent illa animalia gloriam, & hono-
rem, & benedictionem sedenti super thronum, viuenti in sæcula sæculorum,
10. Procidebant vigintiquatuor seniores ante sedentem in throno, & adorabant
viuentem in sæcula sæculorum, & mittebant coronas suas ante thronum ; dicentes :
11. Dignus es Domine Deus noster accipere gloriam, & honorem, & vir-
tutem : quia tu creasti omnia, & propter voluntatem tuam erant, & creata
sunt.

COMMENTARII.

I. Secunda Ioannis visio Deus in throno sedens.

VERS. 1. 2. 3. *Post hæc vidi, &c.*] Post primam præfatam visionem rursum vidi. *Ecce* enim ostium *apertum est in cælo.* Visio imaginaria fuit. Nec enim cælum ostium habet; quod aperiatur: *& vox prima, quam audiui tanquam tubæ loquentis mecum, dicens:* rursum audiui primam illam vocem, quam in prima visione perceperam sonum tubæ æmulantem. * Ioannes enim agebat hîc humani generis personam, cui, vt cælestes veritates exaudiat, grandis vox necessaria fuit, ad spiritualia namque sordescit humanitas.] *Ascende* (inquit Angelus) *huc, & ostendam tibi, quæ oportet fieri post hæc.* Mente te in cælum eleuare, & quæ euentura sunt Ecclesiæ ab hoc tempore vsque ad sæculi terminum, indicabo. *Et statim fui in spiritu*, seu in extasin raptus: *& ecce sedes posita erat in cælo, & supra sedem sedens: & qui sedebat, similis erat aspectui lapidis Iaspidis, & Sardinis.* Iaspis est coloris subuiridis, Sardius rubei, Plinio teste. Alludit ad illud Ezech. 1. 27. *Ab aspectu lumborum eius, & deorsum ignis: & à lumbis eius, & sursum, vt visio electi.* Ita & hîc Dei species videtur à lumbis deorsum fuisse similis Sardio, à lumbis verò sursum Iaspidi. Virenti itaque Iaspide Dei pulchritudo sanctos beans

Sordescit humanitas ad diuina percipienda.

beans signatur: Sardio verò, qui coloris est ignei, eiusdem in impios iustitia. *Et iris erat in circuitu sedis, similis visioni smaragdina*, qua Dei misericordia exprimitur. Iris etenim Noemi tempore reconciliationis inter Deum & homines fuit documentum. * Non ineptè quis dixerit Deiparam iride in præsenti significari, quæ quidem Dei throno assidet, & veluti muro Deum circuit, ne igneus ad peccatores absumendos procedat.] * Vndè viridis smaragdi speciem irit illa refert; quia Deipara spes est peccatorum. *Spes nostra, salue*, canit Ecclesia.] Erat iris virens in morem smaragdi, sed aliis etiam suis coloribus distincta; ita tamen, vt color viridis esset eximius & reliquis præcelleret. * Viror iridis Dei misericordiam nunquam senescentem, sed semper virentem & nouam significat.]

Deipara est iris Deũ circuens, ne igneus ad peccatores absumendus procedat.

Maria spes nostra.

Dei misericordia semper virens.

2. *Vers.* 4. 5. *Et in circuitu sedis, &c.*] Vidi in sedis, seu throni circuitu *sedilia viginti & quatuor*, seu throni minores augusti tamen, qualea Regum esse solent: *& super thronos viginti & quatuor seniores sedentes*, seu Senatores, Magistratus, Principes. Alludit ad viginti quatuor Principes Sacerdotum Templi Salomonici, qui typus erant horum viginti quatuor Principum Regni cælestis, scilicet illustriorum sanctorum & heroum partim veteris, partim noui Testamenti, qui quasi Senatum constituunt Ecclesiæ triumphantis, & sunt perpetui Dei assessores, mysteriorum diuinæ prouidentiæ conscij circa Ecclesiam militantem, & conscij eorum, quæ in ea sunt gerenda. *Circum amicti erant vestimentis albis*, quæ notæ sunt claritatis, innocentiæ, & gloriæ sanctorum: *& in capitibus eorum corona aurea*. Victoriæ, ac regiæ maiestatis indices. *Et de throno procedebant fulgura & voces, & tonitrua*, seu voces tonãtes, vel tonitruum instar, personantes: symbola diuinę potentię, simul & irę, vt in monte Sinai olim. Exo. 19. 16. *& septem lampades ardentes ante thronum, qui sunt septem spiritus Dei*, seu totidem primarij Angeli, quibus cura & gubernatio militantis Ecclesiæ est à Deo commissa. * Habes hinc, quales debeant esse Regum consiliarij. Adstent Principi, semper ei sint ad manum. Senes sint, vt experientia polleant. Candore sinceritatis circumamicti. Coronas gestent in capite, seu præditi animo regio sint, & libertate suggerendi, quod rectum esse indicauerint.] * Habes etiam, quis habitus, qui mores, quæ virtutes Principem vel Ecclesiasticum, vel Politicum pręcipue deceant. Niteat, vireat vt iaspis, bonis gaudium: malis vt Sardius creet terrorẽ: ferueat, vt ignis: fulgeat, vt electrum: suos recreet, vt smaragdus: & munificentiæ, ac misericordiæ iride cingatur: simul tamen tonitruis, ac fulguribus iustitiæ, & seueritatis terreret peccatores: septem denique ardeat lampadibus, id est, septem Spiritus sancti donis, quibus subditos omnes illuminet, & accendat.]

Vigintiquatuor seniores sedent, & procidunt.

Quales debeãt esse cõsiliarij Regum.

Quales debeãt esse Reges, & Principes.

Vers. 6. 7 8. 9. 10. 11. *Et in conspectu sedis, &c.*] In sedis Deificæ conspectu vidi *tanquam mare vitreum simile crystallo*, scilicet cælum ipsum Empyreum beatorum sedem, Dei palatium, quod appellatur mare ob amplitudinem, et crystallinum ob splendorem, sic inferius cap. 21. 55. Ierosolymam cælestem crystallo comparatur. *Et in medio sedis*, seu in suppedaneo, *& in circuitu*, seu per circuitum *quatuor animalia plena oculis antè, & retrò*, seu quatuor primariorum Angelorum, qui administratores Dei sunt circa regimen, ac curam Ecclesiæ hieroglyphica. Hæc autem animalia plena oculis describuntur intra alas scilicet & sub alis, seu perspicacissimo erant intellectu, cognitione, & scientia tum naturali, tum supernaturali infusa, acquisita, experimentali: omnia penetrant præterita, præsentia, futura. Vnde attentissimi sunt in mundi Ecclesiæque administratione. * Et quidem Gubernatores non toti oculati apti non sunt ad Reipublicæ regimen.] *Et animal primum simile leoni, & secundum animal simile vitulo, & tertium animal habens faciem quasi hominis, & quartum animal simile aquila volanti*. Existimarim omnes hosce Angelos humanam speciem habere, ita tamen, vt aliorum facies physiognomiam haberent aut leonis, aut vituli, aut hominis, aut aquilæ. His itaque quatuor animalium speciebus quatuor diuinæ prouidentiæ attributa signari crediderim. Hæc enim leonis instar, est fortis; longanimis, & patiens vt bos: suauis, & amabilis, vt homo: velox, & penetrans sicut aquila. Volans autem dicitur aquila illa non actu, sed in præparatione; extendebat enim & librabat alas suo in loco consistens, quasi ad volandum prompta. * Significat quidem virum obedientem, cuius præparatio & promptitudo ad exequendum Dei præscripta, iam est quasi actu volare.] Vndè Angelus stans, *aquila volanti* assimilatur.] *Et quatuor animalia singula eorum habebant alas senas: & in circuitu, & intus plena sunt oculis*. Alas senas habebant sicut Seraphini Isaiæ cap. 6. 2. & præter oculos videntes, quos in alis ante & retro ostentabant: aliis erant pulcherrimis ocellis ornata depictis, quales sunt in cauda pauonis, ex lucis & coloris admixtione, & reflexione omni ex parte distincti. *Et requiem non habebant die, ac nocte, dicentia: sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus omnipotens, qui erat, & qui est, & qui venturus est*. Die ac nocte clamabant. * Sanctus Pater, sanctus Filius, sanctus Spiritus sanctus, qui tamen quoad essentiam vnicam vnus Dominus sunt.] *Et cum darent illa animalia gloriam, & honorem, & benedictionem sedenti super thronum, viuenti in sæcula sæculorum*: procedebant vigintiquatuor seniores *ante sedentem in throno, & adorabant viuentem in sæcula sæculorum*. Cum verò animalia illa mystica Deo gloriam canerent illo trisagio, Sanctus, Sanctus, Sanctus, quod quidem die ac noctu sine intermissione proferebant: vigintiquatuor seniores illi procedebant, & Dominum sedentem in throno humiliter adorabant. * Ait Ioannes seniores sedere. Ego autem non inuenio, quando sedere possent. Nam si procidebant, cum animalia modulabantur, & à modulamine nunquam cessabant, ergo seniores semper procidebant, ergo non restat tempus quo sedere potuerint. Profectò hoc est humilitatis mysterium. Illud namque ipsum procidere, erat throno sedere, illud ipsum humiliari erat exaltari.] *Et mittebant coronas suas ante thronum dicentes*: Seu suas victorias Deo tribuebant, quidquid boni gesserant, ab eo accepisse profitentes. Dicebant autem: *Dignus es Domine Deus noster, accipere gloriam,*

Gubernatores decet totos esse oculatos.

Paratum se esse ad obediendum est, quasi actu volare.

Trinitatis mysterium.

Agnata humilitati exaltatio. Vndè humiliari exaltari est.

riam, & honorem, seu dignus es, vt tam Angeli, quam omnes tuam prædicent maiestatem, *& virtutem*, seu vt ex omnium ore confessionem accipias, & laudem tuæ immensæ potentiæ, & fortitudinis; *quia tu creasti omnia, & propter*, seu per *voluntatem tuam erant*, seu fuerunt, extiterunt, *& creata sunt*: tunc enim à te suam essentiam, & existentiam accepere.

CAPVT V.

Liber intus & foris scriptus Ioanni ostenditur, quem solus Agnus aperire potuit. Huius rei gratia Agnus ab animantibus, à senioribus, ac reliquis cælitibus acclamatur.

1. ET vidi in dextera sedentis supra thronum, librum scriptum
intus & foris, signatum sigillis septem. 2. Et vidi Angelum
fortem, prædicantem voce magna: Quis est dignus aperire
librum, & soluere signacula eius. 3. Et nemo poterat, ne-
que in cælo, neque in terra, neque subtus terram, aperire
librum, neque respicere illum. 4. Et ego flebam multùm,
quoniam nemo dignus inuentus est aperire librum, nec vi-
dere eum. 5. Et vnus de senioribus dixit mihi: Ne fleueris: ecce vicit leo de tri-
bu Iuda, radix Dauid, aperire librum, & soluere septem signacula eius. 6. Et
vidi: & ecce in medio throni & quatuor animalium, & in medio seniorum, agnum
stantem tanquam occisum, habentem cornua septem, & oculos septem: qui sunt
septem spiritus Dei, missi in omnem terram. 7. Et venit, & accepit de dextera
sedentis in throno librum. 8. Et cum aperuisset librum, quatuor animalia, & vi-
gintiquatuor seniores ceciderunt coram agno, habentes singuli citharas, & phialas
aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum: 9. & cantabant
canticum nouum, dicentes: Dignus es Domine accipere librum, & aperire sig-
nacula eius: quoniam occisus es, & redemisti nos Deo in sanguine tuo ex omni
tribu, & lingua, & populo, & natione: 10. & fecisti nos Deo nostro regnum,
& Sacerdotes, & regnabimus super terram. 11. Et vidi, & audiui vocem An-
gelorum multorum in circuitu throni, & animalium, & seniorum: & erat nume-
rus eorum millia millium, 12. Dicentium voce magna: Dignus est Agnus, qui
occisus est, accipere virtutem, & diuinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, &
honorem, & gloriam, & benedictionem. 13. Et omnem creaturam, quæ in cæ-
lo est, & super terram, & sub terra, & quæ sunt in mari: & quæ in eo: omnes au-
diui dicentes: Sedenti in throno, & Agno, benedictio, & honor, & gloria, & po-
testas in sæcula sæculorum. 14. Et quatuor animalia dicebant: Amen. Et viginti
quatuor seniores ceciderunt in facies suas: & adorauerunt viuentem in sæcula sæcu-
lorum.

COMMENTARII.

1. *Liber scriptus intus, & foris Ioanni ostenditur, quē solus Agnus potuit aperire.*

VERS. 1. 2. 3. 4. 5. *Et vidi in dextera, &c.*] Veteres scribebant in membranis ex vna frequentius parte mundiori tantum: nonnumquàm verò ex vtraque: & membranæ circa cylindrum cōuoluebantur: vnde dicta Volumina. Talis erat Liber hic, quem aspexit Apostolus. Et vidi, ait, *in dextera sedentis supra thronum Librum scriptum intus, & foris*, seu quem recognoui vtraque ex parte membranæ scriptum esse, cum postmodum fuit euolutus: *Signatum sigillis septem.* Liber hic erat Apocalypsis ipsa, siue eius mysteria, & oracula in Dei præscientia, prouidentia, ac prædestinatione velut in Libro exarata. Septem sigilla sunt proximè totidem sequentes visiones, quibus ad reserationem cuiusque sigilli noua res ostenditur, nempè calamitates orbi euenturæ præuiæ Anti-Christo, ac mundi fini, quod est totius Apocalypsis argumentum, Liber itaque legi non potuit nisi sigilla reserarentur. *Et vidi Angelum fortem*, seu magnæ speciei virtutis, & roboris. *Prædicantem voce magna*, seu inclamantem: *Quis est dignus, aperire Librum, & soluere signacula eius?* Quisnam inuenietur potens Volumen reserare. Porro hæc facultas à Deo nulli nisi digno conceditur. * Vnde quantumcumque sis Sapiens, si te ob peccatum facis indignum, haud poteris sacræ Scripturæ occulta callere mysteria.]

Qui ob peccatum se facit indignū, non callebit Scripturę mystria etiamsi alioqui sapiens sit.

ria.] *Et nemo poterat neque in cælo, neque in terra, neque ſubtus terram, aperire Librum, neque reſpicere illum.* Seu nemo ex Angelis, nec ex hominibus poterat Librum reſerare, neque inſpicere, cognoſcere quæ in eo contenta erant, etiam, ſi quæ eorum quæ foris ſcripta erant, aliquæ litteræ obiicerentur. *Et ego flebam multum, quoniam nemo dignus inuentus eſt aperire Librum, nec videre eum. Et vnus de ſenioribus*, ſeu præcipuis Sanctis vigintiquatuor illis *dixit mihi: Ne fleueris: ecce vicit Leo de Tribu Iuda radix Dauid aperire Librum, & ſoluere ſeptem ſignacula eius.* Chriſtus Dominus, qui ortus fuit è Tribu Iuda, cui benedixit Iacob dicens: *Catulus Leonis Iuda*, &c. Gen. 49. 9. familia ſcilicet Dauidis *vicit* hanc impoſſibilitatem, & dignus fuit Librum aperire, ſeptem ſignaculis ablatis. Cur leo vocatur Chriſtus, qui mox appellandus eſt Agnus? Certè ne peccatores inſolenter delinquere audeant Iudicem ſuum tanquam occiſum Agnum aſpicientes. Ipſe enim eſt leo vnico rugitu ſeu ſpiritu oris ſui totum (cum ei lubet) mundum percellens, exanimans.

Chriſtus eſt Agnus, ſed ſimul Leo rugitu exanimans impios.

Verſ. 6. 7. 8. 9. 10. Et vidi, & ecce in medio throni, &c.] Aſpexi mox in medio throni, *& quatuor animalium, & in medio vigintiquatuor ſeniorum Agnum tanquam occiſum.* Chriſtum enim, qui paulo ante ob fortitudinem leo appellatur, iàm ob immolationem, manſuetudinem, & innocentiam Agnus dicitur: *habentem cornua ſeptem, & oculos ſeptem: qui ſunt ſeptem Spiritus Dei miſſi in omnem terram.* Angeli ſeptem, quibus cura hominum eſt commiſſa, & ideo immiſſi in omnem terram dicuntur, ſunt ſeptem cornua, quibus ſummitas frontis Agni coronatur. Quia per illos Chriſtus ventilat, & debellat dæmones hominum aduerſarios, & humanum genus ab inimicorum defendit iniuriis.* Vnde colligo Chriſti eſſe coronam quicunque operam ſaluti proximorum impendit.] Sunt hi etiam oculi Chriſti, quia per hoſce Angelos Chriſtus hominibus prouidet & eos inſpicit, vt tueatur. *Et venit* Agnus, *& accepit de dextera ſedentis in throno Librum. Et cum aperuiſſet Librum, quatuor animalia, & vigintiquatuor ſeniores ceciderunt coram Agno:* ſeu cum Agnus cœpiſſet Librum reſerare, nam ſenſim, & ordine ſingula Libri ſigilla ſoluit: & animalia, & ſeniores in Agni conſpectu prociderunt illius plaudentes dignitatem ad Volumen aperiendum. * Si per ordinem ſigilla ſingula ſoluit, cum abſolutè Ioannes ait: *Et cum aperuiſſet Librum?* An quia bene incipere, quodammodo iam eſt abſoluere? Ita planè.] Prociderunt inquam, animalia & ſenes, habentes ſinguli citharas, *& phialas aureas, plenas odoramentorum, quæ ſunt orationes ſanctorum.* Alludit ad veteris legis morem, in qua coram altari apponebantur phialæ odoramentis plenæ. Græcè φιάλη eſt genus poculi, quod Hiſpanè *Taza* vocitamus. Porrò odoramenta hæc ſunt ſanctorum preces. Vnde Dauid Pſal. 140. 2. *Dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo.* Per citharas intelligo modulationem qua ore conſono iuſti Deum collaudant. Nam cum Sacerdotes, vel Religioſi in choro modulantur, dulciſſimum ſonum Dei mittunt ad aures. Ideóque orationis odoramenta cum citharis adiunxit.] *Cantabant* verò *canticum nouum*, dicentes: *Dignus es Domine, accipere librum, & aperire ſignacula eius: quoniam occiſus es, & redemiſti nos Deo in ſanguine tuo, ex omni Tribu, & lingua & populo, & natione: & feciſti Deo noſtro Regnum, & ſacerdotes, & regnabimus ſuper terram.* Canticum nouum, ſeu nunquam mortalibus auditum Agno, voce & fidibus proferebant: Tu, ſcilicet, ô Chriſte, merito paſſionis ac mortis tuæ dignus fuiſti accepiſſe à Patre poteſtatem reuelandi, cui velis, futuros circa Eccleſiæ tuæ regimen euentus: & quia redemiſti nos, vt Dei eſſemus poſſeſſio ab omni natione electos: & conſtituiſti nos Sacerdotes, & conſequenter Reges: & in terra regnabimus. * Sancti enim non ſolùm ſunt Reges cum Chriſto in cælo, ſed etiam in terra plusquam Reges exiſtunt, ſiquidem à cunctis Chriſtianis Regibus adorantur.]

Qui proximorum ſaluti ſtudiū impendit, eſt Chriſti corona.

Bene incipere, eſt veluti abſoluere.

Oratio dulciſona eſt Dei auribus modulatio.

Sancti vel in terra ſunt pluſquā Reges.

Verſ. 11. 12. 13. 14. Et vidi, & audiui vocem Angelorum multorum in circuitu throni, & animalium, & ſeniorum: & erat numerus eorum millia millium dicentium. Vidi Angelos innumerabiles, & audiui voces eorum, qui ſimul cum animalibus & ſenioribus ſic Agni gloriam exponebant: *Dignus eſt Agnus, qui occiſus eſt, accipere virtutem, & diuinitatem, & ſapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem*, ſeu dignus eſt, qui ob potentiam, ſapientiam, & diuinitatem ab omnibus celebretur. *Et omnem creaturam, quæ in cælo eſt, & ſuper terram, & ſub terra, & quæ ſunt in mari, & quæ in eo: omnes audiui dicentes: ſedenti in throno, & Agno benedictio, & honor, & gloria, & poteſtas in ſæcula ſæculorum.* Creaturas omnes non modo eas, quæ ſunt in cælo, ſed etiam quæ degunt in terra, & ſub terra, & in mari, ad Libri reſerationem Deo Patri & Filio dulcia detulerunt elogia. *Et quatuor animalia dicebant: Amen*, ſeu dignum eſt equidem. *Et vigintiquatuor ſeniores ceciderunt in facies ſuas* Dei maieſtatem venerantes: *& adorauerunt viuentem in ſæcula ſæculorum*, ſeu Deum ſempiternum.

CAPVT VI.

Signati Libri sex sigilla reserat Agnus.

1. ET vidi quòd apetuisset Agnus vnum de septem sigillis,
& audiui vnum de quatuot animalibus, dicens, tan-
quam vocem tonitrui : Veni, & vide. 2. Et vidi : &
ecce equus albus, & qui sedebat super illum habebat ar-
cum, & data est ei corona, & exiuit vincens vt vince-
ret. 3. Et cùm apetuisset sigillum secundum, audiui
secundum animal, dicens : Veni, & vide, 4. Et exi-
uit alius equus rufus: & qui sedebat super illum, datum est ei vt sumeret pacem
de terra, & vt inuicem se interficiant, & datus est ei gladius magnus. 5. Et
cùm apetuisset sigillum tertium, audiui tertium animal, dicens, Veni, & vide.
Et ecce equus niger : & qui sedebat super illum, habebat statetam in manu
sua. 6. Et audiuit tanquam vocem in medio quatuor animalium dicentium : Bi-
libris tritici denario, & tres bilibres hordei deuario, & vinum, & oleum ne læ-
seris. 7. Et cùm aperuisset sigillum quartum, audiui vocem quarti animalis di-
centis: Veni, & vide. 8. Et ecce equus pallidus. & qui sedebat super eum, no-
men illi Mors, & infernus sequebatur eum, & data est illi potestas super quatuor
partes terræ, interficere gladio, fame, & morte, & bestiis terræ. 9. Et cùm ape-
ruisset sigillum quintum, vidi subtus altare animas interfectorum propter
verbum Dei, & propter testimoninm, quod habebant, 10. & clamabant
voce magna, dicentes: Vsquequò Domine, (sanctus, & verus) non iudicas, &
non vindicas sanguinem nostrum de iis qui habitant in terra? 11. Et datæ
sunt illis singulæ stolæ albæ: & dictum est illis vt requiescerent adhuc tempus
modicum, donec compleantur conseruì eorum, & fratres eorum; qui inter-
ficiendi sunt sicut & illi. 12. Et vidi cum apetuisset sigillum sextum : & ecce
tetræ motus magnus factus est, & sol factus est niger tanquam saccus cilici-
nus : & luna tota facta est sicut sanguis : 13. & stellæ de cælo ceciderunt
super tettam, sicut ficus emittit grossos suos cùm à vento magno mouetur,
14. & cælum recessit sicut liber inuolutus : & omnis mons, & insulæ de locis
suis motæ sunt: 15. & reges terræ, & principes, & tribuni, & diuites, & for-
tes, & omnis seruus, & liber, absconderunt se in speluncis, & in petris montium:
& dicunt montibus, & petris: 16. Cadite super nos, & abscondite nos à facie se-
dentis super thronum, & ab ira Agni : 17. quoniam venit dies magnus iræ ipso-
rum: & quis poterit stare?

COMMENTARII.

5. *Duo prima sigilla Libri Agnus aperit.*

VERS. 1. 2. 3. 4. *Et vidi quod aperuisset, &c*] Vidi igitur, quod *Agnus*, seu Christus Dominus, *vnum de septem sigillis* aperuisset: *& audiui vnum de quatuor animalibus*, leonem scilicet, (qui primum annumeratur & patet cap. 7. vbi dicitur: *& animal primum simile leoni*) *dicens, tanquam vocem tonitrui*, seu terribili voce prolatum : *Veni, & vide. Et vidi, & ecce equus albus, & qui sedebat super illum habebat arcum, & data est ei corona, & exiuit vincens, vt vinceret.* Equus albus Apostolos, & alios Euangelij præcones repræsentat, per quos Christus orbem suæ addicit Ecclesiæ. Sessor est ipse Christus prædicatores dirigens quo magis oportet. Arcus est scriptura Sacra, cuius quot sunt verba, tot sagittæ vulnerantes procedunt quosdam ad vitam, quosdam, qui Domino resistunt, ad interitum. Corona victoriæ est insigne. Vincens autem, vt vincat procedit, seu iam victor plures triumphos reportaturus equitat. * Vicit equidem moriens, & post mortem Christo viuenti, & pugnanti nulla non debetur victoria.] *Exiuit*, ait, *vincens, vt vinceret.* Dux enim, qui victoriam est reportaturus, debet exire ad campum quasi iam victor, non vt pugnet, sed vt victoria potiatur.] *Et cum aperuisset sigillum secundum, audiui secundum animal* nimirum vitulum (patet ex cap. 4. 7.) *dicens: Veni, & vide: Et exiuit alius equus rufus: & qui sedebat super illum, datum est ei, vt sumeret pacem de terra : & vt inuicem se interficiant : & datus est ei gladius magnus.* Quemadmodum per primum equum niueum

Morti Christi omnis debetur victoria.

Vt dux vincat debet exire vincens.

primus

primus, Apostolicus scilicet, status Ecclesiæ signatur: secundus in equo subrufo ostenditur Martyrum sanguine rubricatus. Equus significat decem Ecclesiæ persecutiones à Nerone vsque ad Constantinum. Sessor huius equi sunt Tyranni Gentiles, Hæretici, Iudæi, & omnes alij Ecclesiæ persecutores. * His Deus permisit, vt pacem turbarent, qua fruebatur Ecclesia: & vt inuicem se homines interficerent iuxta illud: *Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater filium: & insurgent filij in parentes, & morte eos afficient.* Mat. 10. Hoc euenit, cum filij à parentibus & parentes à filiis ad Tyrannorum tribunal fuere rei Christianismi in mortem adducti. Magnus ille gladius quid est nisi ampla permissa potestas fideles innumerabiles pro Christo occidendi?

2. *Tertiũ, quartum, & quintum sigillum aperitur.*

Vers. 5.6.7.8.9.10.11. Et cum aperuisset, &c.] Cum autem Agnus *tertium sigillum* reserasset: audiui tertium animal, quod est Homo (cap. 4. 7.) *dicens, Veni, & vide. Et ecce equus niger: & qui sedebat, super illum habebat stateram in manu sua.* Per equum nigrum signatur hæretici Arius Lutherus, Caluinus, & omnes alij, qui in errorum tenebris diuersantur. Per stateram sacram Scripturam intelligo, ad quam Sessor huius equi diabolus omnes hæreses vult ab hæresiarchis librari. Ostentat enim illam in manu quasi ad libitum versatilem, & flexibilem: eam enim hæretici callidè contorquent, & malitiosè inflectunt. Potest etiam per stateram significari simulata hæreticorum iustitia, seu fictus affectus veritatis. * Nunquam crudelior est malitia, quàm cum virtutis induit speciem.] *Et audiui tanquam vocem in medio quatuor animalium dicentium.* Crediderim vocem hanc sedentis in throno, & Agni fuisse: vterque enim in medio quatuor animalium ostentabatur. Dicebant quidem: *Bilibris tritici denario.* Bilibris est duarum librarum mensura tantum capiens tritici, quantum ad diem vnum vni homini sufficiat ad victum. Hæc decem assium pretio emenda inclamatur. Quo innuitur, magnam fore spiritualis annonæ caritatem, seu verbi Dei sub Gothis, Arianis, & aliis hæreticis. Illo enim tempore duæ tritici libræ denario venditæ, imò & nostro magnam indicant tritici caritatem. *Et tres bilibres hordei denario*, eadem significatur annonæ caritas; tritici enim pretium ad hordeum assolet esse triplum: *& vinum & oleum ne læseris.* Hæc sunt sacramenta Samaritani Christi Domini medicamina: quæ tollere non potuerunt hæretici, sicut nec sacræ doctrinæ annonam, quæ ad robur fidelium quotidie sufficeret. * Sacramenta etenim speciatim Pœnitentia, & Eucharistia omnis est armatura fortium Ecclesiæ, maximè persecutionis instantia.] *Et cum aperuisset sigillum quartum, audiui vocem quarti animalis*, aquilæ scilicet, *dicentis: Veni, & vide. Et ecce equus pallidus & qui sedebat super eum, nomen illi Mors.* Per hunc equum Mahometis secta exprimitur: Turcæ scilicet, & Saraceni, qui infensissimi sunt Christianæ religionis hostes. Pallidus est equus sessori respondens pallidæ Morti. Cur sessor Mors appellatur? Certè quia Mahomet & eius asseclæ sectam suam bello propagarunt omnes sibi obsistentes interimendo. * Non dicit sessorem esse Mortem, sed *nomen* Mortis habere. Mors enim Martyribus Ecclesiæ inflicta mors vera non est, licet nomen mortis habeat apud eos qui nesciunt Martyres verè viuere.] *Et infernus sequebatur eum:* Quia per hanc sectam Tartarus plurimos absorbet. *Et data est illi potestas super quatuor partes terræ.* Mahomet namque secta placida carni magnam terræ partem occupauit: *interficere gladio, fame, & morte, & bestijs terræ.* Nam Saraceni multos Christianos occiderunt, alios gladio, alios fame, alios ærumnis vices mortis gerentibus, alios leonibus, vrsis, aliisque bestiis exponendo. *Et cum aperuisset sigillum quintum, vidi subtus altare animas interfectorum propter verbum Dei, & propter testimonium, quod habebant:* Quinto reserato sigillo, animæ Martyrum vigente triplici illa persecutione Gentilium, Hæreticorum, & Saracenorum, toto occisorum orbe orant Deum, vt finem aliquando faciat tot, tantisque fratrum suorum calamitatibus. Orant verò subtus altare, seu ex secreto penetrali cælesti, seu ex choro Martyribus destinato. Dicitur autem *subtus altare*, quia hic Ioanni cælum fuit ad formam ferè Templi Salomonici obiectum. In quo Dei thronus est Sancta Sanctorum cinctus Cherubinis, &c. candelabrum aureum septiceps in sancto. In exedris sancto vicinis secretiores consessus celebrabant vigintiquatuor Principes familiarum sacerdotalium. In sancto denique erat mensa panum propositionis quæ in præsenti tibi sit Agnus: & altare thymiamatis. Quoniam autem in terra Martyrum corpora in altari requiescunt: inde sumpta est metaphora, vt animabus in cælo, idem altaris locus in habitaculum designari videatur. Martyrum itaque animæ, qui fuere interempti, quia intrepidè Christum professi sunt, & fidei veritatis testimonium rubricati sanguine gesserunt: *& clamabant voce magna, dicentes: Vsquequo Domine, (Sanctus, & verus) non iudicas, & non vindicas sanguinem nostrum de iis, qui habitant in terra?* Domine sancte, & verax, quare differs iudicium, & supplicium eorum, qui dire nostrum sanguinem profuderunt? Hoc clamant sancti ex iustitiæ zelo, non ex vindictæ affectu. Aptius verò sic locum expono, Martyres vindicari, seu liberari postulant corpora sua, quæ adhuc à morte adstricta vinculis tenebantur, ad sibi restitui. Propterea exoptant Ecclesiæ à persecutorum tyrannide liberationem. *Et datæ sunt illis singulæ stolæ albæ:* Seu vnicuique data est animæ beatitudo: *& ad petitionem* præproperæ resurrectionis corporis *dictum est illis, vt requiescerent adhuc tempus modicum, donec compleantur conserui eorum, & fratres eorum, qui interficiendi sunt, sicut & illi*, seu donec expleatur Martyrum numerus à Deo decretus, quidem vsque ad tempus non explendus.] * Si tot sæcula vsque ad diem iudicij à tempore Ioannis annumerata, & annumeranda verè *tempus modicum* appellatur: quam modica, quam breuis, quam nihil vita hominis debet vocitari.]

3. *Sexta sigilli solutio.*

Vers. 12.13.14.15.16.17. Et vidi cum aperuisset sigillum sextum, &c.] Reserato sexto sigillo, hæc vidi: *Ecce terræ motus magnus factus est, & sol factus est niger tanquam saccus cilicinus: & Luna tota facta est sicut sanguis:* Describitur vltima Dei in impios vindicta; signaque horribilia, quæ præcedere debent. Hoc motus terræ adumbrat. Sol tenebris atris admo-

Marginal notes:
Nunquã crudelior est malitia, quã cũ virtutis induit speciẽ.
Eucharistia armatura fortium Ecclesiæ persecutionis tempore.
Mors Martyrum non est verè mors, sed solũ nomen mortis habet.
Vitæ hominis duratio quam breuis quam nihil.

admodum omnino offundetur, instar facci cilicini, qui nigris ex fetis contegitur: Luna autem eam faciei formam ostendet, qua, terra interposita, solis lumine orbata solet apparere, nempe sanguine intincta: *& stellæ de cælo ceciderunt super terram, sicut ficus emittit grossos suos,* seu inflammatæ exhalationes, quæ cadentes, seu volantes, per aerem, stellarum formam mentientur: & eo impetu excident, quo ex ficulnea vehementi vento immaturi fructus solent excidere: *& cælum recessit, sicut liber inuolutus*, seu ab oculis hominum nubibus obducitur, sicut liber hic, quem Agnus aperuit, nisi solutis sigillis legi non poterat; *& omnis mons, & Insulæ de locis suis motæ sunt*, terræ motu concisæ. Et Reges terræ, & *Principes, & Tribuni, & diuites, & fortes, & omnis seruus, & liber absconderunt se in speluncis, & in petris montium,* seu omnis conditionis homines se in speluncis abdiderunt: *& dicunt montibus, & petris: Cadite super nos, & abscondite nos à facie sedentis super thronum, & ab ira Agni*, seu à facie Dei, & Christi hominis venientis ad iudicium. * Iram Agni timetis? hominis Iudicis aduentum formidatis? Ità quidem Agnus enim ab hominibus pro iisdem occisus horribilior diè nouissimo apparebit ingratis. Ideò enim septem cornua gestat quæ terribilem portendunt iracundiam. Quam quidem à longe David præuidens nolebat à Christo, suo licet filio homine, sed à Deo humanitate exuto iudicari: *Iudica me Deus, & discerne causam meam, &c.*] Quoniam *veniet dies magnus iræ ipsorum: & quis poterit stare?* Seu quis non misere corruet?

Christus Iudicij die, vt homo terribilior impijs apparebit, rigidior, vt Agnus.

CAPVT VII.

Adhuc sigillum sextum reseratur. Signantur enim electi (nè eis sint communes plagæ impiorum) ex vtroque populo Iudaico, ac Gentili.

1. POST hæc vidi quatuor Angelos stantes super quatuor angu-
los terræ, tenentes quatuor ventos terræ, ne flarent super
terram, neque super mare, neque in vllam arborem. 2. Et
vidi alterum Angelum ascendentem ab ortu solis, haben-
tem signum Dei viui: & clamauit voce magna quatuor
Angelis, quibus datum est nocere terræ, & mari, 3. di-
cens: Nolite nocere terræ, & mari, neque arboribus, quo-
adusque signemus seruos Dei nostri in frontibus eorum. 4. Et audiui nume-
rum signatorum, centum quadraginta quatuor millia signati, ex omni tribu filio-
rum Israël. 5. Ex tribu Iuda duodecim millia signati: Ex tribu Ruben duo-
decim millia signati: Ex tribu Gad duodecim millia signati: Ex tribu Aser duo-
decim millia signati: Ex tribu Nephthali duodecim millia signati: 6. Ex tri-
bu Manasse duodecim millia signati: 7. Ex tribu Simeon duodecim millia sig-
nati: Ex tribu Leui duodecim millia signati: Ex tribu Issachar duodecim millia sig-
nati: 8. Ex tribu Zabulon duodecim millia signati: Ex tribu Ioseph duodecim
millia signati: Ex tribu Beniamin duodecim millia signati. 9. Post hæc vidi tur-
bam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, & tribu-
bus, & populis, & linguis: stantes ante thronum, & in conspectu Agni, amicti
stolis albis: & palmæ in manibus eorum: 10. & clamabant voce magna dicen-
tes: Salus Deo nostro, qui sedet super thronum, & Agno. 11. Et omnes Ange-
li stabant in circuitu throni: & seniorum, & quatuor animalium: & cecide-
runt in conspectu throni in facies suas, & adorauerunt Deum, 12. dicentes,
Amen. Benedictio, & charitas, & sapientia, & gratiarum actio, honor, & virtus,
& fortitudo Deo nostro, in sæcula sæculorum, Amen. 13. Et respondit vnus
de senioribus, & dixit mihi: Hi, qui amicti sunt stolis albis, qui sunt? & vnde
venerunt? 14. Et dixi illi: Domine mi, tu scis. Et dixit mihi: Hi sunt, qui ve-
nerunt de tribulatione magna, & lauerunt stolas suas, & dealbauerunt eas in sangui-
ne Agni. 15. ideò sunt ante thronum Dei, & seruiunt ei die ac nocte in templo eius:
& qui sedet in throno, habitabit super illos. 16. non esurient, neque sitient ampliùs,
nec cadet super illos sol, neque vllus æstus: 17. quoniam Agnus, qui in medio thro-
ni est, reget illos, & deducet eos ad vitæ fontes aquarum, & absterget Deus omnem
lacrymam ab oculis eorum.

COMMEN

COMMENTARII.

1\. *Signantur electi ex vtroque populo Iudaico, & Gentili.*

VERS. 1.2.3. *Post hac vidi quatuor Angelos &c.*] Pars est capitis, & sigilli sexti, simul & præambulum ad septimum sigillum. Vidi, inquit Ioannes, post hæc quatuor Angelos, velut vice Dei præsides, *stantes in quatuor angulis*, seu extremitatibus *terra*, seu in plaga Orientali, Occidentali, Australi, ac Septemtrionali, *tenentes* in manu, ac potestate sua *quatuor ventos* primarios *terra* Eurum, Zephyrum, Austrum, & Aquilonem, cum socils cuique vento lateralibus a tenentes inquam, seu coercentes, *nè*, vti decretum erat, vehementiore impetu *flarent*, *super terram, neque super mare, neque in vllam arborem*, & tempestates exitiales cierent, quibus cuncta elementa miscerent, ac conturbarent. *Et vidi alterum Angelum ascendentem ab ortu solis.* Ascendere dicitur, quia quasi oriri cum sole, & in horizontem, quo erat Ioannes spiritu, videbatur ascendere Dixerim autem ab ortu solis ascendisse, quia venerat, vt læta nunciaret. Vidi, inquam Angelum ascendentem, *habentem signum Dei viui*, Græcè, *sigillum.* quod electorum frontibus imprimeret, nempe signum Crucis, seu *Tau*, quali signati fuerant in Ierusalem gementes Ezech. 9. 4. * Electi ad superos Crucis signo notantur, vt edoceamur, prædestinatos decere labores, quibus patienter sublatis sunt à Domino dignoscendi. Vnde cum videris aliquem agi tribulatione, quam constanter suffert *Tau*, seu crucem in eius fronte inspicis, seu signum prædestinationis.] *Et clamauit voce magna quatuor illis* Angelis, *quibus datum est nocere terra, & mari, dicens:* Hæc vox magna argumentum est ingentis ergà hominum salutem affectus. * Hunc debent homines Michaëli, qui probabiliter electos signaturus ascenderat.] Ventos continere procellarum, pestis morborum excitatores, ne noceant terræ, pelago, *neque arboribus, quoad vsque signemus seruos Dei nostri in frontibus eorum.* Operæ pretium est, vt priusquam homines depereant, electi ad vitam æternam crucis signaculo muniantur,

Pati labores constanter, est prædestinationis signum.

Feruet Archangelus Michael affectu salutis hominum.

Vers. 4 5.6.7.8.9.10.11.12. *Et audiui, &c*] Audiui quidem *numerum signatorum ex omni Tribu filiorum Israel*, futurum centum *quatuor millium.* Scio Riberam nostrum asseruisse, in fine mundi præcisè ex singulis Israël Tribubus, quæ à Christi aduentu in sua permanent incredulitate *duodecim millia* non plures, nec pauciores signandos, & salute donandos: ita vt solummodo sint centum quadraginta quatuor millia: cum Pererio & aliis existimo, plures ex Tribubus singulis salutem consequuturos, & per duodecim millia omnes significari. *Ex omni Tribu*, seu ferè ex omni; nam Tribus Dan omittitur, quod ex ea Antichristus est oriturus, cui tota adhærebit. * Amor enim & plausus suæ genealogiæ omnibus est agnatus.] Tribus autem *Ioseph* hîc pro Tribu *Ephraim* nominatur. *Post hac vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat ex omnibus Gentibus, & tribubus, & populis, & linguis, stantes ante thronum, & in conspectu Agni:* Qui ex populo Israël extremis temporibus salutem assequentur, poterunt numerari: certè qui ex Gentilibus, & aliis nationibus ad cæleste Regnum signantur, ab hominibus numero comprehendi non possunt: licet & hi pauci sint futuri, si cum pereuntibus componantur. Hi in conspectu Dei, & Agni seu Christi adstabant *amicti stolis albis: & palma in manibus eorum*; quibus signabatur eos de mundo, de carne, de diabolo triumphum egisse. *Et clamabant voce magna, dicentes:* * Magna voce proclamant, siue magno cordis affectu, quia ingenti gratiarũ actione tenebãtur recolere, non sua se virtute, auxiliante Deo tribulationũ impugnantium superasse certamina, vt salute potirentur æterna.] *Salus*, inquiunt, *Deo nostro, qui sedet super thronũ & Agno* sit. Humano more loquitur scriptura; ac si de homine diceretur. Salus illi, viuat. Vox autem illa non est optantium, sed lætantium de Dei beatissima immortalitate, & æternitate. *Et omnes Angeli stabant in circuitu throni, & seniorum, & quatuor animalium: & ceciderunt in conspectu throni in facies suas, & adorauerunt Deum.* Exultant Angeli, & gratias Deo agunt de victoria, ac beatitudine hominibus exhibita. * Angeli etenim per Christum fratres iam nostros esse profitentur eorum gloriæ futuros consortes. Vnde de salute nostra Deo gratias agunt.] *Dicentes: Amen. Benedictio, & claritas, & sapientia, & gratiarum actio, honor, & virtus, & fortitudo Deo nostro in sæcula sæculorum. Amen*, fiat, fiat. Pro *claritas, virtus, fortitudo*, in Græco est, *Gloria, potentia.*

Ingens Dei beneficiũ ingẽti gratiarũ actione est, celebrandum.

Angeli per Christũ fratres nostri effecti de nostra salute Deo gratias agunt.

Vers. 13.14.15.16.17. *Et respondit vnus, &c.*] Tunc vnus de senioribus viginti-quatuor *dixit mihi. Hi, qui amicti sunt stolis albis, qui sunt, & vnde venerunt?* Senior Ioannem interrogat, vt attentiorem eum reddat ad audiendum, quæ ab hominibus maximè oportet edisci. *Et dixi illi: Domine, tu scis.* Quid à me interrogas id, quo à te me edoceri oportet: Et dixit mihi: *Hi*, qui amicti sunt stolis albis, *sunt qui venerunt de tribulatione magna, & lauerunt stolas suas, & dealbauerunt eas in sanguine Agni.* Intelligit cunctas Ecclesiæ persecutiones, maximè vltimam illam magis horribilem, quæ in fine mundi ab Antichristo est excitanda. Hi quidem fortissimi Martyres, & pij admodum Confessores, diluerunt vestimenta seu seipsos, & conscientias suas puras reddiderunt per sanguinem, & merita Christi. *Ideò sunt antè thronum Dei, & seruiunt ei die ac nocte in Templo eius*, seu in cælo. Alludit enim ad Salomonis Templum, vbi Dominus in sancto sanctorum super Propitiatorium, ac Cherubim sedebat. *Et qui sedet in throno, habitabit super illos.* eos proteget, & in eis perpetuam quasi in proprio domicilio, mansionem habebit. *Non esurient, neque sitient amplius: nec cadet super illos sol, neque vllus æstus.* Humanæ infirmitatis indicamenta omninò recessere. *Quoniam Agnus, qui in medio throni est, reget illos*, seu *pascet* gregem sibi à Patre donatum (sic ex Græco) *& deducet eos ad vitæ fontes aquarum*, seu ad fontes aquarum vitæ. Hos fontes in Dei visione Dauid esse sciebat, cum modulabatur Psal. 41. *Quemadmodum desiderat ceruus* sitiens *ad fontes aquarum peruenire: ita desiderat anima mea ad te Deus*, demùm appropinquare viuum vtique fontem: *& absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum*, seu eos æternè solabitur, instar patris indulgentissimi, qui filium flentem blandè demulcet, eiusque lacrymas abstergit.

CAPVT VIII.

Sigillum ſeptimum aperitur, prodeuntibus ſeptem Angelis, qui tubas perſonantes, ingentes vniuerſo orbi plagas inferunt.

1. ET cum aperuiſſet ſigillum ſeptimum, factum eſt ſilentium in
cælo, quaſi media hora. 2. Et vidi ſeptem Angelos ſtantes
in conſpectu Dei: & datæ ſunt illis ſeptem tubæ. 3. Et alius
Angelus venit, & ſtetit ante altare habens thuribulum au-
reum: & data ſunt illi incenſa multa, vt daret de orationibus
ſanctorum omnium ſuper altaré aureum, quod eſt ante thro-
num Dei. 4. Et aſcendit fumus incenſorum de orationibus
ſanctorum de manu Angeli coram Deo. 5. Et accepit Angelus thuribulum, &
impleuit illud de igne altaris, & miſit in terram, & facta ſunt tonitrua, & voces,
& fulgura, & terræmotus magnus. 6. Et ſeptem Angeli, qui habebant ſeptem
tubas, præparauerunt ſe vt tuba canerent. 7. Et primus Angelus, tuba cecinit, &
facta eſt grando, & ignis, miſta in ſanguine, & miſſum eſt in terra, & tertia pars
terræ combuſta eſt, & tertia pars arborum concremata eſt, & omne fœnum vi-
ride combuſtum eſt. 8. Et ſecundus Angelus tuba cecinit: & tanquam mons ma-
gnus igne ardens miſſus eſt in mare, & facta eſt tertia pars maris ſanguis. 9. &
mortua eſt tertia pars creaturæ eorum quæ habebant animas in mari, & tertia pars
nauium interiit. 10. Et tertius Angelus tuba cecinit: & cecidit de cælo ſtella ma-
gna, ardens tanquam facula, & cecidit in tertiam partem fluminum, & in fontes
aquarum: 11. Et nomen ſtellæ dicitur Abſinthium: & facta eſt tertia pars aqua-
rum in Abſinthium: & multi hominum mortui ſunt de aquis, quia amaræ factæ
ſunt. 12. Et quartus Angelus tuba cecinit: & percuſſa eſt tertia pars ſolis, & ter-
tia pars Lunæ, & tertia pars ſtellarum, ita vt obſcuraretur tertia pars eorum, & diei
non luceret pars tertia, & noctis ſimiliter. 13. Et vidi, & audiui vocem vnius aqui-
læ volantis per medium cæli, dicentis voce magna: Væ, væ, væ habitantibus in ter-
ra, de cæteris vocibus trium Angelorum, qui erant tuba canituri.

COMMENTARII.

V. 1.2,3.4.5. *Et cum aperuiſſet ſigillum ſeptimum, &c.*] Septimum denique ſigillum reſeratur ab Agno. Tunc autem *factum eſt ſilentium in cælo, quaſi media hora,* quo ſignatur quædam velut amiratio, & ſtupor Sanctorum meditantium impiorum pœnas ſeptimo ſigillo figuratas. Si temporales peccatorum ſtrages ſic vel ſanctorum mentem afficiunt, quid ſi æternæ Tartari pœnæ illis obiicerentur?] * Eſt qui aſpiciens altare, & thuribula verſari animaduertens, Agni Euchariſtici ſacrificium hîc figurari meditatur: ideóque ait dimidiæ horæ ſilentium adſtantibus indici. Dum enim Miſſa celebratur, oportet, vt in Templo nulla niſi celebrantis vox audiatur.] *Et vidi ſeptem Angelos ſtantes in conſpectu Dei: & datæ ſunt illis ſeptem tubæ.* Hi ſunt ſeptem illi Angeli primarij in aula cæleſti, & Eccleſiæ Principes, quibus à Deo cura Eccleſiæ à Deo eſt commiſſa. Quorum nomina ſuperiùs indicauimus. Dum verò hiſce Angelis traduntur tubæ, ſignificatur, Angelos ipſos quaſi tuba plagas proclamaturos, & re ipſa in orbem velut Dei miniſtros tradituros eſſe executioni. *Et alius Angelus venit, & ſtetit ante altare habens thuribulum aureum: & data ſunt illi incenſa multa* Ribera exiſtimat hunc Angelum eſſe Gabrielem quem probabiliùs ego aſſero vnum ex aliis ſeptem Angelis tubarum eſſe. Hic ante altare, quod ante Dei thronum aderat ſimile altari thymiamatis, quod ante Sancta ſanctorum erat erectum. Traditum eſt ei vas aureum, in quo thymiama ſolebat adoleri: ac ſimul tradita ei fuere aromata, ac thymiamata multa, quæ ſedenti in throno, & Agno in fumum reſoluta litaret: *vt daret de orationibus Sanctorum omnium ſuper altare aureum, quod eſt ante thronum Dei.* Data, inquam, ſunt illi Angelo incenſa multa de orationibus ſanctorum, vt ea Deo offerret. * Vnde colligo ſanctorum orationes ſuauiſſimam cælecti Numini fragrantiam hallare.] * Et preces Sanctorum Deo ab Angelis offerri. Quo quidem allicimur, vt Angelis maximè tutelari noſtro pium offeramus affectum. *Et aſcendit fumus incenſorum de orationibus Sanctorum de manu Angeli coram Deo,* ſeu ſanctorum oratio ad Deum conſcendit.

Quam ſit ineffabilis pœnæ æternæ impiis paratæ horror!

Dum celebratur Miſſa profundum adſtantium ſilentium eſt neceſſarium.

Sanctorum preces ſuauiſſimã Deo fragrantiam hallant.

Ergà Angelum tutelarẽ affectus ſuadetur.

scendit, Deus autem eam gratus exaudiuit. *Et accepit Angelus thuribulum, & impleuit illud de igne altaris, & misit in terram.* Scilicet prunas illas, quo facto significabatur per orationes sanctorum poscentium Dei miserationem erga impios, ignem plagarum in illos demitti. Vt scilicet pœna inflicta stulti mentem assumerent meliorem. * Profectò ærumnæ, queis impij contunduntur perspicui sunt diuinæ pietatis effectus. Dementem enim peccatorem sæpè pœna efficit sapientem.] *Et facta sunt tonitrua, & voces, & fulgura, & terræ motus magnus.* Prænuncia hæc sunt ingentium calamitatum, quas Deus vel in fine mundi in impios immitteret. * Annon vides omnia hæc solummodo esse minas? *Voces* sunt, tonitrua, fulgura: non gladius stringitur, non fulmina exitialia contorquentur. Hæc peccatores non omninò interimunt, sed imminentis interemptionis sunt documenta.] * Illud expende, Angelus *de igne altaris misit in terram:* Diriora Dei supplicia ab altari procedunt in sacrilegos ob Eucharistiam indignè acceptam, vel in Templi profanatores.]

Pœnam impio hîc infligi, diuinæ pietatis est effectus.

Huius vitæ tribulationes impiis inflictæ sunt Dei pietatis admonitiones, sed effectus diri prænuntiæ.

Ab altari procedit ignis in sacrilegos.

2. *Vers. 6.7.8.9. Et septem Angeli, qui habebant septem tubas, præparauerunt se, vt tuba canerent,* nempe suam quisque tubam accipiens, eamque ori admouens, vt clangeret. * Sunt qui existiment his sex tubis Euangelicam prædicationem dira impiis tunantem designari: ideoque necessarium fuit ad clangendum seu prædicandum se Angelos, seu Concionatores præparasse. Prædicationis enim officium grauissimum, & difficillimum est, ad quod exercendum, operæ pretium sit multam præparationem præmitti.] *Et primus Angelus tuba cecinit, & facta est grando, & ignis mixta in sanguine: & missum est in terram.* Cum classicum primus Angelus cecinisset, grando horribilis è nubibus excidit, cui admixtæ erant igneæ exhalationes, seu fulmina, & pluuia sanguinea, ad vberiorem Numinis irati ostensionem: & totum hoc compositum grandinis, ignis, & sanguinis missum est in terram: *& tertia pars terræ combusta est*, non simul, & continuè, sed carptim: nonnullæ scilicet prouinciæ, aut earum partes: *& tertia pars arborum concremata est: & omne fœnum viride,* (seu herba virens) *combustum est.* * Ad litteram hæc sunt accipienda, à Deo misericorditer ordinatè, vt territi impij ad frugem meliorem deducantur.] *Et secundus Angelus tuba cecinit: & tanquam mons magnus igne ardens missus est in mare: & facta est tertia pars maris sanguis.* Crescunt teriores. Ad secundi namque Angeli tubæ intonantis sonitum, globus quidam igneus præcelsum montem æquans magnitudine, in mare motu horribili immittitur, & ingens illa massa simul è cælo demissa dum per aërem defertur, in varias partes scinditur, & in varias æquoris partes descendit eas in sanguinem versura: *& mortua est tertia pars creaturæ eorum, quæ habebant animas in mare*, scilicet tertia pars piscium: *& tertia pars nauium interijt.* * Non omnes impij dantur exitio, sed tertia pars, seu eorum aliqui, vt eorum obiecto supplicio reliqui resipiscant.]

Prima, & secunda tubæ plaga incutiuntur.

Officium prædicationis haud repentè exercendum, sed multa præparatione præmissa.

A Deo miserâter impiis hîc immittitur tribulatio, vt resipiscant.

Obiecto aliorum supplicio peccator corrigitur.

Vers. 10. 11. 12. 13. Et tertius Angelus tuba cecinit, &c.] Cecidit de cælo stella magna, ardens tanquam facula, & cecidit in tertiam partem fluminum, & in fontes aquarum. Ad tertiæ tubæ sonitum cometa aliquis de cælo excidit, & suo casu dissiliens, & in multas faculas diuisum, seu igneas exhalationes, flumina corrupit, & fontes: *& nomen* stellæ dicitur Absinthium, quia residuum aquæ fontium, & fluminum reddet amarum. * Amaricante enim tertia parte fontium & fluminum, quomodo sociæ aquæ amaritudinis essent immunes? Vndè edisce nonnullos impios ciues magnam posse corrumpere Ciuitatem.] *Et facta est tertia pars aquarum in absinthium: & multi hominum mortui sunt de aquis*, seu propter aquæ potum; *quia amaræ,* imò venenatæ factæ sunt. *Et quartus Angelus tuba cecinit: & percussa est tertia pars solis.* Verè enim in sæculi fine obscurabitur Sol, & Luna, & stellæ, ità *vt obscuraretur tertia pars eorum, & dies non luceret pars tertia, & noctis similiter*, seu adeò vt dies æque ac nox tertia parte obscurior solito fieret. *Et vidi, & audiui vocem vnius aquilæ volantis per medium cæli dicentis voce magna: Væ, væ, væ habitantibus in terra, de cæteris vocibus trium Angelorum, qui erant tuba canituri.* Seu proh miserrimi homines, quibus horribiliora adhuc mala colligentur à tribus reliquis Angelorum vocibus eas indicturis: Ribera probabiliter opinatur intelligi posse in aquila egregium aliquem Concionatorem, seu celebrem Prophetam, quem Deus in mundi fine excitaturus est, vt hominibus toto orbe commorantibus tres sequentes plagas prænuntieiet.

3. Tertia & quarta tubæ plaga desumuntur.

Nonnulli impij magnam possunt Ciuitatem inficere.

CAPVT IX.

Describuntur plagæ per quintum, & sextum Angelum immissæ.

1. ET quintus Angelus tuba cecinit: & vidi stellam de cælo ce-
cidisse in terram, & data est ei clauis putei abyssi. 2. Et
aperuit puteum abyssi: & ascendit fumus putei, sicut fumus
fornacis magnæ: & obscuratus est sol & aër de fumo putei:
3. Et de fumo putei exierunt locustæ in terram, & data est
illis potestas, sicut habent potestatem scorpiones terræ:
4. & præceptum est illis ne læderent fœnum terræ, neque
omne viride, neque omnem arborem: nisi tantùm homines, qui non habent signum
Dei in frontibus suis: 5. & datum est illis ne occiderent eos: sed vt cruciarent

mensibus quinque: & cruciatus eorum, vt cruciatus scorpij cum percutit hominem: 6. Et in diebus illis quærent homines mortem, & non inuenient eam: & desiderabunt mori, & fugiet mors ab eis. 7. Et similitudines locustarum, similes equis paratis in prælium: & super capita earum tanquam coronæ similes auro: & facies earum tanquam facies hominum. 8. Et habebant capillos sicut capillos mulierum: & dentes earum, sicut dentes leonum erant: 9. & habebant loricas sicut loricas ferreas, & vox alarum earum sicut vox curruum equorum multorum currentium in bellum: 10. & habebant caudas similes scorpionum, & aculei erant in caudis earum: & potestas earum nocere hominibus mensibus quinque: & habebant super se. 11. Regem Angelum abyssi, cui nomen Hebraicè Abaddon, Græcè autem Apollyon, Latinè habens nomen Exterminans. 12. Væ vnum abiit, & ecce veniunt adhuc duo væ post hæc. 13. Et sextus Angelus tuba cecinit: & audiui vocem vnam ex quatuor cornibus altaris aurei, quod est ante oculos Dei, 14. dicentem sexto Angelo, qui habebat tubam: Solue quatuor Angelos, qui alligati sunt in flumine magno Euphrate. 15. Et soluti sunt quatuor Angeli, qui parati erant in horam, & diem, & mensem, & annum, vt occiderent tertiam partem hominum. 16. Et numerus equestris exercitus vicies millies dena millia. Et audiui numerum eorum. 17. Et ita vidi equos in visione: & qui sedebant super eos, habebant loricas igneas, & hyacinthinas, & sulphureas, & capita equorum erant tanquam capita leonum: & de ore eorum procedit ignis, & fumus, & sulphur. 18. Et ab his tribus plagis occisa est tertia pars hominum, de igne, & de fumo, & suphure, quæ procedebant de ore ipsorum. 19. Potestas enim equorum in ore eorum est, & in caudis eorum nam caudæ eorum similes serpentibus, habentes capita: & in his nocent. 20. Et cæteri homines, qui non sunt occisi in his plagis, neque pœnitentiam egerunt de operibus manuum suarum, vt non adorarent dæmonia, & simulacra aurea, & argentea, & ærea, & lapidea, & lignea, quæ neque videre possunt, neque audire, neque ambulare: 21. & non egerunt pœnitentiam ab homicidiis suis, neque à veneficiis suis, neque à fornicatione sua, neque à furtis suis.

COMMENTARII.

1. *A quinto Angelo plaga immissa.*

VERS. 1. 2. 3. 4. 5. 6. *Et quintus Angelus tuba cecinit: &c.*] *Et vidi stellam de cælo cecidisse in terram: & data est ei clauis putei abyssi*, seu aspexi Angelum vnum è bonis, cui datum à Deo inferno præsidere. Claues enim, vel imperium, & custodia infernalis carceris non committitur Lucifero aut aliis dæmonibus incarceratis: sed Angelis Beatis diuinæ iustitiæ ministris. Angelus hic è cælesti vertice delapsus cum claue putei abyssi, habens potestatem aperiendi, reseratos illius, & simul terræ sinum laxat, horribili hiatu egressuris monstris aperto. *Et aperuit* itaque *puteum abyssi: & ascendit fumus putei, sicut fumus fornacis magnæ*: sicut ex Æthna & Vesuuio sæpè prorumpit: *& obscuratus est Sol, & aer de fumo putei. Et de fumo*, seu cum fumo *putei exierunt locustæ in terram*, naturalia quidem, & propriè dictæ, sed peregrinæ admodum, diuina virtute subitò procreatæ (vt illæ olim in Ægypto) eæque virulentæ & aculeatæ, & instar scorpionum pungentes. *Et data est illis potestas, sicut habent potestatem scorpiones terræ*, vt vulnera sæua & venenata infligant, qualia scorpionum aculeo solent infligi. *Et præceptum est illis, ne læderent fœnum terræ, neque omne viride, neque omnem arborem: nisi tantum homines, qui non habent signum Dei in frontibus suis.* Hæ quidem locustæ non erant similes aliis, qui herbis pascuntur, sed carniuoræ. Non autem Deus permisit, vt indiscriminatim suam vim exerant, sed solùm in illos, qui signo Crucis notatis non fuerint, de quo cap. 7. 3. *& datum est*, seu indictum *illis, ne occiderent eos, sed vt cruciarent mensibus quinque*, ne scilicet morte cita dolorea terminarentur. * Profectò diuturnus cruciatus dirior est morte.] *Et cruciatus eorum vt cruciatus scorpij, cum percutit hominem. Et in diebus illis*, seu quinque illis cruciatus huiusmodi mensibus, *quærent homines mortem, & non inuenient eam: & desiderabunt mori, & fugiet mors ab eis.* * Hinc liceat, (si quidem ostium est reseratum) ad Tartarum descendere, vbi miserrimi homines non solùm mensibus quinque, sed æternum à dæmoniis cruciabuntur sine mortis spe. O quam horribilis illa cogitatio, quod sine morte interminabiliter sint morituri.]

Diuturnus cruciatus dirior est morte.

Dira admodum damnatis cogitatio passuros se sine spe vnquam moriendi.

Vers. 7. 8. 9. 10. 11. 12. Et similitudines locustarum, &c.] Accuratiùs locustas describam. *Similes erant equis paratis in prælium.* Habent quidem locustæ nonnullam cum forma equi similitudinem: *& facies earum tanquam facies hominum*, seu quæ referebant faciem humanam per quædam similia lineamenta: *& habebant capillos, sicut capillos mulierum: & dentes earum sicut dentes leonum erant.* Quam sint voraces locustæ, non semel Hispani experti sumus, cum plaga hæc omnia deuastans ingenti admodum agmine ad nostros terminos annis proximis inuolauit. *Et habebant loricas sicut loricas ferreas*, seu quandam loricarum similitudinem: *& vox alarum earum sicut vox curruum equorum multorum currentium in bellum* vox, inquam, ala-

rum,

rum, id eſt, ſtridor: *& habebant caudas ſimiles ſcorpionum; & aculei erant in caudis earum: & poteſtas earum nocere hominibus menſibus quinque. Et habebant ſuper ſe regem Angelorum abyſſi, cui nomen Hebraicè Abaddon.* Locuſtarum dux erat Angelus nequam, Diabolus namque eas ducebat, quo ex Dei permiſſione, erant ducendæ, ad impios cruciandos. Tartareo qui Regi nomen erat Abaddon. Hebræum enim אבר *abad* in Kal ſignificat *perire*: in Piel autem, *perdere*. Inde Abaddon, ſeu *perdens, exterminans*. Græcè, *autem Apollyon, Latinè habens nomen, exterminans.* Hic itaque dæmon inſtar feralis lictoris, Dei iuſſu haſce in impios locuſtas ager. Porrò per eas S. Auguſtinus, Beda, Primaſius, & plures alij intelligunt varia hæreticorum genera, qui in mundi fine plurimi exurgent. At hæretici non cruciant ſolos impios: ſed potiùs pios, & orthodoxos; quos verò veneno ſuo inficiunt, non ita excruciant, vt mortem expetant: ſed voluptatibus, & deliciis huius mundi ità ineſcant, vt mortem extremè horreant, vitam ſummè concupiſcant. *Væ vnum abijt, & ecce veniunt adhuc duo væ poſt hæc.* Seu cum his locuſtis vnum ex tribus ab aquila volante prolatis *Væ* receſſit: ſed ſuper ſunt alia duo *Væ*. quæ ſextus, ac ſeptimus Angelus impiis indicent.

Sexti Angeli plaga.

2. *Verſ. 13.14.15.16.17. Et ſextus Angelus tuba cecinit: &c.*] *Et audiui vocem vnam ex quatuor cornibus altaris aurei, quod eſt ante oculos Dei.* Hæc vox audita eſt prodire ex altari thymiamatis, quod Ioannes in cælo viderat ſupra cap. 8.3. Erat autem vox animarum ſanctarum ſub altari quieſcentium, & precantium, impios puniri per ſextam hanc plagam impiorum ab illis vexatorum leuamen. * Tanta enim Dei ad miſerendum pronitas, & ad puniendum tarditas, vt neceſſarium ſit inſtantiſſimè à ſanctis rogari, vt tandem procedat ad ſupplicium.] Vocem, inquam, audiui *dicentem ſexto Angelo, qui habebat tubam: ſolue quatuor Angelos, qui alligati ſunt in flumine magno Euphrate*, ſeu quatuor præcipuos Angelos tartareos, qui quaſi præſunt quatuor orbis partibus: ligati autem Dei potentia ne tantum noceant, quantum vellent, & poſſent, ſi eis frænum laxaretur. * Latrare poteſt tartareus canis à Deo illigatus, ſed non mordere, niſi ſtultos, qui ad illum accedunt.] *Et ſoluti ſunt quatuor Angeli, qui parati erant in horam. & diem, & menſem, & annum*, ſeu ad tempus à Deo ſtatutum, *vt occideret tertiam partem hominum*, qui non erant ſignati ab Angelo ſigno Dei, ſiue crucis. Haud nouum in ſcripturis, dæmones loco alicui ligari. Aſmodæum enim in deſerto Ægypti vidimus à Raphaele fuiſſe illigatum. Tob. 8.3. * *Qui parati erant ad horam.* Tantum dæmonum in homines odium, vt nunquam non ſint in animi præparatione ad nocendum eis, mox ac à Deo permiſſio detur]

Tanta Dei ad puniendū tarditas, vt neceſſum ſit, à ſanctis rogari, vt puniat impios.

Dæmon canis eſt ligatus latrare poteſt, ſed non mordere niſi ſtultos ad eum accedentes.

Diabolus ſæper eſt paratus ad nocendum hominibus.

Et numerus equeſtris exercitus vicies millies dena millia. Dæmones quatuor illi ſoluti ab Angelo plurimorum animos ad iniqua certamina concitabunt aduerſus impios: vnde maximi exercitus conflabuntur, quorum numerus erit duo equitum milliones. Exiſtimo quidem has immenſas militum copias in variis orbis partibus inter ſe diſſitis contra impios eſſe pugnaturas: alioqui quænam eos regio capiet, aut alere poterit? *Et ita vidi equos in viſione* Porrò equi, & eorum ſeſſores tales erant, quales iam deſcribo: *Et qui ſedebant ſuper eos habebant loricas igneas, & hyacinthinas, & ſulphureas.* Seu induti erant loricis lucentibus, ac radiantibus, ac ſi igneæ exiſterent. Crediderim, magnam imò maiorem partem tam ingentis exercitus fore dæmonum. Vndè agnati coloris loricas oſtentabunt, igneas, ſulphureas, & hiſacinthinas; color enim hyacinthinus ex ſulphure igne accenſo ſolet exiſtere. *Et capita equorum erant tanquam capita leonum* ob ferociam: *& de ore eorum procedit ignis, & fumus, & ſulphur.* Quod quidem aptè dæmoniis formam equorum (vt dixi) aſſumentibus apprimè conuenit. Vel ferocitati verba poſſunt accomodari. Sic Gerg. 2. Virgilius: *Tauri ſpirantes naribus ignem.* * Profectò dum video exercitum tantam ignis, fumi, & ſulphuris copiam induere, & ſpirare: vereor, ne militare officium ob agnatam militibus licentiam faciliorem inferat damnationem: cum tamen poſſit miniſterium militare cum pietate & virtute coniungi, vt quotidiè experimento ediſcimus.]

Militia ſtatus eſt ad perditionem aptus malitia militum.

Verſ. 18.19.20.21. Et ab his tribus plagis, &c] *Exciſa* quidem *eſt tertia pars hominum de igne, & de fumo, & ſulphure quæ procedant de ore ipſorum* tribus hiſce plagis. *Poteſtas enim equorum in ore eorum eſt, & in caudis eorum; nam caudæ eorum ſimiles ſerpentibus, habentes capita: & in his nocent.* Per caudas capitatas nocentes deſignant pediſecos, & miniſtros militum, qui plerumque ſunt peſſimi, & nocentiſſimi; omnia enim vaſtant furtis, incendij, libidinibus. *Et cæteri homines, qui non ſunt occiſi in his plagis, neque pœnitentiam egerunt de operibus manuum ſuarum, vt non adorarent dæmonia, & ſimulacra aurea, & argentea, & ærea, & lapidea, & lignea, quæ neque videre poſſunt, neque audire. Neque ambulare: & non egerunt pœnitentiam ab homicidiis ſuis, neque à veneficiis ſuis, neque à fornicatione ſua, neque à furtis ſuis.* Tertia ſolummodo pars impiorum ab huius exercitus à diabolo excitati interimetur. At aliæ duæ reliquæ partes, licet occiſorum ſtrage monitæ eſſent, vt reſipiſcerent, pœnitentiam de idololatria, furtis, libidinibus agere noluerunt, vnde æterno reſeruantur exitio. * Maxime enim Dei prouocat iram, qui poſt obiecta ſibi ſupplicia aliis impiis illata ob ſimilia crimina, adhuc in impietate perſiſtit.]

Maximè Dei iram prouocat, qui obiecto ſupplicio ſimili peccatori illato, non corrigitur.

CAPVT X.

Angelus fortis de cælo descendit. Septem tonitrua consonant. Ioannes iubetur librum de manu Angeli accipere, & deuorare.

1. ET vidi alium Angelum fortem descendentem de cælo ami-
ctum nube, & iris in capite eius, & facies eius erat vt sol, &
pedes eius tanquam columnæ ignis: 2. & habebat in ma-
nu sua libellum apertum: & posuit pedem suum dextrum
super mare, sinistrum autem super terram: 3. & clamauit
voce magna, quemadmodum cùm leo rugit. Et cùm cla-
masset, locuta sunt septem tonitrua voces suas. 4. Et cùm locuta fuissent se-
ptem tonitrua voces suas, ego scripturus eram: & audiui vocem de cælo di-
centem mihi: Signa quæ locuta sunt septem tonitrua, & noli ea scribere.
5. Et Angelus quem vidi stantem super mare, & super terram, leuauit manum
suam ad cælum: 6. & iurauit per viuentem in sæcula sæculorum, qui creauit cæ-
lum, & ea quæ in eo sunt; & terram, & ea quæ in ea sunt; & mare, & ea quæ in eo
sunt: Quia tempus non erit amplius: 7. sed in diebus vocis septimi Angeli, cùm
cœperit tuba canere, consummabitur mysterium Dei, sicut euangelizauit per ser-
uos suos Prophetas. 8. Et audiui vocem de cælo iterùm loquentem mecum, &
dicentem: Vade, & accipe librum apertum de manu Angeli stantis super mare, &
super terram. 9. Et abij ad Angelum, dicens ei, vt daret mihi librum. Et dixit mi-
hi: Accipe librum, & deuora illum: & faciet amaricari ventrem tuum, sed in ore
tuo erit dulce tanquam mel. 10. Et accepi librum de manu Angeli, & deuoraui
illum: & erat in ore meo tanquam mel dulce: & cùm deuorassem eum, amaricatus
est venter meus: 11. & dixit mihi: Oportet te iterùm prophetare Gentibus, & po-
pulis, & linguis, & regibus multis.

COMMENTARII.

I. *Angelus fortis de cælo descendit.*

VERS. 1. 2. 3. *Et vidi alterum Angelum, &c.*] Existimo, hunc eundem Angelum fuisse cum illo, qui *cap. 5.* Ioanni nunciauit, Agnum Librum reseraturum. Hic autem legatum, ac simul Christi Domini typum. Ea autem quæ in hoc capite, & in parte sequenti dicuntur, inter tubam sexti Angeli, & septimi fient. Nam de septimo Angelo scriptum est *cap. 11. à vers. 15.* Alium Angelum fortem Ioannes, inquit, aspexi *descendentem de cælo amictum nube* gloriæ tegumento.

Peccatores non intelligunt, circa finem temporis veritatem.

* Et quia arcana Dei consilia annunciaturus erat de mundi fine, & temporis; quã veritatem, quasi nube tectam homines aspiciunt. Difficile enim sibi persuadent tempus vitæ sibi defuturum.] *& Iris in capite eius* reconciliationis, & fœderis signum. Gen. 9. Angelus pacem profert hominibus eosque ad pœnitentiam allicit, ne iræ Dei diluuio depereant. * Cælicola verò hic, qui Christi typum agere dixi, Iride coronatur, quia Christi corona est peccatoribus misereri.] *Et facies eius erat vt Sol*, quia post tot plagarum tristia, læta nunciabat, si homines vellent resipiscere. Et quia neminem latere volebat, Deum pacificum aduentare, atque misericordem: Sol enim oritur munificus super bonos & malos. * In pedibus (vt mox videbis) iustitia Dei designatur, hic verò misericordia in splendenti facie exprimitur. Vt, quemadmodum homo à facie solet cognosci, sic Deus velit vbique velut à facie agnosci a misericordia.] *Et pedes eius tanquam columnæ ignis.* In columnis; igneis Christi potentia designatur ad peccatores non resipiscentes absumendos, seu ignibus æternis cremandos. Et habebat in manu sua libellum. Græcè, *libellulum*, est diminutiui diminutiuum, quasi Hispanè dixeris *Librico illo.* Hic libellulus est ille, qui erat septem sigillis obsignatus, quæ omnia penè iam ab Agno fuere reserata: & ideò Ioanni apertus offertur. Si in illo Libro vidimus tot supplicia, tot calamitates, tot hominum tribulationes cõtineri, quomodò *Libellulus* appellatus? Certè quia omnes huius vitæ tribulationes, & labores quid minimum est scilicet transituri, si cum æternis Tartari pœnis componantur.] *Et posuit pedem suum dextrum super mare, sinistrum autem super terram.* Vt ostendatur, nihil esse tam distans, aut remotum, quod Domini sui pedes, & conculcationem possit effugere. Non enim solùm in terris commorantes, sed & qui in maris Insulis remotissimis degunt, Dei supplicia, si impiaue egerint, vitare non valebunt. * Liceat, deprecor Iesuitæ contemplari in hoc Angelo forti, qui à terra in mare progredi videtur, D. Franciscum Xauerium Indorum Apostolum,

Christi corona est, peccatoribus misereri.

Deus vult velut à facie à misericordia dignosci.

Omnes pœnæ transituræ quid minimum est.

D. Franciscus Xauerius Angelus est fortis pergẽs ad Indiam legẽ Christi prolaturus.

qui

qui Iride pacis, & libro legis Christi ad Gentilium abdita Regna properas vti Sol idololatriæ tenebras ablegaturus: aptè vocatus Angelus *fortis*, ob incorruptam scilicet virginitatem Angelus, ob tot ab eo difficultates superatas, tot exanthlatos labores fortis admodum, Cuius pedes instat columnarum ostentantur, propter immensum per spatium terræ, ac pelagi, quod pergens illustrauit. Fauent huic excogitationi huius capitis vltima verba, quæ Ioanni dicta, in Xauerio accommoda: *Oportet iterum prophetare Gentibus, & populis, & linguis, & Regibus multis.*] *Et clamauit voce magna, quemadmodum cum leo rugit.* Quia omnes audire vult, quæ dicit. Profectò peccatoris adeò obturatæ sunt aures, vt necessarium sit Concionatores minaci & valida eos voce terrere.] *Et cum clamasset, locuta sunt septem tonitrua voces suas*, seu suos strepitus ediderunt. * Ex sequentibus tamen apparet, fuisse voces aliquid significantes; sed tanto strepitu vt tonitrua viderentur. Et quidem, licet tonitrua voces non efforment, semper loquuntur, Dei iram peccatoribus prædicantia, vt eos ad resipiscentiam illo terrore, & fulminis metu adducant.]

Alta voce debent Concionatores vti, vt peccatores audiant.

Tonitrua loquuntur, Dei irâ prædicantia.

2. *Vers. 4. 5. 6. 7. Et cum locuta fuissent, &c.*] Dum autem septem tonitrua (septem pro multis posita videntur) suas voces efformarent, *ego scripturus eram*, quæ loquebantur, ne è memoria exciderent: *&* tunc *audiui vocem de cælo dicentem mihi: signa, quæ locuta sunt septem tonitrua, & noli ea scribere.* Græcè, *Obsigna* in mente tua occultanda. *Et Angelus, quem vidi stantem super mare, & super terram, leuauit manum suam ad cælum*, qui est iurantis habitus: *& iurauit per viuentem in sæcula sæculorum, qui creauit cælum, & ea, quæ in eo sunt; & terram, & ea, quæ in ea sunt; & mare, & ea, quæ in eo sunt*, seu iurauit per Deum æternum omnium conditorem. Quid iurauit? *Quia tempus non erit amplius.* Finietur hæc dierum, & noctium varietas, & mensium & annorum: & pro tempore inuariabilis succedet æternitas, hoc sæculo consummato. *Sed in diebus vocis septimi Angeli, cum cœperit tuba canere, consummabitur mysterium Dei: sicut euangelizauit per seruos suos Prophetas.* Non (ac si diceret) nunc sæculum terminabitur, sed eo tempore, quod septimus Angelus tuba tonaturus, designabit. Tunc Dei mysterium, seu omnia quæ Deus per Prophetas suos prædixerat circa futurum sæculi finem & requiem sanctorum æternam, ad vnguem implebuntur.

Septem tonitrua loquuntur.

Vers. 8. 9. 10. 11. Et audiui vocem &c.] Tunc de cælo vocem exaudiui *iterum loquentem mecum, & dicentem*: Vade, & accipe librum apertum de manu Angeli stantis super mare, & super terram. *Et abij ad Angelum dicens ei, vt daret mihi librum.* * Cur non sumpsit ab illo librum, quem cælitùs ei imperatum fuerat vt acciperet? aut quid necessum fuit illum ab eo petere? Profectò Præsules potestate à Deo data debent vrbanè vti.] *Et dixit mihi: Accipe librum, & deuora illum: & faciet amaricare ventrem tuum; sed in ore tuo erit dulce tanquam mel.* Auidè in mente reconde. Cum acceperis, diuina locutione, & tot futurarum rerum cognitione delectaberis: Sed cum postmodum contemplatus fueris Dei iram, & dira supplicia in impios præscripta, animi amaritudine compungeris. * Sancti enim nimium dolent de proximorum euentibus infelicibus.] *Et accepi librum de manu Angeli, & deuoraui illum: & erat in ore meo tanquam mel dulce: & cum deuorassem eum amaricatus est venter meus. Et dixit mihi: Oportet, te iterum prophetare Gentibus, & populis, & linguis, & Regibus multis*, seu omnibus mundi nationibus indici à te oportet, quæ in eo libro continentur. Id præstat Ioannes, dum Apocalypsim scripsit. * Nam qui libros sacros in publicum edit, semper in illis Concionator existit.]

3\. Ioannes iubetur, librum de manu Angeli accipere, & vorare.

Præsules potestate à Deo data debent Vrbanè vti.

De Proximorum malis Sancti admodùm dolent.

Qui librum sacrum scribit semper in illo concionatoris officium agit.

CAPVT XI.

Horribile Anti-Christi aduersus Ecclesiam bellum. Se illi opponunt Henochus, & Elias. Quorum gesta, miracula, resurrectio, in cælum ascensio, & prodigia eorum martyrium consecutura hic describuntur, & contigerint posterius.

1\. ET datus est mihi calamus similis virgæ, & dictum est mihi: Surge, & metire templum Dei, & altare, & adorantes in eo. 2. atrium autem, quod est foris templum, eiice foras, & ne metiaris illud: quoniam datum est Gentibus, & ciuitatem sanctam calcabunt mensibus quadraginta duobus: 3. & dabo duobus testibus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta, amicti saccis. 4. Hi sunt duæ oliuæ, & duo candelabra, in conspectu Domini terræ stantes. 5. Et si quis voluerit eos nocere, ignis exiet de ore eorum, & deuorabit inimicos eorum: & si quis voluerit eos lædere, sic oportet eum occidi. 6. Hi habent potestatem claudendi cælum, ne pluat diebus prophetiæ ipsorum: & potestatem habent super aquas conuertendi eas in sanguinem, &

percutere terram omni plaga quotiescumque voluerint. 7. Et cùm finierint testimonium suum, bestia quæ ascendit de abysso, faciet aduersum eos bellum, & vincet illos & occidet eos. 8. Et corpora eorum iacebunt in plateis ciuitatis magnæ, quæ vocatur spiritualiter Sodoma, & Ægyptus, vbi & Dominus eorum crucifixus est. 9. Et videbunt de tribubus, & populis, & linguis, & Gentibus, corpora eorum per tres dies & dimidium: & corpora eorum non sinent poni in monumentis, 10. & inhabitantes terram gaudebunt super illos, & iucundabuntur: & munera mittent inuicem, quoniam hi duo prophetæ cruciauerunt eos, qui habitabant super terram. 11. Et post dies tres & dimidium, spiritus vitæ à Deo intrauit in eos. Et steterunt super pedes suos, & timor magnus cecidit super eos, qui viderunt eos. 12. Et audierunt vocem magnam de cælo, dicentem eis: Ascendite huc. Et ascenderunt in cælum in nube: & viderunt illos inimici eorum. 13. Et in illa hora factus est terræ motus magnus, & decima pars ciuitatis cecidit: & occisa sunt in terræ motu nomina hominum septem millia: & reliqui in timorem sunt missi, & dederunt gloriam Deo cæli. 14. Væ secundum abijt: & ecce væ tertium veniet citò. 15. Et septimus angelus tuba cecinit: & factæ sunt voces magnæ in cælo dicentes: Factum est regnum huius mundi, Domini nostri & Christi eius, & regnabit in sæcula sæculorum: Amen. 16. Et vigintiquatuor seniores, qui in conspectu Dei sedent in sedibus suis, ceciderunt in facies suas, & adorauerunt Deum dicentes: 17. Gratias agimus tibi Domine Deus omnipotens, qui es, & qui eras, & qui venturus es: quia accepisti virtutem tuam magnam, & regnasti. 18. Et iratæ sunt Gentes, & aduenit ira tua, & tempus mortuorum iudicari, & reddere mercedem seruis tuis Prophetis, & sanctis, & timentibus nomen tuum pusillis & magnis, & exterminandi eos qui corruperunt terram. 19. Et apertum est templum Dei in cælo: & visa est arca testamenti eius in templo eius, & facta sunt fulgura, & voces, & terræ motus, & grando magna.

COMMENTARII.

1. *De Enoch, & Elia.* VERS. 1.2.3.4.5. *Et datus est mihi calamus, &c.*] Posteriorem Apocalypseos partem, quam Ioannes in libro iam aperto legit, inchoat à conculcatione Ecclesiæ per Anti-christum tribus annis cum dimidio: sed statim ab initio se illi opponent Henoch & Elias: quorum gesta, & miracula, Martyrium, resurrectionem, ascensionem, & portenta mortem consecutura vno, eodemque filo pertexit, etsi posterius contigerint. Horum enim omnium à vers. 7. vsque ad finem huius capitis proprius locus esset cap. 19. post vers. 10. Nam ante bellum illud vltimum Christi Domini cum Anti-Christo, Gog, & Magog, quod ibi, vers. 11. Ioannes describere incipit, continget mors Eliæ & Henoch: canet septimus Angelus, & alia euenient, quæ hoc cap. 11. recensentur. *Et datus est*, inquit Apostolus, *mihi calamus similis virgæ*, seu ab Angelo forti accepi calamum virgæ mensoriæ aut sceptro regali similem. Erat enim regiæ potestatis, cuius est mensurare, seu pro meritis præmio donare, vel punire: *& dictum est mihi: surge, & metire Templum Dei*, seu Ecclesiam Christi (quæ Templi Salomonis specie Ioanni obijciebatur) *& altare* holocausti, & thymiamatis, seu intima Ecclesiæ mysteria: *Et adorantes in eo*, seu sacrificantes in altari tam Sacerdotes, quam laicos. Hos iubetur metiri, seu numerare, & in codicem referre: vtpotè sinceros Dei cultores, & æternitatis candidatos. * Qui quidem adeò pauci assolent esse, vt facilè numerari possent: & vt vulgari modo dicenti Hispanico vtar, *son contados, los que sirben à Dios con perfeccion*, si cum imperfectis componantur.] *Atrium autem, quod est foris Templum, eiice foras, & ne metiaris illud*, seu eos, qui in atrio sunt laicorum, id est, vulgatis, & laxioris vitæ Christianos ne metiaris, vtpotè indignos, qui inter sanctos numerentur, eos repudia, contemne; *quoniam datum est Gentibus, & Ciuitatem sanctam calcabunt mensibus quadraginta duobus*, seu quia hi discedent mox à fide, & prædæ erunt Anti-Christo, ac Gentibus illi confœderatis, quæ Ciuitatem sanctam siue Ecclesiam Christi non extinguent quidem, sed profanis pedibus eam conculcabunt tribus annis cum dimidio. Tanto enim tempore Anti-Christi monarchia durabit. *Et* ad hos profanarum Gentium impetos retundendos, *dabo duobus testibus meis* Eliæ & Henoch, vt exerant ducatum: *& prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta*, seu menses quadraginta duos, qui tres annos supra quinque menses efformant. Hi prophetabunt proximas hostibus Ecclesiæ calamitates: & Christi fidem feruenter prædicabunt miris prodigiis in eorum conspectu editis roboratam. Amicti saccis incedent, seu cilicio, vt Dei iram Dei corporis afflictione mitigent, & vt homines ad pœnitentiam suo exemplo prouocent. * Efficacius enim est sacri præconis verbum, cum probæ vitæ exemplo confirmatur.] *Hi sunt duæ oliuæ, & duo candelabra in conspectu Domini terræ stantes.* Elias & Henoch, instar duarum oleatum sunt bonorum operum pingues, ac fertiles. Sumpsit ex Zach. 4. v. 14. & velut candelabra Christum, qui verum est lumen toti mundo

Pauci perfectè seruiunt Deo, si cum imperfectis componantur.

Côcionatoris proba vita verbum roboratur.

mundo ostendent: candelabra, inquam, *stantia* (Græcè sic) in Dei conspectu, solius enim gloriæ augendæ & Christi Luminari præferendo deseruient. * Verus quidem Euangelicus est minister, qui solummodò officium candelabri exerit, quod soli luci excipiendæ est aptum, nullis aliis ministeriis valet aptari.] *Et si quis voluerit eos nocere, ignis exiet de ore eorum, & deuorabit inimicos eorum.* Nemo eis nocere poterit eo tempore, quod ad prædicandum eis fuerit à Domino impensum. Nam si aliquis id tentauerit, ex eorum ore efflabitur ignis, seu ad eorum preces, vel imperium igne cælitus elapso absumentur: *& si quis voluerit eos lædere, sic oportet eum occidi*, igne scilicet deuorante. * Quàm stultè quis audeat iustis inferre iniuriam, cum in ore, seu in oratione habeant ad manum cum iniuriantis exitio tutamen, Deo pœnam vltro inferente, licet iusti id non intendant assequi, sed solummodo defensionem dari precentur.]

Vetus Euangelij minister non nocitur aptus, nisi vt candelabrū sit Christi lucis.

Stultus est, qui iustis nocet, habentibus in ore (dum orant) protectionem.

Vers. 6. 7. 8. 9. 10. Hi habent potestatem, &c.] Data est illis potestas, *claudendi cælum, ne pluat diebus prophetiæ ipsorum*, seu toto illo tempore, quod illis præscriptum est ad prædicandum: *& potestatem habent super aquas conuertendi eas in sanguinem*, quemadmodum Moses gessit in Ægypto, Exo. 7. *& percutere terram omni plaga, quotiescumque voluerint. Et cum finierint testimonium* suum, seu cum tempus prædicationis eorum à Deo præscriptum terminabitur, *bestia, quæ ascendit de abysso, faciet aduersum eos bellum, & vincet illos, & occidet eos.* Anti-Christus, qui bestia dicitur ob crudelitatem de abysso, seu de mari ascendit (infra cap. 13.1. *Et vidi de mari bestiam ascendentem*) duos meos duces fortissimos persequetur: & demùm vincet eos, non quidem à prædicatione deterrendo, nec ad suam attrahendo ditionem: sed crudeliter occidendo. * Vndè ficta fuit, seu apparens Anti-Christi victoria, Martyrum autem vera.] *Et corpora eorum iacebunt in plateis Ciuitatis magnæ, quæ vocatur spiritualiter Sodoma, & Ægyptus, vbi & Dominus eorum crucifixus est.* Corpora Eliæ & Henoch iacebunt in platea Ierosolymæ, vbi suffixus cruci Christus fuerat, quæ quidem Anti-Christi eo tempore inibi residentis potentia, & frequentia ciuium magna erit: sed sceleribus plena Deo vti Sodoma & Ægyptus detestabilis apparebit. * Vereor equidem, ne plures Christicolæ Ciuitates propter criminum redundantiam hodie possint spiritualiter Sodoma, & Ægyptus vocitari.] *Et videbunt de tribubus, & populis, & linguis, & Gentibus corpora eorum per tres dies & dimidium: & corpora eorum non sinent poni in monumentis.* Anti-Christi ministri non sinent cadauera Eliæ, & Henochi sepulchro collocari, vndè trium dierum cum dimidio, spatio inhumata iacebunt vt multi omnium nationum, quæ Anti-Christo hærebunt, ea conspicient, vt nulli subeat dubitatio, num verè Martyres illi mortui fuerint: & gloriosior, & mirabilior sit illorum resurrectio. *Et inhabitantes terram gaudebunt super illos, & iucundabuntur; & munera mittent inuicem: quoniam hi duo Prophetæ cruciauerunt eos, qui habitabant super terram.* Seu impij Ierosolymæ &

Ficta est tyranni contra Martyres victoria: illorū autem vera.

Ciuitates, vbi vitia vigent, coram Deo Sodoma, & Ægyptus verè existunt.

vicinorum Vrbi oppidorum habitatores, exultabunt, & signa gaudij indicamenta obiicient, quod interempti fuerint illi, qui eos acriter minacibus verbis corripuerant, & dirè vulnerarant illos, quos sibi obsistentes reperierant. * De piorum morte impij exultant, iusti mœrore afficiuntur: hi quidem quia defensor veritatis & assertor virtutis discessit: illi autem, quia eorum impietatis hostis non apparet.]

In obitu iustorum pij mœrent, impij lætantur.

Vers. 11. 12. 13. 14. Et post dies tres, &c.] Post tres autem dies cum dimidio translatos, *spiritus vitæ à Deo intrabit in eos*, seu Deo mirabiliter operante resurgent: *Et viuentes steterunt super pedes suos: & timor magnus cecidit super eos, qui viderunt eos*, seu timore ingenti afficientur hostes, cum eos à viuis aspexerint rediisse *Et audierunt*, incremento timoris, *vocem magnam de cælo, dicentem eis: Ascendite huc: & ascenderunt in cælum in nube* currus vices gerente: *& viderunt illos inimici eorum.* De re futura Ioannes prophetico more tanquam de præterita loquitur. Et in illa hora post Diuorum ascensum; *factus est terræ motus magnus, & decima pars Ciuitatis* Ierosolymæ *cecidit: & occisa sunt* in terræ motu nomina hominum septem millia, seu septem millia homines. * Quos appositè vocitat non homines, sed hominum nomina, quia illorum mores bestiales erunt, non humani. Homines enim, qui in alios crudelitate fuerunt, & voluptatibus deseruiunt, mendaciter homines appellantur.] *Et reliqui* apud Vrbem tunc degentes in timorem sunt missi, seu timore fuerunt affecti: *& dederunt gloriam Deo cæli*, profitente iusta Dei esse iudicia, & merito occisos esse peccatores. Probabiliter crediderim, etiam fore conuertendos, acturosque de criminibus pœnitudinem. *Væ secundum abiit* ex tribus, quæ volans prædixerat aquila cap. 8. *& tertium veniet cito.* Tertium superest, quod septimo Angelo tuba canente, aduentabit.

Nō sunt homines, sed vacua hominū nomina, qui cupiditatibus deseruiunt.

Vers. 15. 16. 17. 18. 19. Et septimus Angelus tuba cecinit, &c.] Ad septimi Angeli buccinantis clangorem, *facta sunt voces magnæ* Angelorum & animarum sanctarum *in cælo dicentes: Factum est Regnum huius mundi, Domini nostri Iesu Christi eius*, Seu eius solius Regnum omnium hominum est, nullo iam in mundo vlterius imperante: *& cum* Angelis, & hominibus *regnabit in sæcula sæculorum. Amen.* Et viginti *quatuor seniores, qui in conspectu Dei sedent in sedibus suis, ceciderunt in facies suas, & adorauerunt Deum, dicentes: Gratias agimus tibi, Domine Deus omnipotens, qui es, qui eras, & qui venturus es* (Lege cap. 1. vers. 4.) *quia accepisti virtutem tuam magnam*, seu tuam potentiam exeruisti, *& regnasti*, hostibus superatis. *Et iratæ sunt Gentes, & aduenit ira tua, & tempus mortuorum iudicari, & reddere mercedem seruis tuis Prophetis, & sanctis, & timentibus nomen tuum pusillis, & magnis.* Hoc est, impij excruciantur, quia venit tempus, quo mortui omnes resurgent, & ad generale iudicium rapientur, vt pro merito præmium, aut pœnam recipiant. Nam te ô Dei Fili sententiam ferente omnes iusti &

electi tui diuersis in cælo locabuntur mansionibus: *& exterminandi eos, qui corruperunt terram.* Seu iustis Regno donatis æterno, proferes illa horribilia admodum verba: *Discedite maledicti in ignem æternum*, quibus à te relegati viui Tartaro sepelientur, quià terram suis pessimis actionibus corrupere. *Et apertum est Templum Dei in cælo: & visa est arca Testamenti eius in Templo eius.* Vtens Ioannes vt solet Templi similitudine, in cuius penetralibus Arca fœderis seruabatur, significat, obiectam sibi fuisse sanctorum beatitudinem. Vidit namque Christum Dominum, qui est vera Testamenti Arca legem & manna continens: *Et facta sunt fulgura, & voces, & terræ motus, & grando magna*, quo pœnæ impiorum magnitudo significetur. * Cum fœderis Arcam in cælo aspexerim, agnato affectus mei pondere dirigebam calamum, vt annotaret Arcam esse Mariam, quæ hoc titulo ab Ecclesia colitur. Ast cum ad damnatorum conspectum Arca apparebat, nolui statuere Mariæ typum, vbi sua intercessione non erat damnatis miseris subuentura. Vndè malui asserere, Arcam signare Christum Iudicem tunc contra Ecclesiæ hostes iustissimè inexorabiliter iratum.]

Maria non apparet, vbi miseris peccatorib' sua intercessione non est subuentura.

LIBER

LIBER SECVNDVS.

Reuelatio facta Ioanni de futuris Ecclesiæ euentibus à Capite duodecimo vsque ad vltimum.

PROLVSIO.

AD difficillimæ materiæ absolutionem mentis meæ tenebras ablegandas esse non dubito, dùm sese mihi mox offert Deipara præcipuis cœli ornata Luminaribus. *Signum magnum apparuit in cælo Mulier amicta Sole & Luna sub pedibus eius, & in capite eius corona stellarum duodecim.* Cap. 1.1. Quæ quidem verba D. Bernardus serm. de verb. Apoc. Signum Mariæ accommodat, in duodecim stellis totidem Virginis prærogatiuas veneratur. Ego autem luce indigens huius Solis, Lunæ, stellarum, directionis nempè Dominæ meæ Mariæ inuoco claritatem.

CAPVT XII.

Sub figura Mulieris & draconis concertantium Ecclesiæ ac diaboli pugna in mundi fine Ecclesiæque victoria describitur.

1. ET signum magnum apparuit in cælo: Mulier amicta Sole, &
Luna sub pedibus eius, & in capite eius corona stellarum
duodecim: 2. & in vtero habens, clamabat parturiens, &
cruciabatur vt pariat. 3. Et visum est aliud signum in cælo:
& ecce draco magnus rufus, habens capita septem, & cornua
decem: & in capitibus eius diademata septem: 4. & cauda eius trahebat tertiam partem stellarum cæli, & misit eas
in terram: & draco stetit ante mulierem, quæ erat paritura; vt cùm peperisset, filium
eius deuoraret. 5. Et peperit filium masculum, qui recturus erat omnes Gentes in
virga ferrea: & raptus est filius eius ad Deum, & ad thronum eius: 6. & mulier
fugit in solitudinem, vbi habebat locum paratum à Deo, vt ibi pascant eam diebus
mille ducentis sexaginta. 7. Et factum est prælium magnum in cælo, Michaël, &
Angeli eius præliabantur cum dracone, & draco pugnabat, & Angeli eius. 8. &
non valuerunt, neque locus inuentus est eorum ampliùs in cælo. 9. Et proiectus
est draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus, & satanas, qui seducit vniuersum orbem: & proiectus est in terram, & Angeli eius cum illo missi
sunt. 10. Et audiui vocem magnam in cælo dicentem: Nunc facta est salus, & virtus, & regnum Dei nostri, & potestas Christi eius: quia proiectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri die ac nocte.
11. Et ipsi vicerunt eum propter sanguinem Agni, & propter verbum testimonij sui,
& non dilexerunt animas suas vsque ad mortem. 12. Propreteà lætamini cæli, &
qui habitatis in eis. Væ terræ, & mari, quia descendit diabolus ad vos, habens iram
magnam, sciens quod modicum tempus habet. 13. Et postquam vidit draco quòd proie

proiectus esset in terram, persecutus est mulierem, quæ peperit masculum: 14. & datæ sunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ, vt volaret in desertum in locum suum, vbi alitur per tempus & tempora & dimidium temporis, à facie serpentis. 15. Et misit serpens ex ore suo post mulierem, aquam tanquam flumen, vt eam faceret trahi à flumine 16. Et adiuuit terra mulierem, & aperuit terra os suum, & absorbuit flumen, quod misit draco de ore suo. 17. Et iratus est draco in mulierem: & abiit facere prælium cum reliquis de semine eius, qui custodiunt mandata Dei, & habent testimonium Iesu Christi. 18. Et stetit supra arenam maris.

COMMENTARII.

1. *Mulier & draco Ecclesia & diabolus concertant.*

VERS. 1.2.3.4.5.6. *Et signum magnum apparuit in cælo, &c.*] Ostentum & prodigium magnum apparuit in cælo non Empyreo, nec sidereo, sed in aëreo, quia ex hoc postmodum mulier illa in desertum auolauit. Mulier amicta sole seu Ecclesia circumdata Christo sponso suo, qui est Sol iustitiæ. Haud est noua locutio, cum Apostolus dixerit, Induimini Dominum Iesum Christum. *Et Luna sub pedibus eius*, quia omnium creaturarum mutabilitatem pedibus calcat. Fidelis Christi sponsa, scilicet vir aut fœmina, quæ perfectioni studet, si velit verè Christum Solem induere, cuncta temporalia debet despicere: solùm nitens æternis.] *& in capite eius corona stellarum duodecim*, quibus duodecim Apostoli significantur. * Et quidem Apostoli, & Apostolici viri corona sunt Ecclesiæ.] *Et in vtero habens, clamabat parturiens, & cruciabatur, vt pareret.* Ecclesia namque in mundi fine ob diras persecutiones ingentibus doloribus afficietur, vt fideles Christo Domino pariat. *Et visum est aliud signum in cælo: & ecce draco magnus rufus*, seu à me visus fuit diabolus sub specie magni draconis, rufi quidem, nam prothoplastos omnesque eius filios (Christo & Maria exceptis) fecit sanguine seu sanguinibus cruentari: & per suos ministros infideles innumeros Dei filios martyrio affecit. Vnde Ioan.8.44. *homicida* appellatur. *Habens capita septem*, singula diademate coronata, seu septem Reges famulantes sibi, quorum sex erunt Anti-Christi præcursores, (de quibus cap.17.9. & 10.) septimus iisque præcipuus ipse Anti-Christus primarium Luciferi caput: *& cornua decem*: seu decem Reges & Regna sibi subiecta. Decem enim Reges, qui tum temporis dominabuntur in orbe, subiiciet sibi Anti-Christus, tribus occisis, reliquis sese vltro deditis. Vel, si malueris, in decem cornibus multiplicia dæmonum arma, vis, & potentia signantur: *& in capitibus eius* (vt dixi) *diademata septem*: *& cauda eius trahebat tertiam partem stellarum cæli, & misit eas in terram.* Idem Anti-Christus est cauda draconis, & caput: caput quidem quia primarius belli impiorum dux, sed quia vltimum diaboli instrumentum est, & vltima machina etiam draconis cauda vocitatur. Hæc itaque cauda post se in suam perfidiam trahebat tertiam partem virorum illustrium principum Ecclesiæ politicorum, Doctorum, Religiosorum, qui stellarum instar in orbe aliis prælucebunt. * Cùm te videris in Ecclesiæ vertice stellam fulgore coruscam, haud te securum contemplare poteris, namque in terram, obducto splendore, decidere.] *Et draco stetit ante Mulierē, quæ erat paritura, vt cum peperisset, filium eius deuoraret.* Ecclesia etsi admodū oppressa à dracone peperit filium fortem seu fidelium multitudinem, & sanctorum cœtum qui ducibus Elia, & Henocho se inuicti prius morti tradere, quam Anti-Christo parére voluerunt. * Dum Ecclesia magis à Tyrannis, & Christi hostibus opprimitur plus filiis fortis fidei militibus abundat.] Enixa, inquam est filium, *qui recturus erat omnes Gentes in virga ferrea*, seu qui fidelium cœtus, superato Anti-Christo, omnes Gentes reget, vi, & armis eas Christo & sibi subiiciendo, in vltimo scilicet prælio contra Gog et Magog, (de quo cap.19.11.) *& raptus est filius eius ad Deum, & ad thronum eius*, seu cœtus hic Deo fidelis translatus est ad Deum partim in cælum per diram Martyria, partim in tuta loca per miracula. *Et Mulier fugit in solitudinem, vbi habebat locum paratum à Deo, vt ibi pascant eam diebus mille ducentis sexaginta*, seu reliqua verò Ecclesia mater tam illustrium filiorum durante horribili draconis sæuitia ad deserta, & montium latibula se recepit. Ibi (ex multorum sententia) fideles cibo Eucharistico illis diebus pascentur, in occultis cauernis à Dei prouidentia præparatis Missæ sacrificio assiduè celebrato. * Et quomodo persecutionis, & diræ tribulationis tempore fidelis anima viueret, & tot labores posset sustinere, nisi pane electorum sumpto roboraretur.

Qui perfectioni studet, cuncta temporalia sub pedibus habeant.

Apostolici viri corona sunt Ecclesiæ.

In vertice Ecclesiæ fulgēs stellæ instar, potest obducto splēdore decidere ne confidas.

Labores faciūt Ecclesiā filios fortes felicius parere.

Eucharistia animum roborat ad labores sustinendos.

2. *Prælium Michaelis cum dracone.*

Vers.7.8.9.10.11.12. Et factum est prælium, &c.] Quemadmodum olim in cælo Empyreo, ità sub finem mundi in cælo aëreo prælium *magnum* initur; *Michael & Angeli eius præliabantur cum dracone: & draco pugnabat, & Angeli eius*, diabolus enim conabatur Ecclesiam stirpitus auellere. Michael autem illam tutare: *& non valuerunt, neque locus inuentus est eorum amplius in cælo*, diabolus & Angeli eius sicut non fuere olim amplius in cælo eiecti in abyssum: sic recens è cælo aëreo, seu metaphorico, id est, è cœtu, & terris Christianorum, quas vi eripuerant, fuere exturbati. *Et proiectus est draco ille magnus serpens antiquus, qui vocatur diabolus, & satanas: qui deducit vniuersum orbem, & proiectus est in terram, & Angeli eius cum illo missi sunt.* Lucifer cadet Christianorum pedibus conculcandus, quando cæso Anti-Christo, & multis eius copiis vires Luciferi in fumum abire incipient. *Et audiui vocem magnam in cælo dicentem: Nunc facta est salus, & virtus, & Regnum Dei nostri: & potestas Christi eius*: seu obtenta est salus Ecclesiæ, se potentia diuina exeruit, Dei est Regnum stabilitum: palam facta est gloria & meritum Christi: *quia proiectus est*

accusa

accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri die, ac nocte, seu quia ille qui olim Iobi, Tobiæ, Iesu, & aliorum fuit accusator, & nunc in eodem, accusandi officio per sistebat, in diuino tribunali cecidit causa, damnatus fuit, & succubuit; & in terreno prælio in exercitibus suis cæsus est, & delectus. * In communitate Religiosa caue, ne fratrum accusationi studium impendas, vt satanæ similis non efficiaris.] *Et ipsi vicerunt eum propter sanguinem Agni.* Fratres nostri fortissimi satanam superarunt, robore accepto è superis Christi passionis merito, siue Eucharistico sanguine hausto; *& propter, verbum testimonij sui*, seu merito constantis sui martyrij, & professiones fidei; quia *non dilexerunt* pueriliter *animas suas*, seu se ipsos, sed generosè se suaque omnia negleacere *vsque* ad mortem pro Christo gloriosè susceptam. *Propterea lætamini cæli, & qui habitatis in eis. Væ terræ, & mari, quia descendit diabolus ad vos*, seu quia diabolus victus ab Henoch, & Elia, iam Anti-Christo extincto, euomet per Gog, & Magog in cæteros Christianos incolas terræ, & Insularum *iram suam magnam, sciens, quod modicum tempus habet*, nempe quantum effluet à tempore extincti Anti-Christi vsque ad mundi finem. * Si diabolus sciens quia modicum tempus habet homines tentandi, caerit vires ad fortiora tentamina: cur senex, qui necessario scire debet modicum se bene operandi tempus habere feruentius rectis operibus non impendit studium?]

Accusator fratrũ in Religiosa communitate est satanæ similis.

Senes, qui sciũt, se modicũ tempus habere, debẽt feruẽtius bonis operibus studere.

Vers. 13. 14. 15. 16. 17, 18. Et postquam vidit draco, &c.] Profectò cum draco vidisset, quod è sublimi cælo aëreo *proiectus esset in terram, persecutus est Mulierem, quæ peperit masculum*, seu per vltimos istos exercitus Christi duces Eliam & Henoch rursus prostratus, intendit de nouo iras aduersus Ecclesiam. *Et data sunt Mulieri alæ duæ aquilæ magnæ, vt volaret in desertum in locum suum.* Seu acceptis monitis Prophetarum, & amicorum auxiliis, quasi binis alis in deserta velocissime loca deuolauit: *vbi alitur per tempus & tempora, & dimidium temporis à facie serpentis*, seu vbi tres annos cum dimidio, id est, toto tempore, persecutionis vltimæ Anti-Christi semota à facie serpentis cura & vigilantia Pastorum sacrorum alitur. Hi enim subditis sibi ouiculis omnia necessaria tam spiritualia, quam corporalia subministrans. * Etiam prouident temporalia? Ita planè; quia Rectores, qui volunt subditos spiritualibus operam dare, debent eis de corporalibus seu temporalibus prouidere.] *Et misit serpens ex ore suo post mulierem aquam tanquam flumen vt eam faceret trahi à flumine:* Quasi balena post fugientem Ecclesiam diabolus serpens crudelium edictorum aquam ex ore & copiam exercituum, qui instar fluminis, subito incautos obruerent. *Et adiuuit terra Mulierem: & aperuit terra os suum & absorbuit flumen, quod misit draco de ore suo.* Deo scilicet suis opitulante, omne flumen fuit absorptum, terra dehiscente, & Anti-Christi emissarios abripiente in Tartarum. * Non possum non iam in Muliere volante in desertum Mariam contemplari Sole indutam seu Christi Matrem, Lunam peccati originalis primo sui esse gressu, seu primo Conceptionis instanti conculcantem, coronãtem stellis, ob victoriam ex dracone assequutam. Intendit draco peccati originalis flumine, quo cunctos obruerat homines etiam Mariam absorbere. Ast terra adiuuit Mulierem fluuium absorbens. Annon sententia Pauli. *Omnes in Adam peccauerunt*, flumen est omnes Adæ filios inundans? Quis abneget. Porro aperiens terra os suum & totum fluuium culpæ originalis obserbens, ostendit, omnes homines absorptos fuisse præter Mariam ad quam nec fluminis gutta peruenit. Quando omnis terra à flumine obruitur.] *Et iratus est draco in Mulierem, & abiit facere prælium cum reliquis de semine eius, qui custodiunt mandata Dei, & habent testimonium Iesu Christi.* Cum diabolus Ecclesiam latitantem euertere non posset, prælium instaurat cum reliquis filiis eius, qui, publica fide, professione Christo testimonium perhibebant; nec sese occultatant, sed cum Henoch & Elia palam se draconi opponebant. *Et stetit suprà arenam maris* in littore clientibus suis imperans omnibus, (qui quidem ob multitudinem, ob sterilitatem, ob duritiem maris arenæ comparantur,) vt in bellum tam terrestre, quam nauale confluant, vt omnes Christicolæ penitus euertantur.

Rector qui vult subditos spiritualibus operã dare, debet eis de tẽporalibus, prouidere.

Fluuius peccati originalis qui omnes homines obruit, nec guttam aspersit in Mariam.

CAPVT XIII.

Sub specie bestiæ è mari ascendentis Anti-Christum, sub alterius bestiæ figura quendam Anti-Christi præcursorem & ministrum insignem Apostolus describit.

1. ET vidi de mari bestiam ascendentem, habentem capita septem, & cornua decem, & super cornua eius decem diademata, & super capita eius nomina blasphe-
miæ. 2. Et bestia, quam vidi, similis erat pardo, & pedes eius sicut pedes vrsi, & os eius sicut os leonis. Et dedit illi draco virtutem suam, & potestatem magnam.
3. Et vidi vnum de capitibus suis quasi occisum in mortem: & plaga mortis eius curata est. Et admirata est vniuersa terra post be-

ſtiam. 4. Et adorauerunt draconem, qui dedit poteſtatem beſtiæ: & adoraue-
runt beſtiam, dicentes: Quis ſimilis beſtiæ? & quis poterit pugnare cum
ea? 5. Et datum eſt ei os loquens magna, & blaſphemias: & data eſt ei pote-
ſtas facere menſes quadraginta duos. 6. Et aperuit os ſuum in blaſphemias ad
Deum, blaſphemare nomen eius, & tabernaculum eius, & eos qui in cælo ha-
bitant. 7. Et eſt datum illi bellum facere cum ſanctis, & vincere eos. Et data
eſt illi poteſtas in omnem tribum, & populum, & linguam, & gentium: 8. &
adorauerunt eam omnes, qui inhabitant terram: quorum non ſunt ſcripta no-
mina in Libro vitæ Agni, qui occiſus eſt ab origine mundi. 9. Si quis habet au-
rem, audiat. 10. Qui in captiuitatem duxerit, in captiuitatem vadet: qui in
gladio occiderit, oportet eum gladio occidi. Hic eſt patientia, & fides Sancto-
rum. 11. Et vidi aliam beſtiam aſcendentem de terra, & habebat cornua duo
ſimilia Agni, & loquebatur ſicut draco. 12. Et poteſtatem prioris beſtiæ om-
nem faciebat in conſpectu eius: & fecit terram, & habitantes in ea, adorare be-
ſtiam primam, cuius curata eſt plaga mortis. 13. Et fecit ſigna magna, vt etiam
ignem faceret de cælo deſcendere in terram in conſpectu hominum. 14. Et ſe-
duxit habitantes in terra, propter ſigna, quæ data ſunt illi facere in conſpectu be-
ſtiæ, dicens habitantibus in terra, vt faciant imaginem beſtiæ, quæ habet pla-
gam gladij, & vixit. 15. Et datum eſt illi vt daret ſpiritum imagini beſtiæ, & vt
loquatur imago beſtiæ: & faciat vt quicumque non adorauerint imaginem, beſtiæ
occidantur. 16. Et faciet omnes puſillos, & magnos, & diuites, & pauperes, &
liberos, & ſeruos habere characterem in dextera manu ſua, aut in frontibus ſuis.
17. & ne quis poſſit emere, aut vendere, niſi qui habet characterem, aut nomen
beſtiæ, aut numerum nominis eius. 18. Hic ſapientia eſt. Qui habet intellectum,
computet numerum beſtiæ. Numerus enim hominis eſt: & numerus eius ſexcenti
ſexaginta ſex.

COMMENTARII.

I. *Anti-Christus bestia de mari aſcendens.*

VERS. 1. 2. 3. 4. 5. 6. *Et vidi de mari beſtiam aſcendentem, &c.*] Anti-Chriſtum intelligit, qui beſtia ob beſtialem feritatem appellatur. De mari, ſeu de mundo, qui mare aptè dicitur ob pericula, ob inſtabilitatem, fluctus, ac procellas, quibus ſe mutuò mortales collidunt, aſcendit. Haud improbabiliter aſſeruerim, Anti-Chriſtum per mare cum ingenti claſſe venturum, vt tam mari, & inſulis, quàm terræ dominetur. Vidi, inquam beſtiam illam *habentem capita ſeptem, & cornua decem.* Septem capita ſunt totidem Reges, qui præcedent Anti-Chriſtum, quorum Regna ipſe occupabit, de quo cap. 17. Cornua decem in capite primario eminebant, & ſignificant decem Reges, qui aduentante Anti-Chriſto in orbe aderunt, è quibus ipſe tres prælio profligabit, & interimet, ſeptem territos ſuæ ditioni addicet Dan. 7. 21 *& ſuper cornua eius decem diademata,* vt innueretur, decem cornua decem Reges illos ſignificare, *& ſuper capita eius nomina blaſphemiæ,* quia ſeptem capita, ſeu ſeptem Reges, nempe Anti-Chriſtus, & ſex alij eius ſocij hoc vnum agent, vt blaſphemetur Deus, & Chriſtus extirpetur. *Et beſtia, quam vidi, ſimilis erat pardo, & pedes eius ſicut pedes vrſi, & os eius ſicut os leonis.* Beſtia quoad corpus pardum referet. Anti-Chriſtus enim inſtar pardi, omnibus ſceleribus maculatus erit, verſatilis in omnes fraudes, & dolos: & curſu velociſſimo peruadet, & ſubiget orbem. Pedes vrſi fortiſſimi ad conculcandum apti: os rictus, & rugitum leonis ſuperbi omnia dilaniantis. Et dedit illi *draco virtutem ſuam, & poteſtatem magnam,* Græcè additur, *& thronum.* Lucifer tradidit illi poteſtatem, & maieſtatem à ſe proximam, vt ſit eius vicarius in terris. *Et vidi vnum de capitibus ſuis quaſi occiſum in mortem: & plaga mortis eius curata eſt,* ſeu aſpexi vnum de beſtiæ capitibus velut ſucciſum, & ad mortem vulneratum: ſed per Anti-Chriſtũ ſubitò vulnus fuit curatum. Scio plures Interpretes opinari læſum hoc caput eſſe vnum de Regibus Anti-Chriſto famulantibus. Aſt ego cum aliis optimæ notæ Doctoribus aſſeruerim, ipſummet Antichriſtum intelligi primarium ſepticipitis beſtiæ caput, qui finget ſe plaga lethali affici, ex eaque ſe mortuum ſimulabit, vt tertia die omnibus ſe ſubitò & inopinatò rediuiuum ſiſtat, vt Chriſti reſurrectionem imitetur. *Admirata eſt vniuerſa terra poſt beſtiam. Et adorauerunt draconem, qui dedit poteſtatem beſtiæ: & adorauerunt beſtiam, dicentes: Quis ſimilis beſtiæ? & quis poterit pugnare cum ea?* Adorauerunt cæci homines fictis miraculis exciti, Anti-Chriſto ſeſe addixere, adorãtes Luciferũ, qui tantam ei ceſſit poteſtatem, & ipſum Anti-Chriſtum taliũ facinorum patratorem. *Et datum eſt ei os loquens magna,* ſuperba, arrogantia: iactabit enim ſe filium Dei eſſe, & proinde Deum: ideò additur, loquens *blaſphemias: & data eſt ei poteſtas, facere menſes quadraginta duos,* ſeu gerere quidquid volet, trium annorum cum dimidio, ſpatio. * O quam exiguo tempore peccatori permittitur ad prauæ voluntatis explenda deſideria: cui tormentorum ſuccedet æternitas!] *Et aperuit os ſuum in blaſphemias ad Deum, blaſphemare nomen eius, & tabernaculum eius, & eos, qui in cælo habitant.* Os reſerauit, vt corde blaſphemias conceptas effutiret. Vnde blaſphemare incœpit nomen

Exiguum tempus habet peccator ad voluntatis deſideria explenda, cui tormentorũ ſuccedet æternitas.

nomen Dei & Christi (cuius iuratus erit hostis) & Ecclesiam Christi tabernaculum, seu Mariam Iesu Matrem, quæ dixit: Et qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo, seu in me proprio ipsius tabernaculo: & Diuos cælestis Regni habitantes. * Nec mirum, draconem influere Antichristo in Mariam blasphemias, cum videat, eius intercessione tot peccatores resipiscere, & in throno cælesti collocari.]

Diabolus Mariæ iratus inimicus.

Vers. 7.8.9.10. Et est datum illi bellum facere, &c.] Datum est Antichristo à Diabolo præscriptum vt bellum ineat *cum sanctis & vincere,* seu vt vincat *eos*, seu eos bello subiugare, capere, occidere. Morte tamen victuros. *Et data est illi potestas in omnem Tribum, & populum, & linguam, & gentem*, fiet enim sensim totius orbis Monarcha. *Et adorauerunt eum omnes, qui inhabitant terram quorum non sunt scripta nomina in Libro vitæ Agni, qui occisus est ab origine mundi.* seu quotquot non sunt veri, ac probi Christiani, & vt tales præuisi, & prædestinati ad vitam æternam Anti-Christo cultum exhibebunt. Occisus autem dicitur Agnus à mundi origine, seu occidi decretus, & prædestinatus à Deo, quia eius merito omnes electi ab initio mundi vsque ad finem sunt salutem consecuturi. *Si quis habet aurem, audiat* quæ sequuntur, magnam etenim aurium etiam audiendi exigunt attentionem. * Omnes Christiani audiunt fidei veritatem circa præmium bonorum, & impiorum pœnam. Cur ergo dixit Ioannes: *Si quis habet aurem, audiat?* Profecto, quia pauci admodum sunt, qui veritates fidei circa æternitatis pœnam aut gloriam audiendi auribus, audiant; si enim aure cordis exciperent, quis delinquere auderet.] *Qui in captiuitatem duxerit, in captiuitatem vadet* Anti-Christus (ô fideles acti ab eo tribulatione) qui vos diuexat, & capit, ipse à Christo capietur, & à diabolo captiuus rapietur ad tartara: *& qui in gladio occiderit, oportet eum gladio occidi.* Verba sunt Domini Mat. 26. 52. *Omnes, qui acceperint gladium, gladio peribunt.* * Plerumque eadem pœna vel hîc afficieris, qua proximum diuexaueris: quasi enim Deum doces, quonam modo te in præsenti punire debeat.] *Hic est patientia, & fides sanctorum.* In his rebus aduersis, earumque tolerantia, splendebit patientia, ac fides Christianorum.

Pauci veritatem fidei ad æternitatem gloriæ, vel pœnæ attinentem audiendi auribus excipiunt.

Et in præsenti impij solent eadem affici pœna, qua ipsi proximum diuexant.

2. *Vers. 11.12.13.14. Et vidi aliam bestiam, &c.*] Aliam bestiam *de terra ascendentem* aspexi. Per hanc significatur insignis aliquis impostor, qui Præcursoris Anti-Christi obibit officium: *& habebat cornua duo similia agni*, Duo cornua, queis hæc bestia nocebit, sunt sermones blandi mansuetudinem & pietatem halantes: & potestas, qua prodigiosas res efficiet: *& loquebatur*, sicut draco, seu doctrina eius erit, instar primæ serpentis illius, quæ Euam seduxit, callida, fraudulenta, venenata, diabolica, apposita admodum ad homines decipiendos. *Et potestatem prioris bestiæ omnem faciebat in conspectu eius.* Seu Antichristo mandante, & adiuuante, eadem siuè similia miracula edebat, quæ ille faciebat, falsa quidem & apparentia: vt per ea hominibus persuaderetur, Anti-Christum esse Deum. Vnde *fecit terram, & habitantes in ea adorare bestiam primam, cuius curata est plaga mortis*, quâ (vt diximus) se affectum esse simulauit Anti-Christus, vt etiam ficta resurrectione videntes deciperet. *Et fecit signa magna, vt etiam ignem faceret de cælo descendere in terram in conspectu hominum.* * En ficta miracula diaboli, non solum inutilia hominibus, sed & noxia.] *Et seduxit habitantes in terra propter signa, quæ data sunt illi facere in conspectu bestiæ: dicens habitantibus in terra, vt faciant, & adorent imaginem bestiæ,* seu Anti-Christi, *quæ habet plagam gladij, & reuixit.* Finxerat enim se exitialiter vulneratum, imo & obiisse: vt resurrectione se à patre Dracone donatum, quem Deum esse asserebat, hominibus persuaderet.

Bestia alia, seu Anti Christi Præcursor de terra ascendit.

Diaboli miracula ficta non solum inutilia hominibus sed & noxia.

Vers. 15.16.17.18. Et datum est illi, &c.] Permissum etiam illi fuit, *vt daret spiritum,* seu simulatam vitam *imagini bestiæ: & vt loquatur imago bestiæ.* Sic olim (& hodie in non cultis fide regionibus) multa idola rogantibus responsa reddebant, dæmone in iis occultè loquente: *& faciat, vt quicumque non adorauerint imaginem bestiæ, occidantur. Et faciet, omnes pusillos, & magnos, & diuites, & pauperes, & liberos & seruos habere characterem in dextera manu sua, aut in frontibus suis*, seu inustam aliquam notam, qua se milites, aut seruos Anti-Christi esse profiteantur. * Christus seruos diaboli aduocat, vt filij Dei fiant, & cælestes vertantur in Reges: diabolus Dei filios, & cælestes Reges allicit, vt mancipia eius fiant, & æternæ Tartari seruituti addicantur: & sunt, qui vitronei charactere gestiant vt diaboli mancipia notari?] Quænam, rogas, futura nota illa? Vel nomen Antichristi, vel eius imago, vel quædam figura draconis. Hæc Doctores. Cum alij verò asseruerint omninò id esse incertum. Licet enim Primasius, & Ansbertus asserant characterem fore huiusmodi *Chi Rho*, qua dictione Christi nomen significatur: non mihi possum persuadere iuratum Christi inimicum, hoc sacerrimo nomine vsurum ad suos sectatores notandum. Et faciet, *ne quis possit emere, nisi qui habet characterem, aut nomen bestiæ, aut numerum nominis eius.* Illa particula. *Nisi qui habet characterem, aut nomen bestiæ*, significat, nomen à charactere distingui vnde: colligo diuersis notis cultores Anti Christi sigillandos vel communi illo charactere, (in certæ formæ mihi) aut nomine, aut nominis numero. *Hic sapientia* est admodum necessaria. *Qui habet intellectum, computet numerum bestiæ. Numerus enim hominis est*, seu significat nomen hominis cuiusdam: *& numerus eius sexcenti sexaginta sex.* Hebræi & Græci litteris Alphabeti vtuntur pro notis Arithmeticis. Ait itaque Ioannes, litteras nominis Anti-Christi, quatenus sunt notæ Arithmeticæ, facere, hunc numerum *666.* Interpretes multi multa nomina excogitarunt, quæ hunc numerum adæquatè continerent. Verum quia incertum est, an Anti-Christus Græcæ linguæ litteris ac numeris sit vsurus, an linguæ Hebraïcæ: & an tres tantum futuræ sint litteræ hoc nomen conficientes, quarum prima significet *sexcenta*, secunda *sexaginta*, tertia *sex*, an verò plures: tota res est semper incerta. Ioannes dixit, *Hic sapientia est, qui habet intellectum, computet numerum nominis eius:* ego igitur ad huius numeri computationem me omninò insipientem esse profiteor.

Quam stolidi, qui Dei filiationem exuunt, vt diaboli induant seruitutem.

CAPVT

CAPVT XIV.

Recenſet centum quadraginta quatuor millia, qui Agnum ſequuntur. Trium Angelorum diuerſas voces prænuncias diuerſorum euentuum exaudit. Chriſti ſalx electos demetit, vindemiat impios.

1. ET vidi, & ecce Agnus ſtabat ſupra montem Sion, & cum eo
centum quadraginta quatuor millia, habentes nomen eius,
& nomen Patris eius ſcriptum in frontibus ſuis. 2. Et au-
diui vocem de cælo, tanquam vocem aquarum multarum,
& tanquam vocem tonitrui magni: & vocem, quam audi-
ui, ſicut citharœdorum citharizantium in citharis ſuis. 3. Et
cantabant quaſi canticum nouum, ante ſedem, & ante quatuor animalia, &
ſeniores: & nemo poterat dicere canticum, niſi illa centum quadragintaqua-
tuor millia, qui empti ſunt de terra. 4. Hi ſunt, qui cum mulieribus non ſunt
coinquinati: Virgines enim ſunt, Hi ſequuntur Agnum quocumque ie-
rit. Hi empti ſunt ex hominibus primitiæ Deo, & Agno: 5. & in ore eo-
rum non eſt inuentum mendacium: ſine macula enim ſunt ante, thro-
num Dei. 6. Et vidi alterum Angelum volantem per medium cæli, haben-
tem Euangelium æternum, vt euangelizaret ſedentibus ſuper terram, & ſuper
omnem gentem, & tribum, & linguam, & populum: 7. Dicens magna vo-
ce: Timete Dominum, & date illi honorem, quia venit hora iudicij eius:
& adorate eum, qui fecit cælum, & terram, mare, & fontes aquarum.
8. Et alius Angelus ſecutus eſt dicens: Cecidit, cecidit Babylon illa magna:
quæ à vino iræ fornicationis ſuæ potauit omnes gentes. 9. Et tertius Ange-
lus ſecutus eſt illos, dicens voce magna: Si quis adorauerit beſtiam, & imagi-
nem eius, & acceperit characterem in fronte ſua, aut in manu ſua: 10. & hic bi-
bet de vino iræ Dei, quod miſtum eſt mero in calice iræ ipſius, & cruciabitur ig-
ne & ſulphure in conſpectu Angelorum ſanctorum, & ante conſpectum Agni.
11. & fumus tormentorum eorum aſcendet in ſæcula ſæculorum: nec habent re-
quiem die ac nocte, qui adorauerunt beſtiam, & imaginem eius, & ſi quis accepe-
rit characterem nominis eius. 12. Hic patientia ſanctorum eſt, qui cuſtodiunt man-
data Dei, & fidem Ieſu. 13. Et audiui vocem de cælo, dicentem mihi: Scribe:
Beati mortui, qui in Domino moriuntur. A modo iam dicit Spiritus, vt requieſ-
cant à laboribus ſuis: opera enim illorum ſequuntur illos. 14. Et vidi, & ecce nu-
bem candidam: & ſuper nubem ſedentem ſimilem Filio hominis, habentem in ca-
pite ſuo coronam auream, & in manu ſua falcem acutam. 15. Et alius Angelus
exiuit de templo, clamans voce magna ad ſedentem ſuper nubem: Mitte falcem
tuam, & mete, quia venit hora vt metatur, quoniam aruit meſſis terræ. 16. Et mi-
ſit qui ſedebat ſuper nubem, falcem ſuam in terram, & demeſſa eſt terra. 17. Et
alius Angelus exiuit de templo, quod eſt in cælo, habens & ipſe falcem acutam.
18. Et alius Angelus exiuit de altari, qui habebat poteſtatem ſupra ignem: & cla-
mauit voce magna ad eum qui habebat falcem acutam, dicens: Mitte falcem tuam
acutam, & vindemia botros vineæ terræ: quoniam maturæ ſunt vuæ eius. 19. Et
miſit Angelus falcem ſuam acutam in terram, & vindemiauit vineam terræ, & miſit
in lacum iræ Dei magnum: 20. & calcatus eſt lacus extra ciuitatem, & exiuit ſan-
guis de lacu vſque ad frænos equorum per ſtadia mille ſexcenta.

COMMENTARII.

1. *Recenſet centum quadraginta quatuor millia, qui Agnū ſequūtur.*

VERS. 1. 2. 3. 4. 5. *Et vidi, & ecce Agnus ſtabat, &c.*] En Agnus Chriſtus è cæleſti Sione in Sionē terrenā, ſeu Eccleſiam emiſſus, ſtabat cum multis ſui ſimilibus (Græcè *caſtis*) ſupra montem *Sion*, tropologicè, in ſummo virtutum vertice: analogicè in cæleſti palatio. Ioannes enim paſſim hic Templum, altare thymiama accipit in ſenſu analogico, qui cæleſtem patriam deſignat: *& cum eo centum quadraginta quatuor millia.* Non illi totidem cap. 7. 4. ſignati. Nam hi virgines omnes ſunt, & tam ex Gentilibus, quam ex Iudæis collecti: illi omnes ſunt Iudæi, & ex omni ſtatu etiam coniugali. Cenſuerim verò, hîc numerum definitum, & paruum poni pro indefinito longè maiori

iori: in quo tamen nolo paruulos comprehendere, aut infantes; quia in talibus virginitas non est virtus, sed ætatis conditio: nec isti pro virginitate tutanda contra Anti-Christum stabunt, vt de adultis hîc tam fœminis, quam masculis asseritur. Hi Ioanni obiiciuntur *habentes nomen eius, & nomen Patris eius* cælestis *scriptum in frontibus suis.* Quo charactere opposito characteri Anti-Christi palam orbi ostendent se seruos, imò sponsas esse Christi: siue se non tantum fidem & religionem tueri decreuisse: sed & virginitatem illibatam Deo & Christo æternùm consecrasse, seu in Religioso statu, seu extra illum. *Et audiui vocem de cælo tanquam vocem aquarum multarum, & tanquam vocem tonitrui magni: & vocem, quam audiui sicut citharædorum citharizantium in citharis suis: & cantabant quasi canticum nouum:* Audiui omnium vnam eandemque vocem ac iubilum, & canticum nouum, quo virgines hi Deo laudes referebant ob virginitatis lauream sibi præ aliis concessam. Sed in sono vocis erat diuersitas. Quidam enim, qui multis, ac prolixis persecutionibus castitatem exercitam afferebant, vocem edebant tanquam aquarum è rupibus in saxa decidentium. Alij, qui breuibus, sed grauibus tormentis & generosa professione perfuncti erant, vocem tanquam tonitrui edebant sonoram simul ac terribilem impiis. Alij, quibus minor lucta fuit, sed non minor cautela, sonum edebant sicut citharœdorum, seu millenarum virtutum tuendæ castitati adhibuerunt consonantiam suauissimam, qua Dei, Angelorum, sanctorumque aures demulcent: dum modulabantur canticum nouum ante sedem, & ante quatuor animalia, & seniores: *& nemo poterat dicere canticum, nisi illa centum quadraginta quatuor millia.* Profectò nullus canticum istud poterat dicere, Græcè, *discere.* Nam etsi alij sancti auidi essent huius cantici, æque ac lauteæ virginitatis: ad id pertingere non poterant.

Virginitas semel amissa haud potest reparari.

* Virginitas enim semel amissa reparari non valet.] *Qui empti sunt de terra,* seu pretio sanguinis Christi adepti sunt perfectam hanc animi ac corporis puritatem.

Virginitas preti osa margarita, pro qua Christus emenda cœlo, sua bona tradidit.

* Tam pretiosa est margarita virginitas, vt è cælo descenderit ditissimus ille Mercator, vt omnia sua bona impenderet, vt tam pulchram & pretiosam gemmam cælo acquireret.] *Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati, virgines enim sunt,* de omnibus mulieribus loquitur, etiam coniugibus propriis.

Alexij ab sponsa recedentis intacta, insignis gloria.

* Vt celebret gloriam D. Alexij, & aliorum, qui voluptatibus licitis renunciarunt, vt virginitatis candorem tuerentur.] *Hi sequuntur Agnum, quocumque ierit,*

Non vult Christus à se discedere eos, qui virtute virginitatis coruscarunt.

* Christus adeo virginitatis virtute delectatur, vt eos, qui ea fulgent, à suo latere nolit discedere.] *Hi empti sunt ex hominibus primitiæ Deo, & Agno,* seu selectissimi, optatissimi, & gratissimi fructus, vel oblationes, quales in veteri lege erant primitiæ hominum, & frugum: *& in ore eorum non est inuentum mendacium: sine macula enim sunt ante thronum Dei,* seu inculpati, irreprehensibiles.

Virginitas influit suis cultoribus, loqui veritatem.

* Certè ipsa virginitas hunc veritatis & sinceritatis candorem pectori, & labiis solet influere.]

2\. *Vers.6.7.8.9.10.11.12. Et vidi alterum Angelum, &c.*] Tres Angelos Ioannes se vidisse testatur prædicatores Euangelij designantes, per quos Angeli in fine mundi hæc ipsa pro-

Trium Angelorum diuersæ voces diuersorum euē.

clamabunt, quæ hîc ab Apostolo recensentur. Vidi inquit, alium *Angelum volantem per medium cæli,* scilicet aërei: *habentem Euangelium æternum,* seu cui datum est prædicare Euangelium, siue bonum nuncium Regni æterni sanctorum: vt ea gerant homines, quibus vitam æternam assequantur. Gerebat inquam Euangelium, *vt euangelizaret sedentibus super terram, & super omnem gentem & Tribum, & linguam, & populum: dicens magna voce: Timete Dominum, & date illi honorem; quia venit hora iudicij eius.*

tuum prænuncias euādit.

Concionatores debent animi, & vocis contentione proferre, quæ ad mortem, & iudicium spectant.

* Magna animi & vocis contentione debet Concionator proferre quidquid ad mortis, aut iudicij materiam spectat. Surdi sunt enim homines ad huiusmodi veritates exaudiendas.] *Et adorate eum, qui fecit cælum, & terram, mare, & fontes aquarum,* seu verum Deum ab idolis recedentes, colite. *Et alius Angelus secutus est, dicens: Cecidit, cecidit Babylon illa magna, quæ à vino iræ fornicationis suæ potauit omnes gentes.* Nomine Babylonis figuratè Romam intellige, quod quomodo accipiendum sit, ex cap. 17. & 18. dignosces. Ipsa bibet vinum iræ fornicationis suę, seu persoluet pœnas tot peccatis, tan idololatriæ debitas. Preme illud: *Vino iræ fornicationis suæ.* Quid iræ cum fornicatione, aut quid fornicationi cum ira? Multum quidem.

Luxuriæ agnata est crudelitas.

Vitium enim luxuriæ facit homines esse crudeles. Quis potuit Ioannem Christi Præcursorem, (de quo ipse Dominus, Inter natos mulierum non surrexit maior) interimere, nisi efferata vnius viri, vnius fœminæ impudicitia?] Profectò quia Roma suo exemplo alias Ciuitates in idolorum cultum pellexit, faciet, vt ipsi quoque bibant de eodem calice, seu vt similiter puniantur; hoc quidem est, *potare gentes vino iræ fornicationis suæ. Et tertius Angelus secutus est* præcedentes duos cælicolas, *dicens voce magna: si quis adorauerit bestiam,* seu Anti-Christum, *& imaginem eius, & acceperit characterem in fronte sua, aut in manu sua: & hic bibet de vino iræ Dei,* seu diuinam experietur vltionem: de vino, inquam, bibet, quod mistum est mero in calice iræ ipsius, seu bibet de vino mero iræ Dei, quod mistum est alio vino mero; vina enim dissimilia permixta efficaciora sunt ad ebrietatem. Ac si dicat Ira hæc Dei, & punitio nulla clementia, nulla pœnarum remissione mitigabitur: sed potius vnum genus tormēti alio colligabitur grauiori: & cruciabitur igne & sulphure (en tormentorum mixtio) in conspectū Angelorum, sanctorum, & ante conspectum Agni: & fumus tormentorum ascendet in sæcula sæculorum, quia ignis nunquam extinguetur.

Angeli custodes lætātur de tormentis eorū qui suis hîc monitis non acquieuerunt.

* Cur autem sunt in Angelorum conspectu cruciandi? Certè vt qui curam hominum gesserant, eorum supplicio lætentur, qui nec Deum reueriti sunt, nec eorum salutaribus consiliis acquiescere voluerunt. Sic Dauid Psalm. 57. *Lætabitur iustus, cum viderit vindictam.*] *Nec habent,* seu nec habebunt *requiem die, ac nocte, qui adorauerunt bestiam, & imaginem eius: & si quis acceperit characterem nominis eius.*

Impij & in præsenti, & in Tartaro sine intermissione torquentur.

* Vita enim peccatoris laboribus & ærumnis plena: nec in ipsis voluptatibus vero gaudio afficiuntur. Vnde improbi illi post longam prauarum cupiditatum expletionem inclamabant: Lassati sumus à via iniquitatis: ambulauimus vias difficiles. Vnde & hîc tempo-

taliter & in Tartaro æternè torquentur.] *Hic patientia Sanctorum est, qui custodiunt mandata Dei, & fidem Iesu.* Ex hoc hoc autem (ait non Angelus, sed Ioannes) quis sit fructus patientiæ iustorum, qui tormenta illa euaserunt & cælesti fuere gloria donati.

3. *Vers. 13. 14. 15. 16. Et audiui vocem de cælo, &c.*] E superis vocem percepi dicentem mihi: *Scribe: Beati mortui, qui in Domino moriuntur*, seu in fide, charitate gratia, & amicitia Dei. *Amodo iam dicit Spiritus, vt requiescant à laboribus suis.* Seu ex nunc & deinceps, à tempore mortis, ipso Spiritu sancto asserente, illico requiescunt, & requiescent æternum à laboribus hic pro fide, & virtute toleratis. *Opera enim illorum sequuntur illos.* Pergentes ab hoc mortali sæculo ad immortalem eos opera iusta comitantur, queis cælestis merces debetur. *Et vidi: & ecce nubem candidam, & super nubem sedentem similem Filio hominis: habentem in capite suo coronam auream, & in manu sua falcem acutam.* Christum intelligit Regem & Iudicem, qui sedebit in nube candida, cum ad nouissimum tribunal venerit. Acutam falcem gestat in manu, quia vniuersum mundum aduenit demessurus, eique impositurus finem. *Et alius Angelus exiuit de Templo, clamans voce magna ad sedentem super nubem.* De beatorum palatio cælesti alius Angelus auolauit, & dixit; *Mitte falcem tuam*, ô Domine, *& mete, quia venit hora, vt metatur: quoniam aruit messis terræ.* Commune beatorum desiderium profert, vt scilicet Regnum peccati tyrannicum terminetur, & Deus solus in omnibus imperet. Metere hic idem est, ac colligere ex hac vita eos, qui tunc viui inuenientur. Matura est iam messis, completus numerus electorum. *Et misit, qui sedebat super nubem falcem suam in terram, & demessa est terra*, seu homines cuncti de vita subiati.

Christi falx electos demetit, vindemiat impios.

Vers. 17. 18. 19. 20. Et alius Angelus, &c] *De Templo*, seu beatorum habitaculo, *quod est in cælo*, alius processit Angelus, *habens & ipse falcem acutam*, ad eius similitudinem, qua vindemiatores vtuntur, vt ex vers. sequenti apparet. *Et alius Angelus exiuit de altari, qui habebat potestatem supra ignem*: nempe vt inducat in orbem ignem conflagrationis, vel vt reprobos in ignem gehennæ deturbet. *Et exclamauit voce magna ad eum, qui habebat falcem acutam, dicens: Mitte falcem tuam acutam, & vindemia botros vineæ terræ: quoniam maturæ sunt vuæ eius.* Profectò sicut per triticum & messem electi signantur: ita per botros & vindemiam denotantur reprobi in Tartari torculari calcandi. *Et misit Angelus falcem suam acutam in terram, & vindemiauit vineam terræ, misit in lacum iræ Dei*, vbi recipitur vuarum liquor, immissi sunt damnati Dei ira æternum calcandi, seu torquendi. *lacum* inquam, *magnum*, quia ad eum botri seu homines miseri innumerabiles sunt eiiciendi: *& calcatus est lacus extra Ciuitatem*, seu Ecclesiam, seu patriam cælestem: *& exiuit sanguis de lacu vsque ad frænos equorum, per stadia mille sexcenta.* Profectò tanta erit reproborum horum strages, vt si locus, quem ipsi in inferno obtinebunt, torcular esset, quo sanguis iugulatorum exciperetur, sanguis ille decurreret per mille sexcenta stadia Græca, seu per leucas horarias sexaginta quatuor. Vsque ad frænos equorum sanguinem ait exiisse, signans quidem tantum ex calcatione illa musti processisse, vt non solum lacus fuerit ad summum vsque impletus; sed etiam in proximam terram exundarit vsque ad stadia mille sexcenta: & exundaret adeò, vt per stadia illa nemo iter agere pedes posset: imò si eques volet proficisci, vsque ad equi frænum mustum perueniret. Signat hac allegoria Apostolus insolitam inundationem, seu maxima & inaudita impiorum supplicia.

* Non legi Auctorem vllum, qui asserat, Ioannem hic hyperbolicè fuisse locutum: quia nulla hyperbolica exaggerantia potest Tartareatum pœnarum æquare grauitatem.] Nonnulli Auctores existimant Tartari latitudinem esse sexaginta quatuor leucarum, cui respondeat sua longitudo, & profunditas proportionata.

Nulla hyperbolica locutio potest æquare damnatorum pœnas.

CAPVT XV.

Ad prosequenda Anti-Christi tempora redit, producere incipiens ex vna parte septem Angelos septem phialas iræ Dei profundentes: ex altera sanctos iam victores super mare vitreum citharizantes, & lætum canticum Mosis, & Agni modulantes.

1. ET vidi aliud signum in cælo magnum & mirabile, An-
gelos septem, habentes plagas septem nouissimas: Quo-
niam in illis consummata est ira Dei.
2. Et vidi tan-
quam mare vitreum mistum igne, & eos, qui vicerunt be-
stiam, & imaginem eius, & numerum nominis eius, stan-
tes super mare vitreum, habentes citharas Dei:
3. & can-
tantes canticum Moysi serui Dei, & canticum Agni, di-
centes: Magna & mirabilia sunt opera tua, Domine Deus omnipotens: iustæ &
veræ sunt viæ tuæ, Rex sæculorum.
4. Quis non timebit te Domine, & magni-
ficabit nomen tuum? quia solus pius es: quoniam omnes gentes venient, & adora-
bunt in conspectu tuo, quoniam iudicia tua manifesta sunt.
5. Et post hæc vidi, &
esse apertum est templum tabernaculum testimonij in cælo:
6. & exierunt septem
Angeli habentes septem plagas de templo, vestiti lino mundo & candido, & præ-
cincti circa pectora zonis aureis.
7. Et vnum de quatuor animalibus dedit septem

Angelis ſeptem phialas aureas, plenas iracundiæ Dei viuentis in ſæcula ſæculorum. 8. Et impletum eſt templum fumo à maieſtate Dei, & de virtute eius: & nemo poterat introire in templum, donec conſummarentur ſeptem plagæ ſeptem Angelorum.

COMMENTARII.

1. *Septem Angeli geſtantes ſeptem phialas.*

VERS. 1.2.3.4. *Et vidi aliud ſignum magnum, &c.*] De ſeptem plagis nouiſſimis: ſeu inter vltimas orbi euenturis fuſe aget cap. ſequenti, Mihi ait, *in cælo* aliud ſignum magnum oſtenſum fuit *mirabile* quidem. Aſpexi namque *Angelos ſeptem habentes plagas ſeptem nouiſſimas.* Hos crediderim eſſe illos ſpiritus, de quibus cap. 1. dixit: *Et à ſeptem ſpiritibus, qui in conſpectu throni ſunt*: & quibus tubæ ſeptem traditæ fuerant? Plagæ autem hæ nouiſſimæ appellantur, quia erunt, (vti innui) ſub mundi finem inter vltimas. Nam poſt has plagas ſequetur plaga exitij Babylonis, Anti-Chriſti, Gog. & Magog, &c. *Quoniam in illis* plagis ſeptem *conſummata eſt*, ſeu adimpleta *ira Dei. Et vidi tanquam mare vitreum mistum igne.* Vocitat mare vitreum multitudinem hominum, qui Anti-Chriſtum ſequentur. * Mire quidem quia *Impij* ſunt *quaſi mare feruens* (Iſai. 57.) Variis ſcilicet cupiditatibus, quibus agitantur. Vitreum vero, quia eorum ſcelera Deo ſunt manifeſtiſſima, licet ea ſtudeant operire.] * Addiderim vitreum vocitari ob humanæ naturæ fragilitatem tam agnatam fractioni. Vndè ſtulti admodum ſunt qui fidentes vitæ durationi audent in peccato perſiſtere.] * Denique mari vitreo comparantur, quia omnia eorum conſilia, & ſpes ſunt vitreæ, & inanes.] * Mare autem id igne miſcetur, quia perſequutio Anti-Chriſti, & eius ſociorum ignis fuit Martyribus ad eorum fidei, & virtutis probationem. Perſequutionibus namque iuſtorum aurum examinatur.] *Et eos, qui vicerunt beſtiam, & imaginem eius, & numerum nominis eius* vidi *ſtantes ſuper mare vitreum habentes citharas Dei.* Seu eos, qui noluerunt Anti-Chriſti imaginem adorare; nec charactere eius nominis inſigniri, ad maris vitrei littus ſtabant. Iuxta mare ſtant, non intrà, quia pars illius maris non ſunt, nec eius amaritudinem, etiamſi illo igne fuere probati, contraxére. Acceptis à Deo citharis audiui eos *cantantes canticum Moyſi ſerui Dei: & canticum Agni, dicentes:* Modulabantur hymnum Moſis, quem cum populo cecinit poſt maris Rubri tranſitum. Exo 15. *Cantemus Domino*; quo quidem Agnum collaudabant: & ideo canticum Agni vocitatur. *Magna*; (ſic canebant) *& mirabilia ſunt opera tua, Domine Deus omnipotens: iuſta & vera ſunt viæ tuæ*; ſeu iudicia, & opera tua ſunt iuſta, cum de impiis perſecutoribus noſtris vindictam aſſumis. Verè & fideliter Sanctos è periculis liberas, ſicut illis promiſiſti. *Rex ſæculorum. Quis non timebit te ô Domine? & magnificabit nomen tuum? quia ſolus pius es*, ſeu miſericors, qui operibus miſericordiæ viſcera oſtendis? * Pietas hominum ſuſpecta, an vera ſit, an ex viſceribus ſeu corde procedat? Multi enim ore tenus pietatem oſtentant, quam operibus nunquam exhibuere.] *Quoniam omnes gentes venient, & adorabunt in conſpectu tuo: quoniam iudicia tua manifeſta ſunt*, ſeu quis ô Domine, non te magnificabit, & fatebitur te ſolum eſſe pium: & ideò omnes gentes ad te adorandum eſſe properaturas. * Iuſti enim tantam experti fuerant Domini pietatem, dum eos à maris illius fluctibus liberauit, cæleſtique Regno adſcripſit: vt eis videretur, totam pietatem in ea ſola actione contineri, nec vllam eius immenſitatis ſtillam ſuperfluere, quæ hominibus impertiretur: & ideo affirmant: *Tu ſolus pius es.*]

Impij ſunt vitreum mare, quia eorū ſcelera nō poſſunt Deo operiri.

Stultus qui fidens vitæ vitreæ, audet peccare.

Impiorum ſpes vitrea, & inanis.

Laboribus probatur virtus ſanctorū.

Solius pietas eſt ſine fuel ſuſpicione.

Ineffabilis Dei pietas eſt homines ab impiorū fluctibus eripere ad cælorum Regnū.

Verſ. 5.6.7.8. Et poſt hæc vidi, &c.] *Et ecce apertum eſt Templum tabernaculi teſtimonij in cælo*, ſeu reſeratum eſt tabernaculum teſtimonij, ſiue Sancta Sanctorum, ſacratior Templi pars. *Et exierunt ſeptem Angeli habentes ſeptem plagas, de Templo, veſtiti lino mundo, & candido: præcincti circa pectora zonis aureis.* Ex Templo ſeptem exiere Cælicolæ candida veſte induti in ſignum lætitiæ. Gaudent enim dum impij puniuntur; quia vident honorem Dei ab iis violatum vindicari. Ne autem mireris, Angelos hominum per Chriſtum amicos de impiorum plagis exultare. Zonæ enim aureæ, queis ad pectus cinguntur ſymbulum gerunt charitatis. * Charitas autem Angelos excitat, vt impios affligant, & torqueant, qui iuſtos diuexant, vt hi alleuientur: & illi inflicta pœna corrigantur.] *Et vnum de quatuor animalibus*, nempe leo, qui agit hic fortitudinis, iræ, ac vindictæ ſymbolum, *dedit ſeptem Angelis ſeptem phialas aureas plenas iracundia Dei.* * En Dei ira ad puniendum homines vaſe aureo amoris & charitatis infunditur.] Nam ſupplicia impios ſolent ad frugem meliorem adducere.] *Et impletum eſt Templum fumo à Maieſtate Dei, & de virtute eius.* Fumus à *Maieſtate*, ſignificat obſcuritatem, & incomprehenſibilitatem iudiciorum Dei: fumus verò à *virtute* potentiam, quam Deus in impios impœnitentes in fine mundi exeret. *Et nemo poterat introire in Templum*, ad contemplanda hæc profundiſſima Dei iudiciorum arcana, *donec conſummarentur ſeptem plagæ ſeptem Angelorum.* ſeu donec conſummatis ſeptem plagis, vniuerſale iudicium ſequeretur. Tunc iuſtis illius temporis Templi cæleſtis aditus reſerabitur, Deumque ſine operculo fumi conſpicient.

Effectus charitatis Angelorum erga homines eſt, cooperari, vt puniantur, ad correctionē.

Dei ira vaſe aureo amoris infunditur.

CAPVT XVI.

Septem Angeli septem phialas & plagas nouissimas in orbem effundunt.

1. ET audiui vocem magnam de templo, dicentem septem An-
gelis: Ite, & effundite septem phialas iræ Dei in terram.
2. Et abiit primus, & effudit phialam suam in terram & fa-
ctum est vulnus sæuum & pessimum in homines, qui habe-
bant characterem bestiæ; & in eos, qui adorauerunt imagi-
nem eius. 3. Et secundus Angelus effudit phialam suam
in mare, & factus est sanguis tanquam mortui: & omnis ani-
ma viuens mortua est in mari. 4. Et tertius effudit phialam suam super flumina,
& super fontes aquarum, & factus est sanguis. 5. Et audiui Angelum aquarum
dicentem: Iustus es Domine, qui es, & quia sanctus, qui hæc iudicasti: 6. quia
sanguinem Sanctorum & Prophetarum effuderunt, & sanguinem eis dedisti bibe-
re: digni enim sunt. 7. Et audiui alterum ab altari dicentem: Etiam Domine
Deus omnipotens, vera & iusta iudicia tua. 8. Et quartus Angelus effudit phia-
lam suam in solem: & datum est illi æstu affligere homines, & igni: 9. & æstua-
uerunt homines æstu magno, & blasphemauerunt nomen Dei habentis potestatem
super has plagas, neque egerunt pœnitentiam vt darent illi gloriam. 10. Et quin-
tus Angelus effudit phialam suam super sedem bestiæ: & factum est regnum eius
tenebrosum, & commanducauerunt linguas suas præ dolore; 11. & blasphemaue-
runt Deum cæli, præ doloribus & vulneribus suis, & non egerunt pœnitentiam ex
operibus suis. 12. Et sextus Angelus effudit phialam suam in flumen illud ma-
gnum Euphratem: & siccauit aquam eius, vt præpararetur via regibus ab ortu so-
lis. 13. Et vidi de ore draconis, & de ore bestiæ, & de ore pseudo-prophetæ spiritus
tres immundos in modum ranarum. 14. Sunt enim spiritus dæmoniorum facien-
tes signa, & procedunt ad reges totius terræ congregare illos in prælium ad diem
magnum omnipotentis Dei. 15. Ecce venio sicut fur. Beatus qui vigilat, & cu-
stodit vestimenta sua, ne nudus ambulet, & videant turpitudinem eius. 16. Et con-
gregabit illos in locum, qui vocatur Hebraicè Armagedon. 17. Et septimus An-
gelus effudit phialam suam in aërem, & exiuit vox magna de templo à throno, di-
cens: Factum est. 18. Et facta sunt fulgura, & voces, & tonitrua, & terræ motus
factus est magnus, qualis nunquam fuit ex quo homines fuerunt super terram: talis
terræ motus, sic magnus. 19. Et facta est ciuitas magna in tres partes: & ciuitates
Gentium ceciderunt: & Babylon magna venit in memoriam ante Deum, dare illi
calicem vini indignationis iræ eius. 20. Et omnis insula fugit, & montes non
sunt inuenti. 21. Et grando magna sicut talentum descendit de cælo in homines:
& blasphemauerunt Deum homines propter plagam grandinis: quoniam magna
facta est vehementer.

COMMENTARII.

1. *Tres primi Angeli phialas iræ profundunt.*

VERS. 1.2.3.4.5.6 7. *Et audiui vocem magnam, &c.*] *De Templo* audiui magnam Dei vocem iubentis *septem Angelis: Ite, & effundite septem phialas iræ Dei in terras.* Iam enim est tempus, vt homines plagis, quæ vobis commissæ sunt à me, percutiatis. *Licet tibi sit commissum munus corripiendi, & puniendi subditos: eos non corripias, aut punias, nisi speciali Dei imperio admonitus, quod facta oratione solent boni Præsules accipere, dum præsentiunt affectum ad puniendum, vel ad ignoscendum.] *Et abiit primus, & effudit phialam suam in terram, & factum est vulnus sæuum & pessimum in homines, qui habebant characterem bestiæ: & in eos, qui adorauerunt imaginem eius.* Similes sunt hæ plagæ, & adumbratæ in plagis Ægypti, quamuis multò grauiores. Existimo, hanc primam respondere sextæ plagæ Ægyptiorum, quæ fuit vlcerum vesicarum turgentium. Exo. 9.10. *Et secundus Angelus effudit phialam suam in mare, & factus est sanguis tanquam mortui:* seu maris aqua similis erat cruori, qui è vulnere hominis exitiali profunditur; *& omnis anima viuens mortua est in mari,* seu omnes pisces maris filij perierunt. Simili plaga percussi fuere Ægyptij Exo. 7.19.

Præsul habês officium puniêdi subditos, eos nô puniat, nisi prius præmissa oratione.

*Pijssimos Deus licet iratus supplicio voluit adiungere iniquitatis illius medicinam, dum magnum impiis obiicit extincti æquoris cadauer. Obiectio enim mortis solet effrænatos peccatores continere, vt exitiali sistant in cursu.] *Et tertius effudit phialam suam super flumina, & super fontes aquarum, & factus est sanguis.* ita quidem, vt non haberent Anti-Christi sectatores

Memoria mortis effrænatos peccatores efficit sistere.

totesaquam, qua sitim possent extinguere. Idem Ægyptiis accidit. *Et audiui Angelum aquarum dicentem. Iustus es Domine, qui es, & qui eras sanctus, qui hæc indicasti.* Angelorum curæ elementa & res inferiores à Deo sunt commissæ: Quia sanguinem sanctorum, & Prophetarum effuderunt, & sanguinem eis dedisti bibere: digni enim sunt. * Delicto Deus assolet aptare supplicium. In sanguine deliquerunt, in sanguine puniūtur.] *Et audiui alterū ab altari dicentem: Etiā Domine Deus omnipotēs vera, & iusta iudicia tua.* Ab aliquo Angelo ex præcipuis hæc vox, planè processit.

Deus assolet delicto supplicium aptare.

2. *Alij tres Angeli phialas effundunt.*

Vers. 8.9.10.11.12.13.14.15.16. *Et quartus Angelus &c.*] Profudit quartus Angelus *phialam suam in solem: & datum est illi, æstu affligere homines, & igni,* seu igneo æstu: *& æstuauerunt homines æstu magno: & blasphemauerunt nomen Dei habentis potestatem super has plagas: nec egerunt pœnitentiam, vt darent illi gloriam.* * Acri igne flagrantes simulque impœnitentes æmulabantur eos, qui tartareo igne torquentur. Et quidem peccator, qui affectus laboribus non corrigitur, perspicuum dat damnationis indicamentum.] *Et quintus Angelus effudit phialam, &c.*] Super sedem *bestiæ*, seu Anti-Christi thronum quintus Angelus phialam profudit: *& factum est Regnum eius tenebrosum, & commanducauerunt linguas suas præ dolore,* seu linguas suas impij Anti-Christi sectatores commorderunt, & conciderunt, quod est vehementissimæ indignationis, & impotentissimi doloris documentum: En palpabiles Ægypti tenebras. *Et blasphemauerunt Deum cæli præ doloribus, & vulneribus suis: & non egerunt pœnitentiam ex operibus suis. Et sextus Angelus, &c.*] Phialam suam *effudit* sextus Angelus *in flumen illud magnum Euphratem: & siccauit aquam eius vt præpararetur via Regibus ab ortu solis.* Fluminis magni Euphraris Babylonij aquæ siccatæ fuere, vt citò & expeditè transire possint in Iudæam Reges quidam; de quibus statim. *Et vidi de ore draconis, & de ore bestiæ, & de ore Pseudo-prophetæ spiritus tres immundos in modum ranarum.* Prodeuntes aspexi de ore Diaboli, & de ore Anti-Christi, & de ore alterius bestiæ quæ de terra exiuit cap. 13. 11. seu Anti-Christi præcursoris, tres immundos spiritus ranis similes. Rana enim imbelle est animal, turpe, & loquax: vocem habet corpus excedentem, sed viribus est omnino vacua. Haud aliter hi immundi spiritus ingentem tunc strepitum edent, & multos ad bellum concitabunt, sed omnis armorum conatus in nihilum recidet. *Sunt enim spiritus dæmoniorum facientes signa & procedunt ad Reges totius terræ congregare illos in prælium ad diem magnum omnipotentis Dei.* Hi tres spiritus sunt tres immundi dæmones, qui ostentabunt prodigia mendacia, quibus cogent totius orbis vires, vt potentiùs aduersus Christianos decertent: sed in die magno illo Dei, quo illustriùs suam potentiam exeret, omnes illi interimentur. *Ecce venio sicut fur,* ait Christus Dominus) tum ad vniuersale iudicium, tum ad prælium, & cladem Anti-Christi. *Beatus, qui vigilat, & custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet, & videant turpitudinem eius,* Vestimenta iustorum sunt fides, & virtutes, quibus anima ornatur, & sine quibus turpis obiicitur. Versus hic per parenthesim interponitur occasione illius diei magni Dei, cuius meminerat. Nam vers. sequenti interrupta narratio continuatur. *Et congregabit illos in locum, qui vocatur Hebraicè Armagedon.* Anti-Christus hosce exercitus coget in locum prope Ierosolymam Vallem scilicet Iosaphat, vbi futurum est posteà iudicium.

Perspicuum dat damnationis signū peccator, qui affectus laboribus non cōpungitur.

Vers. 17.18.19.20.21. *Et septimus Angelus, &c.*] Angelus septimus *suam phialam effudit in aërem: & exiuit vox magna de Templo a throno,* (seu à Deo in throno illo sedente) *dicens: Factum est,* seu omnia terminata sunt, omnium rerum finis aduenit: hæc est enim septem ex plagis vltima. *Et facta sunt fulgura, & voces, & tonitrua & terræ motus factus est magnus, qualis nunquam fuit ex quo homines fuerunt super terram: talis terræ motus sic magnus. Et facta est Ciuitas magna in tres partes.* Tam horribilis, tam ingens erit ille terræ motus, vt Ciuitas Ierusalem, quæ Anti-Christi tempore magna erit, & eius regia illi in tres partes scissa, dissoluatur. *Et Ciuitates Gentium ceciderunt; & Babylon magna venit in memoriam ante Deum* Humano more loquitur: imo & est sacræ scripturæ phrasis, Deum alicuius recordari, cum ei aliquod beneficium conferre, aut supplicio vult afficere. Vult ergo Deus *dare illi calicē vini indignationis iræ eius. Et omnis* Insula fugit, & montes non sunt inuenti, terræ motu enim illo Insulæ & montes absorbebuntur. Et grandò magna sicut talentum descendit de cęlo ad homines, seu excidit grando, cuius singuli lapides erunt vastæ magnitudinis: *& blasphemauerunt Deum homines propter plagam grandinis: quoniam magna facta est vehementer,* homines occidebat, & iumenta, domos solo ęquabat, messes & arbores comminuebat. * Et hæc ô Domine, transeuntes sagittæ: quid cum horribilis vox tonitrui tui in æternitatis tota insonuerit. Minor enim Tartari pœna maximos huius vitæ cruciatus longè superat.]

3. *Septimi Angeli phiala profunditur.*

Minor Tartari pœna maximos huius vitæ cruciatus longè superat.

CAPVT XVII.

Meretricem Babylonem videt Ioannes bestiæ insidentem, quæ habebat capita septem, & cornua decem. Singulorum expositionem ab Angelo ediscit.

1. ET venit vnus de septem Angelis, qui habebant septem phialas, & locutus est mecum, dicens: Veni, ostendam tibi damnationem meretricis magnæ, quæ sedet super aquas multas, 2. Cum qua fornicati sunt reges terræ, & inebriati sunt qui inhabitant terram de vino prostitutionis eius. 3. Et abstulit me in spiritu in desertum. Et vidi mulierem sedentem super bestiam coccineam, ple-

nam nominibus blaſphemiæ, habentem capita ſeptem, & cornua decem. 4. Et mulier erat circumdata purpura, & coccino, & inaurata auro, & lapide pretioſo, & margaritis, habens poculum aureum in manu ſua, plenum abominatione, & immunditia fornicationis eius. 5. Et in fronte eius nomen ſcriptum: Myſterium: Bablylon magna, mater fornicationum, & abominationum terræ. 6. Et vidi mulierem ebriam de ſanguine ſanctorum, & de ſanguine martyrum Ieſu. Et miratus ſum cùm vidiſſem illam admiratione magna. 7. Et dixit mihi Angelus: Quare miraris? Ego dicam tibi ſacramentum mulieris, & beſtiæ quæ portat eam, quæ habet capita ſeptem, & cornua decem. 8. Beſtia, quam vidiſti, fuit, & non eſt, & aſcenſura eſt de abyſſo, & in interitum ibit: & mirabuntur inhabitantes terram (quorum non ſunt ſcripta nomina in Libro vitæ à conſtitutione mundi) videntes beſtiam, quæ erat, & non eſt. 9. Et hic eſt ſenſus, qui habet Sapientiam. Septem capita, ſeptem montes ſunt, ſuper quos mulier ſedet, & reges ſeptem ſunt. 10. Quinque ceciderunt, vnus eſt, & alius nondum venit: & cùm venerit, oportet illum breue tempus manere. 11. Et beſtia, quæ erat, & non eſt: & ipſa octaua eſt: & de ſeptem eſt, & in interitum vadit. 12. Et decem cornua, quæ vidiſti, decem reges ſunt: qui regnum nondum acceperunt, ſed poteſtatem tanquam reges vna hora accipient poſt beſtiam. 13. Hi vnum conſilium habent, & virtutem & poteſtatem ſuam beſtiæ tradent. 14. Hi cum Agno pugnabunt, & Agnus vincet illos: quoniam Dominus Dominorum eſt, & Rex regum, & qui cum illo ſunt, vocati, electi, & fideles. 15. Et dixit mihi: Aquæ, quas vidiſti vbi meretrix ſedet, populi ſunt, & Gentes, & linguæ. 16. Et decem cornua, quæ vidiſti in beſtia: hi odient fornicariam, & deſolatam facient illam, & nudam, & carnes eius manducabunt, & ipſam igni concremabunt. 17. Deus enim dedit in corda eorum vt faciant quod placitum eſt illi: vt dent regnum ſuum beſtiæ donec conſummentur verba Dei. 19. Et mulier, quam vidiſti, eſt ciuitas magna, quæ habet regnum ſuper reges terræ.

COMMENTARII.

Meretricis Babylonis apparitio.

1. VERS. 1.2.3.4.5.6. *Et venit vnus de ſeptem Angelis, &c.*] Primus Angelorum, *qui habebant*, ſeu profuderant *ſeptem phialas, ad me venit, & locutus eſt mecum, dicens: Veni, ô Ioannes, oſtendam tibi damnationem meretricis magnæ, quæ ſedet ſuper aquas multas.* Meretrix hæc Babylonis nomine & typo eſt Roma non Chriſtiana, qualis nunc eſt, ſed Ethnica & infidelis qualis tempore D. Ioannis fuit. Sedere dicitur ſuper aquas multas, quia multis populis præſidet. *Cum qua fornicati ſunt Reges terræ*, ſeu cuius idola Reges aliarum Prouinciarum olim coluere; *& inebriati ſunt, qui inhabitabant terram de vino proſtitutionis eius*: ſeu vino illo, quo ipſa ad colendum idola tam Reges, quam populos alliciebat: nempe honoribus Romanorum ſpe lucri, voluptatibus, & dignitatibus à Romanis aſſequendis, ſi quis deos illorum coleret. *Et abſtulit me in ſpiritu in deſertum*, ſiue imaginaria viſio me in deſertum rapuit. *Et vidit mulierem ſedentem ſuper beſtiam coccineam, plenam nominibus blaſphemiæ, habentem capita ſeptem, & cornua decem.* * In deſerto Roma oſtenditur, licet plena eſſet populo, quia homines deliciis & voluptatibus ſeruientes bruta ſunt habitantia deſertum, humanitate exuta.] Beſtia hæc ſignificat mundum, cui Roma dominatur: mundũ inquam non tã phyſicum, quàm moralem, ſeu hominum mundanorum complexionem, qui ex natura corrupta honoribus, voluptatibus, ac opibus inhiant acquirendis. Beſtia erat coccinea, ſeu mundus, regio purpureo ſplendore, ac faſtu triumphans.

Homo deliciis, & voluptatib⁹ ſeruiens brutũ eſt exutum humanitate.

Quid ſeptem capita, & decem cornua ſignent Angelus verſ. 9. aperiet. *Et mulier erat circũdata purpura, & coccino, & inaurata auro, & lapide pretioſo & margaritis.* En mundana gloria, luxus, opes, quibus Roma Ethnica ſuperbiebat. *Habens poculum aureum in manu ſua plenum abominatione, & immunditia fornicationis eius.* Poculum aureum eſt humana felicitas, Imperij maieſtas, opum & rerum omnium abundantia, quibus Ethnica Roma ſuam idololatriam, & vitia omnia Gentibus propinauit. * Vitiorum conſuetudo aſſolet ſic corda hominum excæcare, vt facile excidant à fide, ſi non nomine, morum, equidem teſtimonio.] *Et in fronte eius nomen ſcriptum: Myſterium*; nomen, inquam, non proprium mulieris, ſed figuratum, & myſticè exponendum. Particulam autem Myſterium, non eſt mulieris nomen, ſed quaſi per parentheſim interiicitur, vt ad attentam nominis ſequentis excitemur. Nomen igitur eſt: *Babylon magna, mater fornicationum, & abominationum terræ.* Appoſite Roma Ethnica Babylon magna nominatur, quia opulenta, frequens idolis, idolis addicta, & Chriſtianorum perſecutrix, vt Babilon, idololatriæ, ſuperſtitionum, & ſcelerum mater. *Et vidi mulierem ebriam de ſanguine ſanctorum, & de ſanguine Martyrum Ieſu*, De ſanguine Martyrum, quem re ipſa profudit ingenti quidem numero: & de ſanguine ſanctorum, quem profundere expetiit. * In conſpectu enim Dei praua deſideria pro operibus reputantur iniquis, ita vt homicida apud Deum ſit, qui expetiit aliũ interimere.] *Et miratus ſum, cum vidiſſem illam, admiratione magna.* 2.

Conſuetudo in peccatis hominẽ reddit dubium in fide.

Dei, oculis praua deſideria pro operibus cõputantur.

Verſ. 7.8.9.10.11.12. Et dixit mihi, Angelus, &c.] *Quare miraris? Ego dicam tibi ſacramentum mulieris, & beſtiæ, quæ portat eam, quæ habet capita ſeptem, & cornua decem*, ſeu huius viſionis myſterium

Angelus Ioãni exponit Romam Ethnicã eſſe illam meretricem.

sterium vel significationem tibi reserabo. *Bestia, quam vidisti, fuit, & non est.* Antequam Christus veniret in mundum, hæc bestia erat, in orbe enim diabolus & impietas dominabatur. Sed Christus hoc Regnum euertit,& diabolum alligauit, de quo cap. 20. 3. *Et ascensura est de abysso*, seu in fine mundi iterum emerget ex Tartaro, & per Anti-Christum, vim suam in homines exeret. *Et in interitum ibit*, seu denique bestia, seu diabolus, & impietas à Christo Domino omninò debellabitur, & abysso, vnde exierat addicetur. *Et mirabuntur inhabitantes terram (quorum non sunt scripta nomina in Libro vitæ à constitutione mundi) videntes bestiam, quæ erat, & non est.* Homines impij, qui electi non sunt ad gloriam, nec Christi membra erunt, afficientur admiratione videntes in primo Domini aduentu periisse, Euangelio vigente, bestiam, tot Gentilibus ad Christi fidem vndique properantibus. *Et hic est sensus, qui habet sapientiam.* Seu hac in re latet (sic Græcè,) sensus, & intellectus huius mysterij. Qui sapiens est, animum vt interpretationem valeat percipere. *Septem capita septem montes sunt, super quos mulier sedet.* Septem montibus, seu collibus Roma est ædificata: *& Reges septem sunt.* Alludit ad primos Romanos Reges, qui vt perspicuum est, septem fuerunt. Profectò Romulus primo Vrbis ambitu duos complexus est colles, Capitolinum, & Palatinum: Tullus Hostilius, Celium, & Esquilinum adiecit: Ancus Martius Auentinum: Seruius Tullius, Quirinalem, & Viminanalem. Et ab his septem collibus, quod erant tempore Regum, Roma passim *Septicolis*, vel *Septimontium* appellatur. * Appositè autem Angelus præmisit: *Et hic est sensus, qui habet sapientiam.* Ad percipienda enim triumphantis Romæ orbis Reginæ, vel cum Ethnica erat, magnalia, magna erit necessaria Sapientia: quid cum Christiana & totius caput Ecclesiæ?] Crediderim, per hosce septem Reges etiam significari collectionem Tyrannorum, qui septem ætatibus, siue sæculis in orbe imperarunt, Ecclesiamque fuére persecuti. *Quinque ceciderunt*, seu omnes Reges vel Tyranni, qui quinque primis statibus legem scriptam impugnarunt, extincti iam sunt. *Vnus est*, quo significantur omnes Reges, qui hac sexta ætate, seu sæculo, in quo imperat Christus, eius Ecclesiam afflixerunt, qui *vnus* vocantur, quia *omnes Reges terræ* scilicet infideles *conuenerunt in vnum aduersus Dominum, & aduersus Christum eius.* Psal. 2. 2. *& alius nondum venit*, scilicet Anti-Christus: *& cum venerit, oportet illum breue tempus facere*, nempe cum cœperit esse Monarcha trium annorum cum medio imperabit. *Et bestia quæ erat, & non est*, seu impietatis & diaboli Regnum, *ipsa octaua est*, seu quid distinctum à septem capitibus, siue Regibus: *& tamen de septem est*: quia impietas & diabolus in omnibus septem Regibus illis existit, quasi totum in suis partibus, quibus integratur: *& interitum vadit.* Regnum enim impietatis in fine mundi euertetur, & simul cum Anti-Christo finem habebit. *Et decem cornua quæ vidisti, decem Reges sunt: qui Regnum nondum acceperunt*, seu significant totidem Reges, qui sub mundi finem erunt in orbe, hi cum nondum nati sint, Regno non potiuntur, *sed potestatem tanquam Reges vna hora accipient post bestiam.* Græcè, *cum bestia*, seu eodem tempore dominabuntur in orbe, quo Anti-Christus exsurget vt particularis Rex illorum æmulus. Sed non accipient eam potestatem nisi *vna* hora, sed breuissimo tempore. Quia mox tribus illorum ab Anti-Christo cæsis, & reliquis illi se dedentibus, ex Regibus Vice-reges fient.

Vers. 13. 14. 15. 16. 17. 18. *Hi vnum consilium habent, &c.*] Hi vnanimi consensu Christo aduersabuntur, & diabolo in Anti-Christo submittentur: & virtutem & potestatem suam bestiæ tradent è mari ascendenti, siue Anti-Christo. *Hi cum Agno pugnabunt*, persequendo iustos. * Christus enim tam ardenter amat Ecclesiam, vt se fateatur actum persecutione, cum iusti ea afficiuntur. Vndè Saulo inclamauit quasi è vulnere dolens: *Saule Saule, cur me persequeris.* Act. 4.] *Et Agnus vincet illos: quoniam Dominus dominorum est, & Rex Regum*, eiusque potentiæ nullus potest obsistere: *& qui cum illo sunt, vocati, electi, & fideles.* Seu simul cum illo vincent electi, quos ipse vocauit; & qui illi extitere fideles. *Et dixit mihi* Angelus: *Aquæ, quas vidisti, vbi meretrix sedet, populi sunt, & Gentiles, & linguæ.* Seu populi variarum Nationum, qui diuersis linguis vtuntur Imperioque Romano subiecti. *Et decem cornua, quæ vidisti in bestia*, seu decem illi Reges, *hi odient fornicariam, & desolatam facient illam, & nudam, & carnes eius manducabunt, & ipsam igne concremabunt.* Decem illi Reges odio contra potentissimam & fidelissimam Romam circa finem mundi flagrantes, arma contra illam arripient, Martyrum sanguine facient exundare, & in defensam fidei spoliari diuitiis. Tanta autem rabie in odium Christi sacram Vrbem inuadent, vt ciuium eius carnes voraturi videantur. *Deus enim dedit in corda eorum vt faciant, quod placitum est illi*; scilicet permittendo, & quasi fræna illorum iniquæ voluntati laxando. *Vt dent Regnum suum bestiæ, donec consummentur verba Dei.* Seu vt Imperium Romanum Anti-Christo Monarchæ tunc subiiciant: donec adimpleantur omnia, quæ à Deo de his Regnis & de Anti-Christo per Danielem fuere prædicta. *Et mulier, quam vidisti, est Ciuitas magna*, nempe Roma, *quæ habet Regnum supra Regna terræ*, seu cunctis Imperiis olim sæculari potentia dominata est, iam spirituali eisdem dominabitur.

Ad percipienda Romæ magnalia sapientia maxima requiritur.

Christus quasi persecutione agitur, cum iustos quis persequitur.

CAPVT

CAPVT XVIII.

Vastitas Babylonis, seu Romæ Ethnicæ vberius describitur. Regum, ac mercatorum eius fletus, & exultatio sanctorum in eius conuersione ad Ecclesiæ caput exponitur.

1. ET post hæc vidi alium Angelum descendentem de cælo, ha-
bentem potestatem magnam: & terra illuminata est à gloria
eius. 2. Et exclamauit in fortitudine dicens: Cecidit, ceci-
dit Babylon magna: & facta est habitatio dæmoniorum, &
custodia omnis spiritus immundi, & custodia omnis volu-
cris immundæ & odibilis: 3. quia de vino iræ fornicatio-
nis eius biberunt omnes gentes: & reges terræ cum illa for-
nicati sunt: & mercatores terræ de virtute deliciarum eius diuites facti sunt. 4. Et
audiui aliam vocem de cælo, dicentem: Exite de illa populus meus: vt ne participes
sitis delictorum eius, & de plagis eius non accipiatis. 5. Quoniam peruenerunt pec-
cata eius vsque ad cælum, & recordatus est Dominus iniquitatum eius. 6. Reddi-
te illi sicut & ipsa reddidit vobis: & duplicate duplicia secundùm opera eius: in po-
culo, quo miscuit, miscete illi duplum. 7. Quantum glorificauit se, & in deliciis
fuit: tantum date illi tormentum & luctum: quia in corde suo dicit: Sedeo regina:
& vidua non sum: & luctum non videbo. 8. Ideò in vna die venient plagæ eius,
mors, & luctus, & fames, & igne comburetur: quia fortis est Deus, qui iudicabit il-
lam. 9. Et flebunt, & plangent se super illam reges terræ, qui cum illa fornicati
sunt, & in deliciis vixerunt: cum viderint fumum incendij eius: 10. longe stantes
propter timorem tormentorum eius, dicentes: Væ, væ ciuitas illa magna Babylon,
ciuitas illa fortis: quoniam vna hora venit iudicium tuum. 11. Et negotiatores
terræ flebunt, & lugebunt super illam: quoniam merces eorum nemo emet am-
pliùs: 12. merces auri, & argenti, & lapidis pretiosi, & margaritæ, & byssi, & pur-
puræ, & serici, & cocci, (& omne lignum thymum, & omnia vasa eboris, & omnia
vasa de lapide pretioso, & æramemto, & ferro, & marmore, 13. & cinnamomum)
& odoramentorum, & vnguenti, & thuris, & vini, & olei, & similæ, & tritici, & iu-
mentorum, & ouium, & equorum, & rhedarum, & mancipiorum, & animarum ho-
minum. 14. Et poma desiderij animæ tuæ discesserunt à te, & omnia pinguia &
præclara perierunt à te, & ampliùs illa iam non inuenient. 15. Mercatores horum,
qui diuites facti sunt, ab ea longè stabunt propter timorem tormentorum eius, flen-
tes ac lugentes. 16. & dicentes: Væ, væ ciuitas illa magna, quæ amicta erat bysso,
& purpura, & cocco, & deaurata erat auro, & lapide pretioso, & margaritis: 17. quo-
niam vna hora destitutæ sunt tantæ diuitiæ. Et omnis gubernator, & omnis qui in
lacum nauigat, & nautæ, & qui in mari operantur, longè steterunt. 18. & clama-
uerunt videntes locum incendij eius, dicentes: Quæ similis ciuitati huic magnæ?
19. Et miserunt puluerem super capita sua, & clamauerunt flentes & lugentes, di-
centes: Væ, væ ciuitas illa magna, in qua diuites facti sunt omnes, qui habebant naues
in mari, de pretiis eius: quoniam vna hora desolata est. 20. Exulta super eam cæ-
lum, & sancti Apostoli, & Prophetæ: quoniam iudicauit Deus iudicium vestrum de
illa. 21. Et sustulit vnus Angelus fortis lapidem quasi molarem magnum, & misit
in mare, dicens: Hoc impetu mittetur Babylon ciuitas illa magna, & vltrà iam non
inuenietur. 22. Et vox citharœdorum, & musicorum, & tibia canentium & tuba
non audietur in te ampliùs: & omnis artifex omnis artis non inuenietur in te am-
pliùs: & vox molæ non audietur in te ampliùs: 23. & lux lucernæ non lucebit in
te ampliùs: & vox sponsi & sponsæ non audietur adhuc in te: quia mercatores tui
erant principes terræ, quia in veneficiis tuis errauerunt omnes gentes. 24. Et in
ea sanguis prophetarum & sanctorum inuentus est; & omnium qui interfecti sunt
in terra.

COMMEN

COMMENTARII.

1\. *Vastitas Babylonis, seu Romæ Ethnicæ uberius describitur.* VERS. 1.2.3.4.5.6.7.8. *Et post hæc vidi alium Angelum,&c.*] Vidi post hæc alium Angelum Alcasar,seu D. Petrum descendentem de cælo Ecclesiæ, *habentem potestatem magnam* Christi nempe Vicarium : *& terra illuminata est à gloria eius,* è cathedra enim Petri totius orbis rutilat fides. *Et* victoriam demum agens post dira admodum persecutionum certamina de Roma Ethnica, *exclamaui in fortitudine dicens : Cecidit, cecidit Babylon magna, & facta est habitatio dæmoniorum,* seu pœnas exoluit Roma Ethnica & Tyranni Imperatores,& omnes idololatræ persecutores Ecclesiæ nascentis, & proficientes cum dæmoniis æternum habitabunt,seu dæmonum habitatio erunt : *& erit custodia omnis spiritus immundi,& custodia omnis volucris immundæ, & odibilis,* quibus adhuc dæmones adumbrantur odibiles plane humano generi. Et non te pudet ô peccator, tamdiù cum dæmoniis odibilibus habitare vltroneum ?] *Quia de vino iræ fornicationis eius biberunt omnes Gentes,& Reges terra cum illa fornicati sunt.* Vinum iræ fornicationis significat Tyrannorum ebrietatem,qua in idololatriæ propugnationem, in Christianos irati insurrexerunt. Porrò Roma vti mundi vertex hunc iræ calicem aliis Gentibus propinauit, cum ad exemplum illius vbique terrarum Gentiles Ecclesiam fuere persecuti. * Metropolitanæ Vrbes,Curiæ Regum in cunctis debent moderatè ac modestè se gerere; ad earum enim exemplum reliquæ Vrbes componuntur, & si profanus luxus viget in curia, ad subditas Vrbes protinus deriuatur.] *Et mercatores terra de virtute deliciarum eius diuites facti sunt.* Quia Romæ Ethnicæ deliciæ maximæ erant, nec sumptui parcebatur, vt omni ex parte conquirerentur, ideo institutores earum mercium, quæ faciunt ad delicias, diuites sunt effecti. *Et audiui aliam vocem de cælo dicentem :* Custodum Angelorum hæc vox : *Exite,* inclamant, *de illa populus meus, vt non participes sitis delictorum eius ,* seu pœnæ delictorum, *& de plagis eius non accipiatis.* Cum Ecclesiæ persecutores puniendi erant, monentur Christiani, vt ab illis separentur, quemadmodum Loth abductus fuit ab Angelis cum Sodoma erat conflagratura. Fugiant iusti impiorum consortium, ne pœnis,queis illi percutiuntur, & ipsi afficiantur.] *Quoniam peruenerunt peccata eius,* siue ciuium ac Regum Tyrannorum Ecclesiam persequentium, *vsque ad cælum:& recordatus est Dominus iniquitatum eius,* vt illas puniat. Preme particulam: *Et recordatus est Dominus iniquitatum eius.* Loquitur Scriptura de Deo mitissimo peccata dissimulante, & velut obliuioni tradente:sed adhuc impiis delinquentibus quasi reuocant in Dei memoriam delicta præterita, vt cuncta simul puniantur.] *Reddite illi, sicut & ipsa reddidit vobis : & duplicate duplicia secundum operà eius.* Sicut Babylon seu Romani Imperatores, qui Ecclesiam sunt persecuti, ô fideles, de vestris malis, & tormentis pro fide toleratis lætati fuerunt : nunc & vos exultate, quod illi pro suis delictis iustè plectantur. Grauibus Ethnica Roma dolibus excruciauit;

Peccator cæcus cum dæmoniis no xiis admodū vltroneus habitat.

Ad exemplū bonum, vel malum Metropolitanæ Vrbis, Vrbes subditæ operantur.

Fugiēdi à iustis impiorū consortium, ne eorū pœnis & ipsi afficiantur.

Qui peccata replicat, quasi ad Dei memoriam peccata antiqua reuocat, vt cuncta puniantur.

Sed pro iis duplo maioribus nunc à Deo afficietur : *in poculo, quo miscuit, miscete illi duplum.* Sumite idem poculum, quo illa vobis dolores, & mortes propinauit; & duplum amare huius potionis infundite, & propinate illi. *Quantum glorificauit se, & in delicijs fuit ;* tantum date illi tormentum , *& luctum : quia in corde suo dicit: sedeo Regina, & vidua non sum, & luctum non videbo,* mihi mihi triste continget, nemo mihi nocebit, quia vidua non ero, ciuium meorum frequentia priuata, vt dicatur mihi : *Quomodo sedet sola Ciuitas plena populo* cum fuisset : *facta est quasi vidua domina gentium.* Tren.1.

*Vers.*8.9. 10. 11. 12. 13. 14. *Ideò in vna die, &c.*] Subito & semel venient plagæ idololatræ Imperio,seu Tyrannis Ecclesiæ persecutoribus, *mors,& luctus,& fames, & igne comburetur. Quia fortis est Deus, qui iudicabit illam.* Hisce materialibus pœnis significantur interminabiles pœnæ, quibus Tyranni illi sunt in gehenna afficiendi. *Et flebunt, & plangent se super illam Reges terræ, qui cum illa fornicati sunt , & in delicijs vixerunt , cum viderint fumum incendij eius,* Reges cōfœderati,& amici idololatriæ cultores mœrebunt, cum videant Christi fidem præualere contra idololatriam, putantes Romam deperire, quando Gentilismo exuitur, vt Christum induatur : flebunt vtique *longe stantes propter timorem tormentorum eius , dicentes : Væ væ Ciuitas illa magna Babylon, Ciuitas illa fortis : quoniam vna hora venit iudicium tuum ,* idolorum cultu deficiente , & reiecto in excidium, & Christi fide quotidie incrementum accipiente. * En peruersum hominum iudicium ad cælestia aspicienda , & æstimanda cæcum , & stultum.] *Et negotiatores terræ flebunt, & lugebunt super illam ,* seu quia Christiana iam cælesti munere effecta mercatorum non permittat vsuras,& iniquas negotiandi rationes : *quoniam merces eorum nemo emet amplius :* merces auri, *& argenti,* seu aureæ, & argenteæ pecunia. * Semper enim pecuniarum negotiatio, vbi viget vsura, magis fuit ab iniquis quam aliarum mercium in æstimatione , quia abundantior in lucro. *Et lapidis pretiosi, & margaritæ, & byssi,* seu tenuis similini genus, *& purpuræ, & serici, & cocci, & omne lignum thyinum ,* ex thia arbore pretiosum, *& omnia vasa eboris , & omnia vasa de lapide pretioso, & æramento,* Græcè, aëre, seu vasa vitrea quæ quidem flatu solent efformari, *& ferro , & marmore : & cinnamomum ,* & odoramentorum, Græcè, thymiamatum, quæ ad odorem accenduntur : *& vnguenti, & thuris, & vini , & olei, & simila ,* simila est in sacris ea farinæ pars expurgatissima à furfure ; *& tritici, & iumentorum , & ouium, & equorum , & mancipiorum , & animarum hominum.* Hi differunt à mancipiis, quia huiusmodi serui emuntur, vt in circis,ac theatris aut inter se,aut cum bestiis depugnent. * Loco autem vocabuli illius *Mancipia,* in Græco est *Corpora.* Vt scilicet,qui mancipium emit , sciat solum emere corpus, nec vllam super animum acquirere potestatem.] * Et vt liber intelligat, mancipium solummodo à libero differre ex ea fortunæ circà corpus seruili conditione non in communi vtrisque animorum nobilitate.] *Et poma desiderij animæ tuæ discesserunt à te : & omnia pinguia, & præclara perierunt à te.* Illos varios & suaues fructus, quas anima tua desiderabat & assequebatur,

Profani homines de cælestibus stulte sentiunt.

Pecunia est merces plusquam omnes aliæ à mercatoribus æstimata & vberioris lucri.

Mancipiorū Domini solū habent ius in eorū corpora.

Liber & mācipiū solum differunt in accidentali corporis seruitute.

batur, iam non edes. Eiusmodi desideriis Roma æstuabat Ethnica, iam Christiana illos ablegauit vltronea.

Ver. 15.16.17.18.19. *Mercatores horum, &c.*] Negotiatores *horum* mercium, *qui diuites facti sunt, ab ea longè stabunt propter timorem tormentorum eius, flentes, ac lugentes, & dicentes: Væ væ Ciuitas illa magna, quæ amicta erat bysso, & purpura, & cocco, & deaurata erat auro, & lapide pretioso, & margaritis: quoniam vna hora destituta sunt tanta diuitiæ.* Vera omnia, sed non fletu, sed exultatione prosequenda. Nuditas enim hæc pœnitentiæ est effectus. Roma iam non Ethnica, sed Christiana sese ab illis vanitatibus expediuit. * Nec enim conueniunt ornatus profanitas cum pœnitudinis affectu.] *Et omnis gubernator* nauium, & omnis, qui in lacum nauigat, Græcè, *in nauigys, & nautæ, & qui in mari operantur*, seu laborant. * Nullus, me auctore, corporeus, imò apprehensionis labor æquat nauigationem.] Hi longè steterunt, & clamauerunt, videntes *locum incendij*, idolorum *eius* reductorum in cineres, *dicentes: Quæ similis Ciuitati huic magnæ?* Nulla quidem Domini oculis. *Et miserunt puluerem super capita sua, & clamauerunt flentes, & lugentes, dicentes: Væ væ Ciuitas illa magna, in qua diuites facti sunt omnes (qui habebant naues in mari) de pretiis eius; quoniam vna hora desolata est.* His omnibus exprimit Petrus Ioanni futuram dissimilitudinem Romæ Christianæ à Roma infideli.

Non conueniunt ornatus profani cum pœnitentiæ affectu. Nullus corporeus labor æquat nauigationem.

Vers. 20.21.22.23.24. *Exulta super eam cælum, &c.*] Cælites, Angeli, Beati, *& sancti Apostoli*, & Prophetæ, *quoniam indicauit Deus iudicium vestrum de illa*, seu Deus approbauit æquissimo suo iudicio iudicium, quod vos de Roma geritis: nempe eam felicissimam reputantes, cum humilem, modestam, ornamentis profanis exutam aspicitis: vnde meritò ad exultationem inuitamini. Si enim *gaudium est in cælo super vno peccatore pœnitentiam agente*: quam ingenti gaudio perfunderentur dum aspicerent caput idololatriæ Romam in fidelissimam Matrem Ecclesiæ, Petri Cathedram, fuisse conuersam. * Ediscant Confessarij spirituales parentes de peccatorum reductione exultare.] *Et sustulit vnus Angelus fortis lapidem quasi molarem magnum & misit in mare, dicens: Hoc impetu mittetur Babylon Ciuitas illa magna, & vltra iam non inuenietur.* Sicut lapis molaris missus in aquas magno strepitu cadit, altè mergitur, & nusquam apparet: sic Romæ cum Ethnica erat, impij ciues, & Tyranni eius Imperatores, qui Romam Christianam sunt persecuti in Tartarum mergentur, nunquam ad viuos, nec ad salutis spem redituri. *Et vox citharœdorum & musicorum, & tibia canentium, & tuba non audietur in te amplius: & omnis artifex omnis artis non inuenietur in te amplius: & vox molæ non audietur in te amplius*: nemo enim erit qui molat, aut coi molatur triticum: *& lux lucernæ non lucebit in te amplius: & vox sponsi & sponsæ non audietur adhuc in te: quia mercatores tui erant principes terræ: quia in veneficiis tuis errauerunt omnes Gentes: Et in ea sanguis Prophetarum, & Sanctorum inuentus est, & omnium, qui interfecti sunt in terra.* Sic in Romana ditione. Omnibus hisce verbis describit omnimodam Ethnicæ Romæ extinctionem, vt Christiana, & pia admodum, phœnicis instar, ex illis frigidis iam cineribus pulcherrima exsurgat.

CAPVT XIX.

Cælites exultant de Babylonis seu Romæ Ethnicæ excidio, & de eiusdem Christianæ felicitate, electæ quidem in Agni Iesu sponsam. Qui procedit in aciem contra Antichristum eiusque phalangas, & superatis, extinctisque hostibus, victor ascendit.

1. POST hæc audiui quasi vocem turbarum multarum in cælo dicentium: Alleluia: Salus, & gloria, & virtus Deo nostro est: 2: Quia vera & iusta iudicia sunt eius, qui iudicauit de meretrice magna, quæ corrupit terram in prostitutione sua, & vindicauit sanguinem seruorum suorum de manibus eius. 3. Et iterùm dixerunt: Alleluia. Et fumus eius ascendit in sæcula sæculorum 4. Et ceciderunt seniores vigintiquatuor, & quatuor animalia, & adorauerunt Deum sedentem super thronum, dicentes: Amen: Alleluia. 5. Et vox de throno exiuit, dicens: Laudem dicite Deo nostro omnes serui eius: & qui timetis eum, pusilli & magni. 6. Et audiui quasi vocem turbæ magnæ, & sicut vocem aquarum multarum, & sicut vocem tonitruorum magnorum, dicentium: Alleluia: quoniam regnauit Dominus Deus noster omnipotens. 7. Gaudeamus, & exultemus, & demus gloriam ei: quia venerunt nuptiæ Agni, & vxor eius præparauit se. 8. Et datum est illi, vt cooperiat se byssino splendenti & candido. Byssinum enim, iustificationes sunt Sanctorum. 9. Et dixit mihi: Scribe: Beati qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt, & dicit mihi: Hæc verba Dei vera sunt. 10. Et cecidi ante pedes eius, vt adorarem eum. Et dicit mihi: Vide ne feceris: conseruus tuus sum, & fratrum tuorum habentium

gestimo

testimonium Iesu: Deum adora. Testimonium enim Iesu, est spiritus prophetiæ. 11. Et vidi cælum apertum, & ecce equus albus, & qui sedebat super eum, vocabatur Fidelis, & verax, & cum iustitia iudicat, & pugnat. 12. Oculi autem eius sicut flamma ignis, & in capite eius diademata multa, habens nomen scriptum, quod nemo nouit nisi ipse. 13. Et vestitus erat veste aspersa sanguine: & vocatur nomen eius, Verbum Dei. 14. Et exercitus qui sunt in cælo, sequebantur eum in equis albis, vestiti byssino albo & mundo. 15. Et de ore eius procedit gladius ex vtraque parte acutus: vt ipso percutiat Gentes. Et ipse reget eas in virga ferrea: & ipse calcat torcular vini furoris iræ Dei omnipotentis. 16. Et habet in vestimento & in femore suo scriptum: Rex regum, & Dominus dominantium. 17. Et vidi vnum Angelum stantem in sole, & clamauit voce magna, dicens omnibus auibus, quæ volabant per medium cæli: Venite, & congregamini ad cœnam magnam Dei. 18. Vt manducetis carnes regum, & carnes tribunorum, & carnes fortium, & carnes equorum, & sedentium in ipsis, & carnes omnium liberorum, & seruorum, & pusillorum, & magnorum. 19. Et vidi bestiam, & reges terræ, & exercitus eorum congregatos, ad faciendum prælium cum illo qui sedebat in equo, & cum exercitu eius. 20. Et apprehensa est bestia, & cum ea Pseudopropheta: qui fecit signa coram ipso, quibus seduxit eos, qui acceperunt characterem bestiæ, & qui adorauerunt imaginem eius. Viui missi sunt hi duo in stagnum ignis ardentis sulphure. 21. Et cæteri occisi sunt in gladio sedentis super equum, qui procedit de ore ipsius: & omnes aues saturatæ sunt carnibus eorum.

COMMENTARII.

1. *Cælites exultant de Roma Ethnica excidio & de Roma Christiana electione.*

VERS 1.2.3.4.5. *Post hæc audiui, &c.*] Multitudinis cælitum post hæc voces audiui: quæ quidem *quasi vocem turbarum multarum* æmulabantur: Cælitum inquam, *in cælo dicentium: Alleluia. Salus, & gloria, & virtus Deo nostro est*, seu laudate Dominum. Quia *salus* nostra qua à persecutione Babylonis, siuè Romæ Ethnicæ ea excisa, liberati sumus: indéquè consequens *gloria* tum Dei, tum nostra, ac *virtus*, robur, potentia, qua Christus hanc victoriam nobis parauit, non nostris viribus, sed ei est referenda. *Quia vera & iusta iudicia sunt eius, qui iudicauit de meretrice magna, quæ corrupit terram in prostitutione sua: & vindicauit sanguinem seruorum suorum de manibus eius.* Seu quia omninò Romam Ethnicam extinxit, Tyrannis obtritis, idololatria cum suo auctore diabolo æternum in interitum abeunte: vt noua Romana Ecclesia digna Agni sponsa appareret. *Et iterum dixerunt, Alleluia*, Dominum laudate. *Et fumus eius ascendit in sæcula sæculorum*, seu semper ascendet fumus Babylonis incensæ, semper materiam Deum laudandi Beatis offeret Ethnicæ Romæ destructio, & Romæ Christianæ innouatio. *Et ceciderunt seniores viginti quatuor, & quatuor animalia, & adorauerunt Deum sedentem super thronum, dicentes, Amen, Alleluia* Hac voce confirmant Dei iudicia, & laudes illas à Cælicolis decantatas. *Et vox de throno exiuit dicens: Laudem dicite Deo nostro omnes serui eius: & qui timetis Deum pusilli, & magni.* Vocem hanc aliquis è Seraphinis throno Dei adstantibus efformauit, à mortalibus exaudienda. * Adeò enim hominibus in terra degentibus agnata est ingratitudo post beneficia accepta, vt crebra indigeant admonitione, vt Deo gratias beneficiis ab ipso obærati exhibeant.]

Agnata est hominibus post beneficia à Deo accepta, ingratitudo.

2. *Electa Romana Ecclesia in Agni sponsam.*

Vers. 6.7.8.9.10. Et audiui quasi vocem, &c.] Et vocem percepi quasi promiscuæ ingentis multitudinis, *& sicut vocem aquarum multarum, & sicut vocem tonitruorum magnorum dicentium: Alleluia: quoniam regnauit Dominus Deus noster omnipotens*, seu quia terminatis iam Ecclesiæ Romanæ persecutionibus Deus, qui regnauit æternùm in seipso, & post mundum conditum cunctis creaturis dominatur, in Ecclesia Romana solus ipse regnabit pacificè quidem. Profectò magnæ multitudinis simul clamantis sonus adeò elatus est, vt aptè cum aquarum multarum, aut cum tonitruo conferri valeat. *Gaudeamus, & exultemus, & demus gloriam ei: quia venerunt nuptiæ Agni, & vxor eius præparauit se* omni ornamento virtutum. Romana Ecclesia, omni genere meritorum se ad nuptias apparauit. *Et datum est illi, vt cooperiat se byssino splendenti, & candido*, tenuissimi scilicet lini genere. Quid in linea hac veste signetur? *Byssinum enim iustificationes sunt sanctorum*, seu opera iustè facta, quibus homines magis ac magis iustificantur. Roma Christiana effecta, quid non fecit, quid non passa est, vt acceptam fidem tueretur. Testor Petri, Pauli, & innumerabilium sanctorum sanguinem à Romanis Principibus in fidei odium profusum. *Et dixit mihi* Angelus, qui mecum loquebatur: *scribe: Beati, qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt.* Hæc ô Ioannes, scribe, vt omnes id lecturi excitentur ad spem, fortitudinem, & constantiam in persecutione, & lucta cum impiis; *& dicit mihi: Hæc verba Dei vera sunt*, seu quod dixi, *Beati, qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt*, non mea vox est, sed Dei, eaque verissima vtpotè ab eo, qui summa est veritas, prolata. *Et cecidi ante pedes eius*, toto scilicet corpore prostrato, *vt adorarem eum*, gratias agens illi de tam læto nuncio Agni nuptiarum. *Et dicit mihi: Vide, ne feceris; conseruus tuus sum, & fratrum tuorum habentium testimonium Iesu.* Noluit Angelus à Ioanne adorari, quia erat Propheta: hanc enim causam dat Angelus cap. 22. 9. *Conseruus tuus sum, & fratrum tuorum Prophetarum.* Ac si dicat, Ego non sum te superior, cur ergo me

adoras? An Cælicola reueritus simul fuit sacerdotium in Apostolo? Quis dubitet? Attamen non ideo dixit, conseruum se esse; nam
A sacerdote Angelus noluit adorari, quia sacerdos Deus est? sacerdos velut Deus est.] * An quia in Ioanne virginitatem Angelis cognatam recognouit: & ideò se conseruum esse profitetur? Ità planè] *Deum adora. Testimonium enim Iesu est spiritus prophetiæ.*
Virginitas Angelis agnata est eorũ cognata. Habent Prophetiæ Iesu testimonium, quia testimonium dant, quod sit Messias, & Dei filius.

3. Christus cõtra Anti-Christũ pugnaturus descendit. *Vers. 11.12.13.14.15.16. Et vidi cælum apertum, &c.*] Cælum aspexi reseratum: *& ecce equus albus, & qui sedebat super eum vocabatur Fidelis, & Verax.* Equo albo Christus insidet, quia hic color lætus est, symbolum felicitatis, & triumphi. Christus *Fidelis* vocatur, & *Verax*, Verax scilicet, cùm promittit: Fidelis cum promissa executioni tradit: *& cum iustitia iudicat, & pugnat.* Quia describit illum cum magna potentia venientem, ne quis iudicet, potentia, abusurum, dicit, illum post iustitiam belli ponderatam, contra hostes suos in fine mundi pugnare decreuisse.
Cum Reges bellũ velint instituere, prius de eius iustitia cogitent. * Vt edoceantur Principes, cum ad bellum processuri fuerint, prius debere, belli iustitiam attente statuere. Belli enim iustitia parat victoriam.] Transactis itaque sæculis, quos ipse noscit, & ab hominibus prorsus ignorantur, post Romanæ Ecclesiæ desponsationem, & pacificam Christiani militantis possessionem Regni, circa mundi finem Christus pugnaturus demum cum Anti-Christo eiusque phalanges è superis descendet. *Oculi autem eius sicut flamma ignis,* quæ eũ innuit iratum, & supplicia molientem inferre: *& in capite eius diademata multa,* quia Rex est Regnum, omniumque Regnorum Dominus. Et quia multis viris eo tempore victoribus, & multis feminis victricibus coronas præparatas exponit: *habens nomen scriptum, quod nemo nouit nisi ipse.* Quodnam hoc nomen sit, paulo post docet, cum ait: *Et vocatur nomen eius Verbum Dei.* Profectò nulla creatura pura plane, ac integre cognoscere, ac comprehendere potest diuinam Verbi generationem. *Et vestitus erat veste aspersa sanguine,* quem eius Martyres dira Anti-Christi persecutione pro fidei propugnatione profuderunt.
Christus immortalis quodãmodo patitur, cum sui mortales patiuntur. Quo quidem vestis, seu corpus Dominicum tinctum ostenditur. Quasi vulnera Martyrum corporibus inflicta Christi corpori infligantur. Quodammodò patiente immortali Christo cum sui patiuntur.] *Et vocatur nomen eius Verbum Dei. Et exercitus, qui sunt in cælo sequebantur eum in equis albis, vestiti byssino albo, & mundo.* Hi sunt Beati, quos candida, ac munda opera mirificè exornant. *Et de ore eius procedit gladius ex vtraque parte acutus.* Gladius hic est imperium, & potestas Christi, quam exercere venit in impios: vt in ipso percutiat Gentes. *Et ipse reget eas in virga ferrea: & ipse calcat torcular vini furoris Dei omnipotentis,* seu acerrime premet, conculcabit, & puniet impios Ecclesiæ persecutores tum hîc, tum in futuro. *Et habet in vestimento, & in femore scriptum,* seu in ea vestimenti parte, quæ femur obtegit, habet scriptum: *Rex Regum, & Dominus dominantium,* seu cui potentissimi Reges cuncti, velint, nolint, subiecti sunt.

Vers. 17.18.19.20.21. Et vidi vnum Angelum stantem in Sole, &c.] In Sole stat, vt signetur, in oculis totius mundi agendam esse hanc Anti-Christi, & sectatorum eius vltionem: *& clamauit voce magna, dicens omnibus auibus, quæ volabant per medium cæli:* omnibus carniuoris volucribus, coruis, vulturibus, aquilis, &c. quæ pennatæ per medium aëris ferebantur, dixit: *Venite, & congregamini ad cœnam magnam Dei: vt manducetis carnes Regum, & carnes tribunorum, & carnes fortium, & carnes equorum, & sedentium in ipsis, & carnes omnium liberorum, & seruorum, & pusillorum, & magnorum.* Venite ad conuiuium, quod ex cadaueribus hostium vobis Deus instruet. Quo quidem significatur ingens Anti-Christi sectatorum futura strages. *Et vidi Bestiam,* seu Anti-Christum, *& Reges terræ, & exercitus eorum congregatos, ad faciendum prælium cum illo qui sedebat in equo,* seu cum Christo Domino, *Et cum exercitu eius* cælesti. *Et apprehensa est Bestia,* seu captus est viuus Anti-Christus. *Et cum pseudopropheta qui fecit signa coram ipso, quibus seduxit eos qui acceperunt characterem Bestiæ, & qui adorauerunt imaginem eius.* Hic est insignis ille impostor, Anti-Christi præcursor de quo supra cap. 13. à vers. 11. Viui missi sunt hi duo in stagnum ignis ardentis sulphure. Anti-Christus & pseudopropheta exturbati sunt à Christo viui quidem, sed prius morituri ipsius Christi verbo hoc: *Morere:* in Tartarum seu in stagnum ex liquefacti sulphuris igne inferno flagrantis. *Et cæteri occisi sunt in gladio sedentis super equum, qui procedit de ore ipsius.* Verbo enim illo Christus interimet: *Et omnes aues saturatæ sunt carnibus eorum.* Hoc sine vlla metaphora intelligo; in campo enim innumera cadauera iacebunt quæ volucres depascent.

CAPVT XX.

Diabolus illigatur. Beatitudo eorum, qui non adorauerunt Bestiam, obijcitur. Soluitur diabolus Og, & Magog excitaturus, vt aduersus Christianos decertent. Sed cælitùs emisso igne occiduntur. Nouissimi indicij Ioanni sese ostentat imago.

1. ET vidi Angelum descendentem de cœlo, habentem clauem abyssi, & catenam magnam in manu sua. 2. & apprehendit draconem, serpentem antiquum, qui est diabolus & satanas, & ligauit eum per annos mille: 3. & misit eum in abyssum, & clausit, & signauit super illum, vt non seducat ampliùs gentes, donec consummentur mille anni: & post hæc oportet illum solui

modico

modico tempore. 4. Et vidi sedes, & sederunt super eas, & iudicium datum
est illis: & animas decollatorum propter testimonium Iesu, & propter verbum Dei,
& qui non adorauerunt bestiam, neque imaginem eius, nec acceperunt characte-
rem eius in frontibus aut in manibus suis, & vixerunt, & regnauerunt cum Chri-
sto mille annis. 5. Cæteri mortuorum non vixerunt, donec consummentur mille
anni. Hec est resurrectio prima. 6. Beatus, & sanctus, qui habet partem in resur-
rectione prima: in his secunda mors non habet potestatem: sed erunt sacerdotes
Dei & Christi, & regnabunt cum illo mille annis. 7. & cum consummati fuerint
mille anni, soluetur satanas de carcere suo, & exibit, & seducet Gentes, quæ sunt
super quatuor angulos terræ, Gog, & Magog, & congregabit eos in prælium, quo-
rum numerus est sicut arena maris. 8. Et ascenderunt super latitudinem terræ,
& circuierunt castra sanctorum, & ciuitatem dilectam. 9. Et descendit ignis à
Deo de cælo, & deuorauit eos: & diabolus, qui seducebat eos, missus est in sta-
gnum ignis & sulphuris, vbi & bestia. 10. & pseudo-propheta cruciabuntur die
ac nocte in sæcula sæculorum. 11. Et vidi thronum magnum candidum, & se-
dentem super eum, à cuius conspectu fugit terra, & cælum, & locus non est in-
uentus eis. 12. Et vidi mortuos, magnos & pusillos, stantes in conspectu throni;
& libri aperti sunt, & alius Liber apertus est qui est vitæ: & iudicati sunt mortui ex
his quæ scripta erant in libris, secundùm opera ipsorum. 13. Et dedit mare mor-
tuos, qui in eo erant: & mors & infernus dederunt mortuos suos, qui in ipsis erant; &
iudicatum est de singulis secundùm opera ipsorum. 14. Et infernus & mors missi
sunt in stagnum ignis. Hæc est mors secunda. 15. Et qui non inuentus est in Libro
vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis.

COMMENTARII.

1. *Diabolus illigatur, aliquando soluendus.*

VERS. 1. 2. 3. *Et vidi Angelum, &c.*] Angelum *de cælo descendentem* aspexi, Angelum bonum intelligo inferni præsidem, vt suprà exposui cap. 9. 1. *Habentem clauem abyssi, & catenam magnam in manu sua. Et apprehendit draconem, serpentem antiquum, qui est diabolus, & satanas, & ligauit eum per annos mille*, seu illum inuitum in tartarum post diras Ecclesiæ persecutiones ab ipso excitatas detrusit, ne electos ad fidem Christi vndique venturos impediret, quo Romana Ecclesia Agni sponsa pacis nuptialis requie potiretur. Hic Ioannes mille annis complectitur vniuersum tempus à præcipuarum Ecclesiæ persecutionum termino vsque ad tempus Anti-Christi: & tempus finitum pro indefinito ponitur: & misit eum in abyssum, & clausit & signauit super *illum*, seu clausit Tartarum, & ostium signauit, ne vllatenus posset aperiri, seu exeundi potestatem ademit: *vt non seducat amplius Gentes, donec consummentur mille anni*, seu donec Anti-Christus adueniat: *& post hæc oportet eum solui modico tempore*; tribus scilicet annis cum dimidio.

2. *Beatitudo eorum qui Anti-Christū nō adorauerunt.*

Vers. 4. 5. 6. *Et vidi sedes, &c.*] Augustas (sic Græcè) sedes vidi: & sederunt super eas Martyres, qui temporibus Ecclesiæ à tot Tyrannis excitatas pro fide suum sanguinem profuderunt: & qui postmodum Anti-Christi tempore erant professuri: *& iudicium datum est illis.* Sedes igitur hæ sunt throni, in quibus sedere vidi *animas decollatorum propter testimonium Iesu & propter verbum Dei*, pertinentes ad illos mille annos, seu ad tempus quod præteriit à Roma Christiana vsque ad Anti-Christi persecutionem: *& ad eos*, seu eas animas eorum, *qui non adorauerunt Bestiam*, seu Anti-Christum tribus illis nouissimis annis cum dimidio, quibus persecutus fuit Ecclesiam, *neque imaginem eius* sunt reueriti, *nec acceperunt characterem eius in frontibus aut in manibus suis*: Hi comitabantur in thronis gloriæ eos, *qui vixerunt, & regnauerunt* (Martirij stipati corona) *cum Christo mille annis*, seu qui occisi fuere temporibus illis, quibus Ecclesia persecutionibus Imperatorum fuerat agitata. His ait datum fuisse *iudicium*, quia à Deo destinati sunt Iudices; vt cum Christo Martyrum Duce in die nouissima iudicent orbem. *Cæteri mortuorum*, seu illi qui vt vitam temporalem tuerentur, fidem negarunt, ideoque verè, mortui fuere: *non vixerunt* vita beata, sed exturbati sunt in mortem primam, seu animæ damnationem in gehenna: *donec consummentur mille anni*, seu duratio sæculi huius persistat, vt ea finita per resurrectionem in mortem secundam, seu in animæ ac corporis procedant damnationem. In Martyribus verò *hæc* animæ gloria est resurrectio prima, donec secunda veniat, hoc est gloriosi corporis resurrectio. *Beatus & sanctus, qui habet partem in resurrectione prima*, seu cuius præcipua pars hominis, quæ est anima, beatitudine fruitur: in his secunda mors seu resurrectionis corporis ad mortem æternam, *non habet potestatem*; *sed erunt sacerdotes Dei, & Christi: & regnabunt cum illo mille annis.* Eos metaphoricè sacerdotes appellat, quia semper Deo seipsos, & laudis sacrificium offerent. Profectò dum Angelus vult Martyrum, qui mille annorum spatio illo antè resurrectione in cælo regnabunt, gloriam ineffabilem exponere, ait illos sacerdotes futuros in cælo. Nihil enim præcelsius sacerdotali statu, qui Christi vicarium agit in terra, & qui Deificus diuino ore appellatur: *Ego dixi: Dij estis.*] Regnabunt, inquam cum Christo *mille annis*, seu toto eo tempore belli, ac pacis Ecclesiæ vsque ad Antichristi manifestationem.

Beatorū gloria statui sacerdotali cōparatur quia dignitas sacerdotij ineffabilis est.

3. *Vers.7.8.9.10. Et cum consummati fuerint mille anni, &c.*] Post huius temporis pacis Ecclesiæ consummationem, soluetur satanas de carcere suo, vbi alligatus fuerat ab Angelo clauiculario abyssi: *& exibit, & seducet Gentes, quæ sunt super quatuor angulos terræ.* seu plagas, vel regiones. * Non dicit, diabolo fuisse imperatum, vt exiret, & Gentes seduceret. Irato enim hominum inimico sufficit esse solutum, vt præpropera illi sit ad nocendum illis profectio.] Perrexit ad *Gog & Magog*. Gog quidem futurus est Rex certæ gentis, vti Ezechiel præmonuit cap.38.2 Magog autem est Anti-Christi exercitus, & nationes illū conflaturæ Scythę. Turcæ Tartari, nā *Magog* esse Scythas, ex Gen.10. colligo, vbi filius Iapheth vocatur Magog, à quo inhabitata, & nominata est Scythia, vt docet Iosephus lib.1. Antiq.cap.11. *& congregabit eos in prælium: quorum numerus est*, seu erit *sicut arena maris Et ascenderunt super latitudinem terræ, & circuierunt castra sanctorum*, seu latos regionum campos suos complebunt exercitu, & latibula scrutabuntur, in quibus fideles tempore persecutionis Anti-Christi latitabunt: *& Ciuitatem dilectam*, Ierosolymam scilicet circuierunt. * Cur Ierosolyma post tot Prophetarum neces, post Christi cruci suffixi mortem, post tot patrata crimina, post iustissimam eius reprobationem, *dilecta* Ciuitas appellatur? Crediderim, quia non potest non esse à Deo dilecta ciuitas, tam copioso Martyrum sanguinis imbuta rigatu. * Hinc Angliæ, hinc Iaponij futuram auspicor felicitatem, Terra enim tot Martyrum rigata cruore à Deo est *dilecta*, & possumus ex illo sanguineo semine vberrimum fidei fructum sperare.] *Et descendit ignis à Deo de cælo, & deuorauit eos. Et diabolus, qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis, & sulphuris: vbi & Bestia*, seu Anti-Christus, *& pseudo propheta* vel præcursor *cruciabuntur die, ac nocte in sæcula sæculorum.* * Quodnam supplicium datur diabolo nouum eo quod illos seduxit. Mitti enim in stagnum ignis nouum illi supplicium non est? Equidem præter accidentalem pœnam, quæ illum torquebit, recludi in Tartaro, nè vlteriùs hominibus noceat terribilis diabolo noua pœna erit.]

Soluitur diabolus Gog & Magog excitaturus ad bellum contra Ecclesiam.

Agnatū diabolo institutum nocendi hominibus.

Ierosolyma vocatur adhuc dilecta à Deo Ciuitas. quia Martyrum sanguine erat irrigata.

Hinc cōuersionis Angliæ & Iaponij spes.

Terribilis est pœna diabolo, non permitti ei à Deo vt hominibus noceat.

Vers. 11.12.13.14.15. Et vidi thronum, &c.] Post hæc thronum *magnum, & candidum* aspexi, candidum quidem, quia è nube candida, ac splendenti efformatum. Signatur his verbis Christum cum magno splendore ad iudicium esse descensurum: *& sedentem super eum* Christum Dominum: *à cuius conspectu fugit terra, & cælum, & locus non est inuentus eis.* Seu pristina species status, & forma terræ, & cæli abscedet, quia in alium pulchriorem statum commutabuntur. Vndè non sunt inuenti cæli, nec terra, sed perierunt secundum eam dumtaxat formam, quam prius ostentabant. *Et vidi mortuos magnos, & pusillos stantes in conspectu throni.* Omnes homines cuiusuis ætatis, status, ac conditionis, qui mortui fuerant, surrexerunt, stabant coram Christi Domini tribunali iudicandi. *Et Libri aperti sunt.* Hi libri sunt conscientiæ, ac memoriæ singulorum, in quibus quasi in Libris descripta sunt cuiusque facta tam bona, quàm improba. *Et alius Liber apertus est, qui est Vitæ*, in quo solum conscripti sunt illi, qui electi sunt ad vitam æternam. *Et iudicati sunt mortui*, seu qui ex mortuis surrexant, *ex his* virtutibus, aut peccatis, *quæ scripta erant in Libris*, seu in eorum conscientiis, nempe *secundum opera ipsorum. Et dedit mare mortuos qui in eo erant*, seu mersos vndis, viuos restituit post innumerabiles corporum absumptorum à piscibus transformationes, *& mors, & infernus dederunt suos, qui in ipsis erant*; Loquitur de morte, & de sepulchris sub nomine inferni tanquam de duobus inimicis humani generi tyrannis. Etiam mors, quæ in sepulchris dominatum habet, suos mortuos reddet: *& iudicatum est de singulis secundum opera ipsorum. Et infernus & mors missi sunt in stagnum ignis*, seu duo tyranni mors & sepulchrum missi fuerunt in Tartarum: vt depascant impios in horribili illo sepulchro, iuxta illud: *Mors depascet eos.* * Nam velut gramen aut herba depascente à morte, & rursus erumpente gramine, nunquam non morti exponentur in cibum.] *Hæc est mors secunda*, quam animæ & corpori damnatorum mors, & infernus pariter inferent. *Et qui non inuentus est in Libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis.* Sancti & electi, qui scripti in Libro vitæ sunt cælestem recipientur ad vitam: improbi autem, qui in eo Libro scripti non sunt, in ignem proiicientur æternum.

Æterna damnatorū mors.

CAPVT XXI.

Cælestem Ierusalem, seu Ecclesiam triumphantem, eius dotes, opes, splendorem, gloriam, amplitudinem, murum, portas, fundamenta videt Apostolus.

1. ET vidi cælum nouum, & terram nouam. Primum enim cælum, & prima terra abiit, & mare iam non est. 2. Et ego Ioannes vidi sanctam ciuitatem Ierusalem nouam descendentem de cælo à Deo, paratam, sicut sponsam ornatam viro suo. 3. Et audiui vocem magnam de throno dicentem: Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis. Et ipsi populus eius erunt, & ipse Deus cum eis erit eorum Deus: 4. & absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum: & mors vltrà non

non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit vltrà, quia prima abie-
runt. 5. Et dixit qui sedebat in throno: Ecce noua facio omnia. 6. Et dixit mi-
hi: Scribe, quia hæc verba fidelissima sunt, & vera. Et dixit mihi: Factum est,
ego sum *Alpha*, & *Omega*, initium, & finis. Ego sitienti dabo de fonte aquæ vitæ,
gratis. 7. Qui vicerit, possidebit hæc, & ero illi Deus, & illa erit mihi filius.
8. Timidis autem, & incredulis, & execratis, & homicidis, & fornicatoribus, &
veneficis, & Idololatris, & omnibus mendacibus, pars illorum erit in stagno ar-
denti igne & sulphure: quod est mors secunda. 9. Et venit vnus de septem Ange-
lis habentibus phialas plenas septem plagis nouissimis, & locutus est mecum, dicens:
Veni, & ostendam tibi sponsam, vxorem Agni. 10. Et sustulit me in spiritu in
montem magnum & altum, & ostendit mihi ciuitatem sanctam Ierusalem descen-
dentem de cælo à Deo. 11. Habentem claritatem Dei: & lumen eius simile lapi-
di pretioso tanquam lapidi iaspidis, sicut crystallum. 12. Et habebat murum ma-
gnum & altum, habentem portas duodecim: & in portis Angelos duodecim, &
nomina inscripta, quæ sunt nomina duodecim tribuum filiorum Israël. 13. Ab
Oriente portæ tres, & ab Aquilone portæ tres, & ab Austro portæ tres, & ab occasu
portæ tres. 14. Et murus ciuitatis habens fundamenta duodecim, & in ipsis duo-
decim nomina duodecim Apostolorum Agni. 15. Et qui loquebatur mecum, ha-
bebat mensuram arundineam auream, vt metiretur ciuitatem, & portas eius, & mu-
rum. 16. Et ciuitas in quadro posita est, & longitudo eius tanta est quanta & lati-
tudo: & mensus est ciuitatem de arundine aurea per stadia duodecim millia: & lon-
gitudo, & altitudo, & latitudo eius æqualia sunt. 17. Et mensus est murum eius
centum quadraginta quatuor cubitorum, mensura hominis, quæ est Angeli. 18. Et
erat structura muri eius ex lapide iaspide: ipsa vero ciuitas, aurum mundum simile
vitro mundo. 19. Et fundamenta muri ciuitatis, omni lapide pretioso ornata.
Fundamentum primum, iaspis: secundum, sapphirus: tertium, chalcedonius: quar-
tum, smaragdus: 20. quintum, sardonyx: sextum, sardius: septimum, chrysoli-
thus: octauum, beryllus: nonum, topazius: decimum, chrysoprasus: vndecimum,
hyacinthus: duodecimum, amethystus. 21. Et duodecim portæ, duodecim mar-
garitæ sunt, per singulas: & singulæ portæ erant ex singulis margaritis: & platea
ciuitatis aurum mundum, tanquam vitrum perlucidum. 22. Et templum non
vidi in ea. Dominus enim Deus omnipotens templum illius est, & Agnus. 23. Et
ciuitas non eget sole, neque luna, vt luceant in ea: nam claritas Dei illuminauit
eam, & lucerna eius est Agnus. 24. Et ambulabunt gentes in lumine eius: &
reges terræ afferent gloriam suam & honorem in illam. 25. Et portæ eius non
claudentur per diem: nox enim non erit illic. 26. Et afferent gloriam & honorem
gentium in illam. 27. Non intrabit in eam aliquod coinquinatum, aut abomina-
tionem faciens & mendacium, nisi qui scripti sunt in libro vitæ Agni.

COMMENTARII.

1. *Ecclesiā triūphantē videt Apostolus.*

VERS. 1.2.3.4.5. *Et vidi cælum nouum, &c.*] cælum, & terra secundum qualitates in fine mundi mutabuntur. Ideo Petrus epist. 2. cap. 3. 13. ait: *Nouos cælos, nouam terram secundum promissa ipsius expectamus.* Id Ioanni hic manifestatum fuit dicenti. *Vidi cælum nouum, & terram nouam. Primum enim cælum, & prima terra abiit* in formam pulchriorem: *& mare iam non est*, vti prius fuerat, quia renouatum. * Hinc elicio, renouationem facere rem quamcumque esse veluti aliam. Vnde peccator, qui pœnitentiæ fonte diluitor, sic innouatus exsurgit vt non ille qui prius, sed alius Dei oculis apparet. *Et ego Ioannes vidi sanctam Ciuitatem Ierusalem*, seu Ecclesiam triumphantem id est, Beatorum cœtum *descendentem de cælo.* Figuratè dicitur Ierusalem è cælo descendere, vt electos demum ad se assumat: *à Deo paratam sicut sponsam ornatam viro suo.* Seu à Deo descendit, compta, & ornata tanta gloria, felicitate, pulchritudine, ac maiestate, quanta decet sponsam cælesti Agno iam nuptam olim in terris cum Militans erat Ecclesia. *Et audiui vocem magnam de throno dicentem. Ecce tabernaculum Dei cum hominibus: & habitabit cum eis.* Seu hæc Vrbs est, in qua Deus habitat, homines etiam eius vocans sociues; quos tanto dignatur honore, vt in eadem Vrbe secum voluerit habitare: *Et ipsi populus eius erunt: & ipse Deus cum eis erit eorum Deus.* Illi nullum Dominum nisi Deum agnoscent: & Deus, qui dignatus est cùm eis habitare, eos vt filius amplectetur, & æterna felicitate donabit. *Et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum: & mors vltra non erit, neque luctus, neque clamor* oppressorum à potentioribus, aut cruciatorū à tyrannis, aut inopum agricolarum à nimiorum tributorum exactoribus: *neque dolor erit vltra; quia prima abierunt*, seu mortalis vita plena laboribus & ærumnis finem fecit. *Et dixit Deus, qui sedebat in throno: Ecce noua facio omnia*, nouum cælum

Peccator pœnitentia innouatus, alius diuinis oculis apparet.

nouam terram, & nouam hominum conditionem, nempe immortalem, & impossibilem. *Et dixit mihi: scribe: quia hac verba sunt fidelissima, & vera.* * Ideò Ioannes iubetur scribere hanc visionem; quia quæ in ea obiiciuntur, sunt vera. Nec enim oportet scribi ab Auctoribus aliquid, vbi vel minima includatur mendacij suspicio. Liber enim permanet, & ipsius magnum opprobrium est, æternate mendacium.]

Nihil est scribendũ in libro, in quo vel minima mendacij sit suspicio.

Vers. 6.7.8.9.10.11. Et dixit mihi, &c. Factum est, seu iam finita sunt omnia, iam perfectum est, quidquid in vita hominum mortali gerendum erat. *Ego sum α. & ω.* Alpha, & Omega, *initium, & finis*, seu sum omnium rerum initium, & finis. Sum, qui Ierosolymæ cælesti principiũ dedi: sum, qui ei dabo finem, ad quem electa fuit, scilicet gloriam æternam. *Ego sitienti dabo de fonte aquæ vitæ gratis.* Quinam hic fons Dauid expressit Psal. 41. *Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum* peruenire cum sitit; *ita desiderat anima mea ad te Deus* vitalem fontem sitibunda appropinquare. * Sitis ac fontis metaphora beatorum gloria signatur. Sitienti admodum iucundus fons. Beati semper Deum sitient, & semper cum ineffabili dulcedine ex illo inexhausto fonte potabunt] * *Gratis* quidem hac felicitate donantur, quia licet iusti suis tectis operibus vitam æternam mereantur: hæc tamen dicitur, & re vera est gratia. Cum respectu laboris eorum qui in se exiguus est, nec tanto præmio dignus. Tum respectu primæ gratię ex qua bona opera profluunt: hæc enim omnino gratis datur. *Qui vicerit, possidebit hæc, & ero illi Deus: & ille erit mihi filius.* Qui *vicerit*, inquit, vt innuat pugnandum nobis esse cum animæ hostibus, & non solum ineundam pugnam, sed victoriam assequendam, vt coronari mereamur.] Timidis autem, & incredulis, seu ignauis, & qui meis promissis fidem non habent: *execratis*, seu execrabilibus, qui more idololatrarum viuunt, *& homicidis, & fornicatoribus, & veneficis, & idololatris, & omnibus mendacibus*, seu qui opera non præstant consentanea Christianæ fidei, quam profitentur: quod est mendacium quoddam practicum non verborum, sed operum: *pars illorum est*, seu sors, & quasi hæreditas) in stagno *ardenti igne, & sulphure: quod est mors secunda.* Prima enim mors est, cum anima à corpore separatur: secunda vero, cum homo deturbatus à Deo æternis cruciatibus addicitur. *Et vnus de septem Angelis habentibus phialas plenas septem plagis nouissimis, & locutus est mecum, dicens: Veni, & ostendam tibi sponsam, vxorem Agni*, seu ostendam tibi Vrbem, siue Ecclesiam triumphum agentem, quæ descendit de cælo: ex cuius diuitiis, & pulchritudine vtcumque intelliges, qualis futura sit sanctorum beatitudo, *Et sustulit me in spiritu in montem magnum, & altum: & ostendit mihi Ciuitatem sanctam Ierusalem descendentem de cælo à Deo.* Visione imaginaria fui eleuatus in montem, in quo ipsa Ciuitas collocata esse videbatur. * Sed priusquam excidat ex memoria, preme illud: *Ostendam tibi sponsam vxorem Agni.* Cur sponsam dixit, & vxorem, si sufficeret vocare eam vel vxorem, vel sponsam? Existimarim, vxorem appellatam triumphantem Ecclesiam, vt ostendatur nunquam ab Agno diuidendam: sponsam vero, vt innuatur nouam semper futuram esse Christi erga Ecclesiam dilectionem. Ardentius enim solet sponsa initio coniugij plerumque, quam procedente temone diligi.] Videbis eam *habentem claritatem Dei*, seu insignem quandam, admirabilemque gloriam (sic in Græco) à Deo acceptam: *& lumen eius simile lapidi pretioso tanquam lapidi iaspidis. Sicut crystallum.* Græcè, *Luminare eius*, quod Ciuitatem cælestem illuminat est Deus ipse, vti vers. 23. dicitur Repetiuntur Iaspides variorum colorum, vt tollat ambiguitatem, dicit, fuisse coloris crystallini seu crystallum referentis. Græcè, Tanquam lapidis *Iaspidi crystallizanti.*

Beati semper sitiẽt Deum, & semper è diuino illo fonte bibẽt. Post labores multos exãtlatos gloria nobis gratis donatur.

Ad gloriæ coronam assequendam, pugna & victoria est necessaria.

Christo erit semper Ecclesia triumphans vxor, ac simulnoua sponsa.

Vers. 12.13.14.15.16.17.18. Et habebat murum magnum, &c.] Murum ingentem, *& altum* Ciuitas habebat. Quo significatur cælestis Ierosolymæ insuperabilis firmitas, & securitas: *Habentem portas duodecim: & in portis Angelos duodecim, & nomina inscripta, quæ sunt nomina duodecim Tribuum filiorum Israël.* Murus duodecim portas reseratas ostentabat, vt per eas ingrederentur omnes prognati ex duodecim Tribubus Israël: hoc est, omnes electi ex omnibus, quæ vsquam sunt gentibus, quæ quidem per duodecim Israëliticas Tribus designantur. *Ab Oriente portæ tres, & ab Aquilone portæ tres, & Ab Occasu portæ tres.* In hisce duodecim portis totidem stabant Angeli custodes, socij, ductores, ac receptores sanctorum. Portæ autem cælestis Ierosolymæ ad omnes mundi plagas panduntur, ne difficilis fiat cunctis ingressuris, ad vnicam portam remeare. * O quàm facilem Christus Dominus nobis offert salutis ingressum.] *Et murus Ciuitatis habens fundamenta duodecim, & in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorum Agni:* significantur duodecim Apostoli, quorum doctrina, & prædicatione fundata est, & sustinetur Ecclesia. *Et qui loquebatur mecum, habebat mensuram arundineam auream, vt metiretur Ciuitatem, & portas eius.* Mensuram scilicet, quæ arundo, seu calamus dicitur. Continet sex cubitos & palmum, vt patet Ezech 40. 5. Hac arundine aurea Angelus metitus est Ciuitatem totam prius, postmodum vero portàs, & murum. *Et Ciuitas in quadro posita est: & longitudo eius tanta est, quanta latitudo: & mensus est Ciuitatem de arundine aurea.* Porro Ciuitas non tantum erat quadrangula, sed etiam quadrata, ità vt omnia latera essent æqualia. Itaque Angelus arundine illa aurea totam metitus fuit Ciuitatem *per stadia duodecim millia.* vnumquodque enim Vrbis latus habebat stadia tria millia, seu milliaria Italica 375: totus vero ambitus erat milliariorum 1500: *& longitudo, & altitudo, & latitudo eius æqualia sunt.* Non intelligo hoc de mœnibus; eorum enim altitudo vers. sequenti describitur; sed de domibus intra Ciuitatem, quæ omnes ad eundem modulum, & mensuram factæ vna alteram altitudine non excedebat, aut latitudine: hoc enim facit ad Vrbis pulchritudinem. Porrò hæc domorum æqualitas significat concordiam Beatorum, eorumque maximam familiaritatem, & admirabilem in patria cælesti rerum omnium proportionem. * In hoc sæculo inæqualitas Domorum seu stirpium assolet esse causa simultatum, & inimicitiarum, sed in cælo omnes domus seu stirpium æquales sunt, quia ad stipes nobiles, vel ignobiles respectus non erit; sola sanctitas exeret differentiam.]

Facilem nobis Christus offert salutis ingressum.

Inæqualitas Domorũ seu stirpium in hoc sæculo causa est inimicitiarũ.

ferentiam.] *Et mensus est murum eius centum quadraginta quatuor cubitorum, mensura hominis, quæ est Angeli,* seu Angelus vt altitudinem muri metiretur, vsus est tali mensura, quali communiter homines vti assolet. *Et* erat structura muri eius ex lapide iaspide, qui durissimus est, vt significet cælestis Ciuitatis securitatem, & æternitatem: *ipsa verò Ciuitas aurum mundum, simile vitro mundo*, seu auro nostrate hoc pretiosiore, cum sit pellucidum, & diaphanum, nostrum autem opacum. Quo signatur, vnumquemque Beatorum, & suam, & aliorum cognoscere beatitudinem.* Aurum est in hoc sæculo opacum, non diaphanum, non pellucidum. In tenebris enim sic solet abscondi, vt à nullo videatur, nec ipse possessor eius eo lucere velit.]

Aurū auaris nō lucet, vel ipsi possessori.

Vers. 19.20.21.22.23. Et fundamenta, &c.] Muri Ciuitatis fundamenta *omni lapide pretioso* erant *ornata. Fundamentum primum Iaspis: secundum Saphirus: tertium, Chalcedonius: quartum, Smaragdus: quintum, Sardonyx: sextum, Sardius: septimum, Chrysolithus: Octauum, Beryllus: nonum, Topazius: decimum, Chrysoprasus: vndecimum, Hyacinthus: duodecimum, Amethystus.* Profectò quia ex vers. 14. constat dodecim hisce fundamentis duodecim Apostolos significari: & quia non est plane certum, quinam lapides his nominibus signentur: nec secundum quas proprietates Apostolorum cuique similes sint: & & ipse Apostolorum catalogus, ordo, & series varie ab Euangelistis texatur: hæc operose scrutari non est mei instituti. Meus Magister doctissimus P. Ludouicus Alcasar de his fuse disputauit: sed tanti viri venia, existimarim ex hoc capite plus se diuinatorem ingeniosum admodū, quam Interpretē ostendisse. *Et duodecim portæ, duodecim margaritæ sunt, per singulas*, seu portæ singulæ perfectæ ex singulis margaritis erāt, seu vnionibus, Hispanè *Perlas*.* Certè margaritarū (auctore Plinio) *omnis dos in candore, magnitudine, orbe, lænore, pondere.* Sic in his, quia has cæli portas inire velint, requiritur innocentiæ candor, magnitudo illa, quæ nobis à diuina gratia prouenit, virtutum orbis, perfectionis rotunditas, mansuetudinis læuor, pondus grauitatis morum.] *Et platea Ciuitatis aurum purum, tanquam vitrum perlucidum. Et Templum non vidi in ea. Dominus enim Deus omnipotens Templum illius est, & Agnus.* Nam cum Templa fiant, vt per ea homines in Deum mentem erigant: Beati, qui Deum semper vident, non indigent Templo: sed Deus & Christus illis est instar Templi, intellectum excitantis ad diuinarum perfectionis contemplationem. *Et Ciuitas non eget Sole, neque Luna, vt luceant in ea: nam claritas Dei illuminat eam, & lucerna eius est Agnus.* Vnde multo præstantiore luce, quæ non timet suffundi noctis tenebris, illuminatur.

Eorum, qui cæli portas ingressuri sūt, proprietates.

Vers. 24.25.26.27. Et ambulabunt gentes, &c.] In lumine eius homines *ambulabunt*. Cognita enim veritate, & magnitudine gloriæ cælestis, in illius desiderium rapientur, & ad illam expetent virtutum gressibus, peruenire.* Vnde moneantur Concionatores, operę pretium esse, sæpe in concionibus de cælesti gloria iustis apparata dicere, ad virtutis excitamentum.] *Et Reges terræ afferent gloriam suam, & honorem in illam*, seu in lumine illo reponent gloriam, sine illam putabunt esse veram hominum gloriam, verum honorem. *Et portæ eius non claudentur per diem: nox enim non erit illic.* Non claudentur portæ cælestes, quia ibi erit summa securitas. Non dixit: Nec per noctem claudentur: quia illic nox nunquam erit. *Et afferent gloriam, & honorem gentium in illam.* Magistri Ecclesiastici, & Sacramentorum ministri in hanc Vrbem afferent diuitias, & honorem gentium conuersarum ad Dominum. Non intrabit in eam aliquid coinquinatum, & abominationem faciens, & mendacium. Qui inquinatus fuerit peccati lethalis labe, in hac Vrbe aditum non inueniet. Imo qui venialis piaculi labecula inficitur priusquam ei ingressus pateat, purgatorio igne est repurgandus: Denique non intrabunt, *nisi qui scripti sunt in Libro vitæ Agni*, electi scilicet, & ad illam beatitudinem prædestinati.

Concionator sæpè loquatur de gloria beatorum, ad virtutis excitamentum.

CAPVT XXII.

Fluuium procedentem ex throno Dei, & vitale lignum vtraque videt in ripa. Finem venturum cito prædicens: ad Ciuitatis cælestis ingressum omnes adhortatur. Grauissima comminatur supplicia, ex hac prophetia addenti, aut detrahenti.

1. ET ostendit mihi fluuium aquæ vitæ, splendidum tanquam
crystallum, procedentem de sede Dei & Agni. 2. In me-
dio plateæ eius, & ex vtraque parte fluminis lignum vitæ, af-
ferens fructus duodecim, per menses singulos reddens fru-
ctum suum, & folia ligni ad sanitatem Gentium. 3. Et
omne maledictum non erit amplius: sed sedes Dei & Agni
in illa erunt, & serui eius seruient illi. 4. Et videbunt fa-
ciem eius: & nomen eius in frontibus eorum. 5. Et nox vltrà non erit: & non ege-
bunt lumine lucernæ, neque lumine solis, quoniam Dominus Deus illuminabit il-
los, & regnabunt in sæcula sæculorum. 6. Et dixit mihi: Hæc verba fidelissima sunt,
& vera. Et Dominus Deus spirituum prophetarum misit Angelum suum ostendere
seruis suis quæ oportet fieri citò. 7. Et ecce venio velociter. Beatus, qui custodit

verba

verba prophetiæ libri huius. 8. Et ego Ioannes, qui audiui, & vidi hæc. Et Post-
quam audissem, & vidissem, cecidi vt adorarem ante pedes Angeli, qui mihi hæc
ostendebat; 9. & dixit mihi: Vide ne feceris: conseruus enim tuus sum, & fratrum
tuorum Prophetarum, & eorum qui seruant verba prophetiæ libri huius: Deum
adora. 10. Et dicit mihi: Ne signaueris verba prophetiæ libri huius: tempus enim
propè est. 11. Qui nocet, noceat adhuc: & qui in sordibus est, sordescat adhuc:
& qui iustus est, iustificetur adhuc: & sanctus sanctificetur adhuc. 12. Ecce ve-
nio citò, & merces mea mecum est, reddere vnicuique secundùm opera sua.
13. Ego sum *Alpha*, & *Omega*, primus & nouissimus, principium & finis. 14. Bea-
ti, qui lauant stolas suas in sanguine Agni: vt sit potestas eorum in ligno vitæ, &
per portas intrent in ciuitatem. 15. Foris canes, & venefici, & impudici, & homi-
cidæ, & idolis seruientes, & omnis qui amat & facit mendacium. 16. Ego Iesus
misi Angelum meum, testificari vobis hæc in Ecclesiis. Ego sum radix & genus Da-
uid, stella splendida & matutina. 17. Et Spiritus & sponsa dicunt: Veni. Et qui
audit, dicat: Veni. Et qui sitit, veniat: & qui vult, accipiat aquam vitæ, gratis. 18. Con-
testor enim omni audienti verba prophetiæ libri huius: Si quis apposuerit ad hæc, ap-
ponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto. 19. Et si quis diminuerit de
verbis libri prophetiæ huius, auferet Deus partem eius de libro vitæ, & de ciuitate
sancta, & de his quæ scripta sunt in libro isto. 20. dicit qui testimonium perhibet
istorum. Etiam venio citò: Amen. Veni Domine Iesu. 21. Gratia Domini nostri
Iesu Christi cum omnibus vobis. Amen.

COMMENTARII.

I. *Fluuium procedentem de throno Dei videt.*

VERS. 1. 2. 3. 4. 5. *Et ostendit mihi fluuium, &c.*] *Fluuium aquæ vitæ splendidum tanquam chrystallum procedentem de* throno *Dei, & Agni aspexi.* Fluuius hic est visio beatifica, per quam Deus bona sua in Beatos vberrimè effundit. De quo Dauid Psal. 35.9. *Torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Voluptas autem hæc dicitur, instar crystalli, pura, sancta; procedit verò de throno Dei, Deus enim est beatificæ visionis obiectum. *In medio plateæ eius, & ex vtraque parte fluminis lignum vitæ afferens fructus duodecim, per menses singulos reddens fructum suum.* Alludit ad Vitæ arborem, quæ in terrestri paradiso erat plantata. In eaque eadem beatissima visio designatur. In visionibus enim symbolicis eadem res per diuersas figuras solet significari, præsertim si res magni momenti sit.

Diuinæ visionis gloria nequit innumerabilibus symbolis exponi.

* Gloria visionis beatificæ innumerabilibus symbolis nequit explicari.] Dicitur verò duodecim fructus afferre: vt huiusmodi redundantia dotes accidentales beatificæ visionis designētur, quæ quidem eam vti arbores folia condecorant. Qualia dixerim in anima delectationem, summi fruitionem boni: in corpore plenam sanitatem & robur: agilitatem, claritatem, subtilitatem, impassibilitatem: *& folia ligni vitalis ad sanitatem Gentium*, sanant etenim omnes morbos, & infirmitates corporis, quibus sancti in hac lacrymarum valle laborauerunt.

Ex aduersa valetudine afflictis solatium.

* Hinc solatium datur ex aduersa valetudine afflictis. Arboris illius vitalis folia corpus reddet à cunctis liberum ægritudinibus.] *Et omne maledictum non erit amplius:* seu nihil dignum maledictione, nulla infirmitas, nullus dolor, quia nullum peccatum.

Vbi non est peccatū, nulla est vera causa doloris.

* Ex quo quidem omnis oritur doloris occasio.] *Sed sedes Dei, & agni in illa erunt, & serui eius seruient illi*, erunt veluti Angeli Dei & Christi throno adstantes tanquam cælestis aulæ regij ministri. *Et videbunt faciem eius: & nomen eius in frontibus eorum*, seu semper se Dei, & Christi esse profitebuntur, eruntque æterna Dei possessio.

Beati profitētur, se ob Iesu nomen salutem fuisse consecutos.

* *Nomen eius*, seu *IESV* nomen in frontibus Beatorum, vt æternùm glorientur eius nominis virtute salutem fuisse consecutos. Nomen enim Iesu quid nisi salus?] Et nox vltra non erit, & non egebunt lumine lucernæ, neque lumine Solis, quoniam Dominus Deus illuminabit *illos:* Vbi iustitiæ Sol vndenam tenebræ? *& regnabunt in sæcula sæculorum.*

Vers. 6. 7. 8. 9. 10. Et dixit mihi Angelus, &c.] Hæc verba (seu hæc reuelatio) *fidelissima sunt, & vera. Et Dominus Deus spirituum Prophetarum misit Angelum suum ostendere seruis suis, quæ oportet fieri citò.* Dominus Deus, qui Prophetis olim, ac mihi nunc spiritum prophetiæ infudit, Angelum suum immisit, vt ab eo ego Ioannes ediscerem, quæ Ecclesiæ manifestarem, vt aduersus dira citò instantia pericula fide & constantia armentur. Dicit *Citò* tum quia respectu æternitatis cuncta temporalia perbreui temporis interstitio fluent. Tum quia quædam huius reuelationis citò post Ioannem facta fuere, nempe ea, quæ primis capitibus septem Asiæ Episcopis prædixit. *Et ecce venio velociter.* Christus ait. Sensus est: In fide persistite, & dilectione: ne impiorum supplicia timeatis: citò omnia finientur, & ego veniam singulis præmium, aut supplicium pro meritis redditurus. *Beatus, qui custodit verba prophetiæ huius. Et ego Ioannes*, qui audiui & vidi hæc, seu testor ego ipse, me omnia hæc audisse, & vidisse. *Et postquam audissem, & vidissem, cecidi vt adorarem ante pedes Angeli, qui mihi hæc ostendebat: & dixit mihi: Vide, ne feceris, conseruus enim tuus sum, & fratrum tuorum Prophetarum, & eorum, qui seruant verba Prophetiæ Libri huius.* Iam id exposui supra cap. 19. 10. *Deum adora*, ex quo cuncta hæc bona proueniunt. *Et dicit mihi: Ne signaueris verba Prophetiæ huius*, seu ne celaueris ne absconderis hæc oracula,

sed

sed potiùs ea scribe, & omnibus ea pone legenda omnibus profutura. * Si libri materia profutura sit ad fidelium spiritum, dignus est, vt Angeli ipsi auctorem adhortentur, vti illum scribat: si autem Liber materiam gerat bonis moribus noxiam, diabolus est, qui auctorem ad eius editionem instigat: vndè deberet illius editio à Principibus prohiberi; qua re priusquam cudendi illum, facultas regia expediatur, debet committi viris, qui vtilitatis Reipublicæ zelo afficiantur.] *Tempus enim propè est.* Vide vers.6.

Monentur Reges, ne permittant imprimi libros, probis moribus noxios.

Vers. 11.12.13.14.15.16. *Qui nocet, noceat adhuc, & qui in sordibus est, sordescat adhuc; & qui iustus est, iustificetur adhuc: & sanctus sanctificetur adhuc.* Hæc verba sensum habent comparatiuum. Sicut ille qui nocet, nocere pergit; ità qui sanctus est: pergat sanctificari, seu gerere iusta opera. * Pudor enim est iusti, quod impius feruentior sit ad augenda crimina quam ipse ad virtutis augmentum comparandum: & quod peccator diligentior sit vt mortem apprehendat, quàm iustus vt vita potiatur.] *Ecce venio citò, & merces mea mecum est, reddere vnicuique secundum opera sua,* seu iam iuxta merita ac demerita decreui in die nouissima præmium, aut pœnam cunctis retribuere. *Ego sum α & ω (Alpha & Omega) primus, & nouissimus: principium, & finis.* Seu ego sum, à quo res omnes initium acceperunt, & qui rebus perituris suo tempore finem affero: & res immortales ad suum finem perduco præmia, aut pœnas retribuens. *Beati, qui lauant stolas suas in sanguine Agni,* seu qui semper student animam suam puram rueri: & si fortè admiserint maculam aut leuem, aut grauem, eam diluunt Pœnitentiæ lauacro qui ea Christi sanguine habet vim abluendi: *vt sit potestas eorum in ligno vitæ: & per portas intrent in Ciuitatem,* seu vt potestatem recipiant de ligni vitalis fructum edendi, id est, vt æterna beatitudine perfruantur: & vt Apostolicam doctrinam sectantes, in vitam cælestem intrent, ad quam nisi per has portas non patet vlli aditus. *Foris canes, & venefici, & impudici, & homicidæ, & idolis seruientes, & omnis, qui amat, & facit mendacium.* Ab ingressu Ierosolymæ cælestis prohibentur impudentes detractores, qui famam sanctorum lacerare non verentur: malefici & magi, & qui pernitioso mendacio proximum lacerant, aut peierare audent.

Pudor sit iusto, quod feruentior sit impius ad demerita, quàm ipse ad merita augenda.

Vers. 16.17.18.19.20.21. *Ego Iesus, &c.*] Angelum *meum ego Iesus misi, testificari vobis hæc in Ecclesiis;* seu notas fidelibus efficere, vt ad constantiam in fide excitentur, & ad sanctitatis studium. *Ego sum radix, & genus Dauid, stella splendida, & matutina,* seu ego sum Messias ille promissus, ortus ex stirpe Dauidica, qui hæc promitto stella scilicet matutina, cuius splendore errorum tenebræ fugantur, & fideles ad patriam cælestem ducuntur. *Et Spiritus & sponsa dicunt. Veni: & qui audit, dicat: Veni.* Spiritus sanctus & Ecclesia docent nos desiderare, & deprecari Christi Domini aduentum; & vt dicamus toto cordis affectu: *Veni,* ô Domine ad Iudicium, post quod nos cum matre nostra Ecclesia in thalamum cælestem inducas. Vnde ô fideles, qui percipit in se hanc spiritus Paracliti inspirationem inclamet: Veni ô Domine Iesu. *Et qui sitit, veniat: & qui vult, accipiat aquam vitæ, gratis.* Qui iustitiam, & vitam æternam sitit, ad me veniat, gratis enim ei ipsum aquæ vitæ fontem propinabo. *Contestor enim,* seu autem *omni audienti verba prophetiæ Libri huius,* seu testificor, & contestando admoneo: *Si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in Libro isto.* Apponere hîc idem est, quod addere, seu adulterati Libri clausulas, addendo, aut demendo, quod faciunt hæretici. *Et si quis diminuerit de verbis Libri prophetiæ huius, auferet Deus partem eius de Libro vitæ, & de Ciuitate sancta: & de his quæ scripta sunt in Libro isto,* seu excludet illum Deus ab hæreditate cælesti, quam illi assequuntur, qui sunt in Libro vitæ scripti: nec erit particeps eorum bonorum, quæ in hoc Libro fidelibus sanctitatem colentibus promittuntur. Hæc *dicit* Christus, *qui testimonium perhibet istorum* Ioanni, docens hæc vera esse. *Etiam venio citò,* seu certissimè veniam, & citò vt iustis æternam felicitatem, impiis pœnas præstem æternas. *Amen Veni Domine Iesu.* Est D. Ioannis responsio sitientis aquam viuam, & optantis Iesu in cælesti patria potiri; ac si dicat: Ita fiat, vt citò venias. *Gratia Domini nostri Iesu Christi cum omnibus vobis. Amen.* Est salutatio, qua fidelibus hæc legentibus, vel audientibus diuinæ gratiæ copiam, & incrementum precatur. * Ne obsecro sine pondere excidant minæ illæ aduersus addentes, aut detrahentes Scripturæ verba. Vereor enim huius temporis Concionatores aliquos, vt conceptum tueantur, huiusmodi admonitionis & minarum minimè recordari.

Taxantur Concionatores, qui ex verbis Scripturæ sacræ, aut demant, aut addant.

F I N I S.

Laus Deo Deiparæ, Iosepho, Ignatio, Antonio.

AD

DEIPARAM DOMINAM.

EPILOGVS.

CATHOLICÆ Epistolæ, & B. Ioannis Apocalypsis mirificè se sibi respondent in Deiparæ elogium. In Ecclesia enim Catholica Militanti Templum fuit Dei super omnes Catholicas virtutes fundatum dignum Filij Dei habitaculum : vt in eadem Triumphanti non iam Templum, sed gloriosa Ciuitas Ierosolyma æternus Dei thronus exurgeret. De Templo Mariano sic 3. Reg. 5. *Præcepit Rex Salomon, vt tollerent lapides grandes, lapides pretiosos in fundamentum Templi.* Hi lapides pretiosi duodecim Deiparæ virtutes repræsentant. Audi Richardum Laurentinum. lib. 11. de laud. Mar. *Lapides grandes & pretiosi, quibus Templum Mariæ fundatur, sunt eminentissimæ virtutes eius humilitas, fides, virginitas, patientia, paupertas,* mansuetudo, misericordia, charitas, *& quatuor Cardinales.* Profectò hisce duodecim fundamentis virtutum totidem gloriæ pretiosa fundamenta respondent, stante Ioanne Apoc. 21. *Fundamentum primum Iaspis, &c.* Concludit Richardus per has, & vniuersas alias virtutes consurrexit hoc Templum, vt ipsa fieret Ciuitas cælestis Regis magni, super duodecim gloriæ ineffabilis fundaminibus ædificata. O Ciuitas tuis alumnis ad te, & per te ad cælestem Ierosolymam pateat ingressus.

Maria Dei fuit Templũ in Militanti Ecclesia, & in Triũphanti semper erit.

INDEX

INDEX VNICVS.
MORALES CONCEPTVS ad Concionatores.

Prior numerus paginam: Posterior columnam designat.

A

Abnegatio.

SÆpe abnegatio petiti maius Dei beneficium est, quam concessio. 149.1

Absentia.

Longa Prælati absentia subditis exitialis. 145.2

Abstinere: Abstinentia.

Ne in rebus à lege prohibitis ad illicita prosilias, à licitis oportet abstinere. 106.1

Ab inutilibus & iocosis verbis facer abstineat Orator. 41.2

Abstineat Concionator à verborum artificio. 105.1

Seruo fideli, vel in pauca, seu qui à venialibus abstinuit, cælum illicò reseratur. 92.1

Vel ab actione iusta, quæ tamen speciem mali habet, abstinendum. 168.2

Vel à liciteis abstinendum, ne in proximo excitemus scandalum. 36.1

Vel à licitis abstinendum, si non possint sine scandalo fieri. 295.1

Qui in abscondita fugit, vt sine rubore peccet, abstineat à crimine aliquando cũctis reuelando. 252.2

A recto aliàs opere abstine, si ex eo scandalum sit oriturum. 32.2

Taxantur Concionatores, qui affectant à passionis Dominicæ tractatu in sermone abstinere. 44.2

Abstinentia, seu temperantia reddit animum patientem. 264.2

Abundantia.

Multa licet magna ex abũdantia contẽnuntur. 168.2

Abuti.

Inuisum Deo abuti ad quæstum pietate. 184.2

Acceptio.

Acceptio personarum pugnans quidem quodammodò cum fide taxatur. 143.1

Accusatio: Accusator.

Accusatio Sacerdotis sine duobus aut tribus testibus non admittenda. 183.1

Accusator fratrum in Religiosa communitate est satanæ similis. 317.1

Actio.

Insipiens est qui Deum rectis actionibus non exquirit. 8.1

Assolent æmulari filij parentum actiones. 214.1

Ille in quo viuit Christus curet actiones suas illius actionibus conformari. ad initium voluminis in Antilogia.

Numerum peccatorum actionum virtutis numero æquare stude. 14.2

Nec ob actiones externa specie non rectas, audeas proximum iudicare. 35.2

De eo qui nomen serui Dei, seu spiritualis viri famam habet, quæcumque actiones bene sunt consulendæ. 35.1

Solum Dei iudicium circa hominum actiones secundum veritatem. 5.1

Qui non iudicat temerariè proximi actiones, ipse à nemine iudicatur. ad initium voluminis in Antilogia.

Vide verbo *Gratiarum actio.*

Adoptio.

Beneficium adoptionis in Dei filios nos quodammodo impeccabiles efficit. 277.1

Adulter: Adulterium.

Quam stultus adulter, qui hominum oculos fugere curat, & Dei Iudicis non veretur in conspectu delinquere. 151.1

Anima quæ Christo Regi nupta, delinquere audet, execrabili admodum adulterio inficitur. 16.1

Ædificatio.

Speciali ædificatione videntes afficit, qui probè viuens, simul studet proximis proficere. 37.2

Ægritudo.

Miserere patientis ægritudinem, quia corpus habes eidem malo obnoxium. 150.2

Æmulari: Æmulatio.

Qui manet in Christo, eius actiones æmulari studet. 274.1.

Tartarei ignis æmulatio ad puniendum peccatores. 122.2

Æquitas.

Ne in actionibus æquitatis metam excedas, te Deum earum testem habere, considera. 149.1

Æstimatio.

Ineffabilis apud Deum hominis æstimatio. 153.1

Cunctæ res temporales leuis æstimationis sunt. 53.2

Pauperes diuitiis vacui saltem diuitum æstimatione impleantur. 70.2

Æternitas.

Æternitas cuncta tempora sæcularia respectu æternitatis quasi nihil. 237.1

Affectus.

Oratio requirit animum ab omni prauo affectu repurgatum. 257.2

Quilibet species perillustris effectus nihil valet, nisi pius cordis eum affectus comitetur. 72.1

Sancti maiori affectu amant illos, per quos à suis corriguntur imperfectionibus. 44.1

Ardens in Deum amoris affectus est ipsi acceptabilis gratiarum pro beneficiis actio. 11.2

Agnus.

Christus Agnus occisus ab origine mundi ad Deiparæ redemptionem. 257.2

Agricola.
Agicolæ honorandi, & fouendi ob Reipublicæ necessitatem. 70.2
Bonis agricolas inopes spoliare, idem est, ac illum occidere. 449.1
Vide verbo *Tributum.*

Alere.
Quæ te alit quasi altera tibi mater est. 40.2

Alexius.
Alexij ab sponsa recedentis intacta, insignis gloria 321.1

Alluere.
Aqua & sanguine peccata alluenda. 280.2

Amans: Amare.
Amantibus gloria est pro amato pati. 12.1
Amanti nihil difficile. 280.1
Agnatū est vero amanti pro amato velle pati. 280.2
Qui amat, numquam amati aspectu satiatur. 163.2
Vide verbo *Diligere.*

Amor.
Amor in proximum debet esse sollicitus, ad eius commoda procuranda. 135.1
Quantum à proximi amore recedis, tantum à Dei amore abscessisti. 280.1
Difficilè est ab amore corporis agnata animum separari. 92.2
Amor pecuniæ spina mentem lacerans. 184.2

Ambulare.
Solus ille dignè ambulare videtur, quia à Dei voluntate non recedit. 152.2

Amicitia.
Pro amico orare, vera amicitia est. 187.1

Amicus.
Fidelis amicus alter ego. 141.1

Angelus.
Pijssima erga homines Angeli custodis officia expenduntur. 202.2
Taxatur hominum erga Angelum custodem ingratitudo. 203.2
Angeli per Christum fratres nostri effecti de nostra salute Deo gratias agunt. 205.2
Angeli erga homines dilectione flagrant. 253.1
Angeli custodes lætantur de tormentis eorum qui suis hic monitis non acquieuerunt. 321.2

Apologia.
Ad repellendas calumnias, efficacior Apologia Christiano est vitæ sanctitas. 255.2

Approbatio.
Suspectus est circa aptitudinem qui sine Præsulis approbatione docendi ministerio se ingerit. 192.2

Arma.
Validissima arma homini sunt, iusta vita. 95.1

Ascensio: Ascensus.
Christi Ascensio hominibus vtilis. 219.2
Offeramus Christo ascensionis die vasa vacua non pauca, siquidem implet omnia. 132.2
Ad ascensum gloriosum necessaria est humilitatis descensio. 132.2

Aspectus.
Horribilis improbis in die iudicij erit vulnerum Christi aspectus. 291.2
Crucis aspectus carnis frænat libidinem. 123.2
Probo discipulo gratus est magistri aspectus. 283.2
Mortis aspectus potentissimus est ad peccatorum reductionem. 258.2
Mortis aspectus peccatoribus solet pœnitudinem ministrare. 225.1

Asylum.
Oratio asylum est laborantium. 50.2

Attentio.
Oratio vocalis sine attentione animi est inutilis; cum attentione vtilis admodum. ad initium voluminis in Antilogia.
In oratione attentio. 177.2
Taxantur qui conciones audiunt sine animi attentione. 204.1

Auaritia: Auarus.
Immunda res est auaritiæ vitium. 242.1
Auaritia nimiæ est inhærentiæ, vt luxuria difficillimè ex animo auellitur. 242.1
Difficilis auaritiæ via. 241.2
Idolorum seruitus est auaritia. 135.1
Thesauro auari agnatum est semper abscondi, & numquam ad eius vsum comparere. 135.1
Auaro nihil scelestius. 184.2
Auaritia suos cultores facit à fide excidere. 184.2
Eleemosynam, quam à te pauper bis aut ter postulat non à liberali accipit, sed ab auaro extorquet. 101.1
Famam propriam obscurat, qui auarus erga pauperes ostenditur. 285.1
Diuitis auari diuitiæ nulli prosunt. 248.2

Audacia.
Pia audacia indiget Concionator, vt veritatem prædicet peccatoribus. 26.2

Aula.
Vel in aula tyranni poteris esse sanctus. 150.2

Aurum.
Aurum auari non lucet, vel ipsi possessori. 337.2

Auxilium.
Ex Dei auxilio opportunè tibi addicto tua iustificatio, & salus pendet, quomodo ergo audes peccare. 128.2
Cum humana auxilia desunt promptiùs diuina accurrunt. 193.2

B

Baptismus.
Baptismi typus nubis columna & mare rubrum. 63.1

Beatitudo.
Cælestis beatitudo tanti valoris est, vt post innumeros exantlatos labores, eā gratis accipiamus. 15.2
Vel hîc qui patiuntur fruuntur beatitudine. 249.2
Beatitudo sistitur non in cognitione nudæ veritatis, sed in facto. 242.2
Qui labores patitur, quodammodo iam beatitudine cælesti patitur. 241.1
Hominis in gratia existentis, vel hic beatitudo. 8.2

Bellum.
Bella ex peccatis originem trahunt. 161.1
Cum Reges bellum velint instituere, prius de eius iustitia cogitent. 332.1

Beneficium.
Vel efferatus animus beneficiis mansuescit. 32.2
Beneficia inimico conferens eum facis dire cremari. 32.2
Nullum recipiendum est à Deo beneficium sine gratiarum actione. 249.2
Vide verbo *Gratiarum. actio.*

Benefactor.
Benefactori non esse ingratum, magnum est Dei beneficium, pro quo debet ei gratias reddere. 187.1

D. Bernardus.
D. Bernardus quasi Mariæ filius, quia eius fuit cælesti lacte potatus. 40.2

Bonitas.

Tanta Dei bonitas vt ex ipsis malis sequi bona efficiat. 7.2

Bonum.

Propriis bonis priuatur, qui iniustè possidet aliena. 19.1

Stultus est qui bonum amat transiturum. 274.2

Omnia terrena bona nihil sunt. 247.1

Cum gratis omnia nobis vtilia bona à Deo possumus expectare. 232.2

Omnia mundi bona, desideria semper sunt, nunquam possessio. 288.2

Brutum.

Homo deliciis & voluptatibus seruiens brutum est exutum humanitate. 326.1

C

Calumnia.

Calumniæ impiorum contra iustos prorsus sunt inanes. 285.2

Calamitas.

Iustis vel calamitates esse noxiæ non possunt. 21.1

Captus.

Spiritualis Magister captui discipulorum doctrinam accommodet. 210.2

Concionator debet doctrinam sermonis captui auditorum accommodare. 46.2

Caro.

Ab omni carnis affectu immunes sint, qui ad Eucharistiam accedunt. 63.1

Carnis voluptatibus addicti solum Sapientes sunt circa ea, quæ carnem sapiunt. 19.1

Qui à carnis voluptatibus abstinet, Deum potest Patrem tenerrimum appellare. 20.1

Taxantur qui post carnis spretas delicias, ad eas recurrunt. 117.1

Qui voluptatibus carnis indulget, insipientem se ostendit. 264.2

Castigatio.

Necessaria est corporis castigatio. 61.2

Assidua corporis castigatio quodammodo dat iusto certitudinem quod in gratia persistet. ad initium voluminis in Antilogia.

Castitas: Castus.

Omni castitate fulgeat oportet, qui cum fœminis, vel spiritualiter conuersatur. 182.1

Ad castitatis custodiam abstinendum à vino. 183.2

Castitas Sacerdotalis ad pectus præcingitur. 292.1

Templum Spiritus sancti cum simus, debemus castitate fulgere. 54.2

Magnus est Labor castitatem tueri. 95.1

Vera castitas post multas victorias acquiritur. 123.1

Honor & decus hominis ex castitate: dedecus ex luxuria. 166.1

Castitas, vt persistat debet, vitæ pietate fulciri. 177.1

Qui verè cupit esse castus, à verbis minus pudicis abstineat. 135.1

Casus.

Aliorum casus nobis timorem incutiat. 29.2

Aliorum casus nos monet, vt implorata cælesti ope curemus firmitatem gressibus adiicere. 63.2

Causa.

Maximè Christo inuisum, causam te esse, vt aliquis delinquat. 59.2

Vbi non est peccatum, nulla est vera causa doloris. 338.1

Cautela.

Magna cautela adhibenda est sacro ministro petenti egenis eleemosynam, ne murmurationis detur occasio. 100.1

Censor.

In communitatibus Regularium deberent Concionum censores assignari. 75.2

Charitas.

Laudabilis admodum charitas, quæ pro armato labores sustinet. 161.2

Qui maiori charitate fulget, hic procul dubio maior est. 71.1

Sine charitate reliquæ virtutes dissoluuntur, sicut membra corporis sine spiritu. 157.2

Mirabilis Christi erga homines charitas, vel post mortem. 78.1

Vera charitas ex multis vnum facit. 123.2

Magna est inter Ecclesias fidelium per charitatem vnitas, seu identitas. 236.2

Christianorum charitas ad omnes extenditur 176.2

Perfecta charitas non solum recipit ad se venientes pauperes, sed ipsa eos quærit. 188.2

Effectus charitatis Angelorum erga homines est cooperari vt puniantur ad correctionem. 323.2

Valdè ingeniosa est charitas ad pauperi succurrendum. 99.1

Christianos omnes charitas in vnum conuertit. 41.2

Charitas efficit, vt proximi mei bonum meum sit. 50.1

Multi Euangelij ministri vnum sunt per charitatem. ad initium voluminis in Antilogia.

Charitas est omnium Spiritus sancti fructuum radix. 122.2

Charitas sacrorum ministrorum vltra obligationis terminos prosilit. ad initium voluminis in Antilogia.

Charitas Christum & homines quasi vnum fecit. 94.2

Præceptum charitatis est quasi omnium præceptorum epilogus. 283.2

Charitas Christum ex Iudice efficit peccatorum aduocatum. 274.1

Charitas est munifica. 279.1

Quàm magna Christi ergà homines charitas. 127.2

Ineffabilis in nos Christi charitas morientis pro illis qui eum interficiebant. 12.2

Christianus.

Præcelsa est dignitas Christianum esse. 184.1

Domini Christiani Christianum mancipium debent loco fratris habere. 184.1

Christus.

Christus quasi persecutione agitur, cum iustos quis persequitur. 327.2

Proprium Christi opus est, vindictos inuisere, & consolari. 145.2

Qui cum sint multi ex charitate, in vnum coalescunt & vnitatis Dei fiunt æmulatores. 132.1

Longitudo, Latitudo, sublimitas & profundum Christi perfectionum. 130.2

Cum sit Christus vnigenitus Patris, & Matris, & nascitur Primogenitus, vt nos faceret sui fratres, & Dei filios. 202.2

Quasi Christus nunc patitur, cum iusti patiuntur. 292.1

Christus cuperet si Patri placeret non hominum, sed dæmonum opera occidi ne homines tanti criminis rei redderentur. ad initium voluminis in Antilogia.
Christus est Agnus, sed simul leo rugitu exanimans impios. 201.1
Non vult Christus à se discedere eos, qui virtute virginitatis coruscantur. 321.1
Christum cruciferum cruciferi sequi debemus. 20.1
Tanta Christi erga nos charitas, vt sæpe pro nobis moreretur, si necessarium esset ad nostram salutem. 221.2
Christus patri assidet vt *Pontifex*, vt innuat semper esse promptum ad soluendū nos à peccatis. 211.2

Cibus.

Cibis, queis reficiuntur fideles agnatum est, ab illis cum actione gratiarum comedi. 180.1

Ciuis.

Laus est ciuis, numquam eius nomen in Iudicis tribunali audiri. 255.2

Cognitio.

Cognitio sui est virtutis, & fortitudinis (ad studium) fundamentum. 124.1

Colloquium.

Spiritualia colloquia vtilissima sunt. 222.1

Coma.

Taxantur fœminæ quæ comam nimium exornare student. 66.2

Commendatio.

Magna hominis commendatio inter impios olere impietatem. 144.2

Commercium.

Exitiale admodùm eum impiis commercium habere. 79.1
Cum infideli, nec leue commercium est ineundum. 40.2
Vide verbo *socius*.

Commodum.

Qui amat, amati commoda, veluti propria reputat. 145.2
Nullum hominis commodum potest cum Dei inimicitia consectuari. 236.1

Communitas.

Facile turbatur sancta communitas vel vnius subditi inquietudine. 168.1
Vel vnus prauus socius pestis est totius communitatis. 173.1
Vel vnus vir egregius magnam communitatem stabilit in virtute. 82.1
Otiosus in communitate, aliorum vitam curiosè vestigare curat. 173.1

Compassio.

Christum pati causa nostra, magnum est nostræ compassionis excitamentum. 130.2

Concio: Concionator.

Conciones non sint nimium longæ. 168.2
Concio inutilis, licet Rhetorum præceptis ornata, prudentum auditorum aures tinnit. 71.1
In concionibus à fabularum narrationibus abstineatur. 189.2
Concionator suum munus non exerceat, nisi prius à Prælato approbetur. 114.1
Sic Concionator peccata reprehendat, vt peccator non diffametur. 114.2
Taxantur concionatores, qui contra litteram & sine spiritu loca sacræ Scripturæ recitant. 89.1
Concionator qui intelligibili sermone vtitur, id donum à Spiritu sancto non accepit, nec enim est donum Spiritus sancti. 74.2
Magni momenti est, Concionatorem intelligibiliter loqui, siquidem tot argumentis studet Paulus id persuadere. 75.1
Concionator, qui intelligibilibus verbis vtitur, se puerum ostentat. ibid.
Quod haud sine malitia gerit. ibid.
Concionator qui intelligibilia verba profert, minister est diuini supplicij. ibid.
Insanire Sapientum iudicio dicitur Concionator, qui inintelligibilibus phrasibus vtitur. 75.1
Concionator prius sibi prædicet, quàm aliis. 157.2
Concionatoris proba vita verbum roboratur. 312.2
Non despiciendus est Concionator ob canorum defectum. 81.2
Scientia Concionatoris quæ vana meditatur proferenda, nocet admodum auditoribus. 58.1
Alta voce debent Concionatores vti, vt peccatores audiant. 311.1
Etiam ea quæ auditores sciunt circa morum compositionem debent à Concionatoribus sæpe memorari. 265.1
Concionator vsque ad vitæ finem Dei verbum proferat, & semper quasi incipiat. 265.1
Concionatori scientia non sufficit, requiritur etiam habere prudentiam ad doctrinam captui auditorum eligendam. 95.1
Concionator, qui proloqui curat quæ auditoribus sunt grata, non Deo, sed mundo seruit. 112.2
Concionator Prophetæ instar debet sæpe de futuro præmio & supplicio peccatoribus præparato agere. 74.1
Concionator verba affectans obscura, inutilis est auditoribus. ibid.
Non prohibetur Concionator, aliquoties stilo eleuatiori vti, dummodo mox ad rudiores descendat. 74.2
Concionatores debent animi, & vocis contentione proferre, quæ ad mortem, & iudicium spectant. 321.2
Concionatores non nimium debent semper de Dei misericordia (infinita plane) loqui: sed de iustitia sæpius. 108.1
Taxantur Concionatores, qui Dei verbum venale exponunt. 60.1
Concionator, qui verbis affectatis vtitur, videtur, se velle Spiritus sancti stilum emendare. 46.2
Concionator, quem mundi sectatores acciamant, de mundo loquitur. 278.2
Verba Concionatoris deceant Deum in eo loquentem. 165.2
Concionatores non ex prædicatione quæstum ambiant. 285.1
Taxantur Concionatores, qui importunè prædicant venalem exponentes prædicationem. 142.1
Concionator non solum debet docere, sed etiam peccata corripere. 153.2
Concionator in sermone se auditorum captui accommodet. 159.1
Concionatores indocti taxantur. 175.1
Concionator segregatus esse debet à rebus, quæ eum possint distrahere à ministerio. 3.1
Vetus Concionator Christum speculum lucidissimum æmulatur. 89.2
Agant Concionatores frequenter de præmio virtutum, & vitiorum supplicio. 189.2

Concordia.
Non potest esse in religiosa communitate concordia, si quisque suis priuatis commodis studeat. 144.1
Concupiscentia.
Sancti etiam concupiscentiæ motus sentiunt, sed non consentiunt. 17.1
Dum vita fungimur, à concupiscentiæ haud possumus impugnatione liberari. 17.2
Vide verbo *Caro.*
Confidere.
In vertice Ecclesiæ stellæ instar, poteris obducto splendore decidere ne confidas. 316.1
Confessio: Confiteri.
Post confessionem nullum peccatoris prælapsum crimen videamus Dei æmulatores. 10.1
Sancti non refugiunt, sua piacula confiteri. 16.2
Peccator faciliùs peccata confitetur, cum spiritualis parens innuit se fuisse peccatorem. 198.1
Confusio.
Diues superbus in ipsis diuitiis habet confusionem. 241.1
Coniectura.
Probabilis coniectura, quod simus in gratia. 20.1
Coniugium.
Coniugio adstricti, si perfectè illius status leges obseruet, quodammodò valent virginum cœtui adscribi. 237.2
Coniux.
Tolerantia mutua coniugum diuortium non noscit. 56.1
Valdè confert vnius coniugis proba vita ad coniugis improbi reductionem. ibid.
Conscientia.
Cum nos conscientia non accusat probabiliter, valde colligimus nos in gratia esse. ad initium voluminis in Antilogia.
Qui petens à Deo, non accipit, videat, num à conscientia reprehendatur. 277.2
Bona conscientia nihil timet, & vim dat sermoni. 258.1
Consiliarius.
Quales debeant esse consiliarij Regum. 199.1
Consilium.
Verè prudens omnia de aliorum consilio agit. 32.2
Consolatio.
Exhortatio & correptio acris affert resipiscenti consolationem. 232.1
Non est appetibilis iusto consolatio, quæ non sit æterna. 172.1
Nulla vera consolatio esse potest, nisi à Deo. 84.1
Malorum gnari aliis consolationem melius adhibent. ibid.
Diuina consolatio idem est, ac exhortatio ad gratitudinem. ibid.
Ipsum id pro Deo pati ineffabilis consolatio est. ibid.
Cum iusti Laboribus aguntur, assolet consolatio diuina eis affulgere. 265.1
Consortium.
Noli cum hæreticis consortium inire. ad initium voluminis in Antilogia.
Fugiendi à iustis impiorum consortium ne eorum pœnis & ipsi afficiantur. 329.1
Vide verbo *Socius.*
Conspectus.
In conspectu spiritualium bonorum ita corporalia vilescunt, vt esse bona non videantur. 126.1
Consuetudo.
Consuetudo in peccatis hominem reddit dubium in fide. 326.2
Qui iurandi habet consuetudinem, facilè in periurium labitur. 249.2
Consultatio.
Quantumcumque sapiens sis, nihil graue sine consultatione geras. 114.1
Rector Regularis si nolit gesta sua proba quidem à communitate reprobari, non gerat ea inconsultis senioribus. ibid.
Constans.
Tribulationibus constans animus magis roboratur. 164.1
Contentio.
Verborum contentiones non semper prosunt ad veritatis manifestationem. 189.2
Contentio affert mortem ei, qui læditur, & ei, qui lædit. 121.2
Contradictio.
Contradictio in Dei caussis addit ministro vires, & fiduciam proficiendi. 163.1
Conuersio: Conuertere.
Difficilis admodùm est conuersio eorum, qui à Deo specialiter illuminanti à via perfectionis exciderunt. ad initium voluminis in Antilogia.
Difficile opus conuersionis peccatoris. 127.1
Difficilis admodùm conuersio illius, qui è præcelsæ virtutis gradu excidit. 29.1
Recens conuerso è sæculo ad Religionem non decet cito ad patriam reuerti. 113.1
Peccatorem conuerti, diuinæ est potentiæ documentum. 113.2
Corona.
Apostolici viri corona sunt Ecclesiæ. 316.1
Qui proximorum saluti studium impendit, est Christi corona. 301.1
Corpus.
Corpus non tam est animæ domus, quàm tabernaculum transferendum. 92.2
Vti debemus corpore nostro tanquam alieno. 54.1
Correptio: Corripere.
Vt correptio proficiat, cum mansuetudine condiatur. 192.2
Non debet esse molestum auditoribus, si Concionator eandem morum correptionem inculcet. 146.1
Rector prudens post acrem correptionem subditum blandè alloquitur. 97.2
Euangelica correptio, vt proficiat, non est peccatori ingerenda increscente ira, sed indecrescente, seu in mansuetudine. 242.1
Qui corripit non contra peccatorem, sed contra peccatum inuectiuus exurgat. 52.1
Qui peccans non corripitur à Deo, signum dat, se filium eius non esse. 218.2
Pater odio habet filium, quem errantem non corripit. ibid.
Pater qui filium errantem non corripit, eum verè odio prosequitur. 297.2
Parens filium in Domino non in diabolo corripiat. 138.1
Immodestia est, Præsulem sine mansuetudine subditum corripere. 190.2

Qui publicè peccat, publicè est corripiendus. 285.2

Corrigere.

Obiecto aliorum supplicio peccator corrigitur. 307.2

Corruptio.

Corruptio morum indicat nonnihil contra fidei puritatem. 579.1

Credere.

Præsul non debet facilè credere dictis circa subditorum defectus. 67.1

Qui audit proximum deliquisse, non credat, nisi simul id videat. 67.1

Iudices & Præsules edifcunt à Deo non credere subditorum piacula, nisi duo testes, auditus scilicet & visus contestentur. 67.1

Non credendum circa proximi famam auditus singulari testimonio, nisi visus testis alter accedat. 195.2

Critizare.

Critizare idem est, quod mentiri. 195.2

Cruciatus.

Diuturnus cruciatus dirior est morte. 308.2

Crudelitas.

Ex luxuria crudelitas. 191.1

Ad puniendum diuitum crudelitatem erga agricolas, quasi omnes Dei exercitus armantur. 249.1

Ad puniendum diuitum in pauperes crudelitatem non sufficiunt temporaria supplicia. 248.2

Cupiditas.

Non sunt hominis, sed hominum nomina, qui cupiditatibus deseruiunt. 313.2

Cura.

Probus Rector plus pungitur ex spirituali cura subditorum quàm ex cunctis corporis ærumnis. 506.2

Custos.

Taxantur custodes carceris erga vinctos nimium rigide agentes. 106.2

D

Dæmon.

DÆmon canis est ligatus, latrare potest, sed non mordere nisi stultos ad eum accedentes. 309.1

Damnatus.

Damnatis pœnitudo numquam profutura. 229.1

Quàm dira mors damnatorum, quibus semper mors erit in desiderio. ad initium voluminis in Antilogia.

Sententia damnatis ferenda gladius est vtraque parte acutus. 292.2

Dira admodum damnatis cogitatio, passuros se sine spe vnquam moriendi. 308.2

Debitor.

Admodum debitores sumus Christi meritis, per quæ omnia bona percipimus. 50.2

Ille, quem Deus vocauit ad proximos erudiendos, se docendi illos debitorem debet agnoscere. 3.2

Quàm simus Christo debitores. 118.2 & 128.2

Decretum.

Taxantur sæculares Magistratus, qui Ecclesiasticorum Principum decreta despiciunt. 70.2

Dedecus.

Dedecus hominis est peccatum. 90.1

Defectus.

Proprium est sanctorum aliorum defectus excusare. 193.2

Aliquando Rector circa subditorum defectus se debet cæcum & mutum ostentare. 506.1

Deficere.

Taxantur qui perfectionis viam feruentes ineuntes deficiunt. 122.1

Deipara.

Qui memor Deiparæ est cum scribere apparat, vtiliter scribit. 42.1

Deipara gratiæ plenitudine filij æmulatrix. 160.1

Deipara est iris Deum circuens, ne igneus ad peccatores absumendos procedat. 299.1

Deipara cognouit se Dominam esse, & se ancillam cognouit. 108.2

Deipara largitur suis vbertim dona gratiarum. 240.1

Vide verbo *Maria.*

Delectatio.

Taxantur qui Concionatores adeunt ad auditus delectationem. 592.2

Vide verbo *Concionator.*

Delicia.

Vita in deliciis, & in aula vix sine peccato esse potest. 225.2

Delinquere.

Qui delinquens, mox pœnitentiam non agit, pluribus aliis peccatis implicatur. 109.2

Qui impunè sine laborum obstaculo delinquunt, sciant eis horribilem pœnam præparari. 223.2

Dei supplicium est, permittere, vt impunè delinquas. 222.2

Qui delinquit, videtur antiquas inimicitias inter Angelos & homines innouare. 153.1

Dependentia.

Non vult Deus vel ministros maiores aliquid agere sine Præsulis dependentia. ad initium voluminis in Antilogia.

Desiderium.

Dei oculis praua desideria pro operibus computantur. 326.2

Desperare.

De peccatorum salute non desperandum. 24.2

De nullius quantumuis perditi salute desperandum. 199.1

Detractio : Detractor.

Detractio rarò sine calumnia fit. 179.2

Minister Euangelicus debet detractores conuincere de calumnia. 103.2

Qui detrahunt iis, qui specialia deuotionis opera gerunt, ipsius legis Dei detractores. 247.2

Deus.

Deus in nobis regnat cum semper de illius voluntatis executione gaudemus. 35.2

Deus assolet dilecto supplicium aptare. 3:5.2

Deus vult vt nullus damnetur, sed ob peccatoris retinentiam permittit eum indurari. 236.2

Deus vult Præsules à nobis haberi, ac si in illis Deum ipsum aspiceremus. 225.2

Dicitur de Deo : *facit*, nec quid facturus sit exprimitur, vt nos verbo illi apponamus nomen, quod velimus. 568.2

Deus non ex iustitia, sed charitate vult definiri. 278.2

Deum minimè cognoſcit, qui delinquere audet. 274.1
Deus amans nos iure à nobis redamari exigit. 135.1

Diabolus.

Diabolus Mariæ iuratus inimicus. 319.1
Diabolus ſemper eſt paratus ad nocendum hominibus. 309.1

Dies.

Die, in qua Euchariſtiam recepiſti, indecens valdè eſt comœdiis intereſſe. 64.1
Nulla dies bona peccatori eluceſcit. 136.1
Omnes dies ſemper ſunt boni iuſtis. ibid.
Die quo reficiendus ſis Euchariſtia, pauperem eleemoſyna refice. 67.2
Non timeas diei hominis, ſed diei Dei iudicium. 49.2
Vide verbo *Euchariſtia. Iudicium.*

Diffidere.

Iniuriam Deo infert, qui diffidit, cùm orat de poſtulati conſecutione. 241.1

Diiudicare.

Nemo ſeipſum rectè diiudicare poteſt. 50.1

Dilectio: Diligere.

Maior dilectio proximi arguit maiorem legis obſeruationem. 166.2
Dilectio proximos facit Deum vel hîc quodammodò videre. 279.1
Cum ſubditus certus eſt de Rectoris erga eū dilectio- ne, promptè vel difficilia exequitur imperia. 97.2
In vno mandato dilectionis omnia mandata continentur. 277.2
Signum eſt, quod in gratia ſumus, proximi fraterna dilectio. 277.1
Dilectionis veritas operibus comprobatur. 291.1
Dilectionis in proximum ſemper ſumus debitores. 33.2
Qui verè diligit proximum totam ferè legem Dei implet. ibid.
Peccata eorum quos diligis, tibi quaſi ſpecie virtutis præſentantur. 260.1
Qui proximum diligit, vt lex imperat: innuit, ſe reliqua præcepta cuſtodire. 211.2
Qui verè alium diligit, cum eo tribulatione afflicto ſimul patitur. 141.2
Verè eſt ſapiens, qui Deum verè diligit. 59.1

Diſcipulus.

Qualis diſcipulus eſt, talem arguitur eſſe magiſtrum. 88.1
Vide verbo *Magiſter.*

Diſcordia.

Quælibet ſeruorum Dei diſcordia aliis parit ſcandalum. 148.1

Diſcretio.

Animi fortitudo diſcretionem ad agendum ſuppeditat. 264.1

Diſpenſatio.

Taxantur mariti, qui non ſidunt vxoribus quotidiani ſumptus diſpenſationem. 197.1

Diſpoſitio.

Ad Euchariſtiam ſuſcipiendam optima diſpoſitio labores vltronei ſuſtinere. 231.2

Diſſentio.

Diſſentio inter Chriſtianos, bellum eſt animorum. 247.1

Diſtributor.

Qui alienæ eleemoſynæ eſt diſtributor, ex proprio penu eleemoſynam dat, cum hilariter illam diſtribuit. 35.2

Ditio.

Non recedat Epiſcopus, aut parochus à ditione, non relinquens vicarium aptum. 198.2

Diuerſitas.

Si in communitate ſit ſententiarum diuerſitas, pax non poterit conſeruari. 110.2

Diues: Diuitiæ.

Qui ſe diuitem ſcientia, virtute, &c. ſe eſſe putat pauper Deo oſtenditur. 137.1
Chriſtiani populi diuitiæ probi Concionatores. 43.2

Docere.

Peſſimum eſt alios impietatem edocere. 155.2

Doctor.

Taxantur Doctores affectantes inutiliter ſubtiliores doctrinæ modos. 31.1

Doctrina.

Suſpecta tibi ſit doctrina, quæ de auari qui eam vendit, ore procedit. 166.2

Dogma.

Laudabilis, qui dogma vtile, quod in Concione audiuit memoriæ retinet. 66.1

Dominus.

Qui dominatur vitiis verè Dominus eſt: qui eis ſeruit, debet mancipium appellari. 282.2

Donum.

Dona, quæ à Spiritu Sancto accipis, ad Eccleſiæ vtilitatem debent impendi. 69.1

Dos.

Qui de aliqua dote glori atur, nec Deo tribuit quodammodò ſe Deum eſſe præſumit. 50.1
Dotes, quibus in reſurrectione corpus donandum eſt, nos ad ipſius mortificationem alliciunt. 80.1

Duratio.

Vitæ hominis duratio quam breuis, quam nihil. 303.2
Quàm breuis eſt voluptatum ſæcularium duratio. 267.2
Damnatorum pœnæ duratio ponderatur. 269.2

Dux.

Vt Dux vincat debet exire vincens. 102.2
Magna laus eſt viri cuiuſuis rei egregiæ eſſe ducem. 40.1

E

Ebrietas: Ebrius.

Infame vitium eſt ebrietas opus equidem tenebrarum. 168.1
Quàm potens eſt ebrietatis vitium. ibid.
Ebrietati ſtudere ſignum reprobationis non leue eſt. ibid.
Infame Eccleſiaſtico viro vinum, vel vmbra ebrietatis. 179.1
Ebrius mancipium vini. 197.1

Eccleſia.

Quàm turpe eſt, mulieres in Eccleſia loqui. 76.1
Myſticum Chriſti corpus Eccleſia. 70.2

Effectus.

Pœnam impio hîc infligi, diuinæ pietatis eſt effectus. 307.1

Elatio.

Facilè quis ob elationem labitur. 29.2

Electio: Electus.

Continuæ gratiæ Deo reddendæ à nobis ob beneficium electionis nostræ ad Christianismum. 126.2

Vbertimæ Deo gratiæ reddendæ ob beneficium electionis ad iustitiam. 126.1

Voluntas Dei est, vt sui electi hîc laboribus affi-ciantur. 223.2

Electi coronam suam fortiter teneant, ne ab alio arripiatur. 237.2

Exiguus electorum numerus, si cum immenso reproborum comparetur. 208.1

Eleemosyna.

Eleemosyna maximè domesticis exhibenda. 124.1

Eleemosyna *gratia* vocatur, quia per eam Deus allicitur ad gratiam conferendam. 81.1

Qui eleemosynam agit, eum paupere communicat dans ei, & ab eo recipiens. 101.2

Illa est commendabilis eleemosyna, quæ pauperi non petenti irrogatur. 96.1

Ex eleemosynæ virtute maximè homo commendabilis, vel erga homines obiicitur. 285.1

Eleemosyna gratia Dei vocatur, quia eam largitori conciliat & conseruat. 98.1

Qui experit diues fieri eleemosynas gerat. 99.1

Vide verbo *Pauper.*

Eloquentia.

Affectata in Concionibus eloquentia euacuat fructum, seu inutilem reddit Euangelij vim. 44.1

Vide verbo *Concionator.*

Episcopus.

Dona quæ Episcopus Deo debet offerre pro peccatis populi, sunt eleemosynæ. 209.1

Episcopus sit facilis ad audiendum subditos. ibid.

Agnanim est Episcopali muneri, subditos docere. 131.2

Ipsa bonitas, seu honor Episcopalis pondus est grauissimum. 178.1

Opus Episcopale difficillimum. ibid.

Episcopus sit irreprehensibilis, vt alios liberè valeat reprehendere. ibid.

Contra eos, qui Episcopatum ambiunt. 209.2

Episcopatus non est dandus desideranti illum, sed timenti accipere. 179.1

Episcoporum sanctitas in omnes Ecclesiæ ministros similes mores influit. ibid.

In munere Episcopali solent defectus contrahi, qui Dei egeant misericordia. 175.1

Episcopus admittens indignos ad Ordines, particeps fit peccatorum quæ illi in ministerio perpetrant. 183.2

Ex recta familiæ gubernatione edifcit Episcopus populum sibi commissum regere. 179.1

Qualis domus Episcopi circa mores ostenditur, talem conijcimus degere populum. ibid.

Episcopos decet Angelica puritas. 192.2

Episcopi frequenter recognoscant, an Sacerdotes sui sint verè Ecclesiæ lucernæ. 295.1

Munus prædicandi per se obeat Episcopus. 178.2

Auaritia in Episcopo reprehenditur. ibid.

Epistola.

Epistolæ fidendum non est, quidquid famæ alicuius possit officere. 285.2

Error.

Quanto errore nitantur hominum iudicia. 50.2

Erubescere.

Demens est qui id agit, vnde postmodum erubescat. 15.2

Euangelium.

Euangelij minister Dei & animarum amore succensus tempore exiguo multum operatur. 237.2

Non solùm qui Euangelium prædicant, dicuntur eius ministri, sed quodammodò, & qui illis necessaria impendunt. 40.2

Qui ex Gentibus vocati ad Euangelium sunt ex mera Dei misericordia, non ex promissione, speciales Deo gratias quotidie reddant. 37.2

Egregius Euangelij minister omnium formas debet æmulari. 61.2

Operarius Euangelij se discipulorum ministrum gerat: sed illi eum, vt Christi ministrum reuereantur. 49.5

Vide verbo *Minister.*

Eucharistia.

Pudeat te singulari Christi præsentia: mons sanctificatus fuit, dum tu crebra Eucharistiæ receptione nondum es sanctificatus. 265.2

Eucharistia dignè accepta allicit hominem ad facilem legis custodiam. 218.1

Frequenti Eucharistiæ acceptione castitas conseruatur. ibid.

Ad Eucharistiam accedere debes, ac si post communionem mox esses moriturus. 67.2

Eucharistia armatura fortium Ecclesiæ persecutionis tempore. 303.1

Eucharistia animum roborat ad labores sustinendos. 316.2

Eucharistia via recta est, quâ in cœlum proficiscimur. 222.1

Indignè recipiens Eucharistiam Dei filium conculcat. 221.2

Eucharistiam sæpè accipere, efficacissimum est contra luxuriam medicamen. 134.2

Eucharistia præmium vincenti, quia æternæ felicitatis pignus. 295.1

Eucharistiæ recipiendæ die laudabiliter coniuges ab vsu matrimonij abstinent. 55.2

Exaggeratio.

Sancti ad exprimendos defectus suos hyperbolica exaggeratione vtuntur. 17.1

Examen.

Prudens nihil agit, sine examine præmisso. 168.2

Excæcatio.

Peccatoris ob replicata crimina excæcatio. 28.2

Excommunicare: Excommunicatio.

Excommunicari hominem idem est, ac diabolo tradi. 51.1

Grauissimum animi supplicium excommunicatio est. 87.1

Exemplum.

Prælati exemplum subditos quasi cogit ad imitationem. 115.1

Prædicationi efficaciam addit doctoris exemplum. 3.1

Exemplum Præsulis fortius est correptione, ad subditos virtuti addicendum. 261.2

Sancta vxor solet virum impium ad sanctitatem allicere exemplo. ad initium voluminis in Antilogia.

Vnius publicè delinquentis exemplum impunitum plures sequuntur. 52.1

Ad

Ad exemplum bonum, vel malum Metropolitanæ Vrbes subditæ operantur. 319.1
Exemplum sine lingua loquitur disertiùs, quàm Rhetores, ad persuadendum. 198.2

Exercitatio: Exercitium.

Officij illiciti exercitatio non subleuat pauperem sed auget. 135.1
Etiam sancti indigent spiritus ignem nouo exercitiorum spiritualium flatu suscitare. 187.1
Id agunt singulis annis Iesuitæ. ibid.
Longè est à peccandi periculo, qui exercitio virtutis studet. 265.1

Exhortatio.

Exhortatio semper debet esse consolatoria. 172.2
Quodlibet supplicium peccatori illatum nobis est exhortatio. 287.1
Exhortatio tam vrbana sit, vt obsecratio videatur. 261.1

F

Facetia.

Facetiæ in concione sunt sonus sine re. 135.1

Falsum.

Multa dicuntur, quæ pòst falsa esse probantur. 67.1

Fama.

Sanctæ communitatis fama conspurcatur, si in ea, vel pauci irreligiosi permittuntur. 86.1

Fames.

Fames ideò spirituali fame non afficimur, quia non probamus, quàm dulcis sit Deus. 255.1

Familia.

Qualis familiæ caput, tales solent esse familiares. 267.1

Famulus.

Famuli respsonsantes heris fiunt intolerabiles. 197.2

Felicitas.

Felicitas filiorum qui sanctos sortitus est parentes. 29.1
Vel in præsenti felicitate denique donantur, qui labores patienter sustinent. 249.2
Molestias vitæ patienter toleras breui soluendas, qui æternæ memor est felicitatis. 14.2
Magna est iustorum felicitas, mortem non timere. 269.2
Temporalis felicitas solet animi virtutem comitari. 284.2

Femina.

Feminæ quas *Beatas* vocitant, si non modestè incedant, spirituali vix notam adiiciunt. 181.2
Fœminæ fugiant virorum assidua colloquia etiam pia. 148.2

Quæ vestis decet fœminam, hæc illam ornat, non indecens. 177.2
Pulcher fœminæ ornatus modestia. ibid.
Profanos habitus in fœmina, indicat eam proferri libidinem. ibid.
Fœmina loquax vult in virum dominari. ibid.
Ad sacrum cœtum Monialium non admittantur sæculares fœminæ minus pudicæ. 182.2

Feruor.

Memoria feruoris nouitij facit nos feruorem acuere iam remissum. 293.2
Exercitia spiritualia societatis Iesu restituunt animo antiquum feruorem. 294.1
Eucharistiæ sumptio confert ad augendum animi feruorem. ibid.

Fidelitas.

Christiana Religio influit fidelitatem. 200.2

Fidere.

Haud tibi fidas in virtutum vertice constitutus: *Virtutes cadunt.* 138.1
Ne fidat peccator, quod Deus sit pater: simul enim Iudex rectissimus est. 253.2
Stultus qui fidens vitæ vitreæ, audet peccare. 323.1
Ne fidas quod in lege gratiæ viuas, vt delinquere audeas: gratiæ enim ros in ignem vertetur ingratis. 229.2

Fides.

Fides gloriæ futuræ facit, nos mortem expetere, vt gloria illicò potiamur. 93.1
Fides cum operibus. 161.1
Pauci veritatem fidei ad æternitatem gloriæ, vel pœnæ attinentem audiendi auribus excipiunt. 319.1
Fides est argumentum conuincens, & demonstrans. 224.1
Fidei elogia. ibid.
Fides sine operibus ad iustitiam ac salutem non sufficit. 122.1
Vitia faciunt homines à fide deficere. 196.1
Fides sine operibus non est plena. 222.2
Ficulnea sine fructu, sine operibus fides. 244.1
Nescitur an fidem habeat, qui eam operibus, non manifestat. ibid.
Fides ex rectis operibus manifestatur. 200.1

Filia.

Taxatur filia quæ inscio, vel repugnante parente nuptui traditur. 58.1
Cura parentum specialiter filiabus commendatur. 182.1

Filiatio.

Quàm stultus, qui Dei filiationem exuit, vt diaboli induat seruitutem. 319.2

Filius.

Prauus filius iusti parentis mendaciter dicitur illius esse. 257.1
Diù & prosperè viuunt filij qui parentes honorant. 337.1

Finis.

Omne quod habiturum hîc est finem, non potest nominari gloria. 89.2

Fluuius.

Fluuius peccati originalis qui omnes homines obruit, nec guttam aspersit in Mariam. 317.2

Fomes.

Vnum peccatum alterius est fomes. 15.1

Fortitudo.

Magnum Dei donum est fortitudo, qua libidinis tentamina superantur. 56.1

Fructus.

Ex fructu dignoscitur quisnam verus Euangelij minister existat. 60.1
Fructus tristitiæ cordis Deo gratiæ fructus vberrimi. 97.2

Fucus.

Anus fuco vtens, & profano indumento, risus est populi. 196.2

Fundamentum.

Habitatio terrena fundamentum non habet. 225.1

G

Gaudium.

Laudabile est gaudium Concionatoris curantis propinquos ad virtutem allicere. 29.1
Terrena gaudia vacua sunt semper. 271.1

Gehenna.

Etiam apud iustos, & perfectos loqui aliquando oportet de gehenna. 211.2

Genealogia.

Pontifex, Episcopus & Sacerdos sine genealogia debent esse. 213.1
Stulta est planè aliquorum de genealogiæ origine gloriatio. 198.2
Omnibus agnatus amor & plausus geneologiæ suæ. 305.1

Gentilis.

Quasi Gentilis viuit, qui ad diem mortis, qui repentè potest venire, se non præparat. 167.2

Gerere.

Qui non gerit se in terra vt peregrinum, patriæ cælestis omninò est oblitus. 225.1

Gloria.

Gloriæ cælestis immensitas. 156.2
Solùm cælestis gloria potest satiare hominis animum, non cuncta terrena. 150.1
Concionator sæpè loquatur de gloria beatorum, ad virtutis excitamentum. 337.2
Diuinæ visionis gloria nequit innumerabilibus symbolis exponi. 338.1
Gloria corona est semper viuens, seu virens. 241.2

Gloriari.

Taxantur qui de scholarum specialium Magistris gloriantur. 48.1
De nullo proximorum prouentu sacer Magister verè potest gloriari. ibid.

Gratia.

Quasi impossibile esse debet, vt peccator gratiæ restitutus, rursum relabatur in crimina. 14.1
Gratia Dei est velut gloria. 252.1
Gratia in nobis multiplicata, omnia multiplicantur bona. 252.1
Quidquid boni gesseris, Dei gratiæ adscribe. 78.1
Gratia à Deo interuentu Angelorum postulanda. 291.1
Qui Dei gratia non fruitur, vera pace potiri non potest. 43.1
Cum es in gratia, quidquid appetere volueris bonum, expecta. 172.2

Gratiarum Actio.

Pro continuis Dei beneficiis continuæ sint gratiarum actiones. 169.2
Continua Dei beneficia continuam exigunt gratiarum actionem. 158.1
Quotidianæ orationis optimum argumentum est gratiarum actio. 158.1
Semper gratias Deo agere, quia Christianos fecit nos, est hominis perfecti dignissima occupatio. 255.1
Gratiarum actio pro beneficio accepto aliud à Deo vberius acquirit. 155.1
Pedissequa debet esse gratiarum actio Dei beneficiis. 131.2
Ingens Dei beneficium ingenti gratiarum actione est celebrandum. 305.2
Cum aliquod à Deo speciale acceperis beneficium, quære iustos qui tecum gratias reddant. 85.1
Recepta à Deo gratiarum actio à pluribus expressa. 91.2
Per instantia singula à Deo recipientes beneficia, instantibus singulis gratias ei agere debemus. 135.1
Semper à Deo beneficia accipientes, semper ei gratiarum actionem reddamus. 231.2
Vide verbo *Beneficium.*

Gratitudo.

Gratitudinis lex à sanctis & nobilibus velut præceptum vrgens obseruatur. 40.1

Gressus.

Gressus sacerdotalis debet esse pretiosus. 292.1

Gubernator.

Nouus Gubernator assolet præcedentis modum regiminis immutare. 294.1
Ex prudentia Gubernatoris Reipublicæ tranquillitas pendet. 177.1
Pro nostris oramus commodis, cum pro Gubernatoribus preces fundimus. ibid.
Gubernatores totos decet esse oculatos. 299.2

Gula.

Post gulam luxuria. 294.2

Habitus,

H

Habitus.

VEl habitus modestus necessarius est ad orandum vtiliter. 66.2

Hæreditas.

Ad Dei hæreditatem assequendam debemus veraciter Dei esse filij. 20.1

Hæresiarcha.

Celer & infamis Hæresiarcarum finis. 266.1

Hæresis.

Per mulieres, omnes hæreses propagari cœperunt. 191.1

Rarò hæresis non nititur luxuria. 266.1

Hæreticus.

Rarò hæreticus non inficitur luxuria. 294.1

Qui ingenti propinquo, vel domestico non succurrit velut hæreticus est. 182.2

Hæretici sunt quasi dæmones. 180.1

Homo.

Si homo Dei Templum est, mundissimum esse oportet. 129.2

Homo Dei Episcopus,& Doctor. 191.2

Horror.

Quàm sit ineffabilis pœnæ æternæ impiis paratæ horror. 306.1

Hospitalitas.

Perfectius hospitalitatis opus est,hospites quærere, quos recipiat. 32.1

Charitatis hospitalitas est sine murmuratione. 260.1

Vnius hospitalitatis merces hinc est plures postea gerere hospitalitatis actiones. 41.2

Hostis.

Contra hominem veritate & iustitia armatum nullus præualet hostis. 138.2

Humanitas.

Sordescit humanitas ad diuina percipienda. 298.1

Potentior est ad filios continendos prudens humanitas, quàm seueritas. 137.2

Humilis : Humilitas.

Verè humilis potest scire se esse magnum & nihil se esse profiteri. 108.2

Vera animi humilitas debet pœnitentiam comitari. 247.2.

Agnatum humilitati præmium exaltatio. 247.2

Humilitas est mater fraternæ charitatis. 132.1

Spirituale oculorum collyrium est humilitas. 297.2

Concionator humilitate magis facit elucescere doctrinæ maiestatem. 91.1

Agnata humilitati exaltatio, vndè humiliari exaltari est. 299.2.241.1.144.2.&228.1

Hypocrisis.

Hypocrisis in publico, vera virtus in abscondito operatur. 6.1

I

Idiota.

MAgna Concionatorum molestia est subiici idiotarum censuræ. 193.2

Ierosolyma.

Ierosolyma vocatur adhuc dilecta à Deo Ciuitas, quia Martyrium sanguine erat irrigata. 334.1

Hinc conuersionis Angliæ & Iaponij spes. ibid.

Iesus.

Nomen Iesu est velut persona Christi potentissimum ad operandum. 281.1

Qui pro nobis dignatus est mori Iesus, nihil rerum suarum nobis denegabit. 112.1

Nihil sine Iesu possumus. 207.1

Beati profitentur, se ob Iesu nomen salutem fuisse consecutos. 338.2

D. Ignatius.

Si D. Ignatio daretur optio, seu mox gloria potiri, seu viuere adhuc vt Deo aliquod speciale litaret obsequium; sine dubitatione in salutis incerto viuere eligeret. 142.2

Ignatius de loyola mauult incertus de salute viuere, vt proximorum saluti seruiat, quàm certus de gloria statim mori. 12.2

D. Ignatius peccata iuuentutis cuidam aperuit, vt alliceret eum ad sua faciliùs confitenda. 198.1

Ignobilis.

Filius patris nobilis, ignobilis est, si vitiis seruit. 237.2

Imitari.

Canem & suem imitatur qui ad relicta peccata reuertitur. 268.2

Immaturitas.

Quod in iuuene est immaturitas, in sene est impudicitia. 196.1

Immodestia.

Quàm noxia toti Religioni sit vel vnius Religiosi apud sæculares immodestia. 166.2

Impedire.

Alios impedire, ne Christum sequantur, tam graue est peccatum, vt videantur id solùm mensuram adimplere. 163.2

Qui pergentem ad pium opus impedit, satanas est. 164.1

Impius.

Impij & in præsenti, & in Tartaro sine intermissione torquentur. 321.2

Impiorum artes ad nocendum, pigritiam ministrorum Ecclesiæ taxant ad proficiendum. 171.1
Et in præsenti impij solent eadem affici pœna, quà ipsi proximum diuexant. 319.1
Impij sunt dæmonum hic infernus. 238.2
Impio omnia in malum exundant. 8.1
Nonnulli impij magnam possunt Ciuitatem inficere. 307.2

Importunitas.

Qui improperat pauperis petendi importunitatem à Dei spiritu longè recedit. 241.1

Impugnatio.

Falsi amici impugnatio vincit omnium periculorum diritatem. 106.2
Dirior est hominum impiorum, quàm dæmonum impugnatio. 172.1

Inæqualitas.

Inæqualitas domorum, seu stirpium in hoc sæculo causa est inimicitiarum. 336.1

Incarnatio.

Tota Dei sapientia quodammodò necessaria est, ad solidè intelligendum, & ponderandum incarnationis beneficium. 130.2

Incedere.

Superbia & luxuria pariter incedunt. 288.1

Incertitudo.

Diuitiarum incertitudo. 185.2

Incipere.

Benè incipere, est veluti absoluere. 301.1

Inclemens.

Qui in peccatores inclementes sunt, eadem pœna solent puniri. 123.1

Inclinatio.

Nihil vilius homini, quàm ad vitia carnis inclinatio. 108.1

Incommodum.

Omnia vxoris incommoda ex marito bilosso, ex loquacitate illius proueniunt. 177.2
Corporis incommoda à cælesti Medico ad sanitatem spiritus ordinantur. 52.1
Nihil Concionator dicat, ex quo aliquod incommodum auditori vllis sequi possit. 97.1

Incredulitas.

Christum non agnoscere, dira incredulitatis est pœna. 28.2

Incuria.

Incuria Parochi circa docendam suas oues doctrinam taxatur. 216.2

Indecentia.

Magna indecentia est prædicandi ministerium venale exponere. 105.2

Indulgentia.

Multi ob nimiam vitiorum indulgentiam, à fide excidunt. 176.2

Infirmitas.

Qui humiliter profitetur suam infirmitatem ad operandum à Deo potens efficitur. ad initium voluminis in Antilogia.

Ingratitudo.

Accipienti beneficium agnata est ingratitudo. 169.2
Agnata est hominibus post beneficia à Deo accepta, ingratitudo. 331.1

Ingressus.

Facilem nobis Christus offert salutis ingressum. 336.1

Inimicus.

Inimici nostri fouendi, excipiendi: inimici fidei omninò ablegandi. 237.2

Iniuria.

Beneficium accipis ex eo qui te iniuria afficit. 257.2
Sustinere prædicatorem patienter iniurias, infideles allicit ad fidem. 142.1
Hoc cuiusdam societatis Iesu alumni exemplo confirmatur. ibid.
Qui alteri condonat iniuriam sibimetipsi condonat ob debitam inter Christianos animorum vnitatem. 157.2

Inops.

Qui inopi succurrit, Deum sibi reddit debitorem. 149.2
Vide verbo *Pauper.*

Insipiens.

Non potest diù insipiens occultari. 191.2
Homo insipiens quasi non homo. 26.2

Inspiratio.

Differre in diem crastinam hodiernæ inspirationis executionem, sæpè idem est ac cor obdurari. 206.2

Instauratio.

Qui vult æterna corporis instauratione donari, corpus temporali destructioni exponat. 20.2

Institutum.

Agnatum diabolo institutum nocendi hominibus. 334.1

Insultare.

Periculosè quis stans cadenti peccatori insultat. 29.2

Intercedere: Intercessio.

Intercedere pro errante valde est vtile. 200.1
Vt à Deo veniam impetremus, ad intercessionem sanctorum accurramus. 199.2
Deiparæ Dei sponsæ est apud eum potentissima intercessio. ibid.

Ira: Iracundia.

Maximè Dei iram prouocat, qui obiecto supplicio simili peccatori illato, non corrigitur. 309.2
Non extinguit vxor iram mariti vociferando, sed sufferendo. 257.2
Nimium loqui assolet iram excitare. 241.1
Dei ira in peccatores semper in actu veniendi persistit, caue ne te peccantem apprehendat. 157.1

Iracun

Iracundia mulieris effrænata. 242.1
Vel sancta iracundia non diù permittenda est procedere, ne in vindictam declinet. 133.2

Iratus.

Homo iratus crudelibus non differt à Bestiis. ad initium voluminis in Antilogia.

Irrationabile.

Irrationabile prorsus est, Deo non obedire. 31.1
Irrationalis est, qui Dei gratiam pro temporali mercede permutat. 267.2

Iter.

Prosperum semper erit iter, quod sola Dei voluntas direxerit. 3.2

Iudæus.

Difficillime Iudæi ex corde ad Christum conuertuntur. 119.2

Iudex.

Iudex sine Deo difficilè iustè iudicabit. 53.1
Iudex duas habeat aures ad vnam & alteram partem litigantium. 183.2
Iudex propriæ domus vitia reformet; si velit alienis leges præscribere rectè viuendi. 260.2
Stultus est qui non semper Iudicem cœlestem spectat. 260.1

Iudicium.

Qui hæret Christo, iudicij diem non timet, sed expetit. 171.2
Desiderabilis est iustis dies iudicij, in quo iam non erit peccandi facultas. ibid.
A peccando absterret homines extremi iudicij memoria. 43.2
Quam horribile iudicium Dei improbis. 121.1
Christus iudicij die, vt homo horribilior impiis apparebit, rigidior, vt Agnus. 304.2
Dei iudicia homo penitus ignorat. ad initium voluminis in Antilogia
Iudicij memoria efficacissima ad rectè operandum. 141.1
Qui in luce gratiæ viuit, non timet diem iudicij venturi in tenebris. 167.2
Faciem Christi in die iudicij videre, erit impiis velut totius æternæ pœnæ epilogario. 170.1

Iuramentum: Iurare.

Ratò in iuramentis hominum non est aliquid ex quo eos debeat pœnitere. 214.2
Taxantur qui propter res parui ponderis, audent iurare. ibid.

Iustus.

Iusto cuncta siue prospera, siue aduersa in bonum cedunt. 159.2
Vel pauci vnus instus Deo quasi totus est populus. 18.1
Insti vel hîc vita felici potiuntur. 180.2
Iusti acti laboribus similes Christo redduntur. 161.2
Gaudeant & laxentur animo iusti, sed modestè. 149.1
In obitu iustorum pij mœrent, impij lætantur. 313.2
Iustus cadens tam velociter surgit, vt non cecidisse videatur. ad initium voluminis in Antilogia.

L

Labor.

IVsto labores videntur solum rendi à longè, non executioni mandari. 193.2
Angi laboribus signum est, te seruum esse Christi, 124.2
Labores pietatem ingenerant in patiente. 264.2
Verum proximi, amarorem magis crueiat alienus, quam proprius labor. 223.1
Quasi necessarium est iustis, laboribus agi in præmium virtutum. 191.2
Qui vult pro Deo alacriter laborare, mortem continuo instantem memoriæ obiiciat. 79.1
Laborum beatitudo. 250.1
Christiani vitæ agnati labores. 164.1
Gloria sustinentis labores. 130.2
Momentanei sunt iustorum labores qui æternitatis requie sunt munerandi. 294.1
Qui vocatur ad gloriam, consequenter ad labores sufferendos vocatur. 257.2
Qui labores hîc pro Deo sustinet, iam quodammodò Regnum cælorum possidet. 291.2
Laborum tempore virtutum exercitatio crescat oportet. 291.2
Labores faciunt Ecclesiam filios suttes felicius parere. 316.2
Laboribus probatur virtus sanctorum. 323.1
Sancti in laboribus exultant. 141.2
Cum Deus nos laboribus onerat, simul auxilium ad illos tolerandos suppeditat. 149.2
Labores Dei beneficia, imò & virtutum hic pretium. 196.2
Vbi igne laborum iusti probantur, Christus adest consolator. 295.1
Homini orationis studioso placidi sunt labores. 32.1
Magna Dei pietate impius laboribus constringitur, vt amens pœna mentem recipiat. 295.1
Immensorum laborum ineffabile præmium erit, si vel semel detur nobis dignè recipere Eucharistiam. 295.2
Labor ille debet solum memorari, & laudati, qui ad Dei gloriam ordinatur. 40.1
Magna Dei pietate hîc peccator laboribus affligitur. 66.2
Labores iustorum veri quodammodo labores non sunt, sed *quasi* labores. 95.2
Quantus labor sit iusto, cum impiis habitare. 267.1
Sanctis labores excitant gaudium, non tristitiam. ad initium voluminis in Antilogia.
Vt labores patienter sustineas, cogita, perbreuem tibi fore vitæ huius durationem. 149.1
Post labores multos exantlatos gloria nobis gratis donatur. 336.1

Lachryma.

Prodigæ impenduntur lacrymæ nisi ob Deum amissum. 97.1

Laicus.

Probi laici à Deo quasi pro Sacerdotibus reputantur. 255.1

Laudare: Laus.

Indecens Concionatori seipsum laudare. 93.1
Insani hominis est, seipsum laudare. 93.2
Quod Christo morienti debemus, nos facit elingues ad

ad nos laudandos, nisi ad ipsum laus referatur. 93.2
Insipientis est, seipsum laudare. 105.1
Molestum valdè, audire laudantem seipsum. 105.1
Homo cupit à cunctis laudari, ipse verò ad alios laudandos hæret elinguis. 108.2
Eo ipso quod sese quis laudat, dicet laudem illam falsam esse, aut suspectam. 103.2
Sæpè operans rectè specie externa, haud est laude dignus. 103.2

Leuamen.

Oratio est omnium leuamen laborum. 249.2

Lex.

Nulla nobis lex debet esse difficilis postquam filius Dei sub lege est factus. 119.1

Liber.

Laudabiles qui piè ad aliorum eruditionem libros scribunt. 99.2
Sacer liber supplet viui Doctoris absentiam. 181.1
Pij libri semper, & vbique loquuntur, quod vox non potest. 159.2
Qui librum sacrum scribit, semper in illo Concionatoris officium agit. 311.2
Nihil est scribendum in libro, in quo vel minima mendacij sit suspicio. 336.1

Liberalis.

Donum inenarrabile Dei est in inopes esse te liberalem. 101.2
Liberalis in pauperes spiritualibus & terrenis bonis oppletur. 101.1

Libido.

Contumeliosum est homini libidini seruire. 4.1

Licere.

Non omnia quæ licent, expedit à Sacerdote, aut Religioso geri. 53.2
Licet aliquando superiorem à subdito publico reprehendi. 115.1

Lingua.

Praua lingua est omnium malorum velut Academia. 245.2
Linguæ vitium vsque ad finem vitæ solet perseuerare. ibid.
Praua lingua plerumque hominem ad damnationem trahit, vt diuitis Epulonis supplicium imitetur. ibid.
Solus Deus effrænem linguam potest reprimere. ibid.
Lingua in proximum maledica, si Deum laudare studeat, non tam illa erit laudatio, quam conuitium. 246.1
Viri est consummati, linguam coërcere. 245.1

Littera.

Oportet viros equites vel diuites studio Litterarum addici. 185.2

Locutio.

Nulla hyperbolica locutio potest æquare damnatorum pœnas. 321.2

Lucas.

Lucæ Euangelistæ charitas. 41.2

Lucrum.

Turpe est lucrum acceptum ob prædicationem Euangelij. 261.1

Luxuria.

Frequenter luxuria hæresim comitatur. 267.2
Luxuria est seruitus. ibid.
Qui luxuriei vitio studet, seruus omnino est, contemnens dominari. 267.1
Luxuriei vitium numquam dicit: sufficit. 133.1
Vitium luxuriæ inscitiam ingenerat. 135.2
Vitium luxuriæ hominem quasi in Gentilem reddit. 166.1
Carnis voluptas tam breuis est, vt illius opus vocari possit merum desiderium. ibid.
Luxuria numquam expletur. ibid.
Leuis luxuriæ scintilla magnum solet incendium excitare. 292.1
Luxuria agnata est crudelitas. 321.2
Luxuriei fœdæ agnatæ ægritudines. 124.1
Luxuria in vino. 136.1
Luxuriei nimirum addicti, rarò cum dolore, & proposito vlterius non peccandi confessionem agunt. 133.1
Pestis est luxuria facilè hærentes inficiens. 52.2
Luxuriæ vitium fugiendo vincitur. 54.2
Difficilè eradicatur luxuriæ vitium. 195.2

M

Magister.

Æstimabiliórne parente debet esse magister? 168.1
Optimus magister debet esse discipulorum pater. 50.2
Tuum magistrum indigentem necessariis dona. 124.1
Magistri peccati peccare videntur, quoties discipuli delinquunt. 276.2

Maledicere.

Taxantur qui maledicunt proximum. 267.2

Malitia.

Quod ex affectata malitia non geritur, quodammodo peccatum non appellatur. 237.1
Malitia peccatorum exundans hodie, proximum iudicij diem esse indicat. 171.1
Nunquam crudelior est malitia, quam cum virtutis induit speciem. 303.1

Mancipium.

Mancipia faciliùs amore, quàm minis obsequuntur. 138.1
Mancipia, quæ ad fidem conuertuntur, vera animi potiuntur libertate. 57.1
Magis amare debent Domini mancipium Christianum quàm infidelem. 200.2
Impij timoris mortis sunt mancipia miseræ addicti seruituti. 205.1

Mancipiorum domini solum habent ius in eorum corpora.

Manifestari.

Agnatum est peccato, vel occulto mox manifestari. 90.2

Mansuetudo.

Mansuetudo Præsulis solet facilius, quam seueritas subditos minus morigeros ad frugem meliorem adducere. 51.8

Mare.

Impij sunt nitreum mare, quia eorum scelera non possunt Deo operiri. 323.1

Maria.

Maria ea vnica creatura est, in qua,& per quam Dei magnalia inuisibilia conspiciuntur. 1.2
Maria spes nostra. 299.1
Maria tota pulchra, vt filio, qui est diuinæ gloriæ splendor, assimilaretur. 201.2
Maria maledictum legis de sterilitate, per virginitatis votum abolet. 111.2
Maria Christi Consiliarij Mater Consiliaria etiam est, nobis tradens vitæ monita. 252.1
Maria mortua non fuit Adami piaculo. 12.2
Maria non apparet, vbi miseris peccatoribus sua intercessione non est subuentura. 314.2
Vide verbo *Deipara.*

Maritus.

Si Maritus vxorem diligit, vxor virum teueretur. 186.2
Maritus debet Christus esse vxoris. 136.1

Martyr.

Mors Martyrum vita Christianorum. 91.2
Mors Martyrum non est verè mors, sed solum nomen mortis habet. 303.1
Martyres Dei virtute armantur ad vincendum. 152.2

Mater.

Non omnes matres verè filios diligunt, illa enim solùm diligit eos, quæ eos dirigit. 197.2

Medicamen.

Præsul non vtatur rigido medicamine, nisi quando mitiora non profecerint. 103.1

Medicina.

Oratio appositum est contra luxuriam medicamen. 336.2

Meditatio.

Meditatio gloriæ,& gehennæ potentissima est ad nos in virtute continendos. 211.1

Membrum.

Quomodo membra nostra peccati fiunt arma. 14.2
Quomodò membra nostra fiunt arma iustitiæ. ibid.

Memoria.

Iudicij nouissimi memoria nos facit in virtutis itinere properare. 93.2
Memoria corporis gloriæ dotibus ornandi ei indicit nunc omnimodam mortificationem. 157.1

Mensa.

Mensæ non hærendum, nisi præcedente benedictione. 180.1
Mensa Eucharistia fit in laqueum peccatori indignè accedenti. 281.2

Merces.

Merces ablata agricolis sicut profusus Abelis sanguis. 149.1

Meritum.

In distribuendis eleemosynis orphanorum, in tradendo nuptui virginem, solum merita eius ponderentur. 41.2
Tanta sunt Christi merita, vt à nullo possint adæquate cognosci. 70.2
Eleemosynæ meritum non pensatur ex quantitate doni, sed ex pietatis affectu. 99.2

Michaël.

Feruet Archangelus Michaël affectu salutis hominum. 305.1

Militia.

Militia status est ad perditionem aptus malitia militum. 309.2

Minister: Ministerium.

Sacer Minister, vel cum fœminas reprehendit, caute se gerat castitati prospiciens. 182.1
Laboriosum admodum docendi & concionandi ministerium speciali aliqua commoditate temporali indiget. 183.1
Deus protegit eos, quos ad sacrum ministerium eligit. 387.2
Causa spiritualis proximorum liberius Sacer minister agit, si in temporali ab illis non dependeat. 173.1
Qui à Prælato concionandi ministerio est addictus, non ideo à confessionibus audiendis eximitur. 44.1
Verus Euangelij minister non inuenitur aptus, nisi vt candelabrum sit Christi lucis. 313.1
Sacer minister gratus & acceptabilis, facilius Dei negotium peragit. 157.2
Dedecet Dei ministros, nimium de nobilitate gloriari. 175.1
Qui necessaria ministris Euangelij prouident, ministros quodammodo efficiunt. 18.1
Gaudeat minister Euangelij, cum viderit peccatorem conuerti. 86.1
Ministrum Euangelij dedecet admodum, varium esse & minus veracem. 85.2
Ad docendi ministerium admodum laboriosum exercendum necessarium est, Deum impensè diligere. 38.1

Ne

Ne te ministerio monendi alios ingeras, nisi à Deo in id eligaris. 38.1
Difficile est adhortandi alios ministerium. 31.2
Proximorum ministerium tam plenum incommodis, vt necesse sit *Deum patientia & solatij* Euangelij ministro fauere. 37.2

Miraculum.

Diaboli miracula ficta non solùm inutilia hominibus, sed & noxia. 219.2

Misereri.

Præsul laborum gnarus discit miseris subditis misereri. 205.2
Proprium Dei est misereri. 24.1
Christi corona est peccatoribus misereri. 310.1
Sine Deo miserenti nemo vtiliter currit. ad initium voluminis in Antilogia.

Misericordia.

Quasi tota Dei misericordia reseruatur ad iudicium illius, qui misertus est pauperis. 244.1
Misericordia pauperi exhibita, quasi pugnat cum iudicio Dei, & vincit. ibid.
Dei misericordia erga peccatores est ineffabilis. 108.1
Deus vult velut à facie à misericordia dignosci. 310.2
Interminabiliter Deus pater est misericordiarum. 84.1
Misericordia in pauperes multitudinem peccatorum operit. 4.2
Dei misericordia semper virens. 299.1
Qui quæsitum pauperem à se inuenit, simul Dei misericordiam inuenit. 188.2
Docere Sacerdotes, vt ipsi valeant alios docere, egregium opus misericordiæ est. 189.2
Ineffabilis Dei misericordia. 175.2

Missa.

Dum celebratur Missa, profundum adstantium silentium est necessarium. 306.1

Missio.

Qui missionum ministerio incumbunt, ne graues sint Oppidis circa victum. 60.2
Si res ferat, Concionatores, qui oppidatim mittuntur, sibi ad victum necessaria ferant, ne graues sint oppidis. 105.2
Taxantur, qui Apostolicos viros missos ad prædicandum oppidatim, haud libenter recipiunt. 81.2

Modestia.

Signum mulieris nuptæ est speciali modestia se gerere. 66.2

Monitum.

Nihil prodest legere, & audire spiritualia monita nisi sequentur. 291.1

Mores.

Non sufficit te ex Christianis parentibus prodiisse, nisi moribus sis Christianus. 237.1
Qui filios malè morigeratos habet, aptus non est ad regendam Ecclesiam. 195.1
Ex moribus filij mores parentum colligi assolent. 195.1

Mors.

Morte instante, debemus feruentius virtutis operibus studere. 193.1
Æterna damnatorum mors. 334.2
Mors iustorum somnus dulcis est. 266.2
Mors vitæ respondet. 225.1
Vera mors peccatum. 29.1
Memoria mortis effrænatos peccatores efficit sistere. 324.2
Mors corporis non lædit, sed potiùs fauet iustis. 294.2

Mulier.

Quasi miraculosa erit mulier, quæ in verbo non offendat. 245.1
Mulier non permittitur docere vel leuia nisi priùs benè ab aliis edocta. ad initium voluminis in Antilogia.
Mulier infirmum est corpore & animo vasculum. 257.2

Mundus.

Quis verè mortuus est mundo, & cui mundus est mortuus? 124.2

Munificus.

Qui munificus est in pauperes, alios ad eandem virtutem allicit. 100.2

Munus.

Laborioso docendi, & prædicandi muneri debet commodum aliquod adhiberi. 193.2
Sacerdotes suo non satisfaciunt muneri, si non orent pro populo. 215.1
Formidabile munus est docendi, aut regendi. 245.1
Ne te aliorum munus gerere affectes. 31.2

Mysterium.

Euangelicæ paupertatis hoc mysterium: nihil habere, vt omnia possideas. 95.2
Mysterium Incarnationis & Sacramentum pietatis, nos ad pietatem incitant. 179.2

N

Nauigatio.

NVllus corporeus Labor æquat nauigationem.

Necessitas.

In eleemosynis piorum operum distribuendis, maior inopum necessitas attendatur. 185.1
Ipsa necessitas in abstracto nuptias comitatur. 57.1

Norma.

Totius sanctitatis est norma, id gerere quod Deo gratius fore iudicatur. 31.1

Notitia.

Maioris Dei & legis notitia donati, fortiores debent esse ad vitia reiicienda. 5.2

Noui tas

Nouitas.

Doctrinæ nonnullæ ex ingeniosa nouitate solent auditores abducere à fidei puritate. 231.1

Nuptiæ.

Mulier secundis nuptijs tradita rarò non doluit vicem suam. 58.2

Nutrix.

Nutrix spiritualis cum ignorantes alit, diuidat doctrinam in particulas. 189.2

O

Obediens: Obedire.

Verus obediens non respicit, quis aliquando fuerit Prælatus, sed quisnam est, nempe à Deo illi præpositus. 114.2

Arduus est obedientiæ labor, sed ipsa obedientia vires dat ad laborem hunc placidè subeundum. 210.1

Obedientia filiorum erga parentes specialissimè est Deo grata. 157.2

Verus obediens habens aures ad audiendum Dei præscripta, se totum diuinæ aptat voluntati. 221.1

Per obedientiam acta est mundi perditi reparatio. 13.2

Paratum te esse ad obediendum est, quasi actu volare. 299.2

Qui negligit Deo obedire, à Deo vt res abiecta negligitur. 216.2

Obcæcare.

Ira, odium, inuidia, intellectus lumina obcæcant. 274.2

Obiectio.

Obiectio supplicij aliis peccatoribus illati alios reprimit à delicto. 63.1

Oblatrare.

Vel spiritualis vir potest oblatrantibus respondere. 103.2

Obseruator.

Vix inuenies virum adeò perfectum, in quo malitiosi eius obseruatores aliquid reprehensibile non inueniant. 256.2

Odium.

Iniustus odio habet iustum. 177.1

Vix datur odium sine homicidio. ibid.

Odor.

Rarò inueniuntur ministri Euangelij Dei odorem spirantes. 87.2

Offerre.

Corpore Deo oblato, animus facilè eidem subiicitur. 31.1

Officium.

Imprudens est qui in officium alienum non vocatus se ingerit. 103.2

Sancti reputant esse proprium officium, quod fratribus impenditur. 82.2

Operari.

Vt sine metu amittendæ salutis viuamus, cum metu eam amittendi operemur. ad initium voluminis in Antilogia.

Non satis est velle aut desiderare operari bonum; sed necessarium id perficere desiderium. ad initium voluminis in Antilogia.

Homo implet quæ desunt passionum Christi cum rectè operatum vt eorum fructum percipiat. ad initium voluminis in Antilogia.

Operarius.

Verus Euangelij operarius profectus fidelium, quos docet, sui ipsius esse ducit. 3.1

Non sine doloribus potest Euangelij operarius filios spirituales habere. 120.1

Operator.

Verus Euangelij operator nunquam ministerium absoluit. 103.2

Opus.

Mentitur qui dicit, se Christianum esse, si Christiani opera non agit. 272.1

Concionatoris bona opera, efficax est auditoribus doctrina. 197.1

Virtutis opera non metiuntur ex multitudine, sed ex cordis affectu. ad initium voluminis in Antilogia.

De bonis operibus iam actis contentus non sis, noua quotidie præsta. 211.2

Crescentibus operibus bonis crescit maioris præmij spes. 212.1

Ex operibus dignoscitur, qui spiritu, qui carne viuat. 123.2

Qui opera pia negligenter agit, signum dat, se ad electum Christi populum non pertinere. 197.2

Qui pietatis opera semper agit, tempus non habet vanè loquendi. 242.2

Valdè est gratus Deo; qui alicuius boni operis est auctor, seu inuentor. 99.2

Efficaciùs prædicant opera, quàm verba. 162.1

Oratio.

Oratio in peccato existentis inutilis ad iustitiam. 157.2

Vt oratio efficax sit, iustitia requiritur. 177.1

Adeò grata est Deo oratio, vt eius in eam diuitiæ profundantur. 26.1

Oratio quasi virtutum epilogus. ibid.

Oratio dulcisona est Dei auribus modulatio. 301.2

Efficax est oratio assidua. 250.1

Oratio dat vtilem vsum spiritualibus armis. 139.1

Efficax admodùm oratio iustorum, vt nobis impetrent in virtute profectum. 141.1

Efficax oratio hominis acti laboribus. 200.1

Ornamentum.

Magnum est Vrbi ornamentum, in ea sanctum virum adesse. 40.1

Ornatus.

Vir non amat vxorem ob externum ornatum, sed ob virtutum internum. 257.1

Non conueniunt ornatus profani cum pœnitentiæ affectu. 330.1

Otiositas.

Otiositas malorum omnium origo. 166.2

Otium.

Qui otio torpet, cum labore manuum potest victum acquirere, quasi ex furto victitat. 173.2

P

Parens.

HOnorare parentes est ipsis obedire. 137.2

Par. ¶re.

Parcere inimicis ditum quodammodò vindictæ genus est. 32.2

Participatio.

Iusti Dei per participationem efficiuntur. ad initium voluminis in Antilogia.

Passio.

Memoriâ passionis Christi armamur contra laborum impugnationem. 91.1

Tot passionis tormenta & ipsa mors immensæ Christi charitati magis fuit gustare mortem, quàm mori. 204.2

Pati.

Pro Deo pati tantum beneficium est, vt nos ad gratiarum actionem impellat. 260.2

Semel pro Christo magis ac magis patiendi affectum accendit. 158.2

Nihil iucundius Christi amico, quàm pro eo dira pati. 145.1

Leue redditur quidquid pati possumus, si Christi passionis recordemur. 228.1

Gloria fidelium est pati pro Deo. 139.2

Pro Christo pati magnum est Dei donum. 145.1

Christus immortalis quodammodò patitur, cum sui mortales patiuntur. 332.1

Dum quis pro Christo patitur eum habet donantem id ei, & simul debitorem. 143.2

Pro Christo pati voborat animum ad tentamina vincenda. 117.1

Dei beneficium est aduersa pati. 168.2

Tam gloriosum est, pro Christo pati, vt pati æternum pro eo quodammodò esset gloria æterna potiri. 187.2

Patiens.

Inambulat Christus cum iustis patientibus. 295.1

Patientia.

Dei patientia non debet nobis peccandi securitatem, sed mox pœnitendi influere affectum. 5.1

Dei patientia in expectando grauitate supplicij compensatur. 5.2

Ad munus prædicationis exercendum, *patientia multa* est necessaria. 95.1

Perfectus est ille, cuius patientia aduersis vinci non potest. 241.1

Patrocinari.

Deo inuisum valdè, delinquentibus patrocinari. 4.2

Paulus.

Nec Paulus confidit, se posse vtilem esse auditoribus dum incognito sermone vtitur. 74.2

D. Paulus in incerto salutis viuere, vt proximis opituletur, quam mox mori, & frui gloria maluit. 141.2

D. Paulus Christi Beniamin eius doloris filius, sed patris mox deliciæ. 78.1

Egregia D. Pauli erga proximum charitas. 165.1

Tantus est D. Paulus, vt vel eius defectus quodammodo Deo fuere spectabiles. 175.2

D. Pauli egregia charitas. 200.2

Mira D. Pauli charitas in fideles proximos. 41.1

Diui Pauli hæreticus admodum charitatis affectus. 22.2

Pauper.

Magno Dei beneficio, in domo tua excipis pauperem. 298.2

Difficilius est actu dare pauperibus quàm promittere. 101.1

Pauper pietatis cultor, semper est diues, quia paucis contentus. 184.1

Qui dat pauperi, plus à paupere recipit. 99.2

Deperditur, quod pauperi negas: crescit quod à te detrahis vt pauperi dones. ibid.

Pax.

Pace frui plena admodum Dei misericordia est. 287.1

Pax Regnorum à Deo. 3.1

Taxantur qui pacis osculo ad libidinem abutuntur. 41.1

Vera sanctorum pax pro Iesu pati persecutionem. ad initium voluminis in Antilogia.

Pacis nomine omnis felicitas, belli nomine infelicitas omnis significatur. 283.1

Sine pace nullum bonum, nulla felicitas. 258.1

Peccare: Peccator.

Peccans omninò se fatuum ostendit. 218.1

Quàm inuisa Deo viuenti opera mortua, seu peccata. 218.2

Qui facilè peccat, videtur omninò exuisse memoriam, quod sit Christianus. 164.2

Aspera correptione difficilè peccans ad meliora reuertitur. 173.2

Peccatores non intelligunt, circa finem temporis veritatem. 310.1

Peccator dum hæret delicto, nihil commodi potest vtilis sperare. 182.1

In peccatore ama hominem, odio prosequere peccatum. 15.1

Peccator minus malus ostenditur, cum cautè delinquit. 296.1

Vexandi aliquando duri peccatores, vt resipiscant. 176.2

Peccator cæcus cum dæmoniis noxiis admodum vltroneus habitat. 329.1
Peccatores publici publicè corripiendi. 188.1
Perspicuum dat damnationis signum peccator, qui actus laboribus non compungitur. 325.1
Vnus peccator publicus totam communitatem consputcare videtur. 51.1

Peccatum.

Peccatum dolor est. 185.1
Peccatum publicum pestis est multos corrumpens. 97.2
Qui ob peccatum se facit indignum, non callebit Scripturæ mysteria, etiamsi alioqui sapiens sit. 300.2
Peccata impediunt Dei sese nobis insinuantem cognitionem. 3.2
Vnum peccatum faciliorem reddit hominem ad alia patranda. 191.2
Homo in peccato existens, inutilis ad cuncta bona redditur. 8.1
Ob vnius peccatum tota communitas sæpe punitur. 52.1
Peccatum diu abscondi non potest. 183.2
Qui peccata replicat, quasi ad Dei memoriam peccata antiqua reuocat, vt cuncta puniantur. 329.1
Peccatum amara radix est amaritudinis. 219.1

Pecunia.

Pecunia ad pia opera dicata è manu in manum traducta assolet imminui, & non semel omnino perire. 38.2
Pecunia est merces plusquam omnes aliæ à mercatoribus æstimata, & vberioris lucri. 329.2
Vilissimi animi est, de pecunia sibi credita vel tertiorum detrahere. 197.2

Peierans.

Peierantes taxantur. 212.1

Peregrinatio.

Peregrinatio ad loca sacra non omnibus, nec semper vtilis est. 236.2

Perfectio.

Vera perfectio est, tibi persuadere, haud esse perfectum. 147.1
Perfectioni studenti proprium est, vestigare in quo magis possit placere Deo. 135.2
Vitæ spiritualis perfectio est, Deo viuere, & mori. 35.2
In studio perfectionis semper ad perfectiora curre, numquam sistere decet. 132.2
Qui perfectioni student, cuncta temporaria sub pedibus habeant. 316.1

Perfectus.

Nullus iudicet, se esse perfectum, sed dum viuit, altiori studeat perfectioni. 147.1

Periculum.

Periculum ispetare, quodammodo est illud iam incurrisse. 21.2

Permittere.

Solet Deus punire peccatum vnum permittens hominem in aliud grauius ruere. ad initium voluminis in Antilogia.

Persecutio.

Veris verbi sacri præconibus agnata persecutio. 130.1
Agnata est veritati in[illegible] persecutio. 187.2
Ditior fratrum, quam [illegible]n persecutio. 120.2

Persona.

Maritus & vxor quasi vna persona. ad initium voluminis in Antilogia.

Persuadere.

Concionator volens vnam virtutem persuadere, vitij contrarij malitiam vbertim ponderet. 20.2

Peruersitas.

Signum magnæ peruersitatis est, bonos non amare. 191.1

Petere.

Quidquid volueris vel circa temporalia potes à Deo petere si addas: *fiat voluntas tua.* ad initium voluminis in Antilogia.

Piaculum.

Rectori subditorum imputantur piacula. 231.2

Pietas.

Laus magna est viri fidelis, à parentum pietate non decidisse. 187.1
Solius pietas est sine fuci suspicione. 323.2
Ineffabilis Dei pietas est homines ab impiorum fluctibus eripere ad cœlorum Regnum. 313.2
Qui pietate non præfulget, haud poterit alios ad pietatem hortari. 159.2
Sine amore fraterno non potest exeri vera pietas. 264.2

Placere.

Ferè est impossibile omnibus placere, maximè eum, qui Præsulis munere fungitur. 32.2

Placitum.

Egregiorum virorum est ad res gerendas aliorum acquirere placitum. 113.1

Pœna.

Minor Tartari pœna maximos huius vitæ cruciatus longè superat. 325.2
Terribilis est pœna diabolo, non permitti ei à Deo vt hominibus noceat. 334.1
Corporis pœnis multi puniuntur ob indignè acceptam Eucharistiam. 68.1
Omnes pœnæ transituræ quid minimum est. 310.2

Pænitentia: Pænitens.

Pœnitentiæ virtuti vas contumeliæ in honoris vas vertitur. 190.1
Peccator pœnitentia innouatus alius diuinis oculis apparet. 335.2

Pœnitentia facit præterita hominum crimina tenebrosa quodammodò splendescere. 136.a
Peccata Petri, Pauli, Magdalenæ, &c. post pœnitentiam certum quoddam lumen acquisierunt. ibid.
Pœnitentia meretrices animo Virgines efficit. 105.1
Minister Euangelij benignissimè pœnitentes excipiat. 87.a
Pœnitentiæ vis ad diluen- hominum crimina. 333.1

[illegible]

Qui exultat de proximi pœnitudine Angelos æmulatur 97.1

Posteri.

Vitia natiuâ parentum ferè in posteros deriuantur. 195.a

Præceptum.

Qui Dei præcepta obseruat, quasi Deus est. 133.1

Prædestinatio.

Signum prædestioationis est proba vita. 265.1
Signum prædestioationis est, laboribus hîc agi. 161.a
Pati labores constanter, est prædestinationis signum. 305.2
Prædestinationis magnum est signum, à peccato abhorrere. 189.2

Prædicare: Prædicator.

Prædicandi ministerium totum hominum exigit: vnde Concionator non debet frequenter in aliis ministeriis occupari. ad initium voluminis in Antilogia.
Prædicanti veritatem simul aperitur ostium concionandi, & patiendi. 81.a
Euacuatur Concionatoris gloria, qui gratis non prædicat. 61.1
Qui gratis non prædicat magnam sibiipsi infert iniuriam. ibid.
Liberè non prædicat, qui ab auditoribus mercedem expectat. ibid.
Munus prædicandi indiget præcedenti studio. 181.1
Potest prædicator iustis & peccatoribus in concione placere. ad initium voluminis in Antilogia.
Qui non missi prædicant, fructum non referunt. 26.2
Officium prædicationis haud repentè exercendum, sed multa præparatione præmissa. 307.1
Prædicator veritatis velamine non vtitur, nec eo indiget. 89.2
Prædicare ad quæstum Euangelij precone prorsus indignum. 163.1
Vide verbo *Concionator.*

Prælatus.

In Prælato Deo imperanti obedimus. 255.2
Prælati non se subditorum dominos, sed socios exhibeant. 85.2
Vide verbo *Præsul.*

Præmium.

Præmij spes labores indulcat. 226.1
Hîc iusti in virtutum præmium labores recipiunt pignus vberioris gloriæ. 224.2

Præpositus.

Cuilibet Dei vices gerenti Præposito cuiuscumque conditionis sit, nos debemus subijcere. 236.1

Præscindere.

Præscinde peccatorem hominem à peccato; corripe peccatum, hominem dilige. 122.1

Præsentia.

Magnum Dei beneficium est, vrbem, viri sancti præsentia vel exiguo tempore frui. 200.2

Præsulatus: Præsul.

Præsulatus molestus admodùm cum subditi obedientes non sunt. 231.2
Præsul qui potuit se totum ad virtutem adducere, idem agere in subditis potens erit: secus qui non potuit. 205.2
Præsul qui se patrem subditorum profitetur, tristatur cum eos cogitur corripere. 86.2
Præsules probent prius eum, cui creditur sunt prædicandi munus. 163.1
Taxatur Præsulum desidia circa examen de ordinandorum moribus. 179.2
Oportet aliquando Præsulem affectare subditorum piacula, non videre. 85.2
Præsul habens officium puniendi subditos, eos non puniat, nisi prius præmissa oratione. 324.1
Non est aspectanda persona Præsulis iubentis, sed Deus in illo imperantis? vt sit prompta obedientia. 76.2
Quod à Præsule à subditis amato præcipitur, efficaciùs ab eis executioni mandatur. 96.2
Valdè est Deo acceptabilis oratio Præsulis pro subditorum salute precantis. 94.2
Præsulis peccata debent diligenter ab omnibus operiri. 296.1
A cura, vel incuria Præsulum sæpè salus, vel damnatio subditorum pendet. 296.2
Nihil difficilè intendenti Dei obsequium, Deo necessarias vires semper sufficiente. 297.1
Præsulis probi definitio, est sibi & doctrinæ attendere. 181.a
Præsulibus certius est debitus honor, quàm tributum. 33.2
Præsules, instar stellarum subditis exemplo præfulgeant. 292.2
Præsul curans subditorum salutem, propriæ non obliuiscatur. 209.1
Præsul laudabiliter semel parcit erranti: iterum delinquentem laudabilius punit. 310.1
Præsules feruentes ad subditorum curam procedant. 292.1
Præsules potestate à Deo data debent vrbanè vti. 311.a
In Præsule venialia piacula velut grauia puniri videntur, ob muneris perfectionem. 294.1
Præsul subditum, qui resipiscit benigniter recipiat. 87.1
Præsul operetur, quod subditis vult persuadere. 165.a
Præsul est quasi vna cum subditis essentia. 267.1
Præsules subditos debent vrbanè reprehendere. 293.2
Præsul Christi æmuletur actiones, vt subditi probum habeant exemplar quod æmulentur. 66.2
Mirum est quod vir cordatus Præsulatus difficillimum munus desideret. 179.2
Vide verbo *Minister.*

Præsumere.

Stultus est, qui præsumit se diù esse victurum. 248.1
Errabit Euangelij minister, si ea docere præsumat, quæ vltra suum sint captum. 31.2
Sanctorum est, nihil imperfectum de proximo præsumere: imò quod melius est, de illis inesse iudicare. 168.1
Verè sapiens de sua scientia minimè præsumit. 4.1
Scientiæ præsumptio reddit hominem ignorantem. 58.2

Prætextus.

Nequitia spirituali prætextu solet temporaria commoda procurare. 138.2
Contra hostes qui falsò spirituali prætextu ad vindictam vtuntur, necessaria sunt Dei arma. ibid.
Quàm stultus peccator qui prætextu hoc: *pœnitentiam agam*, delinquere audet. 144.2

Preces.

Qui preces iuxta Dei voluntatem fundit, semper consequitur quod postulat. 281.1
Vide verbo *Oratio.*

Priuilegium.

Iusti priuilegium est diem iudicij horribilis non timere, sed alacriter expectare. 193.1

Probus.

Laudabile admodum, inter improbos esse probum. 67.1
Vide verbo *Socius.*

Proceres.

Taxantur proceres, qui Religionem ineunt, & sæculum ad Religionem trahunt. 195.2

Profanus.

Profani homines de cœlestibus stultè sentiunt. 329.2

Profectus.

Ad spiritus profectum maximè iuuat intellectus acumen, & scientiæ præstantia. 141.2
Rector Deum pro subditorum spirituali profectu debet precari. 110.2

Promptitudo.

Deo obediendi promptitudo quasi opus est consummatum. 244.1

Pronitas.

Ex defectu timoris Dei pronitas ad peccata procedit. 8.1

Propositum.

Hæc propositio deberet vera esse inter fideles: Christianus est: ergo sanctus. 81.1

Proprietas.

Eorum, qui cœli portas ingressuri sunt, proprietates. 337.2

Prosperitas.

Validioribus armis eges ad prospera continenda, quàm ad aduersa debellanda. 95.1

Protectio.

Stultus est, qui iustis nocet, habentibus in ore (dum orant) protectionem. 313.1

Proximus.

Taxantur qui proximum temerariè iudicant. 110.1
Si tecum vis leniter agi, cum peccas, cum proximo peccante similiter age. 123.2
Qui verè proximum amat, nihil contra eum incommodi molitur. 32.1
De proximorum malis sancti admodùm dolent. 311.2
Proximus te sibi grauem suffert: eum ergo tibi molestum tolera. 132.1
Diligendus proximus non ob commoda nostra, sed propter Deum. 264.2
Qui proximum vt oportet, diligit, manifestat, se Deum ex toto corde amare. ad initium voluminis in Antilogia.

Prudentia.

Prudentia & probi mores canis ornant adolescentiam. 180.2

Pudere.

Pudeat peccatorem, qui erat Dei filius, & gratis se diabolo in mancipium tradit. 119.1

Pulchritudo.

Veritatis pulchritudo ornatu non indiget. 45.2
Digna imperio est pulchritudo. 225.2

Punire.

Cum videris alium pro quodam peccato à Deo puniri, time te eidem crimini obnoxium pæna eadem plectendum. 208.1
Grauissimè puniuntur, qui alium adducunt ad peccatum. 191.2

Purgatorium.

Pœna dira saltem in Purgatorio cruciantur Concionatores ob inutilem prædicandi modum. 48.2

Puritas.

Magna puritas esse debet in eo qui prauas aliorum taxat actiones. 5.1
Sacerdotes Angelicam puritatem æmulentur. 66.2
Quanta puritas ad Eucharistiæ receptionem. 254.2

Q

Quæstus.

Verus amor in amati obsequio quæstum non intendit. 105.2

Querela.

Viuere sine querela, magnæ virtutis est argumentum. 146.2
Viuere iustum sine querela, sanctitas quidem confirmata est. 165.2

R

Ratio.

Rector pro se, & pro subditis rationem est redditurus. 245.1

Recidiuus.

Mala recidiui in peccatum. 168.1

Recipere.

Felicius quàm Abraham olim pauperem hospitio recipis, quia si ille Angelos, tu Deum ipsum excipis. 130.1

Recordari.

Ne homines sine fræno delinquant, Dei supplicij peccatoribus inflicti recordentur. 269.2

Recreatio.

Recreatio spiritualium virorum pia colloquia. 3.2

Rector.

Cum sciunt subditi, se à Rectore diligi, illius prosperis lætantur: mœrent aduersis. 86.2

Rector qui vult subditos spiritualibus operam dare, debet eis de temporalibus prouidere. 317.2

Redemptio.

Qui peccat, videtur infinitum redemptionis pretium contemnere. 276.1

Qui beneficium redemptionis perpendit, quasi impeccabilis redditur. 276.2

Regimen.

Non est aptus regimini qui facilè à subditis potest seduci. 177.2

Regnum.

Sæpè æterni Regni, faciliter ærumnæ tolerantur. 161.1

Regularis.

A sæcularibus negotiis Regulares abstineant. 168.2

Regularis irreligiosè degens, videns sæcularem pietati studere, corrigi assolet. 29.1

Regularis negligens circà Dei obsequium reiicitur, & eius ad locum sæcularis diligens assumitur aliquando. 30.1

Relabi.

Qui post pœnitentiam relabitur, passionem Christi obiicit irrisioni. 211.2

Qui post pœnitentiam relabitur, iterum Christum cruci suffigit. 211.1

Religiosus.

Religiosus ad perfectionis institutum vocatus, magnæ exultationis materiam habet. 149.1

Rarò videris Religiosum è perfectionis gradu prolabentem in crimina perfectè ad illum regredi. 211.1

Permittit Deus prauos Religiosos Religionem deserere, vt constet solo indumento Regulares fuisse. 275.1

Qui Religionem deserit, in moribus exponit, cur exierit. 275.1

Praui Religiosi Religioni ipsi dedecus inferunt. 6.2

Renouatio.

Renouatio spiritus societatis Iesu alumnis frequens. 133.2

Reprehensio.

Quotidiana reprehensio de peccato non emendato, semper est noua. 274.1

Reprobatio.

Qui sine conscientiæ remorsu peccant, habent reprobationis signa. 135.1

Gloriari de peccatis reprobationis signum. 147.2

Delinquere impunè, reprobationis est signum. 163.2

Reprobus.

Rector qui delinquentes non corripit subditos, inter reprobos computatur. 110.2

Requies.

Cœlestis requies, sabbatum est supponens labores præmittendos ad eius assecutionem. 208.2

Respublica.

Mysticum Reipublicæ corpus. 70.1

Ignobiliora Reipublicæ corporis membra putà pauperes, plus ei sunt necessaria. 70.2

Resipiscens.

Peccator resipiscens benigniter à Præsule, vel Confessario est excipiendus. 190.2

Resistere.

Subdito licet aliquando superiori resistere. ad initium voluminis in Antilogia.

Resurgere: Resurrectio.

Horribile impiis supplicium immortales resurgere. 80.2

Dies generalis resurrectionis expectabilis iustis. 20.1

Tanta diei resurrectionis generalis gloria, vt vel creaturis inanimatis futurus sit vtilis, & quodammodò optabilis. 20.2

Fructus Christi resurrectionis non colliget nisi qui cum illo mortuus fuerit, & sepultus. 14.1

Resurgentes cum Christo, qui iam non moritur, debemus gratiæ vitam æternam conseruare. ibid.

Nihil tam durum quod resurrectionis gloriosæ memoria non emolliat. 167.2

Resurrectionis memoria nos allicit ad corpus mortificandum. 147.1

Retributio.

Verus amans non requirit ex dilecto vel amoris retributionem. 109.1

Reuelatio.

Etiam reuelationes & illustrationes cum spirituali patre sunt conferendæ. ad initium voluminis in Antilogia.

Reuelationes non facilè credendæ. 291.1

Reuerentia.

Reuerentia humilis in oratione potentissima est ad impetrandum. 210.1

Non despicitur, qui alteri humiliatur, sed ab illo dignus reuerentia obiicitur. 210.1

Vide verbo *Templum.*

Quales debeant esse Reges, & Principes. 299.1

S

Sacerdos.

Sacerdotes Reges sunt: ideò non debent prauis affectibus inseruire. 191.1

Sacerdos quis effectus quodammodò definit esse homo. ad initium voluminis in Antilogia.

Probus Sacerdos filio Dei debet assimilari. 213.2

Sacerdotem dedecet vestitu, qui oleat profanitatem, vti. 178.2

Sacerdotis ornatum morum compositio. 178.2

Sacerdotem domi alere filios ex sacrilegio, intolerabilis est impudentia. 179.1

Sacerdos vt Sæcularis communis despicitur, cum vitam exerit sæcularem. 197.2

A Sacerdote Angelus noluit adorari, quia sacerdos Deus est. 312.1

Sacrificium.

Missæ sacrificium offertur ad impetrandum bona spiritualia, non merè terrena. 216.1

Sacrilegus.

Ab altari procedit ignis in sacrilegos. 307.1

Salus.

Salus matris æterna ea bona filiorum educatione pendet. 177.2
Animi salus ea Dei verbo eordis aure exaudito. 7.1
Maiorem salutis æternæ alacriter hæc omnia dita suffecere. 84.2
Studere proximorum saluti, idem est ac proptiæ saluti, operam dare. 150.2

Sancti.

Sanctorum exempla nos quasi vallo cingunt, vt virtuti tradamus. 218.1
Sancti in terra velut peregrini commorantur. 225.1
Sanctorum est, existimare, se cunctos peccatores iniquitate superare. 176.1
Sancti vel in terra sunt plusquam Reges. 301.2
Sancti post mortem semper exemplo loquuntur. 214.1
Sancti omnes iudicant esse sanctos. ad Initium voluminis in Antilogia.

Sanctitas.

Ministri Sanctitas Euangelicam doctrinam facit affectu recipi, instar commendatitiæ epistolæ. 88.2
Sanctitas vxoris efficaciùs solet maritum ad virtutem allicere, quàm prædicatio. 257.1
Concionatoris sanctitas doctrinam commendat & credibilem facit. 161.2

Sapientia.

Summa Sapientia potest cum summa sinceritate colligari. 141.2
Ad percipienda Romæ Magnalia Sapientia maxima requiritur. 317.1
Sapientia ducatu prudentiæ indiget. 126.2

Scandalum.

Grauius scandalum oritur ex vnius Sacerdotis aut Religiosi peccato, quàm ex plurium sæcularium improbitate. 52.2
Sæculares punguntur scandalo, dum vident Regulares de rebus indecentibus lites excitare. 53.2

Schisma.

Schismata pestis charitatis fraternæ. 44.1

Scriptor.

Maria spiritum Sapientiæ, & Intellectus Scriptoribus sacris influit. 289.2

Scriptum.

Illa scripta maximè commendanda, ex quibus lector ad compunctionem allicitur. 97.2

Scrupulosus.

Scrupulosi ab inutilibus interrogationibus abstineant circa conscientiæ punctiones. 64.2

Sedes.

In vna sede non morantur peccatum & pax. 3.1

Seducere.

Sæpè seducimur, cum pauperi diuitem præferimus. 243.1

Senex.

Senes non Imperandi sed rogandi. 200.1
Senes, qui sciunt, se modicum tempus habere, debent feruentiùs bonis operibus studere. 317.1

Sententia.

Ne Iudices sententiam ferant iniquam, diuini iudicij recordentur. 82.2

Seruire.

Seruire virtuti est vera libertas. ad initium voluminis in Antilogia.
Pauci perfectè seruiunt Deo, si cum imperfectis componantur. 312.2
Nullus Deo seruit nisi ad vitam necessaria desinc. 231.1
Seruire hominum placito, iniquo tam abile, omnibus ex humilitatis affectu seruire commendabile est. ad initium voluminis in Antilogia.

Seruitium.

Qui serius ad Dei seruitium veniunt intentiùs laborare debent. 78.1

Seruitus.

Idolorum seruitus auaritia aptè vocitatur. 157.2
Nonnulli sic habent vitiorum seruituti, vt quasi necessarium sit eos à Deo violenter educi. 116.2
Libor & mancipium solum differunt in accidentali corporis seruitute. 329.2

Seruus.

Seruilis timor, nec in seruis probatur. 138.1
Si seruus in Dominum Deum aspicit, libenter ei obediet iam patri, non Domino. 138.1
Si serui in Dominis Deum aspiciant, sibi facient felicem seruitutem. 138.1

Signum.

Qui paratus est potiùs mori, quàm peccare grauiter, signum perspicuum valde habet se iustum esse. 12.1
Magnæ virtutis signum probum esse inter improbos. 194.2

Sitire.

Beati semper sitient Deum, & semper è diuino illo fonte bibent. 336.1

Sobrietas.

Vt senex vigilet eirca suorum regimen, sobrietate præfulgeat. 196.1
Sobrietas mater est vigilantiæ. 262.1

Societas.

Societatis bonorum vtilitas. 19.2
Qui studet virtuti, à societate impiorum separetur, ne etiam impius videatur. 283.2
Iustis molestissima est impiorum societas. 85.2
Societas in tribulatione ingentem conciliat animorum affectum. 152.1

Socius.

Vel vnus malus socius pestis est toti communitati. 41.1
A prauis sociis speciatim hæreticis fugiendum. 95.2
Vel vnus prauus socius sufficit totam instorum congregationem corrumpere. 121.2
Ex puncto prauo socio, communitas à priore dedecore expurgatur. 51.2
In communitate religiosa vel vnus socius mendax, eam perturbat. 533.2

Solatium.

Solatium bonæ conscientiæ facit iustum quodammodo vel hîc gloria cælesti frui. 252.2
Ex aduersa valetudine afflictis solatium. 338.1

Solicitudo.

Amantis circa amatum solicitudo. 145.2

Species.

Difficilè vitatur vitium quod virtutis specie exponitur. 105.2

Sperare : Spes.

Nihil boni ab hominibus sperandum, sed à Deo solum spei Domino. 38.1
Nihil difficile contra spem humanam si Diuinæ opis spe nitaris, ad initium voluminis in Antilogia.
Vel ipsa spes gloriæ cælestis nos quodammodo gloriosos efficit. 206.1
Impiorum spes vitrea & inanis. 323.1
Impiè viuenti haud firma spes salutis. 195.1
Gloriæ futuræ spes nos allicit ad recta opera exercendum, vt illam assequamur. 153.2

Spiritus sanctus.

Iocosis verbis queis audientes ad visum excitantur, Spiritus sanctus contristatur nostro ex affectu. 133.2
Spiritus sanctus in causis nostris quodammodo Iudicem agere desinit, vt agat aduocatum. 21.2

Sponsa.

Christo erit semper Ecclesia triumphans vxor, ac simul noua sponsa. 336.1

Status.

Omnis sit sui status sorte contentus, cum statui omni pateat ad salutem ingressus. 57.1
Tam miserabilis est peccatoris status, vt debeamus ex miseratione saltem eius reductioni studere. 119.2
Mirum est è felicissimo gratiæ statu velle hominem ad infelicissimum peccati statum reuerti. ibid.
Beatorum gloria statui sacerdotali comparatur: quia dignitas sacerdotij ineffabilis est. 333.2

Stilus.

Concionatorum minus decens stilus facit à nonnullis prædicatoris officium contemni. 130.1
Vide verbo *Concionator.*

Stipis.

Cum das pauperi stipem, eam confer hilariter. 101.1

Studium.

Specialissimum Christi ad nonnullos peccatores ad se adducendos studium. 147.1

Stultus.

Omnino est stultus qui peccare audet. 198.1

Suauitas.

Legis gratiæ suauitas. 15.1

Subditus.

Non possunt subditi Præsulum imperio malo obedire. 198.1
Rarò accidet, vt vel vnus sit subditus, qui non det Rectori suo occasionem patiendi. 168.1
Subditi inobedientes propriè dicuntur Christum offendere. 136.1

Subsidium.

Dei famulis non defuere vmquam necessaria ad vitam subsidia. 262.1

Subuenire.

Christo pro te inopi facto debes in pauperibus subuenire gratitudinis iure. 99.1
Deo agendæ gratiæ, quod adsint in Republica, qui studeant pauperibus subuenire. 101.2

Succurrere.

Vel pauperi si velit, non deficit, quo alij pauperi succurrat. 99.2
Vt afflicto succurras, te considera afflictum. 230.2

Superbia.

Adeò debemus à vitio superbiæ esse immunes; vt neque tentatio eius ad nos ingredi valeat. 63.2
Superbia luxuriæ irrationali vitio solet humiliari. 269.1

Supplicium.

Sæpè diuinum supplicium peccati normam solet æmulari. 4.2
Qualitati delicti supplicium à Deo accommodari solet. 288.1

Sustentatio.

Quod spirituali ministro assignatur ad sustentationem, non tam illi datur, quam soluitur. 38.2

Sustinentia.

Agnata est iustitiæ laborum sustinentia. 260.2
Militiæ spirituali, & temporali agnata est laborum sustinentia. 189.1
Laborum sustinentia in iustis est prædestinationis signum. 84.2
Christiani instituti pedissequa est laborum sustinentia. 261.1
Ad perfectionem valdè confert laborum sustinentia. 262.2
Vide verbo *Labor.*

T

Talentum.

QVi talentum à Deo acceptum ad proximorum salutem non expendit, illius est fur & non dispensator. 260.1

Tarditas.

Tanta Dei ad puniendum tarditas, vt necessum sit à sanctis rogari, vt puniat impios. 309.1

Templum.

Minus modestè in Templo adesse fœminas tam turpe eis est, ac si caluitio defœdarentur. 66.1
In Templo nos oportet reuerenter adesse propter Angelos immodestiæ obseruatores & accusatores. 66.2
Ad Templum accessurus loculo repone, aliquid, quod pauperibus ingrediens exhibeas. 81.1

Tempus.

Perbreue huius sæculi tempus. 249.1
Tempus sæculi antequam veniat, iam præteriuit. ibid.
Exiguum tempus habet peccator ad voluntatis desideria explenda, cui tormentorum succedet æternitas. 318.2
Tempus in negotiis sæculi insumptum quasi captiuum existit quod redimi oportet. 159.1
Tam preciosum est tempus, vt summo pretio emi debeat. 135.2

Quàm

Quam prodigiosi sint pretiosi temporis peccatores. 136.1
Tempus peccatoris in captiuitate moratur. ibid.

Tenebræ.

Peccator ad tenebras fugit, quia nihil sic pudorem incutit, quàm peccare. 33.2

Tentamen.

Tentamina carnis validum contra superbiam medicamen. 108.2
Iuxta tentaminis magnitudinem Dei auxilium exeritur. ibid.
Obiectu gloriæ paratæ victori dira tentamina superabis. 138.2
Diabolus imbellis est eis, qui tentamini obsistunt. 247.2
Instituenti salutis viam dira tentamina præparantur. 82.1

Tentatio.

Tentationes vitam spiritualem tuentur immunem. 108.1
Omni gaudio potitur, qui irruenti tentationi obsistit. 236.1
Periculosum est, vltrò tentationem inire. ibid.
Resistendo tentationi ad alias grauiores superandas, roboraberis. 63.2

Tepiditas : Tepidus.

Cuncta delicta ex tepiditate cognitionis Dei ortum habent. 264.1
Quomodò licitum sit desiderare, vt tepidus in graue piaculum incidat, vt à tepiditate resipiscat. 297.2
Difficilè tepidus emendatur. 297.2
Religiosi confusio magna est, tepiditatis statui diu hærescere. ibid.
Tepidus Dei seruus est, qui videns proximum peccare, dolore non afficitur. 167.1
Taxantur Sacerdotes, ac Religiosi tepidè viuentes. 61.2

D. Theresia.

D. Theresiæ de Iesu docere permittitur, quia inter viros annumeranda, ad initium voluminis in Antilogia.
D. Theresia non solùm fœminarum, sed & virorum perfectionis Magistra. 149.1

Timor.

Timor Dei initium & perfectio est sanctitatis. 96.1

Tonitruum.

Tonitrua loquuntur Dei iram prædicantia. 311.1

Tribulatio.

Diligenti Deum dulcis est tribulatio. 172.2
Omnimoda tribulatio statui coniugali inexistit. 57.1
Cunctæ tribulationes instar plumæ, si cum immenso præmij pondere componantur. 91.2
Huius vitæ tribulationes impiis inflictæ sunt Dei pietatis admonitiones, sed effectus diri pœnitentiæ. 307.1
Sancti pro præmio vnius tribulationis pro Deo toleratæ aliam tribulationem alacres accipiunt. 12.1
Deo miserante impiis hîc immittitur tribulatio, vt resipiscant. 307.1
Memori Christi passionis nulla intolerabilis erit tribulatio. 256.1
Cum ingruunt tribulationum bella, tunc in iustis Christi pax fortiùs stabilitur. 237.2

Tributum.

Oportet, vt agricola primum sui laboris fructum percipiat, sed his temporibus ob tributa & exactiones nunquam percipit. 18.1
Tam durum est, tributa soluere, vt necesse sit meditari, Deum id præcipere vel permittere. 33.1

Trinitas.

Trinitatis mysterium. 199.2

Tristitia.

Spiritus tristitiæ alienus sit ab eo, qui credit, se in gratia esse. 168.2

Tyrannis.

Voluptatum in mortali cultorum suorum corpore tyrannis. 14.2

V

Vanitas.

Rerum omnium mundi vanitas, & mendacium. 57.2
Omnia transitoria vanitas. 20.2
Homo *volens* vanitati sæculi subiicitur, cui insensibilia *non volentia* parent. 20.2
Liberalior solet esse vanitas quàm pietas in eleemosynis erogandis. 81.2

Venia.

Quàm facilè Deus veniam peccatori redeunti impendit. 200.2

Venus.

Qui Veneri dat operam, in corpus suum peccat. 287.2

Verbum.

Cœlestia verba non tam sunt verba, quam opera. 291.2
Non semper homo, aut probus aut improbus ex verbis iudicandus. 106.1
Dei verbum alligari non potest. 339.1

Veritas.

Qui prædicat veritatem, sibi inimicos acquirit. 120.1
Non est fidelis Concionator, qui nudam non profert veritatem cunctis intelligibilem. 206.2
Constanter veritas prædicanda, licet ideò labores excitentur subeundi. 90.1

Vestimentum.

Vestimentum non sit vanitatis ornatus, sed nuditatis tegumen. 184.2

Vetitum.

In vetitum mittimur. 16.2

Via.

In spirituali via claudicanti mox medicamen est adhibendum. 228.2
In via virtutis non progredi, deficere est. 324.1

Victima.

Illud ipsum peccare, idem est, ac obligationem contrahere offerendi Deo te in victimam. 94.2

Victoria.

Ficta est tyranni contra Martyres victoria; illorum autem vera. 313.2
Victoria illustris Christianę fidei est, adolescentes in virtute continere. 274.2
Morti Christi omnis debetur victoria. 302.2
Ad gloriæ Coronam assequendam pugna, & victoria est necessaria. 336.1

Vidua.

Viduæ secundas trahentis nuptias puritas in opinio hominum nonnihil atteritur. 182.2

Vindicta.

Deus peccata permittit in aliorum peccatorum vindictam. 4.2

Virginitas

Virginitas.

Virginitas pretiosa margarita, pro qua Christus emenda, cœlo sua bona tradidit. 321.1

Virginitas Angelis agnata eorum cognata. 332.1

Virginitas influit suis cultoribus, loqui veritatem. 321.1

Virginitas semel amissa haud potest reparari. ibid.

Virtus.

Magnum Dei beneficium vocari ad virtutem, sed in ea conseruari maximum. 287.1

Quodammodo non est vocanda virtus ea, quæ continuò non crescit. 264.2

Vis.

Regnum cælorum vi adhibita est apprehendendum. 185.1.

Vita.

Longa vita sine prosperitate, supplicium est. 137.1

Longa hominum vita quasi vna dies ob breuitatem. 206.2

Nemo vsque ad vitæ terminum putet se excidendi esse securum. 155.2

Vitium.

Ciuitates vbi vitia vigent, coram Deo Sodoma, & Ægyptus verè existunt. 313.1

Viuere.

Carpuntur, qui hîc cupiunt diu admodum viuere. 20.2

Saltem ne seruili Præsulum metui subiiceremur, deberemus probè viuere. 33.1

Vocatio.

Quisque Euangelij operarius iuxta gratiam vocationis se exerat, & non aliter. 114.2

Non differas vocationi diuinæ respondere. 152.1

Voluntas.

Voluntas affecta ad opus, illud efficaciter exerit. 261.2

Voluptas.

Diuites voluptatibus sicut porci sagina æternum in interitum impinguantur. 249.1

Corripiuntur, qui adhuc in senectute voluptatibus seruiunt. 259.2

Voluptatum sectator difficillimè ad meliorem frugem reducitur. 19.1

Vox.

Vox viua Episcopi efficacior est ad subditorum absentium solatium, quam cum visitatorum ore loquitur. 283.2

Vsus.

Stultum peccatum, quod ob rei alias licitè non oportunum vsum, committitur. 64.2

Dei supplicio magno introductus est hodiernus Concionandi vsus inutilis. 44.2

Vterus.

Ab vtero traxit Christus fugientes homines apprehendere, vt ad Deum reducat. 205.1

Vtile.

Ille bene docet qui docet vtilia. 197.1

Per peccatum vtile acquiritur. 247.1

Vtilitas.

Magna est vtilitas in parcendo ei, qui gessit iniuriam. 200.1

Magnæ vtilitatis est filiis patres habuisse pios. 30.1

Malè petitur à Deo, quod ad animi vtilitatem non conducit, sed officit. 247.1

Vxor.

Vxor marito sicuti Deo subiiciatur. 136.1

Vxores *in omnibus* viris debent esse subiectæ. 136.2

Quod vir suo corpori non admitteret incommodum, vxori suæ non debet admittere. ibid.

Vbi vir non amat vxorem, & vxor virum non reueretur, haud adest Christi dispensationis significatio. ibid.

D. Xauerius.

In vno Francisco Xauerio Spiritus sanctus collocauit omnes spiritus, qui in cunctis viris Apostolicis diuisit. 69.2

D.F.Xauier vsque ad sanguinem restitit inuoluntario per somnium motui. 228.1

D.Franciscus Xauerius Angelus est fortis pergens ad Indiam legem Christi prolaturus. 310.2

D.Franciscus Xauier omnibus omnia factus est, vt omnes ad fidem adduceret. 61.2

D. Franciscus Xauier alter paulus super alienum fundamentum non ædificauit: sed vt alij ædificarent fundamina iecit. 38.2

F I N I S.

INDEX GENERALIS.

CONCEPTVS MORALES ad Concionatores collecti ex Antilogiis; quæ ad initium SS. Scripturæ librorum apponuntur.

HVNC LIBVIT ADDERE, QVIA CVM HORVM cognitio mihi videretur nimium diffusa, pro eorum faciliori inuentione pro ordine Tomorum hos disposui, & sic habentur.

Littera P. *Paginam*, C. *Columnam*, *& hoc sidus* * *quæ sunt in initio cuiusque Tomi ante materiam, indicat.*

IN TOMO PRIMO.

A

Afflictus. COGNATVS & socer idem affectu. 17.2
Auaritiæ affectus, vel licitam vitiat actionem. 16.2
Amasia. Amasia potius dicenda in vxorem, ne delinquas. 18.1
Amicus. Se Deus ostentat amicum, cum vulnerat iratum, cum ferire non curat. 19.2
Annumerare. Magistratus, Sacerdotes, ac seniores non annumerandi cum sæcularibus. 17.2
Arcanum. Arcana prudentum sæculi, quæ putant nulli patere, à vulgo agnoscuntur. 21.1
Aspectatio. Dei aspectatio se videndi accendit affectum. 18.1

B

Bellator. Non omnes qui armantur ad bellum, sunt bellatores. 19.2
Bellatorum multitudo aliquando est formidinis indicatio. 20.1
Beneficium. Nocturna vigilia cole, quæ interdiu accepisti beneficia. 17.2

C

Cæcus. Cæcus est qui prohibita aspectat. 16.1
Calamitas. Durior calamitas verior est libertas. 17.2
Captiuus. Non despiciantur homines captiui. 18.1
Castitas. Castitas nunquam sterilis. 20.2
Christus. In phase Christus vitulus peccatori pœnitenti offertur. 20.2
Cibus Eucharisticus. Eucharisticus cibus insipiens est iis, qui voluptatibus terrenis addicuntur. 19.2
Vide verbo *Eucharistia.*
Cognomen. Illustria cognomina non sunt, dum à Principe ob præclara gesta non imponuntur. 19.1

D

Deus. Iustum cruciari Deus vult, sed vulnerantem punit. 16.2
Directio. Hominis directio requiritur ad cœlestis ducatus exprimendum rationem. 19.1
Dux. Prius dux non percutit eos, qui non impugnant. 20.1

E

Eucharistia. Eucharistia communiter albescit, vt panis, sed multis vti caro flauescit. 17.2
Eunuchus. Non omnis eunuchus nec cuncti ex scorto nati prohibendi ab Ecclesiastico munere obeundo. 21.1

F

Fœcunditas. Fœcunditas status virginalis. p.16.c.1
Filius. Sæpè ob parentum delicta filij temporariis vulnerantur. 16.2

H

Humanitas. Reges putandi abstracti ab humanitate esse. 18.2

I

Insigne. Potestatis insigne quasi Deus. 17.1
Inuentor. Cuiusuis pij operis inuentor gloriosus debet celebrari. 19.1
Inuidus. Facilè violat legem inuidus. 18.1

Irrigatio. Spirituales horti cœlestibus aquis vbertim irrigati, adhuc egent continua irrigatione. 20.2
Iugum. Legis iugum graue peccatori, iusto leuissimum. 21.1
Iustus. Iustus Dei Templum. 21.2
Magistratus. Nequè gloriosum Magistratui, delinquentes vulnerare, ac iustos præmio afficere. 18.1
Magnanimitas. Principes decet affluentior erga Templorum cultum magnanimitas. 19.1
Maledictio. Iniusta maledictio potiùs benedictio est effectu. 19.2

O

Obedientia. Qui ex benedictione aut obedientia Prælati ad immundos peccatores accurrit, occidat,& manducet sine infectionis periculo. 20.2
Obedientia semper illæsa. 16.2
Quasi contemnit imperantem Deum qui putat, aliquid posse addi, aut demi ex præscripto obedientiæ. 20.2
Ordinatio. Non est addere leges,ordinationes præscribere, quæ conferunt ad legum obseruantiam. 20.1
Operari. Operantur subditus, ac Præsul velut vna essentia præditi. 20.1
Ordo. Non coaptatur sacerdotalis ordo cum hominibus. 18.2

P

Parens. Nequissimi parentes de filiis non curant, 19.2
Pauper. Inter pios Christicolas sit pauper,& non sit pauper. 20.2
Peccatum. Ipsum peccatum peccati est supplicium horribile. 20.1
Pietas. Tanta sæcularis alicuius pietas, vt meritò possit reputari sacerdos. 21.1
Possessio: Possidere. Quidquid calcamus, nostrum est,quia id solum possumus ex terrena possessione nobis acquirere. 20.2
Sacerdotes ita possident inter sæculares,vt nihil inter eos videantur habere. 19.2
Prælatus. Multa coactè permittit Prælatus,diuinæ gloriæ contraria. 19.2
Prolixitas. Cuiusuis seruitutis vel exiguæ durationis æterna prolixitas. 17.2
Prouidere. Princeps immediatè cunctis subditis prouideat,non nimium fidat mercenariis. 19.1

S

Sacerdos. Nihil Sacerdotibus vitio tribuendum. 18.1
Separari. Pater ac filij vix quodammodo possunt in delicto ac supplicio separari. 17.2
Sors. Sors colligatur cum æquitate. 19.2
Sponsa. Bono in marito vel defuncta semper viuit sponsa. 16.2

T

Tenebræ. Tenebræ aduersitatis mentis tenebras ablegant. 17.2
Tonsura. Vel tonsura prima initiatus sacerdotales ebibat mores. 18.2

V

Vanitas. Taxantur, qui vanitati sepulchrorum student. 21.2
Venditor. Multi venditores potius sunt hostes dimicantes. 17.1
Versari. Multa vulgo versantur, quæ non intelliguntur. 17.1

IN TOMO II.

A

Abundantia.

Nobilis captiuus lacrymarum abundantia excæcatur. 6.2
Reges equis abundent,non sibi tamen,sed militibus. 5.1
Ædificare. Quasi ædificat templum, & altare, qui eius reparationi, aut ornatui dat operam. 2.1
Apparatus. Ad Templi ornatum nunquam superfluit apparatus. 5.1
Attentio. Attentio audientis ingeniosi Concionatoris est velut tentamen. 5.2
Auaritia. Auaritia facit Reges mutare consilium. ibid.

C

Cognatus. Cognati fratres solo nomine, non affectu. 2.2
Coma. Non decet sæcularis coma Sacerdotem. 3.2
Conscientia. Timoratæ conscientiæ viri, se existimant semper in Dei versari conspectu. 1.2
Dare. Deus plus dat, quàm promittit. 5.2
Multum dat Deo qui legis præscripta custodit. 2.2
Bis dat mater,quæ Deo filium litat. ibid.

D

Dauid. Quasi pudebat Deum immediatè concitare Dauid ad numerandum populum. 4.2
Decor. Cuique egregio ciui adscribendus vrbis decor. 2.1
Despicere. Quasi videns non video eum, quem affectu despicio. 3.1
Dux. Fortes Duces etiam cum requiescunt, pugnant. 1.1

E

Equestris Ordo. Multi pedites milites possunt equestrem ordinem honorare. 4.1
Essentia. Pater ac filius vnica velut essentia decorantur. 6.1
Eucharistia. Bona admodum Eucharistia, sed malis incommodorum est maximum. 3.1
Exaggerare. Cum peccator sua crimina pœnitendo exaggerat, Deus imminuit. 5.2

F

Filia. Filiæ sunt patri frænum, & Tributum. 4.1
Filius. Patrem filius imitatur. 3.2
A prauo parente filij ediscunt. 1.1

G

Gradus. Quilibet gradus cognitionis Dei tantus vt quasi de nouo Deum cognouisse videaris, 2.2
Gratitudo. Non alienantur quæ gratitudinis ergo impenduntur. 5.1

H

Hærere. Multi,qui regibus hærent,Principes sunt latronum. 3.2

Iebusai.

I

Iebusai. Dum non pereunt omnino Iebusæi habitum prauorum, iniquitatis resurgit Ciuitas. 2.1
Inchoatio. Viri strenui operum inchoatio, velut perfectio est. p.1.1
Incommodum. Incommoda grauissima obueniunt, ex coniugio inito contra legem. 2.1

M

Magnificentia. Munus vnum magnificentiæ Regiæ æquat quotidiana aliorum munera. 5.2
Matertera. Matertera nepotes sic diligit, ac si ipsa peperisset. 4.1
Mensa. Mensa Eucharistica vnica & multiplex. 5.1
Miles. Militis fugientis vita sua non est, quam velut ex rapina possidet. 3.2

O

Opus. Cuiuslibet Sacerdotis recta aut praua opera Præsulis quodammodo connotant actionem. 3.2

P

Persona. Magister & discipulus quasi vnica persona. 5.2
Princeps. Principes tunc minus famulos agnoscunt, cum eis vtiliores existunt. 3.1
Prælatus. Prælatus affectu patitur cum patiente subdito. 3.2
Semper puta tibi prælatum esse cui aliquando Præsuli paruisti. 4.2
Prolixitas. Epistolas prolixitate laborantes, libros vocitatim. 6.2
Propositum. Piè irati animi propositum mutatur. 2.1
Prouidere. Ante concitationem, belli processus prouideantur. 3.1
Puer. Puer fortis vir appellandus, infirmus, puer. ibid.

R

Regnare: Regnum. Rex solùm regnat annis, queis Deo placere curat. 3.2
Regnum consumitur omninò, cum ita infirmatur, vt conualere nequeat. 6.1
Reuelatio. Sapiens reuelationis difficilè fidem præstat. 4.2
Rex. In Vrbe Regia plures inueniuntur, qui Reges possent vocitari, quia Rege ditiores. 4.2

S

Sepulchrum. Multi diuites humati in sepulchro augustissimo, sepeliuntur in agro. 6.2
Stultitia. Stultitia fœminea. 4.1
Subuenire. Etiam post propositum non subueniendi Deus subuenit deprecantibus. O vis orationis 2.2

T

Templum. Qui seruit Templo, seruus non est. 5.1
Tempus. Diuus in breui multa explet tempora 3.2

V

Vasum. In quolibet vase sacro totus velut cultus est. 3.1
Verbum. Regis simplex verbum quasi iuramento firmatum. 4.1
Victoria. Cunctis pugnantibus victoria tribuenda. 1.2
Voluptas. Vir, seu senex dabis operam voluptatibus quibus à pueritia es addictus. 4.2
Votum. Cum vota rursum emittuntur, renouatur spiritus Religiosi. 3.2
Vxor. Ferè cunctæ vxores rixosæ. 2.1

IN TOMO III.

A

Abundans.

EA oppida omnino deserta putamus, quæ ciuibus abundantiora agnouimus. ad initium huius Tomi ante materiam. *
Administratio. Recta belli aut pacis administratio Ecclesiæ oratione nititur. *
Adoratio. Ad adorationem quam sibi principes exhiberi expetunt, pertinet vt nihil ab inferioribus geratur contra eorum placitum. *
Affectus. Quasi perfectum puta, quod pius ac diligens incipit affectus. *
Auus potius est pater ex affectus præstantia. *
Agricultura. Agricultura documenta gubernandi exhibet. *
Angi. Qui in Ægypto huius sæculi angitur, simul in cœlo tabernacula construit. *
Auaritia. Tributa excitat non exigentia Regis, sed ministrorum auaritia. *
Aula. In aula morari, & bonis donari terrenis, nihil omnino est. *

B

Benemeritus. Rex tunc accipit cum benemeritis munera præstat. *

C

Christus. Christus vnigenitus ac primogenitus Mariæ. *
Communis Lex. Amicum Regis lex communis non comprehendit. *
An matrem Regis cælestis comprehendit labis originalis Lex. *

D

Dare. Quod das proximo, tibi ipsi paras. *
Dilectio. Fratres ea sese dilectione prosequi debent qua pater ac filius colligantur. *

E

Electus. Electi tunc verè quiescunt cum dirius atteruntur *

F

Fabrica. Fabricæ Templorum semper addere debemus nouos ornatus. *
Fuga: Fugere. Agnatum exercitibus vel sine conflictu per singula momenta imminui ex militum fuga. *
Contra hostes spirituales carnem scilicet &c. ille validior venit qui ab illis fugit. *

G

Gerere. Tu geris quod alij tuo gerunt ex nomine. *
Gladius. Gladium à Deo accipimus in defensionem non in vltionem. *

I

Imperium. Id de nouo gerit Princeps qui præcessoris confirmat imperia. *
Ingratitudo. Ex ingratitudine peccatorum Templorum destructio, ciuium captiuitas. *

Iniuria. Multæ inferuntur iniuriæ ex regis nomine quarum nec nomina rex exaudiuit. *
Insultatio. Dirior insultatio quæ amicitiæ nomine infertur. *
Irrisio. Viri cùm barba irrisione afficitur capiti iniuria infertur. *

M

Murus. Murus quasi tota est ciuitas. *

O

Obsequium. Ad Templi obsequium vel sterilis pauperies est auri argentique ferax. *

P

Pars. Ex cunctis diuitiis comparatis ex muneribus, minima pars Regibus obuenit *
Patibulum. Reus illico pendet in patibulo, cum ei sententia capitalis indicitur *
Purgatorium. Animæ in purgatorio victitant eleemosynis fidelium. *

R

Religiosus. Religiosi vtuntur hoc mundo, quasi non vterentur. *
Reges. Reges quasi in hominum numero non sunt. *

S

Seges. Fœcunda impietatis seges quæ vel è cineribus prodit. *

T

Templum. Templum existima quemcumque Dei cultui dicatum locum videris. *
Tribulatio. Iustus in pace occumbit, cùm tribulationibus agitatus interit. *

V

Vanitas. Vestimentis vanitatis vti, vera est denudatio. *
Vir. Nunquam vir magis terribilis feminæ quàm cum ipsa ei plus apparet amabilis. *
Vterus. Meus Gonzaga & Stanislaus ex vtero viri. *

IN TOMO IV.

A

Argui.

Tunc peccator seuerius arguitur à Deo, cum non arguitur. ad initium huius Tomi ante materiam. *
Auris. Dum aures ad audiendum Dei præceptum, perficiuntur: corpus totum ad exequendum id aptatur. *

C

Calamitas. Quasi ficta sunt iustorum calamitates. *
Concentus. Concentum gratum Deo reddimus, cum discordes ingenio, in executione ministeriorum nobis iniunctorum, concordes ostendimur. *
Concionator. Tam pauci sunt veri Concionatores in innumero eorum cœtu vt dicere possimus Iam non est Propheta. *
Confessio. Illa confessio, quæ violenter exigitur, non debet appellari confessio. *

D

Delinquere. Ille clamat se deliquisse, qui tacet, peccata dissimulans. *
Deus. Deus speculum sine macula immutabile reddit spectantium imaginem pulchram, aut fœdam. *
Ibi Deus speciatim assistit, vnde hominibus commoda dimanant. *

F

Fames. Iusti, cum fame afficiuntur, ea verè quodammodo non torquentur. *
Flagellum. Innumerabilia peccatorum flagella. *

G

Grex. Quàm pusillus grex iustorum sit, si cum innumerabili impiorum cœtu comparetur. *

H

Habitatio. Horribilis peccatoribus æterna in igne habitatio. *
Honor. Honor vrbis Principis ad totam eius ditionem pertinet. *

I

Immensitas. Coram Dei immensitate cunctæ creaturæ nihil esse videntur. *
Impius. Impius etiam cum hærere Deo videtur, longè ab ipso recedit. *
Impassibilitas. Iustorum impassibilitas.
Ingratitudo. Magis Deus ostenditur ingratitudine, cum magis se proximum ob beneficia ostendit. *
Instabile: Instabilitas. Quæ solidissima videntur terrena cuncta, sunt instabilia. *
Rebus humanis agnata instabilitas. *
Irasci. Irasci debes contra crimina proximi, non contra humanam naturam. *
Iustus. Iustus quò magis innocentia est, eò plus sibi nocentior apparet. *

L

Lasciuia. Qui lasciuiæ vitiis delectantur, eo ipso Eucharisticum Angelorum abominantur panem. *

M

Magnitudo. Omnis mundi magnitudo ficta, nec valet hominem verè facere magnum. *
Munificus. Qui munificus est erga pauperes, in omnibus virtutibus connotatur egregius. *

N

Natalitium. Qui nouissimus natalitio, illustrior est virtutum exercitamento, primus in conspectu Domini erit. *
Natura. Si Regum natura spectetur viro haud differunt à vulgari. *

O

Opus. Quodcumque opus inuenitur in parente, connotatur in filio. *
Pati. Cum patitur iustus, in eo Deus solus quodammodo patitur. *
Peccatum. Peccator super terram lucet, vt luna, in Dei conspectu tenebris apparet offusus *
Peccatori speciatim superbo duplex tartarus, & hîc & æternum. *
Perfectio. Qui benè cœpit, totius quodammodo operis habet perfectionem. *
Princeps. Probus Princeps subditos vti filios amat, etiam cum se illi ingratos ostendunt. *
Propositio Generalis. Generalis propositio specialem non excludit exceptionem, vt videre est in conceptione Deiparæ. *
Prospera. Iustorum est, vel inimicis prospera expetere. *
Prudens. Quantò maior est prudens iustus, tam minor propriis obiicitur oculis. *
Puritas Creata. Omnis creata puritas in diuina puritatis conspectu videtur impuritas. *

Reputare

image
not
available

S

Sapiens. Qui verè sapiens est, se insipientem esse reputat. *

Separatio. Acuit Amorem vel perbreuis à dilecto separatio. *

T

Timere. Qui peccauit, semper debet timere, an ex corde egerit pœnitentiam. *

V

Vxor. Vxor à marito debet totor reputari. *

Qui sine vxore sæpe se videt egentem, sæpius se egere videt cum ducit vxorem. *

Xauer. Franciscus Xauier plenus clamabat satis est Domine. *

IN TOMO VI.

A

Abundantia.

Temporalis abundantia animo solet parare exitium. p.318.c.2

Altare. Fidelis populus esse debet altare, e quo bonorum operum victimæ litentur. p.318.c.1

B

Bellum. Pax bello stabilitur. p.318.c.2

In bello est pax, cum vnus & alter exercitus diuinæ subest voluntati. p.318.c.2

C

Christus. Christus iustis mansuetus est Agnus, impiis Leo & homo horribilis in die Iudicij. *

Concupiscentia. Omne animi bellum ex oculorum concupiscentia. *

Compassio. Angeli custodis magnus erga peccatores compassionis affectus. *

D

Deipara. Deipara Ezechielis porta ante & post partum clausa. p.318.c.1

Desiderium. Apud Deum desiderium pro perfecto opere reputatur. *

Desperare. Ne peccator desperet; facilè enim potest ad iustitiam remeare. p.318.c.1

Diuitiæ. Omnes mundi diuitiæ quasi nihil sunt. *

Duratio. Temporalis duratio tam exigua est, vt magis ac minus non recipiat. *

Omnis duratio temporalis admodum breuis est. *

E

Effectus. Effectus Dei irati admodum est permittere frænum peccatori laxari. p.317.c.2

F

Fidere. Ne nimium iustus fidat, facilè potens è iustitia cadere. p.318.c.1

I

Ignorantia. Quanto quis scit amplius, magis agnoscit se ignorantem esse. *

Impius. Est, & non est impius. *

Impudicus. Senex impudicus, puer est : puer castus est senex. p.318.c.2

Ingratus. Ingratus post beneficia à Deo accepta affectat Deum non agnoscere ne rependere cogatur. *

Israël. Israëlitæ septuaginta annis passi fuere captiuitatem, sed Deo eos amanti septem generationes nempe 700. anni videntur. p.317.c.1

Iudicium. Iudicium hominis minus æquum Deus subuertit, æquum approbat. *

Iustus. Iusti etiam post mortem verè viuunt. p.317.c.1

L

Labor. Labores iustorum videntur esse labores, sed verè non sunt. *

Latro. Potest quis repente ex latrone in Dei seruum mutari. *

Libido. Ignis supplicio dignus est senex, qui libidinis igne crematur. *

O

Obediens : Obedientia. Obediens, qui indifferens est, dum ad vnum tendit opus iustum, quasi ad omnia progreditur. p.317.c.1

Religiosus ob obedientiam quiescens, meretur, ac si vigilans laboraret. p.317.c.1

Obliuio. Agnata est principibus beneficiorum obliuio. p.318.c.2

Opus. Sæpè Deus vt peccatoribus ignoscat, vult magis placari operibus rectis iustorum, quàm oratione. *

P

Pax. Vera pax est, cum peccatis decertare. *

Peccator : Peccatum. Peccatores veritatis Concionatores contemnunt. p.318.c.1

Qui peccat simul viuit & moritur & in tartaro vita est ad mortem æterna. *

Peccata imperia extinguunt. *

Platea. Viri sancti rarò in plateis reperiuntur. *

Pœnitentia. Post pœnitentiam debet in peccatore semper permanere memoria, & dolor peccati. *

Promissio. Mendaces plerumque hominum promissiones. p.317.c.2

Prophetissa. Maria prophetissa fuit. *

R

Redemptio. Deiparæ perfecta redemptio etiam originale peccatum non contrahentis. p.318.c.2

Regnum. Tot sunt Regna in vno Regno, quot discordes ciues. *

Resipiscentia. Peccator si resipiscat, ad antiqua merita reuertitur. p.317.c.2

Resurgere. Solùm iusti qui ad vitam resurgent, dicuntur resurgere. p.318.c.2

S

Simulare. Ira leonina nunquam ditius vulnerat, quàm cum sub columbæ specie simulat feritatem. *

T

Torqueri. Per ea quis in inferno torquetur ditius, per quæ in hoc sæculo magis gloriatur. p.317.c.2

Tribulatio. Vera pax est iustis tribulationibus dum agitantur. *

V

Vox. Christus non audit vocem ex ore, sed ex corde profectam. *

IN TOMO VII.

A

Absens.

QVamuis Rector absens iubeat, veri obedientis præsens adest in corde ad executionem. ad initium Tomi huius ante materiam. *

Afflictio. Afflictio quæ transit, vix afflictio potest vocitari. *

C

Confessio. Peccatum, quod in confessione absconditur, sæpè in supplicium cunctis reuelatur. *

D

Dare. Multi paruum aliquid aliis dant, vt ab eis omnia eripiant. p.152.c.1

Debitor. Quotidie, imo per momenta singula Deo sumus vitæ debitores quia illam conseruat. p. 152.c.2

Deus. Deus peccatores non cognoscit, quia sunt quasi nihil. *

Deus facit malum tribulationis iustorum: & malum non facit, quia illis cedunt in bonum. *

H

Homo. Homo vas luteum fragilitati obnoxium. *

Humilitas. Sancti ex humilitatis affectu non agnoscunt honorem, quo fulgent. *

I

Impœnitens. Peccatori impœnitenti Deus non miseretur licet veniam efflagitet. p.152.c.1

Inobediens. Inobediens semper errat in via. *

Iurare. Quando licet iurare, & quando non licet.

Iustus. Iustus quanto minor suis apparet in oculis, in Dei conspectu maior existit. *

M

Manifestari. Agnatum peccato, manifestari. *

Mentiri. Virum spiritualem mentiri dedecet. *

Mores. Mutatis peccatoris moribus, Dei sententia mutatur. *

N

Nepos. Nepotes & aui quasi vnum. *

O

Obliuio. Quæ ad virtutis commendationem scribuntur, facilè obliuione obliterantur. p.151.c.2

P

Paupertas. Inermis paupertas est potentissima. p. 151.c.1

Peruersus. Deus cum peruerso peruertitur. *

Possidere. Non possidetur illud, quod alterius iniuria possidetur. p.151.c.1

Non possidetur Regnum tyrannicè acquisitum, si bello continuo sit conseruandum. ibid.

Præsul. Bonus Præsul se gerit sicut vnus ex subditis. p.152.c.1

Prouidere. Deus suorum prouidet egestati. pag. 151.c.1

R

Recordari. Frequenter recordemur, nos hîc non habere manentem Ciuitatem. p.151.c.2

S

Sacerdos. Impius Sacerdos non est appelllandus. p.151.c.2

T

Temporale. Omne temporale peruolat in instanti. *

Tribulatio. Tribulationes impiorum è peccato procedunt. *

Tyrannus. Tyranno imperante subditi bona sua possident, & non possident. p.152.c.2

V

Venia. Non erit dubia Dei venia, si pœnitentia dubia non fuerit. *

Veritas. Ratò constat de bellicarum rerum veritas p.152.c.2

Vocare. Sæpè accidit, vt peccator vocatus à Deo & non respondens, Deum ipse quærat, & non inueniat. *

Vulgus. Vulgus exercitus militum fortium, nec addit numerum, nec imminuit. p.151.c.1

IN TOMO VIII.

A

Abstinentia.

MAgna admodùm abstinentia est quasi non manducare. ad initium huius Tomi ante materiam. *

B

Blasphemia. Vel vnus blasphemus ita solet multiplicare crimina, vt quasi multiplex esse videatur. *

C

Christus. Christus de cœlo descendit speciatim, vt vocaret peccatores. *

Commodum. Omnia Temporaria commoda sunt nihil, & ideo quod non est, dari non potest. *

Communitas. In sancta communitate, si vnus socius delinquat vnius defectus toti religioni solet attribui. *

Concertatio. Christi pax suis amicis est continua laborum concertatio. *

Conuersio. Specialis mortis Christi effectus fuit gentilium conuersio. Ideo specialem gratiarum actionem ei debemus. *

D

Dignitas. Homo in dignitate constitutus sibi plus auctoritatis assolet arrogare, quam dignitas postulat. *

Discordia. Homo seminans discordias inter fratres, diabolus est. *

Diues. Difficilis admodum est diuitum salus. *

E

Electus. Etiamsi te inter electos annumerari scires: deberes semper timidus esse & operibus iustitiæ studere. *

Maria omnium electorum est mater. *

Pauci sunt electi, si cum reprobis computentur. *

Eucharistia. Qui indignè recipit Eucharistiam, non solum est diabolus, sed in Tartarum dæmonum domicilium conuertitur. p.190.c.2

F

Fides. Fides viua non potest sine dilectione Dei coalescere. p.189.c.2

Frater. Fratrum delicta pro viribus curare debebus, ne manifestentur. *

Fructus. Quod non datur ob Dei amorem fructus bonus non est. *

G

Gerere. Id ego gero, quod alius nomine meo facit. *

H

Habituale peccatum. Peccata habitualia difficillimè sanantur. *

Indignitas. Communicaturus, propriæ indignitatis professione præmissa, confidenter accedat. p. 189.c.1

Intentio. Eorum à quibus lædimur, curemus saltem intentionem excusare. p.190.c.2

Ioseph. Ioseph post partum plenius Mariæ perfectionem cognouit. *

Iustus. Solus iustus verè lætatur, & dulciter comedit, & bibit. p.189.c.2

L

Labor. Filiorum labores in affectu paterno crescunt. *

M

Maria. Maria Christi humilitatis æmulatrix, purificationis legi tota munda subiici voluit. pag. 189.c.1

Lucas corporalem Mariæ pinxit pulchritudinem, Gabriel animæ. p.190.c.2

Ministerium. Qui ad proximorum ministerium mittuntur, nulli extra animum intendant. pag. 189.c.2

N

Nazaræus. Christus ob mirabiles virtutes Nazaræus vocabatur. *

O

Obsequium. Omnia iustorum obsequia pauca sunt, imò nulla si cum mercede accipienda comparentur. p.190.c.1

P

Paradisus. Vbi Iesus fuerit, etiam in limbo paradisus est. p.190.c.2

Pater. Solùm Deus vere hominum Pater. *

Petrus. Petri tanta sublimitas meritorum, vt Christo similis ab ipso asseratur. *

Potentia. Christi potentia magis ostenditur in attractione Apostolorum, quàm in mirabili piscium captura. p.189.c.1

Pontifex. Romanus Pontifex Christus alter. *

Proximus. Proximorum peccata operire curemus. p.189.c.2

R

Religio. Qui statui Religionis dare volt operam, paternæ domui omnino renunciet. *

S

Sanctus. Sanctorum est de proximo malum non suspicari, vel apertis indiciis. *

Similitudo. Magna patrum ac filiorum in cunctis similitudo. *

Spiritus. Speciali Dei spiritu indiget Concionator, vt inter impios sine piaculo commoretur. *

Suggerere. Si parens aut vxor, aut frater tibi aliquid contra Dei legem suggerat, illum fuge velut hostem. p.189.c.2

Tributum. Princeps nimiis tributis subditos grauans, exigit, quod suum non est. *

V

Violatio. Bella oriuntur ex Templorum violatione. p.190.c.1

IN TOMO IX.

A

Actio.

Qui non iudicat temerariè proximi actiones, ipse à nemine iudicatur. ad initium huius Tomi ante materiam. *

Ille, in quo viuit Christus, curet actiones suas illius actionibus conformari. *

Affectus. Virtutis opera non metiuntur ex multitudine, sed ex cordis affectu. *

Agnus. Christus Agnus occisus ab origine mundi ad Deiparæ redemptionem. p.237.c.2

Attentio. Oratio vocalis sine attentione animi est inutilis: cum attentione vtilis admodum. *

B

Bellum. Cum ingruunt tribulationum bella, tunc in iustis Christi pax fortius stabilitur. p.237.c.2

C

Castigatio. Assidua corporis castigatio quodammodò dat iusto certitudinem quod in gratia persistet. *

Charitas. Magna est inter Ecclesias fidelium per charitatem vnitas, seu identitas. p.236.c.2

Charitas sacrorum ministrorum vltra obligationis terminos prosilit. *

Christianus. Non sufficit te Christiania parentibus prodiisse, nisi moribus sis Christianus. p.239.c.1

Christus. Christus cuperet, si Patri placeret non hominum, sed dæmonum opera occidi ne homines tanti criminis rei redderentur. *

Commodum. Nullum hominis commodum potest cum Dei inimicitia conseruari. p.236.c.1

Coniugium. Coniugio adstricti, si perfectè illius status leges obseruet, quodammodo valent, virginum coetui adscribi. p.237.c.2

Conscientia. Cum nos conscientia non accusat, probabiliter valde colligimus nos in gratia esse. *

Consortium. Noli eum hæreticis consortium inire. *

Conuersio. Difficilis admodum est conuersio eorum qui à Deo specialiter illuminati à via perfectionis excidunt. *

D

Damnatus. Quàm dira mors damnatorum, quibus semper mors erit in desiderio. *

Dependentia. Non vult Deus vel ministros maiores aliquid agere sine Præsulis dependentia. *

Desiderare. Non satis est velle aut desiderare operari bonum: sed necessarium id perficere desiderium. *

Deus. Solet Deus punire peccatum vnum permittens hominem in aliud grauius ruere. *

Sine Deo miserenti nemo vtiliter currit. *

Dei iudicia homo penitus ignorat. *

E

Electus. Electi coronam suam fortiter teneant, ne ab alio arripiatur. p.237.c.2

Exempla. Sancta vxor solet virum impium ad sanctitatem allicere exemplo. *

I

Ignobilis. Filius patris nobilis, ignobilis est, si vitiis seruit. p.237.c.2

Indurari. Deus vult vt nullus damnetur, sed ob peccatoria renitentiam permittit eum indurari. p.236.c.1

Infernus. Impij sunt dæmonum hic infernus. p. 238.c.2

Infirmitas. Qui humiliter profitetur suam infirmitatem ad operandum, à Deo potens efficitur. *

Inimicus. Inimici nostri fouendi, excipiendi: inimici fidei omnino à nobis ablegandi. p.237.c.1

Iratus. Homo iratus crudelibus non differt à bestiis. *

L

Labor. Sanctis labores excitant gaudium, non tristitiam. *

Libertas. Seruire virtuti est vera libertas. *

M

Malitia. Quod ex affectata malitia non geritur, quodammodò peccatum non appellatur. p.237.c.2

Minister. Euangelij minister Dei & animarum amore succensus tempore exiguo multum operatur. p.237.c.2

Multi Euangelij ministri vnum sunt per charitatem. *

Mulier. Mulier non permittitur docere vel leuia nisi prius bene ab aliis edocta. *

Operari

Conceptus Morales.

O

Operari. Homo implet quæ desunt passionom Christi cum rectè operatur, vt eorum fructum percipiat. *

Vt sine metu amittendæ salotis viuamus cum metu eam amittendi operemur. *

P

Participatio. Iusti Dij per participationem efficiuntur. *

Peregrinatio. Peregrinatio ad loca sacra non omnibus nec semper est vtilis. p.236.c.2

Persecutio. Vera sanctorum pax pro Iesu pati persecutionem. *

Persona. Maritus & vxor quasi vna persona. *

Petere. Quidquid volueris vel circa temporalia potes à Deo petere si addas. *Fiat voluntas tua.* *

Prædicare. Prædicandi ministerium totum hominem exigit; vnde Concionator non debet freqoenter in aliis ministeriis occupari. *

Potest prædicator iostis & peccatoribus in concione placere. *

Præpositus. Cuilibet Dei vices gerenti Præposito cuiuscumqoe eoditionis sit, nos debemus subiicere. p.236.c.1

Proximus. Qui proximum vt oportet diligit, manifestat se Deum ex toto cor[illegible] amare. *

Putare. Qui se diuitem scier[illegible] itute, &c. se esse putat: pauper Deo ostendit p.237.c.1

Resistere. Sobdito licet aliquanoo superiori resistere. *

Reuelatio. Etiam reuelationes, & illustrationes cum spirituali patre sunt conferendæ. *

S

Sacerdos. Sacerdos quis effectus quodammodo definit esse homo. *

Sancti. Sancti omnes iudicant esse sanctos. *

Seruire. Seruire hominum placito iniquo taxabile omnibus, ex humilitaós affectu seruire, commendabile est. *

Spes. Nil difficile, si contra spem humanam dioinæ opis spe oitaris. *

Surgere. Iustus cadens tam velociter surgit vt non cecidisse videatur. *

T

Tentatio. Omni gaudio potitur, qui irruenti tentationi obsistit. p.236.c.1

Periculosum est vltrò tentationem inire. p.236.c.1

D. Theresia. D. Theresiæ de Iesus docere permittitur, quia ioter viros annumetanda. *

FINIS.